


CONCIONVM
R^{di}. DOMINI
ALEXANDRI CALAMATO
PARS ALTERA
CONTINENS
SERMONES QVADRAGESIMALES
& encomia
VIRGINIS DEIPARÆ
Pro diebus Sabbathinis.

Editio altera auctior & emendatior.



ANTVERPIÆ,
Apud Cornelium Woons, & Henricum Aertssens,
ANNO M. DC. LXIII.

INDEX
CONCEPTVVM
APPLICATORVM AD EVANGELIA DOMINICALIA PER ANNVM.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Multi sunt vocati, pauci verò electi, Matth. cap. 20.

Agi potest de mysterio prædestinationis, causis ac signis eius; pro quo seruiunt conceptus discursus trigesimi primi.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Semen est verbum Dei. Luc. cap. 8.

Quòd inter alia signa prædestinationis etiam sit, libenter audire Verbum Dei; videatur discursus superior.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Tradetur enim Gentibus, & illudetur, &c. Lucæ cap. 18.

Agi potest de iniustâ sententiâ Pontificum, ac Pharisæorum contra Christum, & quæ causa illius; nimirum proprium interesse, quod illos excæcauerat magis, quam fuerit cæcus Euangelicus iste, & de iusto supplicio eorum. De hoc agitur discursu trigesimo tertio.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Ductus est Iesus in desertum à spiritu vt tentaretur à diabolo & cùm ieiunasset quadraginta diebus, & noctibus, postea esuriit. Matth. c. 4.

Videatur discursus quartus.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Ecce mulier Chananæa de finibus illis egressa, clamauit dicens ei Miserere mei Domine, Fili Dauid. Matth. cap. 15.

Videatur discursus octauus.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum, Luc. cap. 11.

Videatur discursus decimus sextus.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Cùm subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Ioan. cap. 6.

Videatur discursus vigesimus secundus.

DOMINCA PASSIONIS.

Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & Principibus Sacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Iona. cap. 8.

Videatur discursus vigesimus octauus.

DOMINICA PALMARVM.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, Matth, cap. 21.

Videatur discursus trigesimus quartus.

DOMINCA RESVRRECTIONIS.

Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic. Marc. cap. 16.

Videatur discursus trigesimus septimus.

DOMINICA I. POST PASCHA

Pax vobis. Ioan. cap. 20.

Videatur discursus trigesimus nonus, vbi tractatur de pace.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, Ioan. cap. 10.

Oues Christi sunt prædestinati, de quorum signis videatur discursus trigesimus primus.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Quid est hoc, quod dicit modicum? Ioan. cap. 16.

Tractari potest de modico honorum ac bonorum huius mundi, de quibus videantur discursus decimus tertius, & vigesimus nonus.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Expedit vobis, vt ego vadam. Ioan. cap. 16.

De vtilitate tribulationum in hoc mundo, quibus succedunt consolationes diuitiæ, videatur discursus trigesimus octauus.

DOMINICA V POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem tu nomine meo, dabit vobis, Ioan. cap. 16.

De oratione, eiusque efficacia videatur discursus octauus.

DOMINICA INFRA OCTAVAM Ascensionis.

Hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, Ioan. cap. 16.

Hora persecutionis iustorum est in hoc mundo. Videatur discursus trigesimus.

DOMINICA I. POST SS. Trinitatem

Mortuus est diues & sepultus est in inferno, Lucæ cap. 16.

Videatur discursus decimus quartus, per totum.

DOMINICA II. POST SS. Trinitatem.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. cap. 14.

Agatur de cœnâ Eucharisticâ, pro quâ seruiunt conceptus discursus trigesimi quinti.

DOMI-

DOMINICA III. POST
SS. Trinitatem.

Dico vobis, ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente. Lucæ cap. 15.

Deus agit festos dies in conuersione peccatoris. Videatur pars secunda discursus noni.

DOMINICA IV. POST
SS. Trinitatem.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Lucæ cap. 6.

Tractari potest de iudicio temerario. Videatur discursus vigesimus quartus.

DOMINICA V. POST
SS. Trinitatem.

Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc. cap. 5.

Qui piscantur honores huius mundi, nihil capiunt: videatur discursus decimus tertius: secus, qui piscantur æternos, videatur discursus decimus.

DOMINICA VI. POST
SS. Trinitatem.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Matth. cap. 5.

Tractari potest de dilectione inimicorum. Videatur discursus tertius per totum.

DOMINICA VII. POST.
SS. Trinitatem.

Misereor super turbam. Marc. cap. 8.

Agi potest de confidentia, quam habere debemus ad Deum in omnibus nostris necessitatibus. Videatur secunda pars discursus vigesimi secundi.

DOMINICA VIII. POST
SS. Trinitatem.

Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus. Matth. cap. 7.

Tractari potest de varijs arboribus, quas plantauit Deus in hoc mundo, quarum aliquæ sunt bonæ, id est, prædestinati; aliæ malæ, id est, reprobi: & de fructibus singulorum. Videatur discursus trigesimus quintus.

DOMINICA IX. POST
SS. Trinitatem.

Redde rationem villicationis tuæ. Lucæ cap. 16.

Agi potest de exactissimo examine, quod instituetur in die iudicij. Videatur disc. quintus.

DOMINICA X. POST
SS. Trinitatem.

Videns ciuitatem, fleuit super illam. Lucæ cap. 19.

Tractari potest de lachrymis, & ob quam caussam fundi debeant, videatur discursus nonus.

DOMINICA XI. POST
SS. Trinitatem.

Percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Luc. 18.

Discurri potest de pœnitentia, & de grauibus damnis, quæ consequuntur eius dilationem. Videatur discursus septimus.

DOMINICA XII. POST
SS. Trinitatem.

Adducunt ei surdum & mutum. Marc. ca. 7.

Dici potest, quod peccatum reddat hominem surdum ac mutum, & quibus alijs miserijs hominem afficiat. Videatur discursus decimus sextus.

DOMINICA XIII. POST
SS. Trinitatem.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Ierycho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Luc. cap. 10.

Hic homo figura est peccatoris ac lamentabilis eius status sicuti etiam fuit Lazarus quatriduanus mortuus. Videatur discursus vigesimus septimus.

DOMINICA XIV. POST
SS. Trinitatem.

Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo. Luc. cap. 17.

Tractari potest de vitio ingratitudinis, de quo habetur discursu decimo septimo: vel de dignitate sacerdotali supra illud, *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Videatur pars secunda discursus duodecimi.

DOMINICA XV. POST
SS. Trinitatem.

Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ, Matth. cap. 6.

Tractari potest de custodia Angelorum, quam Deus præfecit animabus nostris, vt ita non nimis soliciti pro illis esse debeamus. Videatur discursus decimus quintus.

DOMINICA XVI. POST
SS. Trinitatem.

Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, &c. Luc 7.

Videatur discursus vigesimus sextus.

DOMINICA XVII. POST
SS. Trinitatem.

Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Luc. cap 14.

Tractari potest de vitio superbiæ, de quo videatur discursus decimus septimus.

DOMINICA XVIII. POST
SS. Trinitatem.

Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Matth. cap. 22.

Quòd hæc dilectio in nouo testamento se etiam extendat ad dilectionem inimicorum, ostendi potest. Videatur de hac materia discursus tertius.

DOMINICA XIX. POST
SS. Trinitatem.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. cap. 9.

Quantus sit amor Dei erga peccatores, ob quem libenter illis dimittit peccata, modò seriò conuertantur, & ad quàm altum statum eleuet illos contritos & confessos, Videatur discursus trigesimus secundus.

DOMINCA XX. POST.
SS. Trinitatem.

Misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias. Matth. cap. 22.

Quomodo Christus semper laborauerit reducere peccatores ad conuersionem, adeò vt defatigatus sæpè illorum causâ fuerit, & non tantum seruos miserit. Videatur discursus vigesimus primus.

DOMINICA XXI. POST
SS. Trinitatem.

Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur. Ioan. cap. 6.

Agi potest de vtilitate tribulationum ac infirmitatum. Videatur discursus vigesimus.

DOMINICA XXII. POST
SS. Trinitatem.

Iratus Dominus tradidit eum tortoribus quoadusque redderet vniuersum debitum. Matth. cap. 18.

Tractari potest de pœnis purgatorij. Videatur discursus vigesimus tertius.

DOMINICA XXIII. POST
SS. Trinitatem.

Abeuntes Pharisæi consilium inierunt. Matth. cap. 22.

Quoties Pharisæi consilium inierint contra Christum & quàm iniquè eum condemnarint, &c. videatur discursus trigesimus tertius.

DOMINICA XXIV. POST
SS. Trinitatem.

Domine filia mea modò defuncta est. Matth. cap. 9.

Dici potest de morte suaui ac dulci iustorum. Videatur pars secunda discursus vigesimi sexti. Vel etiam tractari potest de vitijs sexus fœminei. Videatur discursus vegesimus primus.

DOMINICA VLTIMA POST
SS. Trinitatem.

Væ prægnantibus ac nutrientibus in illis diebus. Matth. cap. 24.

Per prægnantes ac nutrientes intelligunt SS. Patres peccatores incorrigibiles ac obstinatos. Væ igitur illis in extremo iudicij die, nisi hic corrigantur. Agi igitur potest de correctione diuina ac diabolica. Videatur discursus decimus octauus.

Si conceptus desideras amice Lector in Festiuitates præcipuas Deiparæ Virginis, consule disursus in dies Sabbathinos ad finem huius operis positos, & selectissimos reperies.

INDEX
COPIOSVS RERVM AC MATERIARVM TOTO HOC OPERE CONTENTARVM.

Detra-

Igni

S. Polyc

DIS-

DISCVRSVS SELECTI IN SACROSANCTA EVANGELIA,

Toto quadragesimali tempore occurrentia ; quibus Laudes & Encomia Deiparæ Virginis, pro diebus Sabbathinis accedunt ad finem operis.

PARS PRIMA.

DISCVRSVS I. IN ILLVD:

Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris;

PRO DIE MERCVRII CINERVM.

ARGVMENTVM.

PRæsenti Discursu mortis describitur Natura. Prima parte, puncto primo, Horà aduentus eius nil incertius & celerius esse demonstratur. Puncto secundo; Iugem memoriam eius efficacissimum antidotum & præseruatiuum contra omne peccatum esse ostenditur. Secunda parte, puncto tertio; Memoriam eius præstantissimum omnis peccati remedium curatiuum & potentissimum ad Deum conuersionis medium esse, probatur.



AD inuentiones & Cæremoniæ, quibus primæui Sapientes, & veteris Philosophiæ Cultores, Filijs suis, tam humani generis mortalitatem, eiusque labilem & fragilem vitam, ob oculos ponere, memoriæque imprimere, quàm eius innatam & superbam æstimationem deprimere & annihilare conabantur; vti pulchra, iucunda, delectabilique varietate, adornatæ; ita vtilibus significationibus, atque mysterijs erant prægnantes. Ægyptij Sapientes, vt harum Magistri & Inuentores inter epulas & populą, in pulchro, artificiosoque vasculo, veluti mausolæolo ad id accomodato hominis cranium recondere, atque accumbentibus exhibere solebant; adeoque gustare quid, omninò vetitum erat, nisi, prius adinuentis deputatisque cæremonijs, exhibitum atque repositum, ac sequenti Epitaphio adornatum fuisset. *In hoc intuens, bibe, manduca, & oblectare.* Romani victores, orbisque Domitores, populo recenter electum Imperatorem, in triumphali curru exhibentes, mancipium quoddam, Scuticam, seu flagellum manu tenens illi associabant, cuius officium erat, sequentia verba, eius insusurrare auribus: *Memento quia homo es.* Simile quid Græcis in Dominatoris sui coronatione vsui erat, Sculptorem eum marmorum ei adiungebant, aliquot

Varij ritus gentium in morte repræsentanda.

ſpecies marmoris oculis eius obijcientem, eumq́ue hunc in modum alloquentem.

Elige ab his ſaxis, ex quo Auguſtiſſime Cæſar
Ipſe tibi tumulum me fabricare velis.

Dan c.2. Babyloniæ Regibus, Prophetæ Danielis aureus ille, argenteus, atque ferreus coloſſus, luteis, teſtaceiſq́ue impoſitus fundamentis: quo Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, ac Romanorum, diruta denotabantur imperia. Superbi illius Iudaici populi oculis, ſancti Ezechielis, myſticus ille inſcriptus later præſentabatur, quo Hieroſolyma vrbs obſeſſa, valloq́ue inimicorum cincta, & ad extremam redacta miſeriam deſignata exhibebatur: *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo ciuitatem Ieruſalem, & ordinabis aduerſus eam obſidionem, & ædificabis munitionem, & comportabis aggerem, & dabis contra eum caſtra, & pones arietes in Gyro.* *Ezech c.4.*

Eccl. fer. 4. Cin.

Quàm proficua hæc cæremonia Cinerum.

Raræ profecto & celebres fuerunt hæ cæremoniæ. At noſtra (quâ ſancta Romana Eccleſia, ſacro quadrageſimali tempore, hodierna die) myſtica quadam metamorphoſi, felix dat principium, dum ſuorum ſacerdotum manibus, populi ſui vertices, benedictis incinerando pulveribus, myſticis quibuſdam verbis originem, ac terminum vniuerſalem omnium indicat, dicens: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Tum Græcorum tùm Romanorum, omniumq́ue gentium cæremonias, raritate & myſterijs longè lateq́ue ſuperat. In ſumptuoſo & ſuperbo illo Delphico Apollini dicato templo, à Gentilitate, ab ingredientium oculis marmoreæ columnæ inciſa ſequentia legebantur verba, *Noſce te ipſum.* Proponebatur quæſtio, ſed ſolutione carebat; in cuius indagatione cum ſuo famoſo & acuto Thalete defatigabantur Philoſophorum ingenia, at confuſo & infecto negotio, receſſum meditando diſcedebant. Verùm Romana Dei electa atque ſancta Eccleſia; Cineres ſacros, ô Chriſtiani, ſuorum ſacerdotum manibus vobis exhibens, capitaq́ue veſtra myſtico hoc incinerans puluere, myſterium quoddam magnum vobis repræſentat, idq́ue ſequentibus verbis dilucidè explicat. *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Non ſic redimita lauro, auguſta decorantur Cæſarum tempora; nec Regio diademate Principis caput adornatur, vt animæ veſtræ, myſticis hiſce cineribus adornatæ & decoratæ. Deo præſentantur, his enim originem veſtram, lutum & puluerem eſſe, vobis demonſtratur, talemq́ue finem atque exitum vos ſortituros, proclamatur: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sponſa in decore ſuo Regi ſponſo adducenda, Imperator ſuo populo coronatus proponendus, non ſic adornari poſſunt, vt animæ veſtræ, horum verborum recordatione ac meditatione condecoratæ Deo ſponſo, Angelorumq́ue choris exhibentur. *Memento homo, quia puluis es.* Hic ſacer & efficax eſt puluis ille, qui aureos, argenteos, ferreoſq́ue illos coloſſos, in animis veſtris erectos deturbat, omniaq́ue hæc merum lutum, atque puluerem eſſe demonſtrat.

Plato lib. de tranq. animi.

Mortis memoria ſalutaris.

Hic eſt ille puluis, cuius memoria ciuitates deſertas & deſerta habitata apud primos reddidit Chriſtianos: vt Antonij, Macarij, Hilariones, Paphnutij, aliaq́ue innumerabilia Eremitarum & Anachoretarum teſtantur caſtra. Hic ſacer atque efficax puluis, tantæ eſt virtutis, vt eius ruminatio ſuperbos in humiles, auaros in liberales, laſciuos in caſtos, iracundos in manſuetos, otioſos in ſua procuranda ſalute ſollicitos, tepidos in feruentes mirabili virtute conuertat. Quod reuera Altiſſimi Spiritus per Salomonem vobis inſinuare voluit, dicens: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* *Eccli. c.7.* Ecce Auditores,

dum

dum merum puluerem luteaque vasa vos esse considerem, vos verò vt incorruptibilia absque omni mortis timore, agaris & viuatis, cum sancta nostra Ecclesia, hæc vestris ingerere auribus verba cogor. *Memento homo, quia vuluis es, & in puluerem reuerteris.* Primæ ergo partis, puncto primo, incertam mortis horam, præcipitem & celerem eius aduentum declarabo. Puncto secundo, eius jugem memoriam, ac frequentem ruminationem potentissimum antidotum atque præseruatiuum, contra quodcunque esse peccatum, demonstrabo. Secunda Parte, Puncto tertio, Memoriam mortis præ omnibus alijs efficacissimam esse ad peccatoris conuersionem, probabo. Fauete auribus ac animis.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Memento homo, quia puluis es, & in pulnerem reuerteris.

VIta nostra, Auditores, tam breuis est, tamque velocibus decurrit passibus, vt ad id demonstrandum, sacra Scriptura, nunc hac, nunc illâ vtatur similitudine. Iob capite decimo quarto, eam Florem de mane enascentem, & adueniente Aurora in sua pulchritudine luxuriantem, ad vesperum autem marcescentem, decoremque omnem amittentem, pallore & squalore se induentem assimilat, aiens: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, qui quasi flos egreditur & conteritur.* Quid jucundius oculis nostris iuuene atque Virgine in florente ætate; vt flos egrediuntur, & ecce florentes marcescunt, & despecti, vt lutum ab Amatoribus suis concuscantur. Videamus quàm ad rem doctissimus Hugo Cardinalis in huius loci explicatione loquatur. *Egreditur* (inquit) *nascendo, quia floret in carne, & conteritur viuendo, quia paulatim redigitur in puluerem.* Quid hominis putatis esse substantiam? Arboris est folium, quod vix subortum, cadit, pallescit & siccatur. Pro hoc Regius Vates psalmum quinquagesimum nonum composuit, cui titulus est, *Pro ijs qui immutabuntur* Sanctus Basilius legit: *Pro Hominibus.* Aquila, *Pro foliis.* Symmachus, *Pro floribus.* Id est, pro ijs & ad eorum vtilitatem hunc composui psalmum, (vult dicere Vates) quidem exurgunt, cadunt; dum florent, marcescunt; & nascendo moriuntur. *Pro ijs qui immutabuntur.* Adam, vt folium tale, à Ruperto Abbate describitur, capite tertio in Genesim, vbi sic habet: *Folium est homo, qui in Paradiso ab arbore decidit.* O mirum! Adam nimirum, vt virentissimum folium, immortalitatis insertum arbori, Paradiso impositus, vix ortus expalluit & immortalitatis obrutus cinere necdum perfectè florens, in mortis puluere emarcuit. Hoc vobis, Auditores, spectaculum sancta Dei Ecclesia conatur demonstrare, & exhibere hodierna die auribus vestris inclamando: *Memento homo, quia vuluis es, & in puluerem reuerteris?* Ergóne ô homo puluis es? Ergo tantæ vilitatis & leuitatis existis? vt si ipsa vanitas in æquilibrio posita, tecum libraretur, tibi præponderaret, & pulueris tui lancem in altum jaceret. Audiamus Theodoreti opinionem, qui psalmi sexagesimi primi versiculum, *Mendaces filij hominum in stateris,* meditans atque ruminans legit, *ad ascendendum.* Cur autem ad ascendendum & non descendendum aut deprimendum? Rationem eius vobis percipere lubeat. *Si conijciantur omnes,* (id est homines) *in alteram lancem, & ipsa vanitas in alteram, posterior deprimeretur.* Sanctus Iacobus in Canonica sua, ad hanc vanitatem nobis demonstrandam aliâ perpulchrâ vtitur similitudine. Vapori ascendenti, qui exurgendo euanescit, nascendo dispergitur, vitam nostram comparat; in-

Marginalia (left column): *Iob c.14.* Vita flos. — *Hugo Card. hic.*

Marginalia (right column): *Psal.59.* — *S. Basil. Aquil. & Symmach. in hunc Psalm.* — *Rupert. Abb c.3. in Genes.* — *Theodor. in Psa.61.* — Vanitas vitæ. — *S Iacob. c.4.*

quiens: *Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminatur.*
Psal. 143. Regius autem Propheta iterum: vmbræ fugientem insequenti hominem eius assimulat dies. Vidistísne aliquando pueros vel mente captos, ad radios solis sedentes, & ex improuiso consurgentes, suas velle insequi & apprehendere vmbras? currunt, sed velociùs præcurrit vmbra. Sic hominis vitam celerrimo suo cursu, insequitur mors fugientem. *Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt.* Curris, ô homo, sed tua te velociùs præcurrit vita; crescis, sed crescendo morti appropinquas; imò tanta est miseria tua, vt florendo atque crescendo marcescas, & celerrimis passibus morti approximes. Ergo ipsa vita tua mors est.

Hanc instabilitatem, atque miseram tuam sortem, sanctissimus Rex David
Psal. 89. sequentibus deplorat verbis. *Quoniam superuenit mansuetudo & corripiemur.* Septuaginta legunt, *Velociter rapiemur.* (*Lect ex* 70. S. *Hieron. & Geneb. hic.*) Diuus Hieronymus clariùs ex Hebræo vertit, *Transiuimus citò & auolauimus.* Id est, Gruum aut Anserum instar campos transvolantium, cursus vitæ nostræ est, intuentium quidem oculos suâ oblectant atq; exhilarant præsentiâ, sed velocissimo volatu, quantocyus sese eripiunt & intuentium oculos defraudantes, contristant. Sic vita nostra auolare solet, & intuentium frustrare spem atque expectationem. Audiamus & aliam ex Hebreo doctissimi Genebrardi translationem. *Quoniam tonsio velox & auolabimus*, id est, (vt idem explicat) quia
Vita auicula auolans, nos velociter tondes, & resecas, auolamus. Sciréne vultis, quidnam menti aut imaginationi meæ, his obijciatur verbis? dicam vobis. Tritum quidem est, sed aptum ad sensum verborum horum declarandum. Vidistisne aliquando puerulum, auiculam pulchram, alligato pedi filo captiuam, tenentem, illiusque iucundissimo consortio sese oblectantem? nunc amplexam ori applicando, nunc apprehensam pectori admouendo, nunc manibus mulcendo? At ecce invidiosâ socius motus, filû rescindit & hæc summa celeritate avolat, & ecce omnis festiuitas & totum gaudium in luctum atque planctum conuertitur. Eandem certè rationem cursus vitæ nostræ habet, nam nil aliud, quàm velocissimus avolatus & celerrima est fuga. Qualitatem quam Vitæ fuga.
egregiè sanè, vir secundum cor Dei, nostris denudans oculis sequentibus eructauit verbis. *Vitam meam annuntiaui tibi.* *Psal.* 55. *Lectio Heb.* Hebraica legit traductio, *Fugam meam annuntiaui tibi.* Quomodo ô David vir sancte, fugam tuam Deo annuntiare intendis? Quis vnquam te fugientem vidit? Vrsum & Leonem adhuc puer apprehensos suffocasti; 1. *Reg.* c. 17.
Inermis juvenis Philistæum illum colossum, in baculo, funda, lapide, & in nomine Domini Dei tui deiecisti, eorumque toties formidabiles fugasti exercitus. Ita est, Auditores dicit David: *Fugam meam annuntiaui tibi.* Hanc revelo Deo meo, hanc calidissimis deploro lachrymis; non verò illam quâ timidus atque pusillanimis miles gregarius suam quærit salutem; sed Breuitas vitæ.
breuitatem vitæ meæ, instabilitatem ac incertitudinem dierum meorum deploro, atq; Deo meo reuelo, hi enim velocissimo volatu transeunt, & celerrimo aufugiunt cursu. Quod & psalmo trigesimo octauo, insinuare nititur, inquiens: *Psal.* 38.
Ecce mensurabiles posuisti dies meos. Textus Hebræus legit; *Ecce vt mensuram quatuor digitorum posuisti dies meos.* (*Lectio. Hebr.*) Symmachus, *Ecce tanquam Palmos dedisti dies meos.* (*Symmach. hic.*) Genebrardus ait: *Momentaneos fecisti dies meos.* (*Geneb. hic.*) Sanctus Chrysostomus vertit: *Palmares dies meos:* & addit; *Nam vita nostra quibusdam palmis mensuratur,* (S. *Chrys. hic.*) & tandem concludens dicit, *Per hæc declarauit vita nostra breuitatem.* Sanctus Augustinus habet: *Ecce veteres posuisti dies meos,* (& dat rationem) S. *August. hic.*
quia non stant, non manent, celerrima muta-

muta-

Psal. 38.

mutabilitate transcurrunt, prorumpit vlterius eodem Psalmo David in lamentationis verba: *Et substantia mea tanquam nihilum ante te.* Vbi sanctus Hieronymus clarius Davidicam exponens mentem, habet, *Et vita mea quasi non sit in conspectu tuo.* Volens dicere; viuo quidem, sed ita ac si non viuerem, sum, sed ita ac si non essem; viuo enim & non viuo, sum & non sum: dum enim viuo morior, & dum sum, esse cesso. Vatablus. *Ecce constituisti dies meos palmi minoris magnitudinem non excedentes.* Quibus alludere volens Horatius Poëta sic cantat:

S. Hier. hic.

Vatablus.

Horat. lib 2. Ep. 1.

Labitur occultè, fallitque volatilis ætas,
Et nihil est annis velocius.

S. Greg. lib. 1. moral. cap. 27.

His absque dubio Magnus ille Gregorius motus, auream illam nobis, libro vndecimo moralium capite vigesimo septimo, reliquit sententiam: *Hoc ipsum nostrum viuere, quotidiè è vita transire est.* Ac sic diceret: Dies vitæ nostræ celerrimi passus sunt, velocissimi saltus, quibus morti acceleramus, quot enim annos numeramus, tot velut egregiis saltibus morti appropinquamus; quot dies, quot horas, quot momenta transiuimus, tot morti viciniores sumus.

Vita vt filum, aut tela à texente succiditur. Isai c. 18. Ovid. Eleg. 4. l. 3. Trist.

Rarâ certè & periucundâ sanctus Ezechias Rex vtitur similitudine, ad hoc ipsum oculis nostris deuelandum, dum vitam nostram telæ, que mane textoris manibus exitur, sub vesperum autem iisdem rescinditur, confert, *Præcisa est velut à texente vita mea, de mane vsque ad vesperum finies me.* Quæ fortè Ovidius legens ex iisdem causam atque originem fabulæ suæ traxit, dum tres differentes, in textura vitæ nostræ Parcas occupatas fingit. Prima filat, & filis fila annectendo, tempus terit. Secunda texturæ sedulo invigilans ad suam perfectionem telam perducere conatur. Tertia omnis moræ atque quietis impatiens, his ambabus adstans, nunc fila ducentem, nunc texentem, sua inquietudine turbans, telæ perfectionem impedire nititur; & modò producta fila rumpit, modò de fuso texturæ aptata resecat. Vitæ nostræ miseria, atque mors ipsa per has Parcas designatur, ac si fictione hac poëtica Vates canere intẽderet: Plurimi dũ adhuc à naturę calore in matris vtero quasi filantur, à morte rescindendo extinguuntur. Innumeros, dum vt fila de fuso tracta, huic inferuntur luci, crudelis illa Parca mors disrumpit, atque ex texentis eripit manibus. Perpauci iam texturæ, applicati, id est viridem attingentes ætatem, ad perfectionem eius perueniunt. Rarissimi dies suos ad perfectam & decrepitam perducunt senectutem. Crudelis enim hæc Parca mors, nunc fila, nunc telam vitæ nostræ indifferenter rumpendo præscindit. Audiamus quàm aptè & ad rem Sanctus hic Rex, aliis verbis hunc nostrum ibidem declaret conceptum. *Dum adhuc ordirer, succidit me;* Id est dum in vtero Matris meæ coagularer, Mors coagulationem destruit, dum coagulatus animam vitæ recipio, mors in obscuris illis tenebris me enecat; dum luci præsentor, inuida hæc Parca tenebris suis me obvoluit; dum texturæ expositus, id est, nutrior & viuo, hæc cursum vitæ meæ rescindit. *Dum adhuc ordirer, succidit me.* Tela à texente non nisi perfecta rescinditur, at vita nostra, vix incepta, vix oriens in mortem commutatur atque præscinditur. Hanc miseriam nostram, Sanctus ille Iob deplorans, inquit: *Dies mei, velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur,* ac si diceret, non tam celerem in telæ rescissione textorem esse, quàm mortem, in vitæ nostræ abbreuiatione. Audiamus & doctissimi Lirani in hunc locum peraptam explicationem. *Comparatur vita humana tela, quia sicut texitur addendo fila filis; sic humana vita deducitur, addendo dies diebus: & sicut perfecta tela succiditur à texente; sic humana vita à Deo de præsenti.* Idem & clariùs quidem Origenes homilia in Iobum sentire atque dicere

Parcæ tres.

Iob c. 7.

Liran. hic.

Orig. homil. in Iob.

cere videtur, *Sicut tela filis,sic vita diebus singulis proficit:sed quò magis crescit, ad incisionem tendit:sed & tela festinantiam,velocitas vitæ transit quæ semper deficit.*

Ergo, vt fila filis apponendo textura telæ perficitur; ita nos dies diebus adiungendo, morti acceleramus. Et ficut tela, quò magis perficitur, fuccifioni amplius approximat, ita & nos quò plus viuimus, morti proximiores efficimur: imò dies noftri peioris funt conditionis, quàm tela; illa enim non nifi perfecta refcinditur; at dies vitæ noftræ fæpius imperfecti amputantur. Ideo ad rem dicit Iob: *Dies mei velociùs transierunt, quàm à texente tela fucciditur.*

Quid ergo mifer & mortalis homo fuperbis, & in tua gloriaris vanitate? an non cernis, eofdem quos muneras, dies, de numero dierum tuorum tibi detrahi? ecce quò longiores trahis dies; eò proximior morti conftitueris; breves enim funt dies hominis, & mors celeri paffu currens, vitæ noftræ filum refciendere conatur. Ideo cum tam in cautam Romana Ecclefia mater noftra filiorum vitam intueatur, ad mortis memoriam eofdem hodie incitat, atque exhortatur, dum per Sacerdotum fuorum manus, capitibus veftris facros imponendo cineres, dicit: *Memento homo quia pulvis es, & in puluerem reuerteris.*

Eccl. fer. 4. cin.

Caufa mortis, peccatum.

Sed quænam, Auditores, tantorum malorum caufa atque origo eft? Quid, hominem alioquin nobiliffimum, & ad Dei ipfius fimilitudinem, ac imaginem formatum, ad tantam pertraxit vilitatem? Vnde tot tantifque obrutus iacet miferijs? Diuus Paulus ad Romanos, tribus indicat verbis, *Per peccatum mors.* Itáne ô Paule fancte, peccatum induxit mortem? Peccatum immortalitatem mortalitate confudit? Peccatum hominis dies, qui plures & innumerabiles effe debebant, paucos & numerabiles reddidit? Peccatum, hominem Dei gerentem vices, & quafi vice Deum in terris, beftiæ & iumento fimilem reddidit? Morti, putredinique expofitum atque fubiectum vermibus in efcam deftinavit? Ita fanè *per peccatum mors.* Sed Paule fancte, quid dicis? Mortuus eftne Adam, guftato vetito cibo? imò vixit & fupervixit nongentis triginta annis; quomodo ergo per peccatum mors? Refpondit Angelicus Doctor Sanctus Thomas fecunda fecundæ, quæftione centefima fexagefima quarta, articulo primo, *Statim mortui funt primi parentes, quia licèt diutiùs vixerunt, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem, quâ in fenium veterafcerunt, acceperunt.* Ita fanè, nam momento illo, quo primi parentes peccarunt, mortis rei facti funt, etfi enim non ftatim hanc pœnam luerint, & mortui non fint, ideo tamen liberi ab ea non fuerunt: Mortis enim legem in fuis corporibus femper portauerunt, & ex illa hora, quâ fententia hac percuffi vitam agebant, vfque ad finem vitæ fuæ femper moriebantur, & non vltra viuere, fed mori dicebantur. Quod clarius Doctiffimus teftatur Liranus in hunc locum, inquiens: *Adam guftato ligno, cœpit ad mortem tendere.* Id eft: tota vita fua continuum mortis erat initium.

Ad Rom. cap. 5.

Gen. c. 2.

S. Thom. 2. 2. q. 164. art. 1.

Lir. hic.

Hinc Rupertus Abbas motus, Adami admiratur dictum, quòd tranfgreffo præcepto & mortis acceptâ fententiâ, ad vxorem fuam illicò conuerfus, viuentium Matris titulo eam infignire aufus fuiffet, cum conuenientiùs morientium appellare debuiffet? Sic enim habet facer textus, Genefis *Et vocauit Adam nomen vxoris fuæ Eua id eft, vita.* (Dicit Sanctus Hieronymus queft. Heb. in lib. Reg.) *Eò quod Mater effet cunctorum viuentium.* Audiamus Rupertum Adamum corripientem. Verba eius hæc funt: *Mirabile eft, quòd vbi mortis corporeæ fententiam ferebat, ibi vxorem fuam Euam, id eft, vitam appellauit. Quid infanius? quàm illam nuncupare Euam? id eft vitam? quæ nec faltem habebat vitam: & dicere Matrem cunctorum viuentium,*

Eua mater viuentium poft mortis fententiam dicta ab Adam. Gen. c. 3.

D. Hier. q. Heb. in Lib. Reg.

Rup. Abb. lib. 3. in Gen. c. 16.

tium, quæ potius est mater cunctorum morientium ? Magna sanè & vana hæc erat Adami præsumptio, vitam habere præsumpsit, mortis acceptâ sententiâ vitæ titulo suam honorabat dilectam, quæ acerbissimis mortis torquebatur doloribus. Verùm hac, Auditores, vanà atque stulta, cuncti nos laboramus præsumptione; quis, quæso, nostrûm est, qui non longam sibi promittat vitam ? Adstat mors filum vitæ succidens, anima sanè corporis disrumpit vincula, & tamen vitam speramus ? Et cùm mors certissima sit, certissimam nobis promittimus salutem ? O stultam atque vanam nostram præsumptionem ? Breves sunt dies nostri, & incertus valde numerus eorum est. Audite, obsecro, mellifluum Bernardum sermone de Natiuitate Domini, contra mendacem Angelum inuehentem : *Vbi est quod dixisti nequam ; Nequaquam moriemini ; ecce enim omnes morimur & non est homo, qui viuat, & non videat mortem.*

S. Bern. serm. 2. de Nat. Do.

Idipsum Sanctus Augustinus in psalmum decimum sextum, nobis concionando inculcat : *Recole annos ab Adam vsque in hodiernum diem, percurre Scripturas : Heri penè Adam ille de Paradiso lapsus est.* Id est, percurrite Scripturas, numerate annos, quibus Adam vixit, annos à die, quo mortuus est, vsque ad hanc adducite horam, scrutamini, ruminate illos, & reperieris idem esse, ac si heri Adam de paradiso eiectus esset, & mortis accepisset sententiam. Et si vestrûm aliquis ab Adam vsque modò vitam duxisset, & retrospiciens annos suos computaret, ac si non fuissent, pertransisse reperiret. Hoc est, quod dicere vult Sanctus Augustinus. *Heri penè Adam ille de Paradiso lapsus est*, Sed amabo, dic sodes, quot annorum vitam sperare potes ? centum : imaginare tibi annos mille, decem & centum etiam millia, & considera durationem & longæuitatem eorum, nil aliud, nisi frigidam reperies auram flantem matutinam, quæ crescente solis calore, euanescit. Vbi nunc est Adam ? vbi Cain? quonam antiquus ille dierum Mathusalem peruenit? vbi Noë ? vbi Sem ? vbi Abraham ? vbi Iacob ? vbi Ioseph Saluator Ægypti ? & alij innumerabiles sancti & primi nostri Parentes ? vixerunt, fuerunt & mortui sunt : Sic vita nostra cum gloria sua transit atque fugit. Sed & hoc in mortis qualitate, cum sancto Augustino vel maximè notandum est, quòd ad omnes sit indifferens, nulloque laboret affectu, nec sexum, nec statum respiciat, nec pulchritudini aut sapientiæ compatiatur, nec fortitudine aut robore deterreatur, sed quæcumque obuia sibi, sua crudelissima demetat falce. Audiamus verba eius Epistolâ ad Cornel : *Quid prodest ergo nobis sapientia huius mundi? vbi namque quæso fili est sapientia Salomonis? vbi potentia Octauiani & Cæsaris Imperatorum ? vbi fortitudo Sampsonis?* Ac si dicere voluisset, omnes mortui atque corrupti, à vermibus iam consumpti sunt. Scriptum enim est secundo Regum, *Omnes morimur & quasi aqua dilabimur.* Vidistíne quam rapido cursu, de cœlo cadente impetuosâ pluuiâ, de montibus decurrant torrentes ? Sic vita nostra currit ; manè domo eximus per campos & prata vagantes, dulci societate transigimus diem, & cùm varijs corpus recreationibus refocillauimus, tandem vespere lassi redimus domum. Talem Seneca dicit esse peregrinationem vitam nostram. *Vita nostra peregrinatio est, cùm diu ambulaueris, domum redeundum est.* Discurrimus per mundum, aliena perlustramus habitacula, tandem redeuntes, sedem figimus, & quiescimus. Sic vita nostra constituta est, postquam in miserijs & laboribus, dies ac annos aliquos transegimus, vnde exiuimus illuc reuertimur, & ad propria, quæ altera vita est, remeamus.

Breuitas vitæ. S. Aug. in Psal. 16.

Mors nulli parcit.

S. Aug. ad Corn.

2. Reg. c. 14.

Sen. Ep. 104.

Hanc nostram miseriam Regius Psaltes

Pſal. 87. *Hebraica Lect.* *Genebr. hic.* Vita, Aſinus, non Equus.

Pſaltes deplorans, inquit: *In laboribus à iuuentute mea.* Hebraica habet lectio: *Expirans ſum à iuuentute mea. Quod idem eſt, ac ſi dicere placuiſſet,* (vt Genebrardus explicat) *Moribundus, lentè moriens, vitam trahens, potiùs quàm ducens ab ipſa prima ætate.* Pulchrâ doctus hic vir in mentis ſuæ explicatione vtitur ſimilitudine, vitam, hominem non vt obedientem equum manu ducere, verum vt obſtinatum aſinum recalcitrantem atque reſiſtentem trahere dicit. Obedientem equum manu ducere, non laboris ſed recreationis eſt; recalcitrantem autem, atque reſiſtentem poſt ſe trahere Aſinum, intolerabilis eſt laboris, tam improbus labor eſt vita hominis, à iuuentute in labore, ſumma ſemper anxietate, non ducit, ſed trahit Aſinum vitæ ſuæ, ſemper ſudans, ſemper præ labore & anguſtijs moriens. Ergo ſumma hæc veritas eſt, dum naſcimur & maternis extracti tenebris luci præſentamur, obſcurâ incipimus occludi tumbâ, cum ſcriptum ſit. *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Imò ex materno vix coagulati ſanguine, homagium & tributum morti præſtamus. Vnde Seneca: *Quotidie dimittitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm creſcimus, vita decreſcit, & hunc quem agimus diem cum morte diuidimus.* Quam miſeriam & experientia ipſa docet, imò mortui atteſtantur, *Nati continuò deſiuimus eſſe.*

Ad Heb. c. 9. *Sen. Epiſt. 59.* *Sap. c. 5.* Morimur naſcentes.

Matris in vtero, velut in horrido atque obſcuro carcere, membra noſtra compinguntur: Sed in obſcuriore, atque horridiore multò, qui tumulus eſt, per corruptionem diſſoluuntur, atque à vermibus deuorantur. Audiamus Sanctum Iob, quàm præclarè hoc inſinuet, dicens. *Quaſi non eſſem de vtero tranſlatus ad tumulum.* Quem locum S. Gregorius Nazianzenus de hominis vilitate explicans ait: *A tumulo tumulum peto; à tumulo nimirum ventris, ad tumulum terræ.* Et Sanctus Nilus, magni illius Baſilij Diſcipulus, ſortem infantis adhuc naturæ faſcibus inuoluti, & maternis inhærentis viſceribus, conſiderans, dubius hæret; num matris vterum & obſcuræ illius inhabitationis locum, cunis, quibus recenter compacta fouentur membra, aut tumulo cuidam, quo corruptioni traduntur, comparare debeat. Verba eius hæc ſunt: *Formatur tanquam in ſepulchro, in vtero nondum exiſtens infans, naturæ faſcijs inuolutus; & ſimilis eſt mortuo faſcijs ſepulchralibus circumſtricto.* Huius conſideratio indubiè Platoni quæſtionis illius aperuit campum, vt apud Stobæum videre eſt. *Num viuere & mori vnum idemque ſit?* concludens quod ſic, claris affirmat verbis, viuere noſtrum idem ac mori eſſe; in cuius probationem corpus noſtrum proprium tumulum noſtrum eſſe, teſtatur. *Quis nouit vtrum viuere quidem mori ſit, mors autem viuere? & nunc fortè reuerà mortui ſumus, corpuſque noſtrum ſepulchrum eſſe nobis?*

Iob c. 10. *S. Gregor. Nazian. de homil. vilit.* *Nilus orat. in Paſch.* *Plato apud Stobæum, ſer. 121.* Vterus maternus, Tumulus.

Antiquus ille Tertullianus, ad rem & propoſitum noſtrum peraptam habet conſiderationem, quam proponit his penè verbis. *Naſcitur puer, maternis extractus tenebris luci præſentatur; primus autem eius actus, fletus atque planctus eſt,* danſque huius peraptam rationem, inquit: *Plus eſt, quod de proſpectu lacrymabilis vitæ, quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur, quod etiam præſciens habenda ſit ab ingreſſu natiuitatis, nedum intelligens.* Vult dicere, fletus atque planctus recenter nati infantis, aliud non eſt, quàm ſubſequentiam malorum ac mortis augurium &, cùm linguâ & verbis ſuam non poſſit deplorare futuram miſeriam, fletu atque planctu enarrare conatur. Idem elegantiſſimis confirmat verbis Clemens Alexandrinus. *Meritò igitur infans, vt Matris vtero caput extulit, ſtatim lamenta, non riſus exorditur; nam flebili voce vitæ propemodùm indignatur; cuiuſque prima munera ad deguſtandum præbentur, exitioſa, ac mortifera ſibi eſſe, animaduertit.* Idem loco citato, Infantem recenter natum, & faſcijs cinctum conſiderans dicit

Tertul. de nat. c. 19. *Clem. Alex. cat. Græc. in Iob.*

dicit, Expressam naturæ esse inuentionem, quæ fascijs circumligatum quasi sepulturæ natum, præsentare atque circumspicientibus exhibere, & vix in lucem editum, ad mortis ianuam accelerare, mortisque vasallum demonstrare voluit. Audiamus propria eius verba, *Simul atque enim editus in lucem & susceptus est, manus, pedesque eius fascijs constringuntur. Nuper est infans ad vitam ingressus, nec interpositâ morâ mortuorum pannis amicitur. Natura enim finis memoriam reuocat ijs, qui nascuntur.*

PVNCTVM SECVNDVM.

Memoria breuitatis.

INstabilitatem & breuitatem vitæ nostræ sat vos percepisse, mihi persuadeo, modó eius memoriam ac frequentem ruminationē potentissimum pharmacum, atque præservatiuum contra quodcunque esse peccatum verbis demonstrandum superest. Quem effectum Ecclesiasticus clarissimis attestatur verbis: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Ac si diceret: Cibus tuus horum recordatione sit aspersus & conditus, potus tuus illorum sit mixtus memoriâ: gradientes pedes tui, horum calcentur ponderatione, manus tuæ illicita attrectare cupientes, reminiscentia horum inungantur, oculis tuis lasciuientibus continuum sint speculum, ori tuo clausula, atque porta sint auditui: Hæc tuis tere cogitationibus, securus vives ab omni peccato. Audiamus Sanctum Augustinum, de hac memoria ferentem iudicium. *Nihil sic hominem reuocat à peccato, quemadmodum Mortis meditatio.*

Eccl. c. 7.

Vita antidotum contra peccatum.

S. Aug. lib. 2. cont. Marc.

Et vt ad rem veniamus: Quam, obsecro, putatis, tantorum peccatorum atque scelerum causam, originemque esse? Regius Psaltes eam indicat, quod non sit qui firmâ recogitet mente se moriturum, & incertam mortis esse horam. *Non est respectus morti eorum;* Sanctus Hieronymus hic legit, *Non cogitant de morte sua.* Chaldæus sensus à Genebrardo adductus habet: *Non terrentur, neque cōturbantur propter diem mortis suæ.* Ergóne, Auditores, tantorum peccatorū atque malorum mortis obliuio causa est? Ita certè: *Ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua.* Subiungit Propheta, Qui se morituros non cogitant & mortis incertam horam esse non ruminant, superbi, impij, & scelerati efficiuntur. Sed hoc omnium in homine perditionis euidentissimum signum est, quod, quando mortis subintrat memoria, cacodæmonis suggestu animus eam quantocyùs eijciat. Cui certè Iacobi illud in Catholicâ suâ dictum appropriari potest: *Hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: Considerauit enim se & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit.* Id est, vt Doctissimus Hugo Cardinalis explicat: *In morte proximi considerauit se, & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit.* Vult dicere: In vicini alicuius morte suas contemplans miserias & cordi illas opponens, mortalem se esse cognouit. Sed quamdiu hæc in corde durabat contemplatio, & miseriarum cognitio? Quousque durauit mortis præsentis imago, velut in speculo, & proximi cadaueris obiectra miseranda facies illuminauit oculos, cum his ambobus omnis illicò contemplatio atque cognitio euanuit.

Psal. 72.

S. Hier.

Chald. hic apud Geneb.

Iacob. c. 1.

Hugo hic.

Cur Iob testa saniē radebat.

Non sic, non sic ô Filij hominum! Si filiorum Dei denominationem & æternæ salutis hæreditatem prætenditis. *Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.* Intueamini sanctum illum virum Iob, contamplemini eum, toto corpore plagatum, atque tabidâ infectum sanie; sterquilinio insidentem, & testâ saniem radentem. Sciscitemini ab eo, vir sanctissime, vnde nam tibi erga tuam propriam carnem tanta crudelitas? vt arrepto contritæ ollæ fragmento de luto cocto, saniem vulnerum tuo-

tuorum abstergere atque radere audeas? sanè modus hic aptus est, vulnera non curandi, sed potius exacerbandi! Molli tela atque delicatulo aliquo panno hæc sanies & rabida putredo expurganda est. Audiamus Diuum Gregorium Magnum tertio Moralium capite quarto respondentem huic sciscitationi, *Luto tergebat lutum, pensabat quippè vir Sanctus, vnde sumptum erat quod gestabat, & fragmento vasis fictilis, confractum vas fictile radebat.* Id est; propriæ fragilitatis memoria, eiusque profunda contemplatio hanc in Iob causabat aduersus cropus suum asperum procedendi atque curandi modum. Frustulum atque fragmentum fictilis vasis excreta aut luto cocti, manu apprehendens, saniem vulnerum suorum radebat, mente verò voluens proprium corpus simili compositum substantiâ, illud alloques sic ratiocinabatur: Hæc testa, atque ollæ fragmentum, quâ saniem rado, ex terra & luto, sic coctum, coagulatum atque induratum igne est. Corpus meum ex terra & luto coctum, coagulatum & sic formatum naturæ colore est. Ideò conuenit, imò expedit, vt terra, & lutum, aliâ terrâ & luto abstergatur. Vas hoc fictile, quod manibus teneo; cadens in terram confractum atque in fragmenta plurima reductum est; sic ego moriens, & corpus meum in minutissima reducetur fragmenta. Et vt sanctus hic vir firmiùs mortis memoriam infigeret menti, addit sanctus Pontifex, sterquilinio insidere, & non in molli lecto, quo debilitata recrearet membra, decumbere voluit. Nam intolerabili illo fetore, de sterquilinio exurgente, admonebatur continuè, corpus suum similem aliquando & maiorem fetorem exhalaturum. Audiamus eius verba. *In sterquilinio ponebat corpus, vt etiam ex loci fetore caperet, quod festine corpus ad fœtorem rediret.* Hac memoriâ mortis Sanctus hic vir suos vincebat innimicos: huius recordationis fauore & spiritum malignum tribulantem, & mulierem impertinenter vexantem, & amicos exacerbantes detriumphabat: hæc ne blasphemaret, aut non rectum aliquid contra Deum suum loqueretur, linguam eius inhibebat, hac suam iustitiam tanquam fortissimo tuebatur castro. Ergo nulli mirum videatur, si hac neglectâ, tam facilè ac leuiter à deordinatis supperetur affectibus, obruatur crapulâ à lasciuia captiuus ducatur, & omnium iniquitatum miserabile efficiatur mancipium.

S. Gregor. lib. 3. moral. c. 4.

S. Greg. l. c.

Solinus c. 14. scribit Gentilium Sacerdotes quotannis Olympicum ascēdisse montem, ibiq; Dijs suis certo sacrificasse ritu, post quem si quę fortè menti occurrerint, arenis & pulueribus montis & sacrificiorum, cineribus, virga ad id consecratâ inscripsisse; & quod mireris, redeuntes anno sequenti intactos & indeletos omnes ab ipsis formatos reperisse characteres. Cum enim mons ille, propter celsitudinem omnem ventorum, imbrium, aliorumque meteororum effugiat tempestatem, non erat quod scriptas deleret literas. Verba Auctoris hæc sunt. *Literæ in cinere scriptæ vsq; ad alteram anni Cæremoniam permanent.* Sic ô Christiani, annuas hodie sancta Romana Ecclesia suas recolit Ceremonias, capita vestra sacris incinerando pulueribus & menti sequentia imprimendo verba: *Memento homo, quia pulius es, & in puluerem reuerteris.* Et quis nostrûm hæc præterito in scripta toto retinuit anno; quàm facilè, pro dolor! primo tentationis vento, prima sensualitatis pluuiâ atque motu extincta & penitus annihilata fuerunt? Hanc vestram incuriam & inexplicabile inde exurgens vobis damnum Regius deplorat Vates: *Non cogitant de morte sua, ideò tenuit eos superbia; operti sunt iniquitate & impietate sua.* Quia sterquilinio non insidetis & multò minus testa saniem vulnerum vestrorum abradi-

Mos sacrificandi in Olympo.

Non sumus simi les Olympi vertici.

Psal. 72.

abraditis. Hinc tanta in animis vestris peccatorum accumulatur illias, & iniquitas omnis super muros cordis vestri suum expandit trophæum. Rem verbo dicam, defectus memoriæ mortis omnium vestrorum scelerum origo est. *Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.* Cùm Bacchus accedit, dulce tibi propinando vinum, testam apprehende manu, rade saniem, & mortalem te esse cogita. Cùm Venus blanditur sterquilinio inside, & naribus hunc fætorem attrahe, & sic amborum tentationes eludes.

Mortem cogitandā esse vicinam.

Sed & hoc in Christianis, malorum omnium caput est, quòd cùm credant se morituros, mortem tamen quàm longissimè adhuc abesse semper sibi persuadeant, contrarium omninò intendit Deus. Vult enim Deus, vt vicina & nobis adstans, & iam præ foribus esse, à nobis consideretur. Hierem. cap. 9. minitans peccanti Iudaico populo mortem, & hanc quidem per Chaldæorum crudelem manum atque gladium inferendam, vt presentia eius menti eorum efficacius imprimeretur; raro & mirabili vtitur medio. Iubet Heremias adducere mulieres lamentatrices, & vt citiùs & absque mora adsint, mandat. *Vocate Lamentatrices, vt veniant, & ad eas quæ sapientes sunt, mittite, & properent, festinent & assumant super nos lamentum.* Sed, ad quid hæ lamentatrices? quid, si advenerint, facturæ sunt? *Audite ergo mulieres Verbum Domini.* id est, verba quæ vobis dicturus sum, populo meo annuntiabitis, per vicos & plateas Hierosolymitanæ vrbis & omnium ciuitatum: Hæc vestras filias, & socias atque vicinas docebitis, vt in domibus populi mei atque plateis vrbium decantentur. *Et docete filias vestras lamentum, & vna quæque proximam suam, planctum.* Sed quænam hæc tanti ponderis atque valoris verba sunt? vt Hebraicum populum de peccato reducere & præparatum malum avertere sufficiant. Audite, pauca quidem sunt, sed efficacissima *Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, disperdere paruulos de foris iuuenes de plateis.* Id est, Mors in Chaldæorum gladio per fenestras intravit domos vestras, infantes in foribus, vestro insidentes sinu, Iuvenes vestros platearum percurrentes compita, Chaldæorum gladius & mors crudelissima iam devorat. Doctissimus & pijssimus Rabanus Maurus in hunc locum, hoc factum profundâ ponderatione considerans, eiusque medullitus indagans causam, dicit: Actus hic vt admonitorius, sic & Prophetarum ac prædicatorum Dei proprius esse debebat: At quia vicinissimum malum annuntiare intendebat, his fœminis vsus est Deus, verba eius audite: *Quia Prædicatores & Prophetæ quasi futura, & procul eventura tractantes, non audiebantur à populo; idcircò lamentatrices veniant, quæ proximè præterita & quasi oculis obiecta annuntient.* Ac si diceret; fateor actum hunc Prophetis, ratione officij conuenisse, sed quia Deus præsentem, & iam quasi præ foribus mortem huic populo per Chaldæorum manus inferandam repræsentare volebat, non Prophetis, sed lamentatricibus fœminis vti placuit. Et ratio est, quia Dei verbi prædicatores antiqui Testamenti erant Prophetæ, & hi non nisi futura & de longè evenientia Dei populo annuntiabant, ideo dicta eorum, aut non credebantur, vel si credita, tamen vt à longè evenientia atque futura nullius in credentium animis erant efficacitatis. Sed fœminæ lamentatrices, non futuram, sed præteritam atque actu præsentem solebant deplorare mortem, & earum doloroso atque lamentabili planctu in astantium animis varios excitare affectus. Vt ergo iam iam præ foribus, adstans Libitina, & suam per Chaldæorum gladium exercens crudelitatem gentis peccatricis oculis obijceretur, eorumque indurata corda, eam iam

Hier. c. 9.

Cur Deus cladem, per Chaldæos populo suo inferenda, per lamentatrices voluerit indicare.

Rabanus Maurus in c. 9. Ierem.

iam quasi præsentem intuentia, matrum sinu infantes eximentem, Iuuenesque de plateis auferentem, ad contritionis effectum & conuersionis statum emollirentur. Per lamentatricum, & non prophetarum os, eam annuntiare placuit divinæ Majestati. Hanc mortalium insaniam meritò deridet Romanus sapiens, eò quòd non sit, qui sibi adstantem mortem ac vicinam contempletur; sed omnes à longè venientem respiciant. *In hoc fallimur*, inquit, *quòd mortem prospicimus*, id est, à longè & de futuro venientem contemplemur. Eandem deuotissimus deplorat Guirinus Abbas, dicens: *Vtinam vel illi se obseruarent, qui mortem iam paratam intrare, imò iam intrantem vident.* Ac si diceret: Quòd Iuuenis quis, indomitus, fortis, ac robustus, mortem de longè respiciat, & in hoc fallitur; quòd benè compta, atque dissoluta iuuencula eam de longè venientem intueatur, & in hoc decipiatur, mirum haud est; Sed quòd decrepitus homo, alterum pedem in cymba Charontis habens: quòd Iuuenis lethali morbo decumbens, eam de longè venientem & futuram prospiciant, certè dolendum est. Vt igitur illi eius propinquitatem sancta demõnstret Ecclesia, sacris his cineribus capita suorum fidelium incinerando, auribus eorum iam sæpius repetita inculcat verba: *Memento homo, quia puluis es, in puluerem reuerteris.*

Senec. ep. 1.

Intelligite modò mesteria verborum Christi, quibus varijs morbis subleuatos alloquens, à se dimittebat, quadrant enim ad rem præsentem. Ioan. c. 5, ad Siloe piscinam, triginta annorum languidum sanans, his verbis dimisit: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et adulteram iam liberatam de accusantium Iudæorum manu, sequentem alloquebatur. *Vade, & iam amplius noli peccare.* His & similibus sanatis valedicebat; mortuis autem reddens vitam, tacet, nec verbulo eos

Ioan. c. 5.

Ioan. 8.

Cur Christus sanatis dederit

alloquitur. Ioan c. 11. Lazarum resuscitat & discipulis dicit: *Soluite eum & sinite abire.* Afflictæ & desolatæ Naimiticæ illi viduæ filium rediuiuum reddit nulla salutaria addens monita. *Et dedit illum Matri suæ.* Vnde, obsecro, hæc diuersitas in Christi actionibus? numquid hi potius indigebant verbis admonitorijs quàm illi? Euthymius quæstionem egregiè soluit. *Quos à mortuis reuocabat, nullo æternæ salutis imbuebat præcepto; à morte namque eximio Doctore consultò admoniti erant.* Id est, mortui resuscitati, nullâ indigebant admonitione, nisi vt sibi à peccatis cauerent, iam enim viderant, & reipsa per mortem peccati cognouerant naturam, eiusque experti erant effectum; Mors enim, vt doctissimus Magister, cautiùs imposterum in Dei via ambulare eos apprimè instruxerat. Infirmis autem, cùm adhuc non vidissent mortẽ, sed solito more à longè eam contemplarentur, talia salutis monita erant necessaria, ne denuò peccatis commissis in similem relaberentur calamitatem. Hoc ipsum sanctum Paulum factitasse ad Magistri sui exemplum inuenio.

salutaris monita, non verò morte resuscitatis. Ioan. 11.

De nocte Paulus ad populum habebat sermonem, & ecce obdormiscens inter dicendum quidam Adolescens è fenestra, cui insidebat, delapsus extinguitur; mox Apostolus suos rescindit discursus & Iuuenem accedit atque resuscitat, restitutoque vitæ, silens discedit, suspensum derelinquens auditorium. Vnde ô Paule sancte tam subitum silentium, ecce quam aptam sortitus fueras ad populum perorandi occasionem. Cur igitur tacens abis & silentio filum tuæ concionis scindis? Sanctus Chrysost. diuinitus illuminatus, vt nobis mouit ita & soluit hoc dubium: *Descendens Paulus, profectus est: sufficiebat enim mortui casus pro Doctore.* Diuus Paulus, discursu suo, audienti populo, mortis metum peccatique horrorem incutere conabatur, atque ad subitum hunc casum habebat

S. Chrysost. Hom 43. in Act. Ap. Mor: efficaciùs perorat quàm S. Paulus. Act. c. 20.

bebat intentum. Enimverò vel ipsis manibus tangere poterant mortem solito more per fenestras intrasse, & minimè cogitanti adfuisse.

Ergo (Auditores) Mors suâ & eloquentiâ & vi perorandi Paulum ipsum, omnesque vincit Oratores atque Doctores? Ita certè, Eccl. c.7. testatur: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.* Chaldæus textus legit. *Qui iuerit ad domum luctus, vir iustus sedebit, & ponet in corde suo loquelas mortis; & si est in ipso quicquam mali, deponet illud, & conuertetur in pœnitentiam.* Dicere vult Chaldaicus interpres, mortem sæpius meditans atque præ oculis habens peccator, iustus efficietur: Sæpius enim de morte loquens & sermonem de miserijs vitæ huius miscens, adducetur vt peccatum commissum deleat per pœnitentiam, atque in posterum vt vir iustus vivat, mortemq; ampliùs non de longè, sed propinquè contemplans, cum sancto Paulo clamabit, *Cupio dissolui & esse cum Christo*, & velocissimo cursu illi lubens occurret. *Et si est in ipso quicquam mali, deponet illud.* Vis ergo iustus esse, & ab omni tibi cauere peccato, atque omnem effugere offensam Altissimi, mortem tibi semper ob oculos positam cõtemplare, Sanctique Augustini sæpius recole verba: *Hæc vita, quam nos agimus, mors est potiùs dicenda quàm vita.* Vę omnibus quibus memoria hæc cordi non est, & quibus Pauli verba ad Heb. *Statutum est hominibus semel mori*, continuis non teruntur cogitationibus.

Eccls. c.7. — *Lect. Cha.* — *S. Aug. lib.5. de ciuit. Dei c. 30.* — *S Paul. ad Heb. c.6.*

Quintus Curtius in vita Alexandri Magni, vt rarum, sic & sapientissimum ab Alexandro patratum enarrat factum. Philosophorum non-nemo, volens Alexandrum peracto prælio & obtentâ insigni victoriâ intra humilitatis continere limites, supplicem ei offert libellum, in qua Alexandrum rogat, ne mori se patiatur, sed immortalitatis gratiâ atque priuilegio dotare dignetur. Subridens legit Alexander supplicationem arrepto calamo seqentia subscripsit verba: *Moritur etiam Alexander.* Ac si dicere voluisset, immortalitate te donare, cum ipse mortalis sim, mihi non licet, nec meę est potestatis, liberum à morte declarare, cùm ipse mortis subditus sim: Sat mihi constat, Mortem, nec Imperia, nec Coronas respicere, non curare claritatem sanguinis, aut vllis naturæ dotibus à sua demoueri sententia. Numquid hæc est, quæ Regum manibus sceptra eripiens frangit; aureas Pontificum Thiaras conculcat? Ecclesiæ Principes purpurâ spoliat, & in alio non delectatur, quàm vt in omni statu funestorum armorum suorum erigat trophæa. O miseri mortales, aperite, obsecro, vnum ex his nobis presentibus tumulum: extrahite delicatæ alicuius Iuuenculæ corpusculum, in hoc velut speculo, qnid vobiscum futurum sit, perspicietis. Quò, quæso, peruenerunt nostri maiores, amici, socij atque familiares iam mortui: aperite tumulos, inspicite, tangite, heu! putredinem, fœtorem, abominationem! & possibile adhuc est, hominis cor adeò esse saxeum ac induratum, vt similibus penè quotidianis spectaculis ad meliorem vitæ rationem non permoveatur.

Pulchrum factum Alexandri

David Rex iustus & sanctus erat, & vt ipse Dei testatur Spiritus, Vir à Deo & secundùm Cor electus: & tamen priusquam panem sumeret, eum cineri intingebat, & antequam potũ ori applicaret, eum lachrymis miscebat. Audite verba eius, *Cinerem tanquam panem manducabam.* Legit S. Hieronymus: *In cinere intingebam panem meum, & potum meum cum fletu miscebam.* Hoc non sonat, ac si materialibus cineribus suum solitus esset intingere panem, at hoc indicare volebat, quòd tam frequens illi mortis memoria erat, vt dum manducaret, ac biberet, resolutionis suæ carnis, in pulverem

Cur David & quomodo cinerem tanquam panem manducabat.

Psal 101. — *S Hier. hic.*

uerem

uerem & cinerem recordaretur, eamque amaris lachrymis deploraret, quæ potum quem bibebat, miscebantur. Hæc dum altiùs perpendit S. Hieronymus in has exhortatorias prorupit voces: *Si igitur Propheta hoc dicit;nos quid facimus?* Si David qui Rex erat, hanc menti suæ tam fixam habebat memoriam, *Nos quid facimus*? Si David quòd Propheta erat, hoc dicit, *nos quid facimus*? ad quid ô miseri nos attendimus? cuius recordatione tempus terimus? *Nos quid facimus*? Quid mente nostra voluimus? fortè nos minimè morituros putamus. Moriemur & nos, & celeriori passu, quam credimus, mors nobis aderit atque ad tumulos trahet. Placeat, Auditores, patienter audire, breuibus dicam verbis, quid agamus: quibus cogitationibus animos nostros oneremus, quibus studijs ac laboribus, dies atque annos nostros consumamus. Vitas singulorum inspicite, & reperietis iuuenes lasciuientes absque obedientia: Diuites auaros absque misericordia: Fæminas delicatas absque pudore; Dominos potentes absque virtute; Christianos iracundos atque litigiosos absque mansuetudine; Principes superbos, absque humilitate; Pauperes inflatos & ambitiosos; Aulicos atque milites perfidos absque vllo Dei timore, viuere. O Christiani, *Nos quid facimus*? Hácne via saluari & ad hæreditatem æternam peruenire putamus! fallimur, & deceptos nos inueniemus. Et faxit Deus vt falsus sim Propheta, ne repentina mors suis celerrimis passibus, multos de improuiso inuadat atque in æternam miseriam rapiat. Atque hinc, Auditores, verum dicere modum mortem considerandi, cuius frequens memoria ad quodcunque cauendum peccatum vtilissima, atque efficacissima est, vt habemus probatum. Atque hæc pro 1. parte.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

Percepistis hucusque quàm celer mors in suo sit cursu, quamque velocibus passibus nos incautos inuadere soleat, & quam frequens eius meditatio præstans & salutare contra quodcunque peccatum, antidotum sit. Superest, vt virtutem eius ad peccatoris conuersionem, vt spopondi breuibus exhibeam: cuius pro maiori claritate dubium vnicum vobis proponam. Si nobis ex vna parte terræ portæ paterent ad inferos, & horribiles eorum cruciatus atque miseriæ ad viuum oculis nostris obijcerentur: ex altera verò mortem crudelem, indiscreta sua falce, nunc Iuuenem, nunc Senem, nunc Dominum, nunc seruum, nunc diuitem, nunc pauperem, demetientem conspiceremus; quo putatis intuitu peccatoris cor citius emolliendum ad pœnitentiam? Dicam quod sentio, saluo tamen meliori iudicio, cum doctissimo Pererio, mortis sæuientis intuitum, maioris quàm infernalium pœnarum fore virtutis, & efficaciæ. Audite, si lubet, probationem Pererij: Creato Adamo primo parente nostro & à Deo tot tantisque, vt scitis, dotato donis atque qualitatibus; vnicum tantum datur præceptum, Gen. 2. *Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas. In quacumque enim die comederis ex eo morte morieris.* Cur, inquit, Deus Adamum ad huius præcepti obseruationem animare volens, mortis & non infernalium pœnarum vtitur memoriâ. Vultis rationem? percipite. *Licet enim pœna inferni, re ipsa grauior sit, quàm mors corporis; comminatio tamen corporalis mortis acrior, & vehementior est ad commouendum hominem*, id est, licet infernalium pœnarum cumulus, atrocitate atque terrore, longè lateque & absque vlla comparatione mortis superet memoriam: hæc tamen ad peccatorem commouendum maioris

An intuitus inferni aut mortis sit efficacior ad peccatorem conuertendum.

Pererius in Genesim.

Genes. 2.

maioris efficaciæ atque virtutis eſt. Ideo Adamo à Deo mortis & non inferni obijcitur recordatio.

Sed vt clariùs me explicem, hancque virtutem meliùs oculis veſtris obijciam: Audite mirabile quid. Peccat Adam & à Deo, in tranſgreſſionis pœnam, hæc contra eum fulminatur ſententia. Geneſ. c. 3. *In ſudore veſceris pane tuo.* Sed quanto tempore hæc durauit pœnoſa atque dura ſententia? *Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es.* Tempore diuinus & miſericors Pater terminat homini pœnam. Peccat Lucifer, & à Deo contra illum quoque duriſſima fulminatur ſententia, æternis addicitur tormentis, & nullo tempore terminandum pronuntiatur ſupplicium. S. Bernardus diuinorum horum Iudiciorum diuerſitatem conſiderans, dubium mouet; vel vt melius dicam, cauſam diuerſitatis inquirit; peccat, inquit, homo, & punitur, ſed tamen ita, vt pœnitentiæ detur locus & pœna tempore terminetur. Peccat Angelus, & punitur, ſed tamen ita, vt pœnitentiæ locus nullus ſit, & ſupplicium eius in æternum duraturum, nullo termine-tur tempore: vnde ergo harum ſententiarum diuerſitas. Dicet Theologus, Angelum à Deo inflexibili dotatum eſſe intellectu, adeo, vt ſi quid amando apprehendat, vel odiendo fugiat, indelebiliter ei impreſſum maneat; atque inhæreat: Sic nullo modo de actu aliquo, in quo ſibi vel per momentum complacuit pœnitere poſſe. Vel aliter: Angelum ſibi ipſimet petram ſcandali fuiſſe, cauſamque propriæ extitiſſe proditionis, à nemine non tentatus, contra Deum ſuum ſe erexit, Altiſſimumque de proprio voluit deturbare throno. Hominem verò ab Angelo, dæmone iam facto, fallacibus perſuaſionibus ad tranſgreſſionem præcepti inductum fuiſſe; Ideo veniâ digniorem Angelo, Deo inuentum fuiſſe. Bonæ & peraptæ hæ ſunt rationes. Sed S. Bernardi audiamus ſententiam. Homini, inquit, pœnitentiæ à Deo relinquitur locus & non Angelo; Quia Angelus de terra non erat, ſed ſpiritualis, immortalis ſubſtantia, ideo omnis præſeruatiui, atque curatiui incapax erat remedij, nec modum, quo ad Deum reducendus eſſet, capere poterat. At homo cùm de terra ſumptus eſſet, terræ atque mortis memoria iam à Deo ſuo per peccatum auerſus, vt efficaciſſimo curatiuo, ad eum rurſus conuerti poterat. S. Bern. ſubijciam verba: *Mihi dicit, donec, illi parat æternum. In ſudore, inquit, vultus tui comedes panem tuum, donec in terram, de qua ſumptus es, reuertaris. Peſſimus ille Angelus de terra ſumptus non eſt, nec in terram aliquando rediturus; propterea non habet donec, ſed ignis ei paratur æternus.* Similem videtur habere Incognitus conceptum 102. Pſalmi explicans verſiculum. *Recordatus eſt quoniam puluis ſumus,* dicens: *Angelus autem quia non eſt puluis, neque carnem geſtat, peccando grauiùs cecidit, & peccatum ſuum non fuit veniâ dignum.* Ergo terra ex qua noſtra ſumpta eſt ſubſtantia, ſicut & miſeriarum noſtrarum origo atque cauſa eſt; ſic etiam earundem efficaciſſimum eſt curatiuum remedium. Et quemadmodum terrea noſtra ſubſtantia, grauiſſimo ſuo pondere, in varias nos trahit atque præcipitat miſerias; ſic eiuſdem diligens contemplatio efficaciſſimè de illis nos retrahit atque liberat, ita eſt. Ergo *memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Cur poſt peccatum æterni ſupplicij contra Angelos at contra homines temporalis tantū pronunciatur ſententia.

Bern. in declarat.

Pſal. 102.

Verum quidem eſt, plurimos modos diuinum poſſidere theſaurum, quibus auerſi à Deo peccatores reducuntur; ſed mortis hominiſque miſeriarum memoria omnium efficaciſſimum eſſe, affirmare non dubito. Audiamus in hac doctrina S. Iob hîc, cùm de perverſiſſimo quodam peccatore diſcurreret, eiuſque perditionem tacito ruminaret corde, interrogat: *Quis arguet coram eo viam eius.* Pagnin. vertit, *Quis annunciabit coram eo viam eius malam?* Ac ſi dicere voluiſſet;

Mortis memoria ac ſepulchrorum inſpectio efficax remedium ad conuertendum peccatorem.

Iob c. 21.

voluisset: cuius hominis eloquentia, tantæ virtutis atque energiæ erit, vt perdito peccatori ad Deum conuersionem persuadeat? Eritne sub sole reperibile quid, quod obstinatum peccatorem, immersum immunditijs, extrahere, & Deo suo conuersum repræsentare queat? Erunt forsan, dicet quis, diuinæ inspirationes, quæ vt acutissimæ spinæ, de hora in horam, de momento in momentum, acriter peccatoris cor pungentes eum ad pœnitentiam exstimulare consueuerunt, at frustra est, compertum enim habemus, eas licèt frequentissimas, & absque interuallo ad peccatoris cordis ianuam pulsantes, aut non exaudiri, aut non admitti; aut etiam exauditas & admissas repudiari. At efficient hoc aduersitates & tribulationes, quibus Deus auersorũ peccatorum corda, quasi *camo & fræno*, vt David ait, constringit, & sibi approximare facit? Non certè, neque his inest vera salus; Plurimos enim, his vt validissimis, impetuosis oceani vndis obrutos videmus; & tamen, vt firmissimum saxum suis infistere fixos vitijs atque sceleribus. Sed numquid infirmitas aliqua grauis hoc valebit, si peccatorem prosternat & ad portas mortis propemodum adducat? Hoc Psaltes indicare videtur, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt.* Non valebit, licet enim camo & fræno illo, domitori obsequantur, amoto tamẽ illo & sanitate recuperatâ, vt indomitus equus duriùs quàm antè recalcitrando retrocedunt. Quid ergo ô sanctissime Vir, tanti erit roboris, vt perditum reducere valeat Peccatorem? *Quis annunciabit coram eo viam eius malam?* Audite patientissimum Doctorem, rem acu tangentem: *Ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Ac si, vt Olympiodorus explicat, dicere voluisset: Sepulturæ accessio, & firmo atque fixo pede, fœtidæ illius putridorum cadauerum massæ, continuata consideratio ta-

Efficacius diuinis inspirationibus.

Psal. 31.

Psal. 15.

Olimpioder. c. 21. in Iob.

lis efficaciæ atque virtutis est. Perlustret peccator horridam illam confusionem, consideret, num diuitem à paupere, plebeium à Nobile; ignorantem à Sapiente; Debilem à robusto; pulchrum à turpi, virtuosum à vitioso, honestum ab inhonesto, Sanctum à peccatore, Cœlos inhabitantem ab inferni tenebris iam sepulto discernere valeat. Hęc confusio, hic horror atque fœtor, nausea & putredo; hæc corruptio peccatorem conuertere potest; harum fixa & attenta consideratio velum cæcitatis oculis eius detrahet, & lumine propriç vilitatis, atque turpitudinis eum illustrabit, atque ad Deum Saluatorem suum celerrimis passibus advolare faciet. *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit:* Audiamus Olympiodori explicationis verba: *Quis flagitiose viuenti, atque ei, cui fluunt omnia feliciter, ad eiusmodi mentis reuocet sanitatem, persuasum habeat, hoc breui vitæ confecto curriculo, ad sepulchrum fore deportandum? ternos cubitos, perpaucos lapides, angustam terram debere esse satis ad cœnum corporis eius contegendum.*

In sepulchris confusio.

Quid ad hæc, ô Auare, respondes, difficile tibi videtur, vsuris atque varijs iniustitijs congregata reddere ei, cuius sunt? sepulchra accede, considera locum tuum, recogita omnia hæc, velis aut nolis tibi esse quantocyus deserenda, & alium quem non putas illa breuì post te possessurum. *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reverteris.* Quid tibi ô iuuenis indomite, de hoc videtur spectaculo? es sanus, fortis, robustus, diesque tuos lasciuiendo consumis, & ideo duræ tibi videntur pœnitentiæ dies? recordare, mortem iam intrasse fenestras tuas; grauem tibi instare, dum minimè putas, infirmitatem, quæ te in horridum inducet carcerem & fœtidæ associabit cadauerum massæ. *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quid vos dicitis Iuuenculę & delicatulæ, fœminæ vanitatis amatrices, durùsne vobis ser-

Varijs peccatoribus hoc imprimitur: memento, &c.

mo videtur; cum Hieronymi auditis pronuntiare verba: *Si vir aut mulier se ornauerit, etiamsi nullum inde sequatur damnum, æternum tamen patietur iudicium. Quare? quia attulit venenum si quis fuisset, qui bibere voluisset.* Hæc vestra ornamenta, hæc diaboli retia non libenter dimittitis; scitote, hæc omnia breui tempore amittenda, & quantocyus hanc, quam tantopere æstimatis vanam pulchritudinem, in deterrimam atque horribilem mutandam speciem. *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Considera, ô Christiane, vltimam vitæ tuæ horulam. Quis scit? si hæc non vltima tua futura sit quadragesima. Quot ex ijs, qui præteritâ quadragesimâ, ex hoc loco ad pœnitentiam agendam admonebantur, mortui & in puluerem atque fœtidam reducti massam; sub pedibus vestris iacent. Et faxit Deus, vt animæ illorum in Paradisi locis, & non inferni detineantur tenebris. *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Veniat tibi ô Christiane in mentem, quod tandem aliquando, hæc tibi sit aduentura dies, cuius vesperam non videbis, & nox suprema, cuius mane non lucebit, nisi in æternitate.

Concludemus ergo (ô Christiani) cùm tam incerta sit mortis hora, tantique horroris aduentus & præsentia eius, nostraque peccata huius causæ sint; Doleamus de commissis, firmiter proponentes omnem impoſterum fugere occasionem, atque contrito corde ad Deum nostrum conuersis, sequentia libeat mecum pronuntiare verba. Domine Deus Creator & Redemptor meus grauibus atque varijs me te offendisse cognosco sceleribus atque peccatis, millies æternam scio me meruisse condemnationem & æternæ infelicitatis me profiteor mancipium. Sed, ô bone Domine, quis mundum se dicere potest de immundo conceptum semine? Ecce doleo corde & toto non ob inferni mihi præparatas pœnas, sed quia te Deum Saluatorem & Redemptorem meum, & summum meum bonum tam grauiter offenderim. Bone Domine, ne permittas animam hanc confitentem tibi in æternum perire. Ecce firmiter propono, coram meo Confessario scelera mea per pœnitentiam deponere, & in posterum omnem fugere occasionem. Recordare ô Saluator animæ meæ, sanguine tuo redemptę, & da mihi gratiam tuam, vt hic absque peccato viuere, te amare, & in alia vita in æternum laudare valeam, Amen.

Apostrophe ad crucifixum.

DISCVRSVS SECVNDVS

PRIMO DIE IOVIS POST CINERES.

ARGVMENTVM.

PRæsenti hoc discursu animæ status in peccato mortali consistentis describitur. Primo puncto: intolerabile iugum peccati, quo peccator pressus, exhibetur. Secundo puncto. Pœna peccati quæ perpetuus timor, inquietudo ac tremor animi est. Secunda parte tertio puncto. Animæ talis statum atque vitam verum infernalium tormentorum prototypon esse demonstratur.

Thema:

Domine puer meus iacet in domo paralyticus & malè torquetur. Matth. c. 8.

Dignitas hominis in statu Innocentiæ.



Vinam, Auditores, Adamo primo nostro parenti à Deo tributæ gratiæ ignotæ sunt? Ecce mundi creatur miraculum, Princeps & Rex constituitur vniuersæ terræ; Incola & hæres æternæ declaratur gloriæ: mirabilium atque miraculorum Dei exhibetur speculum; Epilogus naturæ efficitur; & à Deo insufflatus spiritu eius repletur. Pluráne Adam adeptus? Paradisi amœnissimorum hortorum cultor & custos & Dominus declaratur. Quid dico, ad tantam euehitur dignitatem atque gloriam, vt quasi alter Deus in terra, piscium maris, volatilium cœli, ac vniuersorum animantium super terram mouentium præses atque domitor declaretur. Horum omnium testis ipse Dominus, Gen. 1. *Dominamini piscibus maris & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* His tot tantisque gratijs, atque priuilegijs condecoratus, infinitis ad Deum colendum, honorandum atque amandum obligabatur rationibus; sed pro dolor! quam inopio ac miseranda rerum catastrophe, quò enim excellentioribus adornatus erat gratijs, eò turpior subsecuta est ingratitudo; quò clariùs in eo donorum & priuilegiorum diuinorum resplendebant diuitiæ, eò maiori rebellione deturpatus ob eorum vilipendentiam obscuratur. En Epilogum tragœdiæ! Adest Deus obambulans paradisum, sistere iubet Adam, iudicat, condemnat, & mortis contra eum fulminat sententiam; ac locus vltra in paradiso pro ipso non reperitur, sed extra, per Dei Angelum proscribitur & in miserabile ablegatur exilium; & Dominus vniuersorum in vilissimum transit mancipium. Audite Sanctum Chrysostomum. *Peccatum vbi intrauit, libertatem perdidit, & corrupit potestatem naturæ datam, seruitutemq; introduxit:* vult dicere, sicuti Dæmoni præbendo aures & obedientiæ transgresso præcepto, Dominio suo supra bestias terrę, & pisces maris, & volatilia cœli atque vniuersa exuitur; ita à creaturis in posterum non vt Domino ipsi exhibetur honor atque respectus, sed vt extraneus fugitur, & inimicus impetitur. Sic Sanctus Chrysostomus loco citato. *Per peccatum, bestiæ eum non agnoscebant,* &

Ingratitudo eiusdē.

S.Chrys. Hom. 29. in Gen. c. 9.

Idem Ho. in Psal.

& qua serui erant ei, hostes euaserunt. Magnæ sunt quidem miseriæ, quibus homo inobedientiæ perpetrato peccato, premitur; attamen respectu mortalis illius culpæ tot maledictionis fulmina secum trahentis, nullius ferè momenti habentur. Hâc enim immortalis declaratur mortalis; Amicus Dei publicatur inimicus, æternæ gloriæ hæres, proscriptus maledictionis fulminatur sententia, & in miseriarum ac lachrymarum vallem exul relegatus, millenos maledictionis experitur effectus. Sic Dei attestatur spiritus: *Maledicta terra in opere tuo, spinas tribulos germinabit tibi.* Huius maledictionis ac calamitatum hodiernum sacrum Euangelium viuam nobis exhibet imaginem: dum Christo ciuitati Capharnaum intranti, occurrit Centurio. *Accessit ad eum Centurio*: & in persona serui sui vulnera atque duræ maledictionis apostemata, Christo discooperit, exhibet, ac exponit, dicens: *Domine puer meus iacet in domo paralyticus & malè torquetur*, Primis duobus verbis: *Puer meus*, intolerabile vobis exhibebo peccati seruitutis iugum, sub quo peccator iniquitatis suæ luens pœnas, gemit atque suspirat. Sequentibus autem: *Iacet in domo paralyticus*, pœnam peccati, quæ perpetuus timor, tremor, & inquietudo in peccatoris corde est, oculis vestris proponam. Reliquis verò, *Et malè torquetur.* Peccatoris vitam, viuam infernalium pœnarum imaginem esse, perlucidè penicillo Linguæ meæ & Spiritus Sancti gratiâ ac fauore concurrente depingam. Hæc tria scopus discursus mei erunt. Attendite.

Gen. 3.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Iugo ac seruituti, cur peccator subiaceat.

DOmine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Vt hæc doctrina de cœlo lapsa, & verissima est, nec quisquam hac falli potest; hominem perpetrato peccato, subito miserabile & vilissimum eiusdem fieri mancipium, & intolerabili Dæmonis iugo subijci. Adsunt, Auditores, verba Christi, qui veritas ipsa est: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Quibus Sanctus Ambrosius addit, Peccatorum commisso peccato, non vnius, sed plurimorum subesse tyrannidi, & multorum Dominorum constitui mancipium. *Qui subiectus est vitijs, multis se Dominis addixit.* Et sicut plurimorum Dominorum subiacet tyrannidi, sic & plurimis vexatur tormentis, & sicut varij sunt Domini, quibus seruit, sic & varijs ligatur catenis atque tenetur vinculis. Quid ergo miserabilius peccatore, tot tantisque subiecto tyrannis? Considerate, obsecro, feram à venaticis apprehensam canibus; quàm verò misera eius sors, quantæ eius angustiæ & quàm infelix hæc misera est creatura? Imaginemini vobis generosum militem Christianum ab infidelibus captum; tot vinculis, quot dominos habet, ligatum; tot grauissimis grauatum catenis, quot tyrannis subiacet: tot vexatum miserijs, quot patitur Heros. Nunc ab vno trahitur ad laborem, ab altero vapulat, à tertio pedibus conculcatur, à quarto in tenebrosum, horridum atque fœtidum detruditur lacum: nunc siti, nunc fame, nunc hac, nunc illâ torquetur iniuriâ. Talis, dicit S. Ambrosius citato loco, miserrimus & infelicissimus peccatoris est status atque conditio. *Qui seruit peccato, semper in laqueis, semper in vinculis est, nunquam liber à compedibus, quia semper in criminibus.* Id est, Quot criminibus peccator inficitur, tot oneratur catenis; Quot sceleribus & peccatis ligatur, tot vincitur laqueis; quot iniquitatibus maculatur, tot compedibus oneratur: & nunquam ab his liber est, qui semper peccatis peccata addit, sceleribus scelera accumulat; iniquitates vt aquam iniquitatibus affundit; videte ergo, si quid miserabilius sub sole sit reperiri? O quàm misera seruitus, seruire peccatis! Fulgentissimus ille

Ioannes c. 8.

S. Ambros. lib. de Naboth. c. 6.

S. Amb. ibidem.

ille Christianæ reipublicæ sol, Augustinus, considerans Noë casum & filij eius Cham maledictionem, acuto & particulari diuini spiritus ductus instinctu obseruat. Prima vice verbum hoc *Seruus*, in scriptura positum fuisse dum Noë ob grauissimum commissum peccatum contra se, filium suum Cham maledictionis feriret fulmine, dicens: *Maledictus Chanaan seruus seruorum eris fratribus tuis*, Audiamus Sancti Doctoris cœlestia verba. *Nomen istud, culpa, meruit non natura. Nusquam scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noë iustus, peccatum filij vindicaret.* Id est, quòd nunc ea differentia inter homines sit: vt hic diues, ille pauper, hic nobilis, ille plebeius: hic Dominus, ille fit seruus: Nec à Deo, nec à natura originem ducit, Deus enim Adamum creauit liberum, & nobilem, nec hac dignitate natura filios atque posteros suos spoliauit; sed bene peccatum. Ante peccatum enim nulla de seruitute fit mentio; sola erat libertas, sola lucebat nobilitas in homine, ideo sanctum Ecclesiæ lumen subiungit & suum finit conceptum. *Prima ergo seruitutis causa est peccatum.* Scelera nostra seruos nos faciunt; iniquitates nostræ mancipia nos constituunt, peccata nostra intolerabili ac vilissimæ nos subijciunt seruituti. Et vt Sanctus hic Doctor, lumine suæ cognitionis, nos quoque efficacius illustratos & informatos relinqueret, id ipsum magno suo infortunio sat se probasse testatur, his confitens verbis: *Suspirabam ligatus, non ferro alieno sed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me.* Ac si diceret: Ligatum & vinctum me quidem deprehendi gemens, sed vincula illa quibus captiuus tenebar, non maleatoris nec fabri erant factæ manibus, sed propriæ voluntatis; huius per peccatum Dominium tradideram Dæmoni inimico meo, hac me miserum vinctum de peccato in peccatum, de seruitute in seruitutem trahens, innumerabilibus afficiebat cruciatibus & tormentis, & hac crudelissimâ vinctum tenebat captiuitate.

S. August. lib. 9. de ciuitate Dei c. 15.

Gen. c. 9.

S. August. lib. de ciu. c 15.

Quibus vinculis ligetur Peccator.

Idem lib. 8. conf. c. 5.

Audistis, Auditores, quomodo peccatum committens, seruus fiat peccati; & tot tantarumque miseriarum constringatur catenis; verùm, hominis ex hoc non perditur liberum arbitrium, attamen ita eneruatur, atque debilitatur, vt facilè & sine vllo labore à Dæmone de vna seruitute in aliam, de vno peccato in aliud, veluti mancipium quoddam catenis vinctum, de vno in alium trahatur carcerem, & sic quocunque mihi se vertat, semper mancipium, semper seruus, semper ponderosissimis oneratus catenis, sub durissimo diabolicæ captiuitatis iugo suspirat. Audite iterum præclarum illum Doctorem miserabilem hunc peccatoris statum deplorantem, tract. 14. in Ioannem. *O miserabilis seruitus! Seruus hominis aliquando sui Domini imperijs fatigatus fugiendo quiescit, seruus peccati quò fugit, secum trahit, quocunque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quò eat, sequitur se, imò non recedit à se; peccatum enim quod fecit intus est.* O peccatorum cohors! respice in faciem tuam, en speculum porrigit quàm lucidissimum tibi Lumen Ecclesiæ Augustinus, verba animo reconde. Quis ignorat, omni compassione dignum esse, statum generosi alicuius captiui Christiani militis, inter manus infidelium ac inimicorum suorum constituti? vt iam vobis descripsi: sed hic peccatoris status illo dignior est. Ille enim spem habet salutis, dum sub tyrannide Domini sui viuit, nonnunquam enim fugit, & fugiendo liber fit à seruitute: Huic autem nulla apparet spes salutis, quamdiu sub dominio Domini sui est, & peccati catenis ligatur. Fugiat quò velit, ascendat velocissimos Phariorum equos, nauibus transmeet maria, altissima ascendat montium cacumina; tenebrosas pene-

S. August. tract. 14. in Ioannē.

Misera seruitus peccatoris peior omnibus alijs.

penetret montium cauernas. *Semper secum suum trahet Dominium*; Nam Dominus ille crudelis intus est. Captiuus miles dum durâ premitur seruitute à Colonello suo petit subsidium atque redemptionem, sed hac quoque exclusus manet consolatione peccator. Huic, vt benè S. Ambrosius animaduertit, Deum consolatorijs illis Dauidicis verbis alloqui non licet: *Tuus sum ego, saluum me fac.* Quare hoc? quia seruus est peccati, & Deus illius Dominus non est, sed Diabolus est, cui voluntariè seruit. Audite Sanctum Doctorem, qui grauioribus enumeratis peccatis, quibus peccator vt ponderosissimis opprimitur & tenetur captiuus catenis, Diaboli personam, Christum sic alloquentem inducit: *Non est tuus Iesu, sed meus est, quia ea, quæ mea sunt, cogitat, quæ mea sunt, pectore voluit,* ac si diceret: Domine ecce homo, quem ad similitudinem imaginis tuæ de vilissimo formasti luto, & spiraculum vitæ de tuo inspirasti spiritu, vt eo ferventiùs te coleret, amaret, strictiusque adhæreret; tibi abrenuntiauit, & inter meos, nomine suo dato, contra te ipsum militare non veretur, & vt vides his infiniti ponderis catenarum vinculis voluntariè circumligatus se meum & non tuum profitetur. *Non est tuus Iesu, sed meus est*, meum mancipium, & non tuus filius iam dicitur.

S. *Ambros. in Psalm.* 118.

Plurima dona naturæ sunt, quibus ab illa homines, vt sollicita matre, filij dotantur: ex quibus Libertas non infimo residet loco; quâ dum fruuntur, vt grati matrem laudant, eâ priuati, vt malignam ac passionatam blasphemant. Quanti autem pretij & æstimationis hæc in hominis sit animo, tum euidentissima mortis pericula, tum labores, ærumnæ, fatigationes, syluarum atque nemorum peruagationes, membrorumque voluntariæ mutilationes, quibus de carceribus & catenis fugientes pauperes & miseri se exponunt captiui, sat euidentia dant testimonia. Sed quæ, Auditores, corporalis Libertatis, ad illam animæ comparatio? Et tamen (ô miseros nos!) ac si propria non nobis inesset voluntas, & libero dotati non essemus arbitrio, vilissima deuenimus mancipia, & generosam Christiani libertatem abiectissima commutamus peccati seruitute, vt quisque nostrûm Dauidica verba aptè sibi applicare possit. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Quæ Cassiodorus ad rem sic explicat: *Funes peccatorum circumplexi sunt me, ostendit tot esse laqueos quot peccata committimus. Funes enim sunt tortuosa & implicita ligamina, quibus sed delinquentes semper stringunt.*

Libertas quantum sit donum naturæ.

Psal. 118. *Cassiodor. in Psal.* 118.

Peccata sunt velut funes quos peccator semper secum trahit.

Non est in mundo tam dura seruitus, nec in tam longinquas potest relegari captiuus regiones, non tam benè custoditis & obseratis carceribus claudi, vt non sit spes salutis, ac redemptionis: Hic enim pecuniâ redemitur, ille amicorum precibus liberatur: Alius morte Domini sui recuperat libertatem, est qui fugâ suam reperit salutem; At peccati iugum tam seuerum est, tam dura eius seruitus, vt nulla eius mancipio speranda sit salus, nulla eius seruo spes libertatis affulgeat, nisi Tyrannum hunc proprio residentem corde trucidet atque suffocet. Vnde ad rem Sanctus Augustinus in Psalmum quadragesimum quintum his verbis: *Quocunque fugerit, se talem trahit post se, & quocunque talem traxerit se, cruciat se.* Fugiat quocunque velit peccator, hunc Tyrannum secum trahet; & quocunque locorum se abscondet, ibi præsentem inueniet, & ab ipso duris cruciabitur tormentis. Hanc duram seruitutem graphicè nobis depingit Hieremias, dicens: *Seruietis Dijs alienis, die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Id est, Audite peccatores, vos quidem derelicto vero Domino ac Deo vestro alienis & peregrinis, quos nec vos, nec patres vestri cognouerunt, seruietis Dominis: credite mihi, duri

S. Aug in Psal. 45.

Hier. c. 16.

Peccatum qualis Dominus. *S. Hier. in Psal. 80.*

vobis erunt Domini, nec enim de die, nec de nocte vobis relinquent requiem; die fatigabimini laboribus; nocte cruciabimini vigilijs; panis vester erit panis tribulationis; requies vestra, non quies, sed continua erit anxia inquietudo. S. Hieronymus in Psal. 80. Per peregrinos ac alienos hos Deos diuersa intelligit peccata, quibus dum seruimus premimur atque cruciamur, & dum Deo nostro relicto ijs adhæremus, Domini nostri & Dij efficiuntur, testatum hoc habemus suprà verbis veritatis. *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Peccatum quo homo delectatur, ipsius constituitur Deus: sed ò immisericordem Deum! O crudelem & expertem omnis compassionis Tyrannum! *Die ac nocte non dabunt vobis requiem.*

Comparatio iugi Dei ac peccati. Hier. c. 28.

Cœlestis hæc doctrina egregiè apud eundem Prophetam c. 28. confirmatur, vbi Deus Ananiam Pontificem vt peccatoris figuram his alloquitur verbis: *Catenas ligatas contriuisti, & facies pro eis catenas ferreas.* Ac si dicere voluisset: Numquid peccator, seruitus illa, quâ te mihi seruire conueniebat, dura tibi videbatur, leges meæ ac mandata mea insupportabilia iudicabas; ideo rupisti vincula mea, & vt iuuenculus indomitus recalcitrasti. Sed vincula hæc leuia erant. Nunc senties, quid, cùm ferreis stringeris catenis, feceris; ecce catenæ, quibus nunc ligaris, ferreæ, & grauissimi sunt ponderis: seruitus quâ nunc sub peccato oppressus gemis, non leue, ac suaue est, vt meum erat, sed durissimum & insupportabile iugum. *Et facies pro eis catenas ferreas.*

Ad hoc Dei atque peccati seruitutis discrimen nobis demonstrandum, mirabile quid cum sancto suo Propheta Hierem. c. 27. egit Deus. Vocatur Propheta, iubetur fabricare vincula & catenas, easque proprio apponere collo, & his grauatus Aulam Regiam intrare. *Fac tibi vincula & catenas, & pones eas in collo tuo.* Sed cur vincula ac catenæ collo apponere & non pedibus sanctus iubetur Propheta? Deus suæ & peccati seruitutis, voluit nobis patefacere differentiam. Catenæ quæ collo atque humeris apponuntur aureæ & ornamenti loco sunt. Magnates Regum his adornari solent; Aulici & Regum famuli, his se suorum Dominorum seruos testantur, at seruos nobiles ac liberos & voluntarios, seruitutis quidem signa sunt, sed liberæ. At vero vincula & compedes, quæ pedibus imponuntur, duram præseferunt seruitutem, nec nobilitatis, sed vilissimi mancipij signa sunt. Hanc Deus voluit demonstrare differentiam, dum collo & non pedibus seruo apponit vincula & catenas; Deo enim seruire, seruitus quidem est, sed tamen talis est, vt Regis libertatem excedat; seruire enim Deo, regnare est. Audite Augustinum Sanctum lib. 2. de ciuit. Dei. cap. 3. *Bonus etiamsi seruiat, liber est, malus autem etiam si regnet seruus est, nec vnius hominis, sed quod est grauius, tot Dominorum, quot vitiorum.* Plato lib. 9. de Repub. Ethnicus licèt sit, tamen valde ad Sancti Augustini accedit doctrinam, dicens: *Quoties peccas, toties te velut catenâ reuinctum nequissimo & spurcissimo Domino pro mancipio tradis.* Aurea certè verba licèt ab infideli prolata; verè Christiano digna. O miser peccator, si tot te dominis subijcis, quot peccata committis, quam misera tua sors & infelicissimus est status, scriptum est: *Nemo potest duobus seruire dominis*, & tu tam audax, vel vt melius dicam, cæcus & effrons es, vt multorum Dominorum dominio te vltrò subdas, & plurimorum tyrannidi sponte subijcias! Audi Regium vatem Psal. 9. hunc tuum miserum describentem statum. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Ac si diceret: Non vides, miser, manus tuas vinculis & catenis cinctas; non sentis tuorum dominorum tyrannidem? Ecce momento illo, quo peccas, manus tuas duris

S. Aug. lib. 2. de ciuit. Dei c. 3. *Plato lib. 9. de Repub.* *Psal. 9.*

Peccator vbique in vinculis est. *S. Hieron. hic.*

duris illorum applicas vinculis, & illis circumligatus vilissimum Diaboli efficeris mancipium. Sic Sanctus Hieronymus à Hugone Cardinali hîc citatus: *Vnusquisque peccans secũ portat funes, vincula, tormenta, vnde sustinet mala.* Vidistis aliquando miseros illos, qui propter sua delicta triremibus addicti sunt, quot catenis onerati de die incedunt, & de nocte decumbentes, & quanto premuntur pondere vinculorum; talis profectò miseri peccatoris status est: qui ambulans, sedens, epulans, potitans, sitiens, famens, vigilans, dormiens, stans, sedens, semper catenarum suarum premitur pondere, & vinculorum cruciatur tormentis. Secum semper portat funes, vincula, tormenta, vnde sustinet mala. Hoc ipsum Sapiens cap. 5. confirmat: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Insanire certè quicunque nostrûm meritò diceretur, si quis sibimet pararet laqueos, foderet foueam, aut manibus vincula aptaret; & grauissimo catenarum pondere suum collum premeret, publicisque se ipsum includeret carceribus. Et tamen hoc & peius multò, toties agimus, quoties peccatis nos inuoluimus: & non est, qui hanc insaniam nostram consideret? *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.*

Prou. c. 5.

Hanc cæcitatem Philosophi ipsi, licèt gratiæ lumine orbati, agnouerunt, indeque alios deriserunt absque vllo timore; Magnus sanè Diogenes apud Laertium, Alexandrum Macedonum Regem, atque orbis Domitorem intrepidè potentiam suam, ac liberum in omni tempore Dominium, regna ac imperia totius mundi iactitantem his verbis aggressus est. *Nequaquam es Dominus, sed seruorum meorum seruus: Vitia enim sunt Domini tui & serui mei, & in te dominantur.* Ac si dicere voluisset, ô Alexander, tu in Dominio atque imperio tuo inaniter gloriaris, multumque deciperis, dum te dominum gloriaris liberum, nulliusque potestati subiectum; nam miserabile es mancipium. Ecce hi, quibus ego pauper dominor, & meæ cogo subesse potestati, tui Domini sunt, tibi imperant, teque grauissimis vinctum trahunt catenis. *Vitia enim sunt Domini tui, & serui mei.* Hoc idem victorioso huic orbis Domitori, à quibusdam ei confœderatis populis, inextinguibilem dominandi sitim in eo animaduertentibus, obiectum est; vt Plato testatur hunc in modum: *Quid tibi prodest Dominum vniuersi fieri, si tam infimæ & abiectæ rei, qualia sunt peccata, seruus es?* Insanis Alexander, dum te vniuersi dominum gloriaris, & tuas non potes domare passiones, sed ab his multò turpius catenis ligatus, in varia traheris crimina, quàm reges à te victi tuis catenis constringuntur, horum enim te vilissimum tua effecerunt crimina mancipium.

Diogen. apud Laertium. *Alexander Magnus orbis Dominus, tamẽ seruus.* *Plato vbi sup.*

Non est, Auditores, seruitus tam dura, Tyrannus tam crudelis, sub quibus non sit aliquando requies: non semper torquenter mancipia; non semper vapulant serui, in continuis non sunt laboribus, habent sua tempora, quibus à laboribus cessant, habent quieti deputatas horas. At peccati seruitus inscia est quietis, sub hac semper tormenta, semper cruciatus, continui labores, indeficientes angustiæ, nulla quies, nulla pausa reperitur. Audite S. Ambrosium, lib. de Ioseph c. 1. quam eleganter, hunc meum probet discursum: Ah miseri peccatores! *Verberamur opprobrio conscientiæ nostræ*, id est, custos carcerum peccatorum, carnifex seruorum peccati, & cui à Domino horum seruorum custodia, atque hæc mancipia cruciandi cura demandata est; propria conscientia est, quæ indesinenter eos pungit, stimulat, inquietat, & die ac nocte vexat. Tyrannus non proprijs manibus in sibi subditos crudelia exercet tormenta, sed ad hæc exercenda, aptos sibi deligit ministros; sic Deus peccatori propriam conscientiam

S. Amb. lib. de Ioseph c. 1.

Conſciẽtia peccatoris carnifex.

scientiam, ut omni crudelitate plenum carnificem, ad hanc crudelissimam exercendam tyrannidem deputauit. Hic est, ô miser peccator, tyrannus & carnifex ille, qui tua dulcia vina absynthio miscet, delicatis tuis ferculis Salomonis imponit calculos, Prouerb. c. 20. *Suauis est panis mendacij, & postea os eius implebitur calculo.* Hic est crudelis ille carnifex, qui molles plumas, ac delicatos tuos lectos, in duros lapides & pungentissimas spinas conuertit. Hic est ille carnifex, qui continuis suis anxietatibus, medullam ossium corporis tui exsugit, illaque conturbat ac confringit, vt Regius propheta, cùm sub eadem gemeret seruitute, se expertum esse, testatur varijs in locis. *Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Et Psalmo suo sexto: *Ossa mea sicut cremium aruerunt*, & 140. *Dissipata sunt ossa mea.* Hic est ille carnifex, qui omnes tuas delitias turbat, imò gustum, quem peccando quæris, amaritudine mixtum tradit, & vt finiam, nunquam à tormentis cessat, nunquam tua mala sorte contentus est: nunquam quiescere nouit, sed continuus in tormentis, indefatigabilis in cruciatibus, semper pungit, semperque mordet; semper tuum lancinat animum, *Verberamur opprobrio conscientiæ nostræ.* Meritò ergo sanctus Chrysolog. serm. 1. de duobus filijs, hunc conscientiæ remorsum, *Crudele ministerium* appellat. Percepistis, Auditores, vt opinior, miserum peccatoris statum, quàm crudeli sit subiectus carnifici, quantisque sub hac dura seruitute prematur tormentis: sed & meritò: Nam potestatem sibi traditam, & dominium tam vili pretio dæmoni vendidit. Nunc videbimus, quid puer hic, id est, seruus peccati, lecto decumbens agat.

Marginalia: Prou. c. 20. — Psal. 140. & 101. & 6. — S. Chrysol. serm. 1. de duob. filijs.

PARS II.

PVNCTVM SECVNDVM.

Iacet in domo paralyticus. Naturaliùs, & magis ad viuum peccati effectus in anima peccatoris depingi & oculis nostris repræsentari non potuissent, quàm his verbis: *Iacet paralyticus.* Quæro quid sit paralysis, vel quos effectus in homine producat? Respondebunt Medici, cum principibus suis Auicenna, Hypocrate, & Galeno efficere, sensûs ac motûs in homine defectum: Idem Gloss. ordinaria in cap. 9. Matth. super verba illa: *Ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto*: docet, dicens, Paralysim esse infirmitatem membrorum, coniuncturis & neruorum ligaturis insidentem, & in his causantem tremorem & continuam inquietudinem, quibus membra ad omnem externum vsum ac motum inutilia redduntur; intus autem vitales motus obdurantur & intercluduntur, ac liberâ priuantur inspiratione. Quibus positis non potest non fieri, quin acutissimi toto corpore, præsertim in musculis, & neruis causentur dolores. Glossæ verba hæc sunt: *Paralysis est morbus, qui membrum quod accipit inutile reddit, & vitales motus intus intercludit & acutissimè pungit.* In morali sensu per paralysim peccatum significatur quod cùm in anima peccatoris sedem fixerit, ad omne meritorium opus & actum perpetrandum ineptam atque inutilem reddit. Audite quomodo Regius Vates Psalm. 13. breuibus quidem, at sat prægnantibus verbis hanc nobis confirmet doctrinam, *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt.* Dicere vult: Peccator dum animam, quæ Dei imago est, turpitudine peccati & criminum fœtore inficit atque deturpat, à Deo creatore suo declinat, & eo ipso quod declinat inutilis atque ineptus redditur. Sed ad quid, ô sanctissime Vates, *ad bonum.* Ad opera salutis, ad meritorios actus æternam promerentes salutem? Audite sequentia verba. *Non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* O quàm graphicè hic Spiritus sancti penicillo spiritualis animæ delineatur paralysis & miserabiles peccati effectus!

Marginalia: Matt. c. 8. — Glossa in c. 9. Matt. — Paralysis corporalis ac spiritualis. — Psal. 13.

effectus! Paralysis vt audistis, motus internos & vitales impedit, & respirationi corporis occludit atque obstruit meatus; sic peccatum mortale, gratiæ diuino impedit motus in anima & quodam modo vsu rationis & motione illa, quâ ad operandum bonum excitatur, illam priuat: Imò vt paralysis corporis membra insensibilia & sensus sopitos reddit: mortale peccatum surda quadam insensibilitate animam afficit, vt propriæ conscientiæ pungentes motus atque acutos remorsus, nullatenus percipere valeat. Et rem verbo, quemadmodum paralysis acutis doloribus corpus cruciat; sic mortale peccatum continua anxietate, inquietudine atque timore premit & exagitat animam. Audiamus S. Ambrosium Homil. 23. in Hexam. de his peccati effectibus discurrentem. *Nulla pœna gravior quàm intus vulnus conscientiæ: nonne hoc magis fugiendum est, quàm mors, quàm suspendium quàm exilium, quàm debilitatis dolor.* Vult dicere, dum homo paralysi vexatur, membrorum summam sentit debilitatem atque dolorem, sed multò maior atque grauior animæ est, dum peccato mortali præmitur. Dicant experientiâ docti, quibus doloribus hominis crucietur animus, cùm rerum omnium dispendium passus est. Enarrent sua tormenta ac cruciatus, qui dilectissimam consortem, charissimos natos, amicos, familiares, dulcisque patriæ solum, exulando deserere coguntur. Sed respectu doloris illius, quem anima in peccato mortali existens patitur, nulliùs momenti sunt. Mors Denique ipsa, omnium malorum pessimum non est, cum malo animæ in mortali existente comparata.

S. Ambr. Hom 23. in Hexa.

Ad viuum in serenissimo Rege Dauide & sapientissimo filio eius Salomone doctrinæ huius habemus testimonium. Quis ignorat Dauidis prudentiam à Deo ipsi concessam? Quis Salomonis dotes, cui inter filios hominum similis non erat, ignorat? Et tamen ambos miserabiles & calamitosos peccatum reddidit. Dauid Rex vno oculi ictu de throno sapientiæ atque prudentiæ suæ deiicitur; nam immemor beneficiorum à Deo sibi collatorum ac Regiæ dignitatis oblitus, ad quam de post fœtantes assumptus fuerat, tanta obducitur cæcitate, vt turpissimo adulterio castissimum suum regium thalamum fœdare, & manus crudelissimi homicidij sanguine deturpare non dubitarit. Vnde hoc ô Dauid? Psal. 37. nobis respondit, inquiens: Paralysi spirituali se tactum fuisse atque miserabiles hos effectus in sua misera anima peccatum causasse. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non est mecum.* Audite quomodo cæcitatem hanc Dauidicam S. Hieronymus hîc explicet: *Quia postposito veritatis lumine, in tenebras decideram peccatorum.* Ac si diceret: Vt Paralysi actu laborantium oculi tenebris obducuntur, ita vt nil videre liceat, & sensus obdormiant, vt nil sentire queant; Ita mihi misero ex vno incauto oculorum ictu contigerat: & cæcitate & insensibilitate percussus, nunc his, nunc illis miseram meam animam defœdaui sordibus, & grauissimis inquinaui criminibus. *Dereliquit me virtus mea & lumen oculorum meorum non fuit mecum.* Filius eius Salomon spirituali hac laborans paralysi, tantis malis affectus est, vt malum non sit, quo anima eius non fuerit coinquinata, vt ipsemet Prouerb. c. 5. confiteri non erubescit: *Penè fui in omni malo.*

Laborauit hac Dauid ac Salomon eius filius.

Psalm. 37.

S. Hie. hic.

Psalm. 37.

Prou c. 5.

Lucas sanctus c. 15. describit nobis Iuuenem quendam, quem prodigum nuncupamus filium, qui à Patre magnis, atque importunis precibus sollicitat substantiam suam, inquiens: *Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Pater importunitate filij victus, consensum præbens, diuisit inter fratres bona, & dedit illi substantiam suam. Quâ acce-

Luc. 15.

accepta peregrinationem instituit per prouincias, incauto iuuenum more.
Luc. c. 15. *Peregrè profectus est in regionem longinquam.* Quid contigit? Audite, mirabilem ca-
Prodigus etiam fuit paralyticus. sum longè à paternis constitutus oculis, admonitore carens, duce orbatus & du-ctore amisso, cum meretricibus totam suam consumpsit substantiam, & ad tantam vilitatem nobilis peruenit iuuenis, vt pro lucro habuerit porcorum ipsi à villico quodam traditam custodiam. En paralysin spiritualem! quæ eum ad tantam reduxit miseriam, vt pro deliciis habuerit ventrem porcorum siliquis adimplere, (ait S. Lucas) *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Vnde tot tantorumque malorum congeries in nobili hoc Iuuene à paralysi spirituali.
Luc. c. 15. Quod claris verbis Euangelista insinuat: *In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* S. Ambrosius
S. Ambros. in Lucam 15. in hæc verba sic habet: *Benè in se reuertitur, qui à se recessit.* Id est, quia rationis perdiderat vsum, & oculi eius tenebris mentis fuerant obducti, & quasi iam sibi non præsens & extra se factus, ac omni cognitionis lumine priuatus fuerat, ideò tot tantisque implicitus malis, atque obrutus miserijs; nobilis & diues iuuenis, porcorum pastorem agere summò sibi duxit honori atque fauori.

O miseria miseriarum! ô deplorandus status peccatoris! qui paralysi, tactus, tot tantisque inuoluitur malis atque miseriis. Hunc miserum peccatoris statum serenissimus Rex Dauid in suo psalmo quadragesimo octauo deplorat, inquiens, *Homo, cùm in honore esset non*
Psalm. 48. *intellexit: Comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Hæc verba dum Bernardus sanctus ruminando perpenderet, exclamauit, *Heu heu: quomodo de*
S. Bern. in psal. 48. verba. *grege facta est egregia creatura.* O vilitatem peccatoris! possibiléne est, quòd creatura tam nobilis, vt homo est, ratione prædita, per peccatum in bestiam conuerti, & illi similis fieri, nihil ducat: Imò addit Sanctus, ita extra se vertitur peccator, & in tantum abesse hominis rationalis recedit per peccatum mortale commissum, vt si loquelæ dono à natura præditæ bestiæ essent, obuiam his nouis & monstruosis bestiis factæ de noua congratularentur forma. Audite verba Sancti: *Puto dicerent, Iumenta si possent loqui: Ecce Adam factus est, quasi vnus ex nobis.* O
Proprietas Paralysis huius spiritualis. miseros paralyticos peccatores! dignos certè omni compassione; tum quia veræ cognitionis lumine priuati, mortuis quàm viuis similiores sunt; tum verò vel maximè ex eo, quòd omninò, & ad omne opus salutis operandum inepti & inutiles facti sint, & membra ipsorum ad mala tantùm perpetranda & agenda, prompta & parata reperiantur. Pedes enim eorum ad bonum operandum testudinei sunt; ad malum verò agendum, ceruorum velociores, vt indicat Psaltes: *Veloces pedes eorum ad effundendum* Psalm. 13.
sanguinem. Manus ad opera misericordiæ contractæ, ad effundendum ac exsugendum sanguinem innocentum ac pauperum extensissimæ, vt indicat Isaias c. 1. *Manus vestræ plenæ sunt sangui-* Isai. cap. 1.
ne. Ad Dei promendas laudes, os eorum velut fortissimis pessulis ac vectibus obseratum; ad turpia autem & lasciuia effutienda apertissimum, iuxta illud Dauidis: *Sepulchrum patens est guttur eorum,* Psalm. 13.
quorum os *patentissimum & maledictione, ac amaritudine plenum est.* Ex hoc enim tot, tantæque blasphemiæ, maledictiones, iniuriæ, iuramenta, oblocutiones, detractiones, murmurationes, mendacia prodeunt, vt meritò sepulchro sordido ac aperto, de quo intolerabilis exhalat fœtor æquiparetur. *Sed lingua eorum* Psalm. 56.
gladius acutus est Et in ore eorum veritas non est. Psal. 56. 5 pro conclusione: *Bonum facere nescierunt.* Regius dicit Vates 81. Psal. O pessimum peccatoris statum! ò quàm infe-

infelix talis seruitutis est conditio! quàm exigua spes salutis talium paralyticorum! Ad mala enim agenda ac perpetranda prompti, apti, vtiles, atque expediti sunt; ad bona autem tardi, inepti, & inutiles redduntur. Non mirum, quòd tanta in illis suboritur discordia; hi nimirum spiritualis paralysis effectus sunt. *Iacet in domo paraliticus.*

Matth. c. 8.

Audite, ô miseri paralytici, tandem huius periculosi morbi exitum, depingit illum, Sapientiæ cap. 2. his verbis *Dixerunt, exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis.* Ac si diceret, qui hac non laborant paralysi, suauem & refrigerio plenum finem vitæ sortiuntur; & in osculo pacis animas suas Creatori reddunt. Qui verò eâ oppressi sunt infinitis ardoribus, conquassationibus, inquietudinibus, vt corporali affecti paralysi, & in desperatione diabolo animas suas tradentes, vitam suam claudunt. *Non est refrigerium in finem eorum.* Audite quid Ecclesiasticus cap. 21. de horum promat fine. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ, consummatio illorum flamma ignis.* Idem hunc miserabilem finem sanctus Ezechiel propheta cap 15. nobis exhibet. Vocatur à Deo propheta, quæstio illi proponitur: ad quid ramusculi de vite abscissi apti atque vtiles esse possint? rem verbo, ad quid lignum vitis? respondet Vates se nescire. *Igni datum est in escam.* Dominus dicit. Volebat Deus hic demonstrare, paralyticos à vite, id est Deo suo per peccatum amputatos, alium non posse expectare finem, quàm ignem. Finis eorum ignis, ad omne enim aliud bonum inutiles ac inepti facti sunt. Audiamus Gloss. ordinar. super hunc locum: *Christianus per peccatum mortale infructuosus redditur, & ad ignem gehennæ reseruatur.* Nemo ergo miretur centurionis nostri diligentiam, atque sollicitudinem, Christo Saluatori occurrentis, & pro sui famuli paralytici deprecantis salute; hic enim puer figura peccatoris & paralysis peccati significatio erat. Quòd hominem, ac paralysis corporalis prosternit in morbidum lectum, & ad omne opus ineptum reddens. *Iacet in domo paralyticus.*

Sap. cap. 2.

Quis interitus paralyticorum.

Eccli. 21.

Ezech. c. 15.

Psalm. 51.

Gloss. ord. in Ezech.

Matth. cap. 8.

O quàm infelices sunt peccatores & spirituales paralytici: Ecce ô filij atque descendentes Adam, ad quem miserum statum iniquitates vestræ vos deducunt? Ad paralysis statum; qui vos stupidos, insensatos, & absque intellectu reddit; imò ad omne opus bonum atque salutis operandum omninò inutiles: Et quod peius & maximè dolendum est, nescio quem continuum timorem cordis, atque membrorum tremorem vobis incutit, qui nec de die, nec de nocte quietos vos esse sinit. *Iacet in domo paralyticus.* Nam cùm miser peccator Deum sibi inimicum atque contrarium reperit, atque offensum respicit, actorum inenarrabili quodam timore cor eius corripitur, & ac si paralysi laboraret, omnia eius membra, perpetuo concutiuntur tremore; Vbi enim Deus offensus animæ præsentatur, atque contrarius exhibetur, pax nulla, quies nulla, securitas nulla: sed continua inquietudo, perpetuus timor atque tremor adest. Quod & ipse Spiritus S. Deut. c. 28. expressis testificatur verbis: *Dabit tibi Dominus cor pauidum, timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Manè dices, quis mihi det vesperum? & vespere, quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem.* O miseram peccatoris conditionem? ô infelicem spiritualis paralytici statum, die & nocte non habebit requiem, semper timidus, semper pauidus, semper tremens; timebit de manc, ne ante vesperum Dei sistatur iudicio; sollicitus erit vesperi, ne ante auroram Deum experiatur suorum scelerum vltorem; præ timore se mortuos iam credent: *Et non credes vitæ tuæ,* adhuc viuens. O de-

Miser status paralytici ob inquietudinem cordis.

Deut. cap. 28.

Matth. c. 8. plorandam calamitatem! *Iacet in domo paralyticus.*

Paralysis quasi mare turbatum.

Isai. c. 5.

Hunc inquietum ac omni timore plenum peccatoris statum volens nobis Isa. Proph. depingere, tempestuosi atque turbati maris vtitur similitudine, *Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Pulcherrima & aptissima certè similitudo ad rem nostram! Mare dum tempestuosum est, & aquæ eius ventorum turbine exagitantur, nunc de suo extractum alueo cœlum versus ascendere nititur, nunc summo stridore fluctus suos scindens inferni loca petere videtur, nunc hinc, nunc illinc suum dirigit cursum, semper inquietum, nullibi pacem, sed vndique intra semetipsum experitur bellum. *Quod quiescere non potest.*

S. Hier. in Is. c. 57. Audite Hieronymi sancti in hunc locum discursum: putant & imaginantur sibi peccatores viam pacis, viis ipsorum inesse, quietem in suis iniquitatibus, dum cordis sua explent desideria, & desideratis fruuntur obiectis; tranquillam sibi imaginantur vitam pacificam atque felicem suum æstimant statum; sed decipiuntur atque falluntur. *Tranquillitas ista tempestas est,* dicit Sanctus. Dum corporis & sanguinis hæc tranquillitas dulcis vobis videtur, ô paralytici miseri, signum euidentissimum habeatis summam internam vobis inesse tempestatem. *Tranquillitas ista tempestas est.* Tempestas cordis, tempestas animi, tempestas mentis vobis ineft: tales enim semper timent, semper pauent, semper terrore concutiuntur. Hoc idem testatur *S. Ioannes Chrysost. Hom. 19. in Gen.* Chrysostomus his verbis: Siue bibat, siue conuiuio accumbat, siue alienos deturpet thoros, & ibi sepeliatur gustu; tamen vbique tremor atque pauor. Confirmat S. Cyp. *Suspirat ille in conuiuio, bibat licet gemma, vigilat in pluma, &c.* *S. Cypr. lib. 2. Epist. ad Donat.* Id est accumbat peccator conuiuiis, & pretiosis suum impleat ventrem cibis, de aureis ac gemmatis poculis hauriat delicata vina, tamen suspirat, tremit atque *Dan. c. 4.* timet: molli incumbat lecto, insomnes tamen ducit noctes, stimulat enim conscientia peccatis onerata: paralysis peccatorum hunc causat timorem atque tremorem. Contemplemini, quæso Auditores, Balthazarem potentissimum Regem, cum suis optimatibus ac concubinis conuiuantem, & aureis vasis in lætitia & iucunditate dulcia trahentem vina; quomodo imaginaria manu, parieti aliqua inscribente verba, turbetur ac mox, omne gaudium eius in mœrorem, lætitia in tristitiam, pax in confusionem; tranquillitas in tempestatem conuertatur; ita vt totus plenus timore atque turbatione, illicò concubinas suas cum accumbentibus deserat: aureo atque sericeo molli ad hoc strato lecto incumbat, ibi sperans requiem, sed non inuenit. Recesserat enim somnus ab oculis eius. Contemplemini Antiochum Regem illum scelerum vermem ac tot innocentum oppressorem, nullibi inuenientem pacem, nullibi reperientem tranquillitatem atque quietem, vndique timor, vbique tremor, ideo desperans exclamat: O miserum me! *Recessit somnus ab oculis meis.* Et meritò; Nam hic effectus memoriæ peccatorum, & paralysis spiritualis, quâ laborat, erat.

Exemplis confirmatur. Balthazaris.

Antiochi. *1. Mach. c. 6.*

Malum hoc Adam primus noster parens statim peccato patrato suis inhærens visceribus sensit, venit Dominus vocat peccatorem paralyticum: *Adam, Adam vbi es.* Bonus Adam se abscondit, accedere non audet, sed quare? *Timui, & abscondi me.* Irenæus sanctus considerans hunc casum, causam tanti inquirit timoris. Et respondet dicens: *Timore corripitur Adam, quia transgressus fuit Dei præceptum.* Hanc eius resolutionem sanctus quoque confirmat Augustinus. Cùm Deus propter peccatum auertit faciem suam, intrinsecus fit homo conturbatus, & pauidus, vnde mirabile non est, si hæc faciat Adam; hic enim effectus est omnium,

Adami. *Gen. c. 3.* *S. Irenæus lib. 5. cont. Hæres.*

S. Aug. lib. 11. Gen. ad lit.

nium, quibus similis morbus inest.

A sacræ Scripturæ expositoribus, Caini illa prolata verba, Gen. c. 4. *Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Summa discutiuntur attentione, & huius timoris causa atque origo inquiritur. *Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* O pauide Cain! quis est iste omnis, à quo tibi tantopere times? nullus hominum præter te, Adam & Euam parentes tuos, in mundo est, & timidus atque pauidus dicis, *Omnis qui inuenerit me, occidit me?* Horum manus, mi Cain, non tibi nocebunt. Resoluunt expositores quæstionem & dicunt, verum esse, non nisi Adamum & Evam tempore illo vixisse super terram, sed bestias fuisse plurimas, has omnes contra se vt inimicum communem Cain considerabat, & ab his timebat, harum considerans odium & inimicitiam per peccatum occisionis incursum, hinc pauidus atque tremens dicebat, *omnis qui inuenerit me, occidet me.* Ac si diceret patrem & matrem non timeo, nec ab his mortem suspicor, sed bene ab Vrsis, lupis, draconibus, leonibus, qui omnes nunc inimici mei facti sunt; ab his timeo, ad horum conspectum pauidus contremisco; & tantus hic erat in Caino timor ac tremor, licèt à Deo securitatis literis donatus fuisset, & euidentissimo imposito signo cautum omnibus bestiis esset occidere ipsum, tamen semper timidus, semper pauidus, in siluis, in nemoribus, in cauernis & montibus profugus se abscondebat, *Ero vagus & profugus in terra.* Audiamus ergo S. Eucherium, aliam peraptam timoris atque pauoris huius reddentem rationem. *Ita illum commissum in fratrem crimen pauidum reddidit, vt iam timeret ab illis, qui adhuc non extabant, & conscientia sceleris rea, ipsam lucem ferre non sustinens, ait: Abscondar. Omnis enim qui inuenerit me, occidet me.* Id est tantus erat timor atque pauor in Caino, vt à superuenturis & adhuc non præsentibus sibi timeret.

Gen. c. 4.

Gen cap. 4 S. Euch. in c. 4. Exod.

Qui hi erant futuri? Fratres eius, filij eius, & nepotes eius, ab his timebat, ne ab his occideretur, ipse fratrem occiderat; semper pauidus erat, & vitam pleno ducebat tremore. Sic etiam paralyticus peccator semper timet, præsentia & absentia, præterita & futura horret sed fugiat, quò velit inquirat pacem, nullibi, nisi in Deo inuenturus est illam. Profugus sit super terram, vadat quò velit, tutum animæ suæ extra Deum non inueniet locum. Expertus loquitur Augustinus lib. 2. confess. cap. 3. *Nec enim in his omnibus, quæ percurro, tutum locum inuenio animæ meæ.* Ac si diceret; Si maria transmeare velim, timeo ne ab vndis, vt alter absorbeat Pharao, si nemora petam, ibique securus degere velim, ecce bestiæ terræ deuorabunt me; Si intimis penetralibus domus meæ abscondar, ecce inimici hominis domestici eius. Ergo vndique timor, ex omni parte pauor atque tremor exurgit. *Neque in his omnibus, quæ percurro tutum locum inuenio animæ meæ.*

S. Aug. lib. 2. conf. c. 3.

Vadat Paralyticus peccator quocunque voluerit, percurrat regna atque imperia, quæcunque placuerint, incipiat, quicquid tandem excogitare poterit, quàm diu in lecto peccati paralyticus decumbit, nec momentum quietis reperiet, ideo idem August. peccatorum omnis quietis, omnis tranquillitatis expertem declarat, licèt mille & millenos ei mundus apponat gustus, & his eum quietare conetur. *Si conscientiam mordet veritas criminis, quid mihi prodest, si me continuis laudibus mundus extollat.* O Auditores, quid peccatori, principum prodest fauor ac gratia, quid si omnes ipsi ob hoc congratulentur. *Si intus conscientiam mordet veritas criminis?* illicitos modos & media dolosa exponens quibus tantum procurauit & obtinuit fauorem? Quid prodest peccatori ab omnibus in suis laudari diuitiis, & in illis seipsum laudare: *Si intus con-*

S. August. contra lit. petul. lib. 3.

conscientiam mordet veritas criminis. vsuras & furta quibus accumulatæ sunt mentis eius oculis exhibendo ? Quid prodest peccatori ob formam & pulchritudinem ab aliis extolli. *Si intus conscientiam mordet veritas criminis?* Adulterinam, falsam atque à coloribus emendicatam esse discooperiendo. Non est, in ipsis vlla quies, sed cur ? S. Augustinus vbi supra respondet : *Hoc merè externum est, illud internum.* Pax & tranquillitas dos animi est, in corde, mente & animo residet, hæc autem in corporis gustu & sanguinis motu suam ponunt sedem. Ergo quies nulla, pax nulla, *vbi intus conscientiam veritas criminis mordet.*

S. Chris. Hom. de compunct. cordis. Peccator febrienti similis.

Audite, obsecro, pulcherrimam aurei illius Patris similitudinem, adducit id, quod ægrotanti & ardentissimo æstuanti febri contingere solet. Adstant medici adstant filij & filiæ, adstat charissima Vxor, serui, ancillæ, amici, chari, conuiuini, omnes in extinctione æstus solliciti atque anxij, & ignem illum ardentem aut extinguere vel saltem moderare conantur. Hic pretiosis madefactos aquis panniculos fronti ac pulsibus aptat & circumligat : Ille linguæ exiccatum detergit humorem; Is ventilabro frigidam admouente auram recreare conatur: Alius furtiuè charitatis gratiâ frigidum exhibet potum : Omnia hæc ægro quandam afferunt refocillationem, sed falsa est, non durat, imò in ferventissimum conuertitur æstum : ignis ille intus latens vehementiùs exacerbatur, & per vniuersa ferociùs sæuiens membra, magis accenditur atque crescit. Et sic vitales motus debilitantur, lingua arida palato adhæret, os obmutescit, & summo miser cruciatur ardore. Idem contingit paralytico peccatori, qui dum externis consolationibus conscientiæ admorsum sedare nititur, & internam tempestatem nouis criminibus pacificare conatur ; Nam non tribuit pacem veram iniquitas, non fundat tranquillitatem durantem in corde; sed magis conscientia aggrauatur, ignis & æstus timoris in anima magis inardescit.

S. Ioannes Chrys. de compunct. cordis.

Audite verba aurea S. Patris, *Ita & nos agimus, cùm conscientiæ stimulis agitamur, si merè externas gaudij & lætitiæ causas damus,* Id est, in vanum omnes laborant, qui corda stimulis conscientiæ exagitata, & culpæ flammis ardentia, componere ac refrigerare conantur. Nam hæc interna incendia, omne quod de foris quærunt, refrigerium extinguent ; nam aliud non facient, dum crimina criminibus accumulant, quam ligna lignis addendo, vel igni oleum infundendo.

S. Ioanns Chrysost. hom. de iniquit. repel.

Eandem hanc suam mentem obmemoratus Sanctus, aliâ aptâ nititur declarare parabolâ. Contingit nobilem Iuuenem duris includi carceribus, & iam mortis ob crimen commissum acceptâ sententiâ, ab amicis & socijs consolationis gratiâ visitari, qui miserum totum desolatum & præ mœrore atque dolore iam penè mortuum reperientes, conuiuio ad id parato recreare conantur; & vt eo maior sit consolatio, & dulcior ipsi fiat amicorum societas, adducuntur Musici, vt dulcisonis ac sonoris vocibus & instrumentorum titillationibus aures afflicti demulceant, eique tantillum mœroris excutiant. Sed heu misero! jam mortem tam vicinam & certam præ oculis habenti, consolationis locus nullus datur; imò omnis hæc amicorum industria, non exhilarat cor afflicti, sed magis torquet & cruciat, & pœnas pœnis, atque dolores doloribus addit. Ideo afflictus & consolationis omnis incapax Iuuenis, amicis pro hac bona voluntate gratias agens supplicat, vt & cibum cum dulci allato vino amouere, & musicis discedendi veniam impertiri dignentur: tantas enim angustias cordis sui esse, vt his potiùs augeantur, quam diminuantur. Hinc addit Sanctus: *Ab his qui conscientiæ stimulis agitantur, nequit in malignitate* ama-

amaritudo euitari, *vel in nequitia defugi tristitia; quia potiùs externis voluptatibus feruiens cruciatur.* Quòd peccator paralyticus cordis, quòd incessanter conscientiæ stimulis vrgetur, & externam sibi certò instare sciat mortem, externis voluptatibus sistere timorem atque tremorem, atque internam eius afflictionem mitigare conetur: errat atque decipitur. *Quia potiùs externis voluptatibus sæuiens cruciatur.* Pulchram quoque & aptam valdè huic doctrinæ & veritati illustrandæ, similitudinem S. Ephrem adducit, dicens: Vt conscientia sceleribus atque peccatis libera & munda, aliud non, quàm paradisus variarum voluptatum & consolationum est; Sic mala conscientia peccatis atque criminibus plena, inferni & variorum tormentorum ac dolorum aggregatio est; cuius tanta est amaritudo atque afflictio, vt si omnes carnis & mundi voluptates ijs miscerentur; alius inde nón exspectandus esset effectus, quàm si gutta mellis integro amarissimo & salsissimo infunderetur oceano. Audite verba S. Ephrem tract. de Orat. *Omnis mundana & profana voluptas in amaram conscientiam coniecta quasi paruula mellis stella est in absynthy dolium refusa.*

Mala conscientia infernus.

S. Ephrem tract. de Orat.

Ad te, ergo nunc ô paralytice miserrime, conuersus, sic tecum ratiocinari cogor. Non vides, non capis, non sentis conscientiæ tuæ stimulos; non percipis effectum tuæ paralysis. *Fugis nemine persequente.* Prouerb. c. 18. *Trepidas timore vbi non est timor.* Psalm. 52. Vnde hi in corde tuo nascuntur & exurgunt motus? Dum cœlum turbatum fulminando suas eiaculatur sagittas, altissimi times manus ictum; Cùm terra inclusorum ventorum vi mouetur, ac concutitur, firmus locus non datur pedibus tuis, times enim ne aperiatur & te deglutiat, Si nubes suas demittunt pluuias, ecce nouum diluuium tibi imaginaris & aquis suffocari times; Recedente luce & aduenientibus tenebris tuus quoque animus tenebris atque timore obnubilatur: cibos tuos absque timore non sumis, sitim tuam absque tremore extinguere non audes, nunc venenum, nunc mortem ijs inesse suspicaris, imò somnus omni Creaturæ vltima quies, tibi summa inquietudo est, semper enim formidas, semper pauidus es: vnde ergo, ô peccator, motus hi, in corde tuo nascuntur atque exurgunt? Audisti superiùs Irenæum Sanctum citatum, *Timore corripitur Adam, quia transgressus est præceptum.* Mala tua conscientia hos motus causat; præceptorum Dei trànsgressio timorem atque tremorem hunc tuis incutit visceribus, scelera tua, peccata tua infernum pro te semper apertum stare, tibi exhibent.

Prouerb. c. 18. Psal. 52.

S. Iren. vbi supra.

His tot tantisque perceptis miserijs ô infelicissime peccator, surge de lecto tuo & tolle grabatum tuum & Christo cum Centurione hoc Euangelico obuiam ire ne tardes, præbe ei tua infecta hæc paralysi membra, exhibe illi vsum tui liberi arbitrij debilitatum, rationem obfuscatam, motus internos retardatos, pedes tuos, manus, oculos, aures, os & linguam tuam, & omnia membra tua ad omne opus salutis inutilia atque inepta effecta esse, illi confidenter expone & auxilium ab eo pete; Valedic, valedic, o peccator tuæ paralysi, recede tandem à vijs tuis pessimis, & Christo Saluatori tuo te addic; & videbis quàm suaue sit iugum eius. Non iam amplius de te, *Iacet in domo paralyticus* dicetur, sed *sanus factus est*; de lecto malæ ac peruersæ consuetudinis surrexisse; de domo iniquitatis ac occasionis proximæ te exiuisse; & Christo occurrisse, veniamque peccatorum tuorum te impetrasse, & de paralysi sanum factum esse, totus proclamat mundus, Et si ipse Christo cum Centurione obuiam ire nolis, ad minus, ipsi ad tuam domum introitum permitte. Dicit enim: *Ego veniam & curabo eum.* Ecce spontaneum

Matth. c. 8.

spontaneum tibi suum offert aduentum atque introitum, & iam iam portæ cordis tui adstans, vehementibus ictibus suum tibi indicat aduentum Apoc. c. 3. *Ecce sto ad hostium & pulso.* Ne tardes ô peccator pulsanti tuo aperire Christo, accelera gressus tuos, & iam amplius aures tuæ ad dulcissimas eius voces, ad pœnitentiam te vocantes, non obsurdescant: Sic enim summâ iniuriâ tuum afficeres Saluatorem, & euidentissimo æternæ condemnationis atque perditionis subijceres te periculo, interim quiescamus.

Apoc. c. 3.

SECVNDA PARS.

PVNCTVM TERTIVM.

Duos iam spiritualis paralysis effectus percepistis Auditores: iam tempus est tertium vobis exhibere. *Et malè torquetur.* Tam miserabilis est status peccatoris, vt vita eius non sit vita hominis, sed vita animæ iam condemnatæ; & tot tantisque cruciatur tormentis, vt status eius verum simulacrum infernalium sit tormentorum. *Et malè torquetur.* Hunc miserum paralyticum sub tortura peccati oppressum dum S. Chrysostomus considerat, ait: Quis mortalium ignorat peccatoris statum, amissâ gratiâ & mortali peccato infecti, statum angustiarum & miseriarum esse, qui semper à propria tormentatur conscientia, cui indefesse intus inferni, quos meruit cruciatus, ad viuum repræsentantur, ijsque anxiatur, & vt iam certus de sua condemnatione obambulat. *Peccator obambulat, amarum accusatorem circumferens conscientiam cùm sit suo iudicio condemnatus.* Idem alibi, miserabilem hunc statum Dæmoniaco, qui malè torquetur, assimulat. Nam inter omnia tormenta huius mundi nullum ita inferni accedit cruciatibus vt tormenta sunt, quibus miseri cruciantur obsessi. Sed pœnæ atque cruciatus, quibus intus torquetur peccator, cum his incomparabiles sunt; imò multò peioris conditionis, talis paralytici peccatoris statum esse, Sanctus asserit Doctor. *Peccantes peiores effecti sumus, quàm à Dæmonio vexati: Quod si non spumamus, neque pupillas detorquemus, vtinam in corpore hæc pateremur & non in anima.* Ac si diceret, peior, ac omni compassione dignior status est peccatoris, quàm à Dæmonio oppressi: nam licèt externorum tormentorum signa non appareant, & gestibus externis, vt ore spumando, oculos ac supercilia intorquendo, corpus ac membra immaniter proprijs dilacerando dentibus, suos cruciatus non demonstret: intus tamen his plura patitur; & vtinam exteriùs hæc leuia, corpus, & non interiùs anima grauissima pateretur tormenta. Contemplamini, quæso, spirituali oculo paralyticum peccatorem, & similes in eo exteriores videbitis gestus. Quid aliud peccator, dum impio suo ore Deum ac Sanctos blasphemat, quàm fœtidam ore sua, atque horridam emittit spumam. Numquid abominabili spumat liquore os peccatoris, dum falsa, sine vllo timore promit iuramenta, proximo suo imponit crimina quæ numquam ipsi venêre in mentem? dum nunc hanc, nunc illam lasciuis intuetur oculis personam? numquid turpissimis gestibus suos intorquet oculos; dum crapulis indulget, & ventrem implet vino, & guttur venterque eius vt vter vento inflatus intumescit, quàm turpiter hinc inde proijcit brachia atque manus, dum vindicando proximum effundit sanguinem! & cum terrenis totus immersus, nec Dei, nec æternorum recordatur bonorum. Numquid vt insaniens terræ luto atque spurcitijs se inuoluit. *Peiores, (Auditores) peiores effecti sumus peccantes, quàm à Dæmonio vexati.*

Tertius effectus Paralysis spiritualis, inferni cruciatus in hoc mundo.

S. Chrys. in c. 16. Luc. conc. de Laz.

Idem. Hom. 41. in ad. Ap.

Paralyticus similis Dæmoniaco.

Nec his Sanctus contentus Doctor, vlteriùs progreditur, & miserum peccatoris statum, paruulum quendam infernum

fernum esse asserit, quem in corde suo, quocunque se vertit secum trahere videtur. Similitudinem vt meo iudicio, Sanctus hic Vir à malignis Angelis inferno nondum, addictis sumpsit. Constat enim non omnes Angelos rebelles, in lacu dolorum & ærumnarum cum Lucifero duce suo, inclusos esse, sed plurimos inter cœlum & inferni loca, vsque ad extremum detineri iudicium, qui, vt Paulus dicit, in illa die cum peccatoribus in suis sepulti peccatis à Deo & Sanctis durum audient iudicium, & æterno illi condemnationis includentur carceri. Paulus Epist. 1. ad Corinth. c. 6. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* Attamen à nobis in inferno esse dicuntur, cum tamen nullus ipsorum miserum illum lacum adhuc introierit: vnde ergo in inferno esse dicuntur? Breuiter vobis dicam, vt clarius infernum illum peccatoris, quem dum adhuc viuit se cum portat, percipere valeatis. Damni pœna, quâ Dæmones & tales maligni cruciantur Angeli, quòd Dei illa salutifera & gloriosa sint priuati visione, & in æternum non visuri. infernus ipsorum est; Odium illud, quod contra Deum in ipsis ardet, infernus ipsorum est; insatiabilis fames & sitis contra Deum se vindicandi infernus ipsorum est; inexplebilis cupiditas omnium malorum; inexplicabilis illa inuidia, quâ Angelos bonos & homines iustos persequantur, infernus ipsorum est. Audite Doctorem mellifluum, doctrinam hanc examinantem, & considerantem Apostatarum Angelorum statum & suspensionem inter cœlum ac terram in aëris regione; In hoc enim Dei admiratur iudicium, & quærit, cur Angeli hi, cùm æquè Dæmones & maligni spiritus sint vt illi quos infernus continet, cùm Lucifero inclusos non custodiat; & in natura & malignitate conueniunt; Cur inquam, non cum illis æternis etiam includantur carceribus, sed supra terram & in aëre vagari permittantur? Respondet Sanctus, hunc locum ipsorum esse infernum: Angeli enim hi præ aliis inuidiæ lue laborantes summopere angustiantur atque crucianiur dum loca ab ipsis derelicta, ab alijs occupata intuentur, bonosque Angelos & pios homines in terra contemplantur, qui sedes ab ipsis occupatas sint possessuri. Audite meliflua Sancti verba. *In medio locum sortiti sunt, vt videant & inuideant, ipsaq; suâ inuidiâ magis torqueantur.* Sic, Auditores, peccatores suis immersi vitijs, infernum secum portant, atque trahunt; Sitis illa diuitiarum, fames illa honorum, cupiditas illa carnalium voluptatum; desiderium illud ardentissimum se vindicandi, odium illud diabolicum in corde ipsorum ardens: cùm his satiari & hæc in effectum ponere nequeant, infernus ipsorum est. *S. Bern.* Status peccatoris inferno similis.

Huius inferni mentionem Regius facit vates Psalmo 17. & 15. vbi similibus doloribus circumdatum se lamentatur *Dolores inferni circumdederunt me.* O miserum me! inferni cruciatibus angor & crucior; his doloribus atque cruciatibus mea me circumdederunt peccata; his angustiatus & bene flagellatus, in se reuersus ad Deum clamat & liberationis implorat gratiam, Psalm. 29. *Non derelinquas animam meam in inferno.* O Deus meus! cognosco me peccasse, ecce non vides, quibus doloribus circumdatus sim, respice Domine Deus Dauidem Regem, mille & millenis angustiatum tormentis, & tot animæ eius inesse tortores, quot eam peccatis maculauit, Respice ergo, mi Domine & de hoc inferno educ animam meam, id est, libera me de hac seruitute & paralysi peccati, quæ mihi infernus est. Ideo tanta exultatione obtenta gratia cantat, & Deo gratias agit. *Domine eduxisti ab inferno animam meam;* Psalm. 29 Hugo Cardinal. hic. *Ab inferno peccati.* Infernus hic, de quo se liberum cantat, atque exultatio- *Psal. 17. & 15.*

nis voce Regius lætatur Propheta, non infernus ille est, vbi Lucifer cum desperatis torquetur peccatoribus, sed misera peccati seruitus: de hac se liberatum, huius seruitutis rupta esse vincula Psalmo 115. lætatur & pro gratiarum actione solemnissimas Deo offert hostias: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Imò hanc suam seruitutem non cum quocunque inferno, sed cum inferiori illo, vbi Sathanas ipse ligatus per Dei tenetur Iudicium Psalm. 85. comparauit, *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*; tanta fuit mea miseria tantisque circumdatus fui tormentis & angustiatus doloribus, vt inferno illo inferiori maior non possit esse miseria atque infelicitas. Sanctus Hieronimus per hunc inferiorum infernum miseram intelligit seruitutem peccati. *Infernum peccatum, dixit.* Et mellifluus Bernardus, nunc infernum conscientiæ reatum, qui sine mora & pausa die ac nocte, intolerabili cruciat tormento animam peccatoris, Dauidem intellexisse putat serm. 4. de assumptione Virginis. *Infernus anima est rea conscientia.* Horsum. Auditores, de hoc inferno peccati atque pœnis his; se suamque animam serenissimus Rex Dauid conuersionis ad Deum medio, liberauit atque exemit, & cùm contritus seruitutem peccati nauseauit, iugum eius eiecit, atque denuò liber factus est. Et nos ô miseri in putredine peccatorum consummimur; cruciatibus atque tormentis inferni sine intermissione exagitamur, & dura opprimimur peccati seruitute: & non est qui suspiret ad Deum, qui auxilium petat à Domino, & de hac laboret exire seruitute. Non est qui his supplicet liberari tormentis, & hos à se auertere cruciatus conetur: Sed his inhæremus, immoramur, & vt lethargo tacti obdormimus, Ah paralytici miseri, hæc procrastinatio, hic corui cantus, cras, cras, cras, æternam vobis causabit ruinam.

Psal.115.

Psal.85.

S.Hier. hic.

S.Bern.

Cras, cras, cras, non est verus modus ad Deum se conuertendi. Mortis tempus non est tempus conuersionis, Sed conuersionem supponit. Mortis hora non est hora ad æternam disponendi se salutem, sed supponit iam esse dispositum; momentum illud vltimum, in quod vestram transfertis conuersionem, non est tempus vestra deplorandi peccata; sed iam deplarata fuisse tempus est, tunc pœnitentiæ locus non est, cùm iam rigorosus Iudex adest. Audire vobis in hac materia lubeat Sanctum Doctor. Augustinum, cuius subsequentia hæc verba sunt: *Ipse se ludit, qui de sua morte ludit. Qui cogitat, quod potest extremi temporis indulgentia subuenire.* Stultescit ille, & Deum irridere, atque cum sua videtur nugari salute, qui bonum quod facere intendit, in mortis horam differt. Sic agere, Fratres, Deum irridere est; videant ergo tales ne ipsi aliquando derideantur & æternis pœnis addicentur.

Negare non possum, quòd salutis porta etiam iniquissimo peccatori, quamdiu spirans anima insidet eius corpori, aperta teneatur, atque Dei misericordiæ Ianuæ pateant. Nam quacunque hora peccator ingemuerit, Deus misericordiæ oculis eum respiciet. Sed audite rogo terribilem atque plenam timoris, Sancti Ambrosij sententiam, contra eos, qui ad seram mortis horam, pœnitentiam differunt. *Quid dico, attendite, illud planius expono ne aliquis me malè intelligat: Numquid dico damnabitur? Non dico: sed nec liberabitur, dico.* Hæc tanti Ecclesiæ Doctoris opinio est, de eo, qui ad vltimam diem conuersionem atque vitiorum confessionem differt, & cùm peccandi tempus iam non datur ampliùs & occasio omnis malum operandi prærepta est, bonum facere proponit. Non condemnat Sanctus talem pœnitentiam, sed neque laudat, non reijcit vt inutilem & ineptam, sed vt nimis incertam & periculosam non admittit. *Sed nec*

S. Ambr. exhort. ad pœnitent. agendam

Sera pœnitentia nulla.

S.Hieron. in cap.2. Ioel.

nec liberabitur, dico, Adstipulatur huic Doctori Sanctus Hieronymus, & hoc: *Aut impossibile, aut difficile*, affirmat. Quid (dicit Sanctus hic) ad mortem differs pœnitentiam? Vide ne Deus tibi neget tempus gratiæ in mortis hora, quod tam effrons viuendo despexisti, & oblatum acceptare noluisti. Et sic impossibilis, recedente Dei gratiâ atque auxilio (quod meritò tibi negatur) tua fiat ad Deum conuersio; vel ob dolorum angustias & mortis cruciatus, ad hoc tam rigidum opus & tot scelerum commissorum examen, atque confessionem ineptus reddaris, & sic difficilis tibi tua fiat pœnitentia, & opus hoc salutis retardetur vel in sua mutiletur perfectione & forma quam requirit. Audistis modò Paralytici, qui ad Dei inclamantis voces nunc aures vestras obdurastis; percepistis Serui peccati, quo modo vestram perdideritis rationem, & ad omne opus salutis operandum inutiles facti sitis. Vultisne sub tali periculo mortis expectare tempus! O homo indomite & fatue! cur differs tuam conuersionem in illam horam? O fæmina effrons! cur tempus expectas mortis pro tua operanda salute. O miseri? vestra procrastinatio causa erit æternæ vestræ Damnationis, timeo, timeo, illud corui carmen:

Cras, cras, semper cras, & sic dilabitur ætas,

Vestrum futurum Epitaphium & æternum causaturum cras. Non sic, non sic, peccatores, hodie dum tempus habemus, operemur salutem, ecce primus omnium & peccatorum maximus ad Deum conuerti volo, ac eius pro mea conuersione implorare auxilium; idem vos facilè & mecum hîc in sanctissimi Altaris Sacramento residendem alloquimini Christum.

Apostrophe ad crucifixum.

O sancte & immortalis Deus! Ecce miser ego ad tuos sanctissimos vulneratos & durissimis crucis clauibus affixos pedes procido ac procumbo: Cœlum ac terram, Angelos & homines, & quicquid in cœlis ac terra mouetur & viuit, in testimonium meæ bonæ voluntatis adduco, & coram omnibus, his vt in Dei iudicio futuris testibus, mea execror crimina, mea abiuro scelera, peccata mea, super omne malum, quia tam benignum & omni amore atque honore dignissimum Dominum ijs inhonoraui atque tam grauiter offendi, abiuro & abominor. Parce, parce Domine, respice hunc rubescentem de tuo corpore fluentem sanguinem, quo me redemisti, & de dura peccati seruitute extraxisti, sint ô amorose Christe! hæc tua vulnera mihi salutiferæ cauarnæ, in quibus tempore iræ tuæ abscondar: sint mea salutifera balnea, vbi mea abluantur peccata; sint portus salutis; sit vulnus hoc crudele cordis tui, porta mihi ad gloriam Patris tui patens. Nuditas hæc tua, sint meæ diuitiæ, eaque mea cooperiantur scelera; hæc tua afflictio sit in morte mea consolatio, debilitas tua, mea sit fortitudo, & mortis dolores, meorum sint medicina dolorum atque salus, imò acerbissima mors tua, sit mihi æterna ac gloriosa vita.

Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis, ô peccatores! supplices hos non derelinquite pedes; donec in cordibus vestris suauissimam flantem Dei gratiæ auram percipiatis, cor vestrum amaritudine de commissis impleatur peccatis, firmum in vobis propositum malè quid nequaquam vltra operandi excitetur, horror atque fuga peccati innascatur visceribus vestris, & nouis desiderijs Deo seruiendi æstuent corda vestra, & animæ vestræ Deo exardescant amoris igne; Sic hîc Deo seruietis in lætitia, cum Dauid exultando de inferno inferiori vos liberatos, & cum ipso in æterna gloria offeretis, in æternum sacrificium laudis, Amen.

DISCVRSVS TERTIVS
PRO DIE VENERIS POST CINERES.
ARGVMENTVM.

IN præsenti discursu de Euangelica tractatur lege. Prima parte, puncto primo eius exhibetur excellentia: Secundo puncto, præmium, quod Dei filiatio est, obseruantibus illam proponitur. Secunda parte, puncto tertio excusationes quas diaboli filij legem hanc obseruare nolentes adducunt, refutantur.

Thema:

Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros. Matth. c. 5.



ONA ac præstans erat lex illa, quam sub principium mundi diuina mens, mater vniuersarum creaturarum lumine vultus sui, nostris impresserat cordibus atque visceribus, quâ ad bonum operandum & malum declinandum ducebamur. Melior atque præstantior erat illa Mosaica lex, non carneis cordium nostrorum membranis, sed durissimo Saphyro lapidi in monte Horeb Dei digito inscripta. *Exod. cap. 20.* Optima atque præstantissima est Euangelica illa, à Christo non scripta, sed oretenus tradita, non tabulis saxeis incisa, sed sanguine suo cordibus nostris impressa. Nam hæc nullam nouit subiectionem, nullius sibi conscia seruitutis est, sed amoris atque dilectionis cordibus nostris imposuit fræna. Prima ducebantur & tenebantur homines in Dei seruitio, & ad ipsius stimulabantur cultum, rationis lumine à Deo ad hunc ipsis infuso finem. Secunda erat timoris & seruitutis, ideo durissimis mortis comminationibus ad eam obseruandam stimulabantur. Tertia cùm amoris atque dilectionis esset, suos subditos amore in Dei seruitute deuotos tenet, & Deum colendum sola dilectione inducit. Et si naturali instruebamur in nostra, amicorumque dilectione, & nobis ac amico bona exhibere excitabamur; Hæc amoris atque dilectionis Euangelica lex, suum dilatando imperium hanc dilectionem & amorem, & hunc beneuolentiæ & charitatis affectum atque effectum ad inimicos & proprios extendit persecutores; & suauibus amoris vinculis suos inducit subditos, etiam ipsosmet mille iniurijs nos afficientes & reapse persequentes omnibus nos priuantes & mortem ipsam nobis inferentes mirabili atque inaudito dilectionis amplecti affectu atque effectu. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.* *Matth. c. 5.* Hæc est lex illa, quæ ab æterno in profundissimo & secretissimo illo Trinitatis Sanctissimæ decreta atque prolata fuerat consilio, & in plenitudine temporis salutis & opportuna hora mundo intimata fuit. Hanc Regius desiderabat Propheta, huic subditus viuere omnibus desiderabat votis eam legem immaculatam animasque conuertentem proclamando. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* *Psal. 18.* Ac si diceret; hæc lex maculam nullam habet, à nullo vituperari potest; Nam animas conuertit, id est, obstinatum odium in corde

hominis

hominis in amorem conuertit; vindicatiuos charitatiuos efficit, & inimicos vt charissimos intuetur & amplectitur amicos. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Tertullianus lib. de pudicitia, scribit; *Lex Domini inuituperabilis*, dicere volebat Peccatorem, contra naturæ legem, nostris inhærentem visceribus & rationis lumine impressam, ignorantiam potuisse obijcere & huius cognitionem per peccatum obscuratam fuisse allegare. In lege scripta, verbis illis, quibus & Paulus Petrum arguebat, *quam nec nos nec patres nostri sufferre potuimus*, obseruationem vt impossibilem iudicare, ac vt dicam, & insupportabilem illam legem vituperare poterant; sed in lege gratiæ nullus vituperationis, nullus excusationis datur locus. Hæc firmissimè mentibus nostris infusa, à Christo intimata, ab Euangelistis transcripta & tradita est; Sanguine Christi hæc cordibus nostris inscripta, gratia, amore & dilectione plena est. Timor hic nullus, comminatio nulla, seruitus nulla est sed amor, dilectio, suauitas, libertas & dulcedo summa reperitur. *Lex Domini inuituperabilis.* Lex absque offendiculo, atque macula omni: Lex licèt dilectionem inimicorum iubeat, dulce tamen præceptum & honore atque reputatione plenum est, Christus enim se ipsum exemplum nobis in huius præbuit obseruatione, & suo sanguine, quem pro suis inimicis, dirissimis contra eum tormentis insanientibus fundebat, decorauit, atque nimis nobilem & honorabilem fecit; ita vt nunc in Christiana & vera Dei militia hoc præceptum primum teneat locum & nil nobilius, nil honorabilius sit, quàm suis parcere inimicis, illosque vt seipsum ac animam suam diligere, ac ijs benefacere. Cùm ergo scopus discursus mei hæc sancta & honorabilis debeat esse lex, primo puncto excellentiam & gloriam eius vobis demonstrabo, Secundò, præmium inæstimabile æternæ gloriæ omnibus eam obseruantibus præparatum, nil aliud quàm Dei filiationem esse, & vt Dei filij nominemur, ostendam. Tertio puncto, & parte secunda, vanas friuolas adducam rationes, atque excusationes filiorum diaboli, quibus hanc suauissimam & à Deo tam dilectam excutere nituntur legem Attenti estote.

Tertull. lib. de pud.

PARS I.
PVNCTVM PRIMVM.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Matth. c. 5.

VT inuiolabilis veritas est, omne id quod per creationis produxit actum, Deus infinitæ eius potentiæ fuisse opus: Sic quoque minimè dubitandum erit omnia creata non infinita, sed finita esse, eorumque esse, certò termino concludi & non in infinitum extendi. Terræ amplitudinem pelagi vndis circumducens terminauit, latitudini maris in littoribus suis terminos posuit; aërem igne inuoluens terminauit; Ignis sphæram cœlo occlusit, ac ipsi terminos designauit, Cœlum vltima superficie inclusit. Hoc est quod Regius Vates attestatur: *Omnis consumationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.* Soli amori atque dilectioni limites ponere, certisque includere finibus minimè placuit; charitas termini expers esse debebat, quæ in diuino pectore terminos & limites nesciens ab æterno fuerat. Huius fines atque limites infinitate mensurenter, & vsque in æternum & mille æternitates dilatent imperium suum. *In æternum, in æternum, & vltra.* *Psal. 118.*

Vano & stulto antiqui nostri laborabant errore, amorem atque dilectionem terminis circumdari posse credentes, eumque inimicum esse putantes, atque sic illius annihilari imperium posse defendere conabantur. *Audisti, quia dictum est antiquis; diliges proximum tuum,*

tuum, & odio habebis inimicum tuum? quem stultum ac vanum errorem in hodierno sacro Euangelio, cœlestis noster Doctor Christus refutat; dum amoris atque dilectionis terminos etiam ad inimicos dilatans sine aut limite minimè comprehendi posse ostendit. *Diligite inimicos vestros.* Ac si dicere voluisset: toto cœlo aberrare est, ei ponere metam, quod nequit metiri; circumscribere terminis, quod ignorat finem. Amor fines non habet, limites ignorat, omnia, etiam inimicos ipsos comprehendit & in infinitum suum extendit dominium. Sic etiam vt eam vulgi opinionem refelleret, quòd absque culpa tribus modis inimicum offendere liceret, corde, nimirum, verbo & opere, docet ac præcipit; inimicum tribus his modis amari ac diligi posse ac debere. *Diligite*, inquit,
Matth. cap. 5. *inimicos vestros.* Ecce primus modus; cordis enim actus est dilectio, & cogitationes cordis, ignis huius dilectionis nutritiua esca sunt. *Orate pro persequentibus atq; calumniantibus vos.* Ecce verba, quæ dum pro inimicis Deum deprecamur; proferimus. *Benefacite, qui oderunt vos.* Ecce opus, dum inimico bonum quid præstamus, aut exhibemus.

Ergo quicumque mortalium sibi caueat dulcissimo & amorosissimo huic obloqui præcepto, ac si durum esset, aut contra honorem, reputationem atque gloriam cordati viri; nam grauiter erraret atque deciperetur. Nil enim sub sole, tam honorabile reputationeque ac gloria dignum reperiri potest, vt inimico parcere, & iniurias acceptas condonare, odium in amorem mutare, atque inimicum diligere. Hanc veritatem ipsimet Ethnici & Infideles, minimè Sanguine Christi, vt nos Christiani ad hoc edocti, ad confusionem nostram agnouerunt. Sanè Plutarchus attestatur, Agesilaum Macedonum Regem in am-
Plutarch. in Apophth. plissima suorum nobilium atque militum corona professum esse, nil nobilius, excellentius, ac regia Maiestate dignius esse, quàm iniurias condonare ac benefacere inimicis. Confirmat hoc D. Chrysostomus his verbis: *Regium est, condonare iniurias.* Ac si diceret; si quod caput sceptro ac coronâ dignum est, quod nouit condonare iniurias & quod dixit, mox sacris demonstrat ex literis, adducens id, quod contigit circa Dauidem ac Saulem Regem. Mitissimus viuorum Dauid, cùm à facie Saul Regis fugeret, & necessitate coactus in cauerna quadam se occultando cum suis quæret salutem. Ecce tibi diuinâ sic ordinante prouidentiâ succedit ac subintrat Saul & quidem solus, post Dauidem extra relictis socijs, arma & gladium deponens, inermem se vt vitulus victimæ exhibet Dauidi; occasionem socij videntes, vindicandi tot Dauidi illatas iniurias, ad Saul Regem occidendum exhortantur Dauidem, Domini quoque esse voluntatem, acriter defendere conantur. Sed quid facit mitissimus virorum Dauid? socijs silentium indicit, lento accedit pede, & fimbrias vestimenti Saul apprehendens, gladio rescindit particulam, & immemor omnium iniuriarum incolumem recedere sinit, quo regio actu cognito Saul, è regione se ponit speluncæ, & Dauidem Iudæorum ac Dei populi post se futurum Regem, altissima proclamat voce, dicens: *Nunc scio quod certissimè regnaturus sis.* Ac si diceret, ô Dauid, hucusque nec credere, nec persuadere mihi poteram, te post me Regem futurum; sed nunc vel ex hoc ipso quòd me inimicum tuâ circumscriptum potestate innoxium, è manibus labi sis passus, scio te certò post me regnaturum, & in meo sessurum throno. Nam hic actus, hominem Regio dignum facit throno; hic capiti regium imponit diadema. Hic, ô Dauid, mihi abstulit, & in te transtulit coronam Israël, *Nunc scio quòd certissimè regnaturus*

S. Chrys. Hom. de Dauid & Saul.

Regium est condonare iniurias.

1. Reg. c. 24.

1. Reg. c. 42.

turus

turus sis. Et non immeritò, hoc ex facto Saul suam mutauit opinionem & Dauidem post se Regem futurum credidit. *Regium est enim condonare iniurias.*

S. Chrys. Hom. de Dauid & Saul.

Profundiùs immergitur sanctus Doctor huius historiæ considerationi; & hunc actum gloriosiore fuisse multò cruentissimâ illa in valle terebinthinâ obtentâ victoriâ, affirmare non dubitat. Et de hac spelunca Dauidem Regem gloriosiorem fimbriam vestimenti Saul Regis manu tenentem prodiisse, quàm cum de pugnæ loco, Sauli Regi, caput barbari manutenens obviam prodiit. Audite verba. *Hæc est gloriosa victoria; egressus est enim, magis exultans, quàm cùm Goliath deiecisset, & barbari caput amputasset: si quidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc gloriosius trophæum.* Sed absque omni comparatione maior erat gloria, dum non tantùm socios in vindicta cohibuit, sed perorando coram illis Saul innocentem reddere laborauit. Verba Chrisostomi hæc sunt. *Non pepercit tantùm, sed excusationem pro eo composuit,* ac si diceret: Dauidem dum Sauli Regi adstantem & fimbriam vestimenti eius proprio rescindentem considero gladio; manuum illius inimici nolentium maculari sanguine, virtutem admiror; cum autem & socios alloqui & à vindicta cohibentem inspicio, vehementer obstupesco. Primo actu gloriosus efficitur Dauid; hoc autem vltimo omni adornatur honore atque excellentiâ. *Qui enim læsus inimicis parcit, iam gloriæ coronam habet in capite.*

1. Reg. cap. 17.

S. Chrys. vbi suprà.

S. Chrys. suprà.

Diuinum est condonare iniurias.

Sed quid dico? quid generosum hunc actum regali titulo condecoro? alijs certè, si rem penitiùs inspiciamus efferendus erit encomiis. Diuinum enim in se quid continens, diuitatis titulo insigniri meretur: Sic eum sanctus Cyprianus honorat, inquiens: *Diuina est generositas condonare iniurias.* Quod illustrat Christi exemplo, ex quo, ait, licet plurima admiranda, & mirabilia, quæ solius omnipotentiæ Dei effectus erant, opera perpetrasset, nequam tam claros ac lucidos diuinitatis radios prodiisse, ac dum cruci affixus, suis condonaret tortoribus, & pro eorum Deum deprecaretur salute. *Nunquam sic indicia diuinitatis expressit:* & si rem perpendamus, vitamque & actiones Christi subtiliùs perscrutemur, ad rem sanctum locutum fuisse testabimur. Patrabat bonus IESVS miracula, & habebatur pro seductore, *Seductor ille,* conuertebat peccatores & proclamabatur amicus publicanorum, Helluo, Epulo, *Ecce homo vorax & potator vini.* eijciebat dæmonia & vocabatur Magus. *In Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia;* at cùm ignouit inimicis, & pro transgressoribus orauit, tam clara suæ diuinitatis dedit testimonia, vt ipsimet Iudæi & Gentiles qui eum crucifixerunt, Filium Dei proclamarint: *Reuertebantur percutientes pectora sua,* dicebant, *verè Filius Dei erat iste.*

S. Cypria. l. 3 de zelo & liuore & lib. de bono-grat.

Matth. c 27.

Matth. c. 11.

Matt. 28. Luc. 23.

At verò quod dixit sanctus Cyprianus de persona Christi, hoc ipsum in hodierno Euangelio suis in hoc præclaro facinore pollicitur imitatoribus, dum eos hac de causa, ob hanc gloriosam actionem Dei proclamat filios & æterni patris bonorum veros hæredes instituit. *Vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est,* Sanctus Chrysostomus hîc legit: *Vt sitis similes Patri vestro qui in cœlis est.* Ac si diceret. quòd homo, qui proximo, liberali corde iniurias condonat, huic ob actum gloriosus fiat, Regium promereatur diadema, cœlestium bonorum declaretur hæres, in æterni Patris adoptetur Filium, Christi Saluatoris nostri efficiatur charissimus frater, hoc nimirum excellentissimi hujus actus præmium atque meritum est. Sed plura dicam; Agite fortiter, condonate inimicis, nolite vindicare vos, mala bonis retribuere vobis non displiciat; non tantum filij æterni Patris & Christi confratres, sed ipso æterno patri similes efficie-

Matt. c. 5.

efficiemini: tanta enim erit gloria vestra, quàm his præstandis acquiretis, vt quasi alter Deus, gloriæ radios, in alios emittentes; atque merita ipsorum obscurantes resplendebitis. *Vt sitis similes Patri vestro qui in cœlis est.* Ergo ô Christiane, dum hæc præstas & corde condonas, gloria & honore induit te Dominus, vt Propheta cantat Ps. 8. *Gloriâ & honore coronasti eum.*
Psalm.8. Dum parcis, dum condonas, dum iniurias dimitti, diademate Regum coronaris & toties quoties hæc agis, nouas tibi assumus Regum coronas, vt peraptè cum Christo Apocalypsi 19. multis coronatum diadematibus te intueri liceat. *Et in capite eius diademata multa.* (Apocal. c. 19.) Dum te odientem amas, te persequentem diligis, in Filium Dei adoptaris. *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Dum malo bona retribuis, malè agentibus, bene agis Æterno Deo ac altissimo inquantum homini licet, similis efficeris, vt meritò tibi & omnibus id præstantibus Dauidica illa verba applicari possint: *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi, omnes.* (S.Marc. c.15.) (Psal.81.)

His absque dubio priuilegiis ex hac admirabili condonationis iniuriarum virtute Gregorius Nyssenus adductus fuit inauditam illam proferre sententiam, super illa Dominicæ orationis verba: *Dimitte nobis debita nostra. Propemodum non amplius intra terminos humanæ naturæ conspicitur, sed ipsi Deo per virtutem assimulatur, vt alius ipse Deus esse videatur, dum facit ea, quæ Dei solius est facere.* Ac si diceret, tanta dignitas condonationis est, vt qui hoc facit, non humana carne indutus, neque enim carnis & sanguinis hic actus est; sed diuina quadam virtute, cuius hoc solius opus est, condecoratus videatur. Hoc argumento Christus Pharisæorum confundebat turbas, eos non Abrahæ sed diaboli filios ipsos esse declarans. Altercabantur Schribæ & Pharisæi cum Christo, Abrahæ se filios profitentes. Negat tales esse Christus, peraptam dans eis rationem: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite; Nunc autem quæritis me interficere, Hominem qui veritatem vobis locutus sum quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit, vos facitis opera patris vestri.* id est alium habetis Patrem, cuius opera facientes assimilamini ei. Respondent Pharisæi alium Patrem negantes præter hunc, Deum ipsorum esse Patrem allegantes: *Nos ex fornicatione non sumus nati: Vnum Patrem habemus Deum.* Replicat Christus, mendaces ipsos ostendens & ipsorum enarrans allegationem, dicit: *Si Deus Pater vester esset, diligeritis vtique me; ego enim ex Deo processi & veni.* Ac si diceret, vos non potestis Deum dicere Patrem vestrum, dum corda vestra plena sunt odio, vos non diligitis me, qui tot tantaque bona vobis feci, vos non amatis me, qui filius Dei & Rex vester sum, & quod talis sim, tot tantisque euidentissimis miraculis, quæ homo facere non potest, uobis sat clarè ostendi; Vos tot bona, quæ vobis feci, tot fauores, tot gratias præstitas, malo soluitis & morte retribuere conamini. Hæc Dei Patris mei opera non sunt, ergo vos Dei filij minimè esse potestis, sed opera diaboli sunt, ergo vos filij diaboli eritis. *Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere, ille est homicida.* Ergo dum corda vestra homicidij crimine maculantur & rancore cruciantur, diabolo à quo talia procedunt, & cuius opera sunt, similes estis. Ideo, *vos ex patre diabolo estis.* Similiter nobis argumentari licet: iniurias condonare, parcere peccanti, malignitatem bonitate recompensare, malè facientibus facere bene, & inimicum sereno diligere corde, solius Dei opera sunt, ergo cùm talia ô Christiane agis, opera Dei agis, & illa agendo, quasi alter efficeris Deus, & per virtutem hanc Altissimo assimularis. *Vt sitis similes Patri vestro, qui in cœlis est.* (Ioan. c. 8.) (S.Chrys. vbi supra.)

Margin note beside the Gregory passage: S.Gregor. Nyss. lib. de Orat. Dom. Orat. 5.

Hæc Doctrina tam clara est, vt etiam ipsi infideles eam agnouerint, ac suis Auditoribus inculcare studuerint. Facit hoc

hoc inter alios, Romanæ eloquentiæ Princeps Cicero in præclara illa pro Marco Marcello oratione, vbi multis ostendit verbis iratum vincere animum, & inimico condonare iniurias, debitamque dimittere pœnam, non hominis, sed Deorum esse. Consonat cum hoc, quod legimus, Gen. c. 50. de Iosepho illo iusto, qui omnem illatam iniuriam fratribus condonauit, odium, inuidiam eximio recompensauit amore, grauissimam illam, & vsque ad mortem persecutionem, tot tantisque retribuit beneficijs, qui cùm tantam in eo admirarentur amorem atque beneuolentiam fratres eius, omniumque iniuriarum perfectam obliuionem sequentibus verbis eos allocutus est. *Num Dei possum resistere voluntati?* Hebræus habet sensus. *Nunc Deus ego sum.* Ac si diceret, nolite in me admirari beneuolentiam hanc quo vos amplector; nolite obstupescere, quòd vos tot tantisque afficiam beneficijs, qui tot tantisque me affecistis iniurijs, ne quid noui vobis videatur dum vobis per hæc donata alimonia vitam conseruo, qui me occidere voluistis. Omnem hanc iniuriam iam pridem condonaueram vobis, omnium horum à multo tempore recordationem ex animo deleueram, & hæc agendo, quasi Deus cui à natura inditum est, bona facere, factus sum, ideo aliter non possum. *Num Dei possum resistere voluntati?* Nunc Deus ego sum. Audiamus & hîc S. Chrysost. vbi suprà. *Nihil facit hominem ita Deo similem, sicut inimicis esse placabilem.*

Gen. c. 50.

S. Chrys. vbi suprà.

Si ergo condonatio iniuriarum tantæ virtutis est, vt homines alios miserabiles, Dei faciat filios, altissimoque assimilet, vt Christus infallibilis veritas attestatur. *Diligite inimicos vestros: vt sitis filij Patris vestri, qui est in cœlis.* Formalis & necessaria infertur consequentia, vindicatiuum imitatione filium esse diaboli, illique, vt suprà Christus, assimulari,

Matt. c. 8.

quia vt S. Ioan. Euang. c. 8. testatur, *Ille homicida erat ab initio.* Quid verò si ostenderem talem non solùm dæmoni similem, sed eo peiorem esse, audite rationem ex Scripturis.

Diabolis cum non condonare. *Ioan c 8.*

1. Regum cap. 16. Saul Regem dæmonum furiâ exagitatum sacer habet textus. *Et exagitabat eum Spiritus nequam, à Domino missus*, compassione moti Aulici eius accedunt & Regi suadent expertum Magistrum Musicæ qui psallendi arte & dæmonis mitigaret furiam, eiusque exagitationes sedare nosset, conquirendum esse. *Dixeruntq; serui Saul ad eum: Ecce Spiritus Dei malus exagitat te, iubeat Dominus noster, & serui tui qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cytharâ, vt quando arripuerit te, Spiritus Domini malus, psallat manu sua & leuius feras.* Placuit consilium, expediuntur Legati, per vniuersam terram Israël, discurrunt, obequitant famuli Regis huius artis inquirentes Magistrum. Et ecce transeuntibus illis syluam, nescio, quàm sonoras subaudiunt cantilenas & cytharæ clangorem indagant, accedunt & Iuuenem Dauid nomine, gregem ouium suarum custodientem, Deum laudantem atque psallentem reperiunt; adducitur, Regique assistitur, & mirâ suscipitur beneuolentiâ; erat enim Iuuenis pulcher aspectu. Hic adueniente spiritu malo, regemque exagitante arripuit cytharam, lusit manibus & meliùs habebat Rex. *Quandocunque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul & leuius habebat; recedebat enim ab eo Spiritus malus.* Vidistis beneficium nunc ingrati & vindicatiui animi, diabolicam percipite naturam. Arripitur die quadam Rex Saul à spiritu Domini malo, exagitatur, vehementissimeque torquetur; accurrunt serui, adest & Dauid, festinanter manu apprehendit cytharam, psallit & dulcisona voce malum reiicit spiritum, ac Re-

1. Reg. c. 16.

1. Reg. c. 16.

1. Reg. c. 18. gem à diro cruciatu liberat. Quid verò ad hæc Rex: audite ingratitudinem. *Inuasit Spiritus Dei malus Saul David autem psallebat manu suâ, sicut per singulos dies; tenebatq; Saul lanceam & misit eam, putans quòd configere posset David cum pariete.* O duram inuidiosam ac vindicatiuam naturam, beneficium recepit & occidere vult, à specie mortis sanatur, & medicum morte afficere intendit.

Hic subintrat magnus ille Pater Basilius Seleuc, crudelem hunc animum immane hoc opus, horrendum hoc facinus, diabolicam hanc actionem contemplans exclamat: *Vidisti rem miserabilem! imò rem incredibilem! Sæuitia spiritus sopiebatur carmine & sæuitia hominis magis irritabatur. O nouum; inauditumq; facinus! Dæmon pellebatur, & dæmone liberatus arma capiebat: dæmon vincebatur, & hominis mores plus sumebant audaciæ.* Videtis hic vindicatiuum peiorem esse diabolo: hic enim discedit mitior factus beneficiis; ille manet crudelior effectus, ideo abhorrenda omni Christiano, ideo fugienda omni cupienti saluari vindicta est. Nam maligniorem ipso dæmone efficit, atque in peiori constituit statu. Ergo Christi sequamur doctrinam. Inimicos diligamus benefaciamus his qui oderunt nos, vt Christus in hodierno vos exhortatur Euangelio. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros: vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est.*

S. Basil. Seleuc. orat. 16.

Matt. c. 5.

Veterum percurrite acta, Ethnicorum atque infidelium perquirite & scrutamini viuendi modum, reperietis gloriosissimum semper fuisse judicatûm actum, iniuriarum condonationem, & hac præ omni alia excellentia antiquos gloriatos fuisse. Narrat Quintus Curtius lib. 4. hist, inuictissimum illum Romanorum Iulium Cæsarem, magnâ quadam adeptâ victoriâ, postero die, per vniuersum fecisse proclamari exercitum, hanc diem esse veniæ & condonationis, hodie Cæsarem omnium offensarum atque iniuriarum obliuisci, sinceroque corde cunctis parcere inimicis eosque in amicorum recipere numerum. Quo audito nobilissimus ac strenuissimus quidam miles, Cæsarem accedens dixit. O Cæsar semper te nobilissimæ cognoui naturæ, gloriam tuam & excellentiam semper fui admiratus, sed hodie planè obstupesco, dum enim iniuriarum obliuisceris, offensasque omnes clementia tua donas, ac inimicos in amicorum recipis numerum; absque comparatione hesternâ efficeris gloriosior victoriâ. In hunc finem populi Lacædemonij particularia instituerant sacrificia quibus à Dijs suis gratiam, inimicis condonandi, iniuriarum obliuiscendi, supplicabant, existimantes hominem vindicatiuum nihil posse patrare æternâ dignum memoriâ. Hanc virtutem Aristoteles propriam & naturalem magnanimis esse iudicio suo declarauit; inquiens: *Viri magnanimi est iniurias magno animo ferre.*

Quintus Curtius lib. 4.

Gloriosior victoria est condonare iniurias quam de hostibus triumphare.

Quomodo Ethnicie in hoc se exercuerint.

Arist. 3. Ethic. c. 8.

Et dum Athenienses ingrati Ciues tot beneficiorum immemores in exilium virum hunc probum relegassent, Dijs quam instantissimè supplicasse fertur, ne in tantam ingratitudinem vltione aliqua animaduerterent. Idemque docuit & actu exercuit, atque demonstrauit, strenuus ac magnanimus ille Phocion Atheniensium supremus Capitaneus, cùm innocenter & absque culpa ex inuidorum atque malignorum aliquorum sinistra delatione ad mortem condemnatus, veneni poculum, quod à carnifice ipsi bibendum præbebatur, manibus teneret; cum ab amicis quibusdam interrogatus fuisset, quid ex parte sua filio vnico, pro vltimo vale, dicere haberet, vt nunc in ipsorum proferret præsentia, antequam veneni acerbitas vitam ipsi auferret, magna & inuictissima constantia sequentia fertur protulisse verba *Mando hoc ei, vt obliuiscatur potius huius quem nunc ab Anthenienfibus*

bus oblatum bibo. Id eſt, Filio meo dicetis, ne ingratitudinis huius, ac iniuriæ, quo Athenienſis Ciuitas, tot tantorumque acceptorum à me beneficiorum immemor, me affecit, recordari velit, ne hanc meam innocentem mortem vindicare præſumat. Quid vobis videtur de horum Ethnicorum actionibus atque dictis? A Chriſtiano plus nec exigi, nec deſiderari poteſt. Audite Elianum meritis hoc factum extollentem laudibus. *Si cui non videbitur hic Phocionis animus extollendus eum ego à magnarum & præclararum rerum meditatione alienum puto.* Quid hîc dixiſſet, ſi illud Leuitici diuiniore illuſtratus lumine didiciſſet? *Non quæres vltionẽ, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorũ.*

Elian. lib. 12. de varijs hiſt.

Leuit. c. 19.

Plutarchus in Apophtheg

Simile quid Plutarchus, de magno illo Lycurgo enarrat. Inſolens quidam iuuenis, probo, atque iam ſenectute venerando viro Lycurgo oculum excuſſit, atque vnius luminis priuauit vſu. Quid crudelius? quid abominabilius fieri poterat à iuuene inſollente? poterat ue vir probus maiori affici iniuriâ? ad hanc inſolentiam caſtigandam traditur iuuenis Lycurgo, pro ſuo placito puniendus atque cruciandus. Quid, Auditores, ſenem feciſſe putatis? fortè duris carceribus incluſit iuuenem diſcolum? non. Fortè pro pœnâ manum illam quâ oculum extraxerat abſcidit, colloque improbi adoleſcentis appendit? Non. Fortè ambos ipſi extrahens oculos pueris ad vexandum & deridendum exhibuit? Non. Fortè crudeliſſimâ affecit morte, ne talis malignitas mundum deinceps inquinaret? Non. Quid ergo eum, cum diſcolo, ac perdito egiſſe iuuene creditis? Audite mirabilem vindicandi modum, percipito inauditum tormenti atque pœnæ genus; mediumque peraptum, inſolentem caſtigandi iuuenem: Bonus ſenex poteſtate in iuuenem accepta, manu apprehendit, & domum ſuam ſecum traxit, bonis inſtruxit moribus ac diſciplinâ, prauam & inſolentem vitam in bonam ac modeſtam mutare docuit; & ſic doctrinâ inſtructum & actu emendatum, atque in alium conuerſum hominum ſenatui reddidit; ſic eum affatus, cordatum ac magnanimum virum non aliam quam talem ab inimico vindictam ſumere debere. Audire Plutarchi libeat verba: *In domum ſuam ipſum excipiens, aluit, bonis moribu imbuit, & poſtea in virum alterum mutatum Senatum remiſit, certiorem eum faciens, non aliam, quàm illam ab inimico deſideraſſe vindictam.* Hic poſtea vindicandi modus origo atque cauſa prouerbijs illius fuit, *Vindicta Licurgi.* O Chriſtiani, quid facitis? quid cogitatis? qui tanta vindicandi æſtuatis ſiti? Hic modum ſumendæ habetis vindictæ, hîc vltionis vobis traditur norma: ſic vindicatur ab Ethnico & infideli, tam grauis accepta iniuria, & tam laudabilis, de tam enormi ſcelere ſumitur, ab omni gratiæ lumine priuato, vltio. Et nos, nos, qui lumine gratiæ illuſtrati ſumus, à Chriſto edocti & quibus à Domino ſub æternæ ſalutis amiſſione, vindicta interdicitur, adhuc nolumus condonare iniurias; dimittere offenſas, ſed crudeliſſimo animo decuplam de inimicis ſumere vindictam.

Hoc ipſum magnum illum Alexandrum factitaſſe, Quintus Curtius refert; & ex hoc ipſo ſuam demonſtraſſe excellentiam atque magnanimitatem. Vnum adducam tantùm actum. Cùm quidam mortem Darij Regis hoſtis infenſiſſimi ei annuntiaſſent atque à proprijs amicis occiſum retuliſſent, exiſtimantis, gratum ſe Alexandro allaturos nuntium: tergum ipſis vertit & coram alijs circumſtantibus doloroſis verbis, mortem Darij Regis deplorauit, & tam egregiam ſuam demonſtrandi clementiam atque animi magnitudinem, præreptam ſibi eſſe occaſionem, vehementer indoluit, nam vitam

Quintus Curtius lib. 5. de rebus geſtis Alexandr.

tam seruare Dario & regnum redonare constituerat.

In vita Mar. Aurelij. Sic magnus ille Marcus Aurelius Imperator lamentabili voce Rebellis ac inimici sui Cassij deplorasse, narratur, mortem, & caput ipsius allatum & præsentatum, debitis fecisse sepelire honoribus; summopere ingemiscendo, sibi non licuisse per condonationem iniuriarum à Cassio illatarum, nomen magnanimi acquirere atque ad posteros transmittere.

Egregium factum Ferdinandi Secundi Imperatoris. Accessit ad hos, si non superauit, deuotissimus & numquam satis laudandus Ferdinandus, Romanorum Imperator verè Secundus. Huic enim cùm magni cuiusdam Principis contra eum belligerantis caput, à quibusdam promitteretur, suæ Maiestati afferendum modò iubeat, pijssimè, sanctissimeque respondit, volumus ipsum viuum & gratum nobis exhibebitis ministerium, si viuum adduxeritis atque incolumem, mortuum nequaquam: Nam inimicos nostros non mortuos, sed viuos habere desideramus, vt clementiam nostram & gratiam exhibendi occasionem habeamus. Digna certè tam Christiano & pio Imperatore verba. Quorum ego qui hunc transtuli librum testis sum cùm meis proprijs perceperim auribus.

Atque hæc, tot tantaque adducta exempla, quid sunt aliud, quàm lucidissima specula pietatis, in quibus vos contemplari, eorumque magnanimitatem imitari, necesse est, in condonandis iniurijs, ac penitus è memoria delendis. Sufficiat vobis, (ô Christiani) subiectos habuisse inimicos vestræ potestati. Sistite dum copia vobis datur vindicandi, & Deo cui debetur remittire vindictam, sat gloriæ vobis est, sat honoris ac reputationis ex hoc profluit actu. Audite de

S. Isidor. lib. 6. soli. hoc Isidorum: *Magna est virtus, si non lædis eum, à quo læsus es: Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas.* Ac si diceret: Quòd quis ab amicis sollicitatus, inimico suo offensas atque iniurias acceptas, condonet ac dimittat laudabile, & actus magni meriti est. Quòd quis inimicum recipiat pro amico, magna virtus est, & digna omni Christiano: Quòd autem quis inimicum suis habuerit inclusum manibus, & pro velle suo se vindicare potuerit, & tamen pepercerit, & impunitum ac liberum dimiserit, hic nimirum apex est omnis gloriæ.

Sed quid alijs distinemur cùm clarissimum exemplar huius habeamus in ipso Saluatore nostro, hunc itaque vobis proponam, & primum punctum concludam. Ecce igitur Filium Dei agnum immaculatum, pulcherrimum inter filios hominum, innocentissimum, Sanctissimum, in quem culpa nulla cadere poterat, diris his affixum clauis, corpore toto vulneratum, omnibus spoliatum, nudum, & vt maior sit iniuria eius, inter duos Latrones in crucis pendentem patibulo, ab inimicis irrideri, blasphemari & maledici. Quid facis ô bone IESU? cur terræ non mandas, vt hos blasphemos & maledicos absorbeat: cur cœlo non imperas, vt sua fulmina in hos tuos inimicos & crucifixores detorqueat: Cur eos inferno non addicis cum Lucifero Patre eorum, tormentis? Quid dicis ô Christe & bone IESU! Audite & conseruate, verba hæc fixa cordibus vestris, *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Hoc sit speculum vestrum, ô Christiani, in quod inspicientes turpitudinem vindicatiui deprehendetis animi; Hoc intuentes, miram vindicandi se reperietis normam. Audire vobis hîc Iubeat mellifiui Bernardi verba, Sermone 50. in Cantica c. 4 *Qui flagellis cæsus, clauis confessus, patibulo affixus, opprobrijs saturatus, omnium tamen dolorum memor, inquit, Pater ignosce illis, non sciunt, quid faciunt.* Ac si diceret, Christus bene blasphemantes audiebat, voces maledictionum eius pulsabant aures, crudelissimi dolores cruciabant sanctissimum

Apostrophe ad crucifixum.

Luc. c. 23.

S. Bernar.

mum corpus, vulnera ex flagellis & spinis accepta oculis patebant diuinis, & quid aliud erant, quàm tot voces de cœlo clamantes & vocantes vindictam; tamen ac si non essent & non illatæ fuissent tot iniuriæ, omnium immemor pro Tortoribus excusationes adducit, inquiens: *Non enim sciunt, quid faciunt*. Pro blasphemantibus & calumniantibus patrem æternum deprecatur, ac pro eorum supplicat veniâ, & totus amoris & charitatis igne accensus, æterno Patri reconciliare laborat & omnem, ob id debitam auertere pœnam nititur.

PVNCTVM SECVNDVM.

AT verò rem altiùs examinemus, ostendemusque legem hanc, quas iniurias condonare proximo astringimur; offensas obliuioni tradere obligamur, legem, non ignominiæ, non infamiæ, non vilis animi esse, vt fatuus ac stultus sibi persuasum habet mundus; sed honoris, reputationis, ac gloriæ plenam. Variæ sunt viæ mundi huius, quibus ad honoris culmina conscendere Cosmophili nituntur: varij modi, quibus conantur gloriosos se reddere, sed inter omnes apud Christianum, iniurias condonare, offensas dimittere, parcere peccanti, benefacere malè facienti, primum tenet locum, & strata est ad omnem gloriam semita. Psal. 18. *Lex Domini immaculata: Lex Domini inuituperabilis*; ad rem dicit aureum illud os Hom. 3. in Epist. ad Roman. *Forti & generoso animo feramus; hic est enim solidus honor.* Ac si diceret: Qui forti & generoso animo fert iniurias, offensas libenter dimittit; mala bonis retribuit ac soluit, etiamsi possit, vindictam non vult sed amat atque diligit inimicum; hic verè honoratus est, hic verè inter omnes alios gloriosior prædicandus est, gloria enim eius erit indeficiens, stabilis ac in æternum duratura; honor eius non supra luteum fundamentum, vt alij honores fundantur, sed super immobile, stabile ac æternitate fixum. *Hic est enim solidus honor.* Non est honor mundi, non est gloria huius vitæ firmior ac stabilior, vt honor qui per iniuriarum acquiritur condonationem. Nam vt ordinariè cæteræ gloriæ & honores luteo vitæ huius fundamento innituntur; sic eo destructo destruantur & deficiente vita deficiant, necesse est, & quod magis dolendum, omnis alia gloria sæpius inferni terminatur vituperio. Sapientiæ atque Philosophiæ gloria, deficiente Aristotele, qui Philosophiæ erat Magister, ipsa quoque defecit, & omnis honor atque excellentia eius terminata est ignominia. Sic Sanct. August. lib. 9. de Ciuit Dei c. 8. *Va tibi Aristoteles, qui laudaris vbi non es, & cruciaris vbi es.* Regum & Cæsarum gloriæ, triumphi, cum vita finem sumpserunt, & sicut omnis eorum cum vita recessit memoria, sic omnis euanuit gloria: sed quod peius est, plurimorum etiam in æternum conuersa est vituperium. Audite Baruc Prophet. c. 2. *Vbi sunt principes gentium? exterminati sunt & ad inferos descenderunt.* Sed gloria nostra quæ condonando iniurias acquiritur; honor qui obliuiscendo offensas aduenit, & per obseruantiam huius legis amoris obtinetur. *Solidus honor est*; æternâ enim ille superfundatur gloriâ, quæ hominem semper reddit gloriosum, semper exhibet honoratum, semper excellentissimum esse demonstrat. Dicite Cosmophili & vindicatiui, quis honor, quæ gloria mundi, huic nostræ valeat comparari, si quidem hæc nos filios Dei facit. Matth. cap. 5. *Vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.* Potest mundus Thiarijs Pontificum capita adornare: Regum purpurâ atque coronis decorare tempora; fortitudine, magnanimitate, diuitijs sapientia, pulchritudine & alijs honoribus gloriosos facere. Sed ita gloriosum, vt Dei possit vocari filius, reddere non

S. Chrys.

Non est maior gloria in mundo, quàm condonare iniurias.

S. August. lib. 9. de Ciuit. Dei c. 8.

Hæc gloria permanet, aliæ cum vita deficiunt.

non potest. *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.*

Caueat ergo sibi, quisquis Christiani vult appellari nomine, & qui huius gloriosæ militiæ, gratijs ac priuilegijs frui desiderat, Legem hanc tam gloriosam ac honorabilem contemnere non præsumat, & iniuriarum remissionem honoribus obsistere defendat: Talis enim euidentissima daret signa, non è Christi militum, nec ex Electorum, sed reproborum se esse consortio, nam hæc est Christi doctrina & in cruce eius sanguine roborata. O æterne Deus! da aquarum flumina oculis meis, vt tantam Christianorum possim deplorare cæcitatem. Num quid magnæ tenebræ sunt vituperium putare honorem, & honorem æstimare vituperium? vidistis ô Christiani! in quibus terminis nunc orbis versetur, quàm sit inter milites Christi diabolica deceptio; Christus gloriosam iniuriarum prædicat remissionem, at mundus vituperio plenam, mundo præbemus aures, mundi adhæremus doctrinæ, Christi respuimus. Hinc lamentatur Propheta. *Homo cùm in honore esset, non intellexit,* ac si diceret. Vindicatiuus non potest capere, quanta sit gloria remissio iniuriarum, & ad quàm altam dignitatem per hanc deducatur. Quid dicis remissionem iniuriarum tuæ obesse gloriæ, maculam tuæ imponere famæ? stultescis & erras. Hæc bona fama, infamia tua est, hæc gloria in gloria tua est, hæc reputatio atque honor vituperium tuum est. O fama infamis! ô gloria sine gloria! imò plena vituperio, quæ æternis terminabitur vituperijs atque infamijs.

Psalm.

Quis ergo nunc, Auditores, ad Christi voces tam surdus erit, cuius cor tantæ duritiæ atque obstinationis, vt suæ nolit prouidere saluti, reperietur, Vestrûm interest, ô Christiani, nam si non remittitis nec vobis remittetur, magnæ sunt iniuriæ vestræ, innumerabiles offensæ vestræ, quibus contra Deum peccatis, si harum vultis percipere remissionem, remittite vos, sic & vobis remittetur. Nescis, Christiane, quòd cum iniurias proximo remittis, te liberum ab iniurijs Deo illatis declaras? an ignoras, cùm offensas condonas proximo, tui ipsius constituaris Iudex, & te ab omni pœna liberum cum potestate proclamas? Hoc est, quod Saluator testatur Luc. c. 6. *Dimittite & dimittetur.* Supra hæc verba S. Leo sic discurrit. *Quid hac iustitiâ benignius, quid hac retributione clementius, vbi sententia iudicaturi, in potestate ponitur iudicandi?* An maior hac potest excogitari in hoc mundo gloria? certè non, Christi tenere vices, suum constitui Iudicem; salutem habere in manibus, ad æternæ gloriæ portas in potestate tenere claues. Remitte ergo ô Christiane, vt hac potiaris gloriâ, & ne tibi contingat, id, quo sanctus hic Papa suum claudit discursum. *Ne, dum negas fratri misericordiam, claudas patri indulgentiam.* O vindicatiue! noli sic esse crudelis, noli in tuàm sic sæuire salutem; nam dum inimico tuo misericordiæ claudis ianuas, Dei tibi occluduntur clementiæ portæ; dum iniuriarum remissioni apud te non datur locus, nec apud Deum tuarum iniuriarum reperies indulgentiam: & dum de proximo tuo temporalem vindicando capis vitionem scias æternam, de te, Deum tuum, accepturum vindictam.

Qui alijs condonat iniurias sibi ipsi condonat peccata.

S. Leo.

O homo! si tam durus es ad iniuriarum remissionem, quomodo tuorum criminum atque scelerum poteris apud Deum sperare condonationem. Reuolue Ecclesiast. c. 28. & quam ibi legis tremendam perpende sententiam. *Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam?* Percepisti obstinate vindicatiue, & fili Diaboli, tuam sententiam? audisti iam in te prolatum iudicium; Homo multis annis in proximum conseruat odium, iram atque rancorem & tempus vindicandi expectat, & tantæ audaciæ est

Qui non condonat iniurias à Deo nullā speret indulgentiam. Eccl. c. 2[8]

eſt, vt Deo accedere & pro ſuorum criminum remiſſione ſupplicare audeat. O Sancte Deus! da ſpiritui & cordi meo efficaciam, huic linguæ meæ zelum, quam animarum harum aſtantium in me requirit corona; Tu Diaboli fili, tu vindicatiue! plenus es odio, cor tuum ſpumat vindictam, viſcera tua præ rabidâ vltionis lue tremunt, os tuum palleſcit præ libidine vindicandi te, & ſic Deo accedis, ſic Diuinæ aſtans Maieſtati criminum tuorum petis remiſſionem? pro ſcelerum tuorum ſupplicas obliuione? Audi, audi gloſſam interlinealem hic te condemnantem. *Indignum eſt, Deum eſſe ei propitium, qui crudelis eſt in proximum.* (*Gloſſa interlin. hic.*) Quomodo dicit Sanct. Hieron. in c. 5. Matth. Quis miſericordiam in magnis criminibus; indulgentiam in enormiſſimis peccatis ſperare poteſt, ſi parua proximo condonare recuſat? *Si parua fratribus non dimittimus, magna nobis à Deo non dimittuntur.* (*S. Hieron.*) Numquid terribilis hæc eſt ſententia, numquid ſufficiens ferreum atque adamantinum emollire animum! & tamen quis nunc eſt, qui corde ſincero parua fratri ſuo dimittere cupiat. Non dimittentur tibi crimina tua maxima apud Deum, dum paruas illatas iniurias remittere negligis, non eſt tibi apud Deum enormium tuorum ſcelerum ſpes veniæ, cùm in paruis & minimis obſtinatè proximo tuo illam negas. Audi iterum S. Leonem. *Qua fronte vis, vt tibi Deus dignetur dimittere multum, cùm tu non acquieſcis dimittere parum.* (*S. Leo ſermo de morte.*) Id eſt, Quomodo tam cæcus & inſenſatus optas, vt Deus enormia tua tibi dimittat crimina, & tu non vis (vt Deus iubet) parua remittere proximo: non vides iniuriarum tuarum acceptarum remiſſionem conditionem contractus eſſe, quâ poſitâ ſtat, quâ remotâ cadit, ſub qua ſola felicem conſequitur effectum? Non vides tuorum criminum maximorum, remiſſionem atque indulgentiam inniti condonationi minimarum acceptarum? O miſer! qua fronte à Deo tuo multorum criminum prætendere poteris remiſſionem, cum paucorum errorum proximi tui nolis eſſe condonator?

Certiſſima atque infallibilis doctrina eſt, hominem ſine peccato viuere non poſſe, *nam in peccatis natus eſt totus, & nemo ſine crimine viuit. & ſepties in die iuſtus cadit.* Sic ergo homine conſtituto intelligere lubeat, quàm opportuno & perapto ei ſubueniat conſilio S. Petrus Chryſologus dicens: *Homo, ſi ſine peccato eſſe non potes, & vis ſemper dimitti tibi totum, dimitte ſemper; quantum vis dimitti tibi; dimitte tantum, quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte; imò quia vis totum dimitti tibi, totum dimittes.* (*S. Petrus Chryſologus ſerm. 67.*) Vides ergo vindicatiue? te inſanire, dum remittere recuſas: abſque peccato viuere non potes, & ijs non remiſſis, non erit tibi ſpes ſalutis. Ergo vt eorum obtineas indulgentiam, ac remiſſionem, & tu dimitte, ac condona proximo tuo iniurias ſincero corde. Vis vt tibi omnia condonentur ſcelera? nullus defectus proximi, tuo inhæreat animo; nam hoc dum agis, tibi concedis veniam, hoc atteſtando ſanctus vir ſuum concludit conceptum. *Homo intellige, quia remittendo alijs, tu tibi veniam dediſti.* (Si non condonas proximo, nec tibi Deus.) Ac ſi diceret. Dum aliorum parua debita condonas; tua tibi remittuntur maxima. Ioan. Caſſian. Eremitarum Pater atque Magiſter, de medijs, quibus peccator ſalutis portas, per peccatum clauſas, reſerare poſſit, diſputans; varios modos ac multiplicia adducit media, & præ omnibus iniuriarum remiſſionem aptiſſimum & potentiſſimum eſſe iudicat; (*Caſſian. coll 20. c. 8.*) Deumque particulari ſuâ prouidentiâ, hoc, vt faciliimo & opportuniſſimo, prouidiſſe peccatori. *Ipſam remedij opem noſtro remiſit arbitrio.* Id eſt, medicinam ſalutis, noſtris tradidit manibus; claues cœleſtis gloriæ reſerandi portas, noſtræ commiſit poteſtati. *Vt indulgentiam noſtrorum ſcelerum pro noſtro præſumamus affectu; dicentes ei:*

Dimitte

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Secundum modum & mensuram dispositionis nostræ, Dei ordinatur remissio, multum remittis & plurimum condonas; multum tibi remittitur, plurimum de summa & numero tuorum criminum condonatur. His motus, S. Leo Papa, auream illam protulit sententiam, & omni Christiano inscribendam cordi, *Elige modò quod tibi placuerit: Si inimicos dilexeris, non solùm amicus Dei, sed etiam filius esse mereberis: Si verò inimicum amare nolueris, Deum propitium habere non poteris.* Ecce dicit Sanctus, ex Dei parte protector hodie coram nobis, nemo sibi Deum propitium promittere præsumat, qui ob eius amorem iniurias condonare refugit; Durum vobis videtur inimicos amare, & eos qui vos oderunt, diligere; Sed rogo mentis vestris oculis inferni respicite flammas, perpendite tot inimicorum castra, & cogitate, num cum his in æternum viuere durius vobis futurum non sit; confiteor arduum esse opus, sincero amare corde inimicum, & à quo toties, ac tot tantisque quis affectus est iniurijs: sed & magnum præmium, cœlum est, quod non condonando perdis & æternam tuam salutem odio, sicut inimicum habes.

S. Leo Papa Sermone de martyr.

Ardet Peccator, in corde tuo vindicandi ignis, æstuas vltionis siti, & hac pessimè torqueris, nec sine vltione sumpta vllo modo quiescere potes. Ecce S. Paulus ad Romanos, & Sapiens Prou. 25. tua commoti compassione, talem modum vindicandi tibi porrigunt & vltionis præscribunt medium, quo audacter de inimicis tuis vindictam sumere, & inextinguibilem tuam vindicandi sitim extinguere licebit. *Non vos metipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Si quis te percutit, ne repercutias, sed expecta, donec iratum cor tuum denuò requiescat. Si quis verbis te læserit, noli relædere, nam hic non est licitus vindicandi modus. *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* Quis ergo licitus vindicandi modus? quo medio vti, & siti vindicandi satisfacere, & Dei non transgredi licebit præceptum? Audite S. Paulum, *Si esurierit inimicus ciba illum: Si sitit potum da illi.* O Paule sancte! hic non est vindicandi modus, hoc est mala bono soluere, iniurias beneficijs compensare; hic non vindictæ aut vltionis, sed charitatis ac dilectionis actus est. Ita est, sed scire debes, sic vindictam sumi; sic vltionem dari de inimicis tuis: Sed cur? aut quem effectum talis vltionis modus habebit? *Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* Volebat dicere S. Apostolus vt glossa ordinaria hîc explicat. *Vis vlcisci te de hoste? beneficium illi exhibe, cum acerbiori supplicio eum affecisti.* Hic verus vindicandi modus, hoc verum vltionis medium est: nam hoc, sitim vindicandi extinguimus, & cœlum vindicando lucramur. Ideo S. Paulinus hanc vltionis normam, non terrenam, non à Dæmonio suasam, sed à Deo traditam & cœlestem appellare non dubitat, inquiens: *Hæc est vindicta cœlestis, inimicum diligere.*

Ad Romanos c. 12. Prou. c. 25.

Glossa ord.

S. Paul. Epist. 2.

Pulchrum quid ad propositum Seneca enarrat de Augusto Cæsare, hunc enim, scribit, tot tantisque conspirationibus vexatum fuisse, vt aliquando etiam vitæ tæderet, contigit vt quidam ipsi familiaris, nomine Lucius Cinna institueret contra eum conspirationem, quâ cognitâ Cæsar, Imperatricem accessit, periculum vitæ in quo versabatur aperuit & quid hac in conspiratione agendum, consilium implorat; Sapiens respondit fœmina, non mireris quod hucusque tot tantosque habueris inimicos, tot tantisque vexatus fueris conspirationibus; vltionis modus tibi hucusque ignotus fuit, consilarij tui non per rectas semitas de tuis inimicis vltionem sumendi te duxerunt, si nunc fœminam audire velis, dicam quid sentiam. *Admittis muliebre consilium?* Annuit petitioni aut potiùs oblationi Augustus, dum sapiens incipit Domina. Ecce dicam, & optimum vindi-

Senec. lib. de clem. c. 9.

Optimus modus vindicandi se de inimicis.

vindicandi modum tibi exhibebo, quo & de inimico insignem vltionem capere, & eum tibi amicum & fidelem reddere poteris, *Ignosce Lucio Cinnæ.* O sanum consilium! non Ethnicâ sed Christianissimâ dignum Imperatrice! O fœminæ, ô Matronæ, dum vestros iratos videtis maritos, dum præ vltionis desiderio spumantia ipsorum deprehenditis ora, his obviate consilijs & hoc instruite vindicandi modo; Tandem Seneca concludit historiam & dicit consilium hoc mulieris in actum positum tam felicem habuisse effectum, vt & conspirationis sint recissa fila & Cinna de inimico factus sit Cæsari impofterum fidelissimus amicus. *Amicissimum fidelissimumq; habuit, nullis amplius insidiis ab illo petitus est.* His obviate viris vestris, ô Matronæ! consiliis. His tot homicidia, tot mala & innocentis sanguinis effusionem impedire conemini. Et ne putes, vindicatiuè, tua te aliquid lucraturum vltione; ecce dicam quid lucreris; te ipsum in æternum condemnas; & fortè inimico tuo januas cœli aperis, & tibi absque dubio inferni reseras. Et si alienum non vis admittere consilium; admitte Dei præceptum. Matth. c. 5. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Ama inimicum tuum & admirabiles amoris tui reperies effectus, benefac his quite oderunt, & subitaneas videbis mutationes.

Mat. c. 5.

S. Ioannes Chrysost. Hom. 22. ad pop.

S. Ioannes Chrysostomus aliud non humanum sed diuinum vindicatiuis dat consilium, quo ad remissionem iniuriarum & inimicorum dilectionem suum laborabat inducere populum. Sed quale hoc; Memoria mortis est; in confirmationem Ecclesiast. adducit c. 20. *Memento nouissimorum.* Quem locum doctissimus Liranus explicans, sic habet: *Id est mortis, & desine inimicari.* O optimum & efficacissimum consilium! Quis est tam perfidus, qui dicere audeat, nolo saluari. Quis tam sceleratus est, qui dicere præsumat volo condemnari, volo in æternum diaboli esse mancipium. Non spero nostrûm aliquem talem futurum, qui verbis hoc dicere audeat, & tamen tot reipsa factis & actibus id dicunt, atque profitentur, cùm inimicis suis condonare nolunt. Sed dicet quis, in morte faciam, scio enim me moriturum, & sine remissione hac saluari non posse. Hoc est quod dico, dum ad mortis horam differs & suspendis, tuum est velle condemnari, tuum est velle diaboli esse mancipium; tunc enim coactè & necessitate ad id te vrgente & compellente facis, & hæc tua condonatio, si tamen in effectum ponere tibi dabitur facultas, monstruosa erit, & vt Theologi dicunt: *inuoluntarium quid mixtum.* An autem talis monstruosa iniuriarum condonatio, ad tuorum criminum remissionem sufficiens futura sit, ignoro. Augustini sancti verba de vera & falsa pœnitentia, mente reuolue. *Nec laudo nec vitupero.* Audistis iniuriarum condonationis dilatores; percepistis monstruosi offensarum remissores, quid Sanctus hic dicat. Non in morte, non cùm aliter non potes, iniurias dimitte, si illam tibi salutiferam & tuorum criminum absolutionem esse desideras. Ecce nunc tempus salutis, nunc dies acceptabiles, dum adhuc membra tua sanguine calent, dum adhuc iniuriosa verba aures tuas pulsant, dum actu spoliaris honore, dum in medijs hæres vituperiis & contumelijs; condona & remitte. Da iræ locum & Deo relinque vindictam; tu dimitte crimina, vltionem quærere noli, & Dei stude implere legem. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.*

Eccli. c. 28.

Liranus hic.

S. August. de vera & falsa pœn.

Matt. c. 5.

Legite Psalmum 76. inuenietis similem normam à Dauid nobis exhibitam fuisse. *Turbatus sum & non sum locutus,* ac si dicere voluisset: Deum Semei & alii mihi obloquerentur, dum Saul me persequeretur; dum hinc, dum inde aures meæ iniuriis pulsarentur; turbatus sum vt homo, sensi & valde bene sensi, dolebam & cruciabar; sed tacitè: maledicentibus

Psalm. 76.

tibus non obloquebar ; caluminantes non calumniis reiiciebam, me iniuriantes iniuriis non repellebam, sed: *non sum locutus*, tacebam & Deo remittebam vindictam. *S. Hieron. in hunc Psalmum. Turbatus sum quasi homo; non sum locutus quasi Christianus.* Turbaris in corde tuo ob illatas iniurias, vt homo; tace vt Christianus & sedebantur motus tui; Accenditur tibi dum offenderis, sanguis & vindictam petit vt humanus: tace vt Christianus, iterum refrigerabitur & quiescet, ore spumas ab inimico læsus, vt homo, tace vt Christianus & quiesce: & spuma quoque evanescet & resoluetur. Tace, tace, ô vindicatiue! & in silentio cum Chrysostomo sancto Agnum Dei pro te in cruce suspensum intueri non desinas, considera manus inclauatas, linguam eius mutam: & sic tuæ cohibebuntur manus à vindicta, & lingua tua nec contumelias nec opprobria proferet. *Agnus Dei mihi dexteram & linguam cohibet.* Pauca hæc verba sunt, sed sequentia dicere intendebat. Dum vindicandi urget libido atque vlciscendi impellit cupiditas, malum malo reddere nolo: hunc crucifixum respicio agnum, cuius manus mea sic inclauarunt scelera, & ecce manus meæ inclauantur & immobiles fiunt ad vindictam, dum lingua feruet, os præ ira plenum spumoso liquore bullit, & opprobria opprobriis reiicere intendit, immaculati huius agni os intueor & dum peccatis meis liuidum atque tumidum reperio, lingua mea adhæret faucibus meis & opprobria effundere non vult, nec potest. *Agnus mihi dexteram & linguam cohibet.* Intuitus huius immaculati agni, fidelis admonitor mihi est, Dei seruare legem. *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros.* Huius agni intuitus linguam sancti soluit Christophori; qui dum in tyranni præsentia colaphis à vilissimo quodam ministro exciperetur, generosus & gloriosus alias miles ad illum conuersus, dixit: *Parco tibi & hanc remitto iniuriam, quia sum Christianus.*

S. Hier. in hunc locum.

S. Chrys. Hom. 13. in c. 8. Matth.

Vt ergo & hoc concludamus, quis nostrûm est, qui vitam suam non supra omnia amet, & ad illam saluandam tuendamq; non extrema tentet? At anima cùm in æternum duratura sit, & ab illa omnis nostra gloria aut damnatio dependeat, maiori certè amore ac tutelâ digna est. Vna nobis anima est, Auditores, & hæc in æternum duratura: in ea omnis ponendus amor, in ea excolenda omnis ponenda industria est; vt gloriæ & honoris & non vituperij evadat habitaculum. Cum ergo remissio iniuriarum tam gloriosam efficiat animam, Regio dignam sistat diademate, imò Dei filiam efficiat, ac similem quodammodo Deo reddat. Hæc manibus arripienda, & anima nostra hac ratione in æternum gloriosa efficienda est: & si quis hac animæ suæ non studet excolere agrum, & hoc glorioso ac nobilissimo actu, vocationem suam certam facere non satagit; spem nullam habebit salutis: ideo vindicatiue, inanis est fiducia tua, nam Deus à quo misericordiam & remissionem criminum tuorum expectas, fons pietatis atque misericordiæ quidem est; sed si tu inimico iniurias dimittere nolis rigorosissimus erit Iudex, ex tuo te proprio condemnabit ore, & proprijs tuis verbis, quibus ipsum rogas, æterno te addicet supplicio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* O stulte & insane vindicatiue! non vides, non animaduertis, quid dicas, dum oras & pro tuorum criminum remissione & indulgentia humiliter Deo supplicas? te ipsum accusas, te ipsum iudicas & te ipsum condemnatum & æternis dignum supplicijs Deo tuo sistis. Quomodo oras? dimitte mihi crimina, errores, iniquitates, scelera, adulteria, homicidia, vsuras, ambitiones, mendacia, furta, & alia infinita peccata, quibus tuam affeci Maiestatem: optimè oras, dum pro eorum remissione sic supplicas, & Deus

Matt. c

Deus paratus est omnium eorum non recordari, sed conditionem à te requirit. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; magni momenti posita est, ô vindicatiue, conditio; iā aperias oculos mentis tuæ & reperies, quòd eadem mensura, quâ tu proximo tuo in condonatione iniuriarum mensus fueris, tibi à Deo remetietur, & secundùm normam tuæ remissionis, à Deo quoque criminum tuorum sit extendenda indulgentia: & si in hac mensura largus fueris, largus quoque erit Deus; & si proximo tuo pietatis porta patebit; æternæ gloriæ portæ à Deo tibi aperientur. Sic ratiocinatur sanctus August. serm. 68. de tempore. *Qui enim talem charitatem habet; vt amicos & inimicos diligat, illius cœlestis Ierusalē portas apertas merebitur intrare; qui autē non vult habere hanc charitatem, ex omni parte portas clausas inueniet.* Hęc recogitate animis vestris, dum paululum quiesco.

S. August.

Pars II.

PVNCTVM TERTIVM

Excusatio-nes vindi-catiuorum.

NObilissimam & gloriosissiman hanc charitatis legem esse, optimo sat lucidè demonstraui puncto, præmium eius firmiter obseruantibus præparatum, filiationem Dei esse, secundo vobis discooperui: Nunc supersunt friuolæ mundanorum atque vindicatiuorum examinandę excusationes, illæque annihilandæ. Audiamus ergo rationes, quibus huius tam gloriosi præcepti transgressionem inculpabilem defendere contendunt vindicatiui. Dicunt primò, Pater, de nostris inimicis nequaquam vindictam sumere intendimus, absit hoc à nobis, scimus enim lege Christi hoc facere cautum esse, nec sine grauissima Dei offensa ultionem sumi posse de inimico. Scriptum est enim, *Mihi vindicta, & ego retribuam*, sed errorem, ac peccatum à nostro proximo commissum, & adhuc in eo non emendatum, duritiam cordis atque mentis obstinationem eius odio prosequimur; mens eius elata, superbus eius animus, innata eius proreruia; arrogans & mala illius vita, nos vexant & cruciant; In hanc vltionem animaduertere nobis licet. Ergone vos tantæ potestatis estis, vt peccatum de peccatore, & peccatorem de peccato separare tentetis, vnum amare, alterum odio prosequi, valeatis? Erratis, ô stulti! solius Altissimi hoc est: æternæ condemnationis periculo plena est hæc separatio: Ideo sancti & electi Dei, quibus scelerum atque criminum innatum erat odium, hanc fugerunt separationem, & non sunt ausi in vno subiecto vnum amare, alterum odio prosequi, sed simpliciter, proximo charitatis atque pietatis apertas exhibebant portas. Sic Protomartyr Stephanus videbat cœlum apertum filium Altissimi stantem à dextris Patris, coronam gloriæ eius manu tenentem, & ad illam accipiendam inuitanten; non tamen ausus fuit petere vindictam à Deo, & talem in vno subiecto facere separationem; peccatum odio, hominen amore prosequi, sed simpliciter Deum pro suis inimicis ac persecutoribus deprecabatur, *Ne statuas illis hoc peccatum*, Nam hæc diuisio atq; separatio absolutæ Dei potentiæ est, qui in eodem subiecto peccatum odit, & peccatorem diligere potest. Quid ergo nunc dicitis ô vindicatiui! nonne videtis talem non dari separationem à parte rei, sed stultas vestras esse imaginationes. O Reuerendi Patres Confessarij, cùm his sitis rigorosi, ne credatis, cum dicunt, faciam quod iubes, dimittam, parcam, reconciliationem quæram, aut oblatam acceptabo; actu prius demonstrent non inesse illis vindictam, postea tribuatur illis absolutio, de æterna enim ipsorum & vestra agitur salute.

Matt. c.

Rom c. 12.

Act. Apoc. c. 7.

Secundò aiunt, volumus condonare iniurias; attamen talem volumus satisfactionem, vt alia vice cautiores sint in

offendendo Deum, & circumſpectiores in diſguſtando proximo. O ſtulti adhuc ſeparatione laboratis, videte quàm cæci ſitis, quàm nigris tenebris ſit obſcurata mens veſtra, vultis ſatisfactionem? Dicite, quæſo, dediſtiſne vos ſatisfactionem Deo; cuius filium veſtris ſceleribus atque criminibus cruci affixiſtis, dira occidiſtis morte? In quibus ſanctiſſimæ Matri eius dediſtis ſatisfactionem? Vos enim peccatis veſtris, (quæ Ieſum cruci affixerunt) eam ſuo filio ſponſo, Patre, & omni bono priuaſtis & deſolatam conſtituiſtis. Ah, ah,

S. Mat. c. 23.

vindicatiui ne dubitetis, *Eadem menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur & vobis.* O inſani, non videtis, non animadvertitis, Deum excitandum eſſe, ad ſimilem à vobis depoſcendam & exigendam ſatisfactionem? & quam ô miſeri! dare poteritis, cùm infinita ſit veſtra culpa, infinita veſtra malitia & infinitum Deum offenderitis, nec vos, nec mille, milleni mundi pleni hominum pro vno tali errore ſufficerent dare ſatisfactionem. Vos meritò Propheta obiurgat & ad ſaniorem conatur reducere mentem *Filij hominum vſquequo graui corde: vt*

Pſalm. 4.

quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Ah iſti ſtatus rationum, leges mundi, ſtatura noua honoris huius ſæculi, vanitates atque mendacia ſunt, ſomnia ſunt, & imaginationes, quibus vobis coronam gloriæ dæmon præripere conatur, vituperium nullum ineſt condonationi iniuriarum, ſed gloriâ & honore plena eſt. Audite ſanctum Auguſtinum: *Quo pungeris inde naſcitur roſa, quâ*

S. Auguſt. in pſal. 31.

coroneris, vult dicere, gladius ille, quo mediante inimica manu vulnerati eſtis, dextera illa, quâ iniuria affecti eſtis, acutiſſima & doloroſa, ſed non vituperoſa ſpina eſt, nam ſi iniuriam illatam remittatis, offenſam proximo condonetis, ſpina hæc vobis proferet pulcherrimas roſas, è quibus æternæ gloriæ vobis flectetur corona; *quâ coroneris.* Mundus infelicem perſecutionibus ſubiectum atque iniuriis affectum æſtimat, ego autem dico vobis, hunc feliciſſimum eſſe; ſed quomodo hoc? Quia habet occaſionem quam alij non habent, & ſuis ſe liberum declarandi criminibus, vt audiſtis & glorioſum ſe reddendi, atque coronam æternæ gloriæ ſibi texendi, & dum proximo remittit offenſas & dum amore inimicum proſequitur. Ecce quàm claris probet verbis ſanctus Auguſtinus hanc doctrinam: *In poteſtate noſtra poſuit Deus, qualiter in die iudicij iudicemur, Dimittite, & dimittetur vobis.*

S. Aug. ſerm. 10 de temp.

Ecce vindicatiui ſtulti & cæci; ſi nunc non dimittitis iniurias proximo, Deo exhibetis modum vos iudicandi, dum nunc offenſas condonare refugitis, Deo præbetis contra vos ſcriptam proferendam æternæ dammationis ſententiam. Quid dicitis, quid obiicitis? at condonatio iniuriarum periculo exponit noſtrum honorem, obſcurat bonam famam. Erratis miſeri; hæc condonatio offenſarum, gloriâ & honore vos afficiet, famam veſtram lucidam & glorioſam reddet. Audite ſocios veſtros deplorantes hanc cæcitatem atque inſaniam, Sapientiæ cap. 5. *Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.* Ecce illi, quos vides, ſine animo & abiectæ vitæ, eò quòd iniurias condonarent, habebamus, quomodo glorioſi facti ſunt! ab omnibus vilipendebantur, ab omnibus deridebantur, conſortium illorum à nobis habebatur pro vituperio & Ecce inter ſanctos Dei ſors illorum eſt, & quidem inter filios Dei, glorioſi computantur, Ecce nunc poſſident gloriam illam ſibi promiſſam, *vt ſitis filij Patris veſtri qui in cœlis eſt*, quam nos non æſtimabamus, ô terque quaterque felices! quibus, tam commoda in numerum filiorum DEI adſcribi poſſe datur occaſio.

Sap. cap. 5

Pro

Pro concluſione hiſtoriam à grauiſſimis enarratam authoribus adducam. Contigit generoſum ac nobilem quendam militem obuium ſibi habere inimicum, qui ſui chariſſimi Patris fuerat occiſor, quo viſo, gladio arrepto ad trucidandum aggreditur ſceleſtum, hic ſe inermem deprehendens, ad eius voluitur pedes & in Chriſti nomine & per Saluatoris amorem petit tanti ſceleris condonationem. Miles audito Saluatoris nomine, odium deponit, iræ obliuiſcitur, vindictam mutat in amorem, amplectitur delinquentem & ſereno corde omni condonato reatu, liberum & incolumen dimittit. Poſt hoc factum vicinam quandam Eccleſiam pro ſua intrat deuotione, Crucifixum quendam accedens pedes Saluatoris pro cuius honore hunc glorioſum fecerat actum oſculari intendens. (Audite, ò vindicatiui mirabile quid) lignea ſoluuntur brachia, corpus durum inclinatur, militem amplectitur atque ſtringit, & per os Crucifixi teneriſſima ſequentia proferuntur verba: *Chariſſime amice & fili Sanguinis mei, tu amore mei condonaſti mortem Patris qui illum occiderat, & ecce ego omnia condono tibi atque deleo peccata tua.* O beati! qui tam opportuna norunt vti occaſione; ò pluſquam beati! qui ſuis norunt inimicis condonare iniurias, nunc ergo condonemus omnes nullus de hoc præſumat exire templo, cor cuius non ſit purum & mundum à vindicta, ſed vnuſquiſque mecum ad hunc conuerſus crucifixum ſereno condonet corde, omnia proximo commiſſa delicta, & mecum dicat:

Diſcip. in ſerm.

O animarum noſtrarum Redemptor, Ecce in conſpectu & præſentia totius vniuerſi, cœli terræque, Angelorum ac hominum puro & ſereno corde omnes iniurias ac offenſas mihi illatas condono atque remitto omneſque, qui me, quocunque modo factum ſit, offenderunt, amoris brachiis amplector & propter tuum amorem in chariſſimos mihi aſſumo amicos, & cùm tanti apud te meriti ſit condonatio iniuriarum, tantoque amore hoc facientes proſequaris, parce etiam animæ meæ, remitte ei omnes offenſas & iniurias & quæ peccando inimica tua, facta eſt, eam, parcendo ac indulgendo amicam, facere digneris. Ignoſce, ô pie Ieſu! peccata fragilitatis, *ac delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris Domine.* Parce populo huic adſtanti, qui amore tui omnes remittit iniurias; condona populo huic, qui omnium oblitus iniuriarum inimicos in amicorum recipit numerum. Parce Domine, parce populo huic & ne tradas animas eorum in perditionem, ſed ſanctâ tuâ gratiâ munitos æterna fac poſſidere gaudia. Amen.

DISCVRSVS QVARTVS

PRO DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

PRæſens diſcurſus ſingulare certamen à Chriſto in deſerto cum Lucifero habito comprehendit; Prima parte, puncto primo, myſterium tentationis inquiritur valor & virtus cæleſtis pugillis demonſtratur. Secundo puncto ieiunij commendantur arma, quibus Chriſtus hunc ſpiritum nequam vicit, & nos ſuperare debemus. Secunda parte, puncto tertio, modus & quidem facillimus ad hunc inimicum vincendum nobis porrigitur.

Thema.

Ductus eſt IESVS *in deſertum à ſpiritu vt tentaretur à diabolo; & cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Matth. cap. 4.



NOBILISSIMVM duellum, Auditores, ſancta Romana Eccleſia in hodierno ſacro Euangelio nobis exponit, & ſingulare quoddam certamen oculis mentis noſtræ obijcit, vt illud contemplando, & excellentiam eius, atque valorem inſpicere, & ſimul raritatem atque ſingularitatem eius, vt inauditum quid, admirari liceat, Ecce cœlum & infernus in arenam deſcendunt: Rex gloriæ, & tenebrarum princeps, præcincto gladio & ſcuto apprehenſo manu apparent; angelus lucis, & magni conſilij, & angelus tenebrarum, & ſcelarata illa ſubſtantia, quæ ſæpius in lucis angelum mutatur, parati ad prælium conueniunt; pugnant, concertant, vincit vnus, vincitur alter. Duellum certè nobiliſſimum, cui nil deeſt, & de cuius celebritate nil deſiderari poteſt: nam locum deſignatum, & ad hoc ſpectaculum deputatos habemus terminos. *Ductus eſt Ieſus in deſertum*: Ecce locus & termini duello deputati. *A Spiritu.* Ecce patrini & aſſiſtentes huius duelli? *Vt tentaretur à Diabolo.* Ecce arma ad hoc duellum aptata. *Non in ſolo pane viuit homo: non tentabis Dominum Deum tuum: Deum tuum adorabis.* Ecce impenetrabile defenſionis ſcutum ſcripturarum! *Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtea eſurijt*; Ecce famem! quâ quaſi tubæ clangore inimicus ad pugnam excitatus, ac ſecuram ſibi promittens victoriam, aggreditur pugnam. *Dic vt lapides iſti panes fiant*; Ecce pugna! Ecce fortiſſimus & dexterrimus ictus! *Tunc reliquit eum Diobolus*: Ecce victoria! *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei*; Ecce adſtantium applauſus, & de obtenta victoria Angelorum accurrentium congratulatio Victori!

Duellum Chriſti & dæmonis.

Matth. c. 4.

Hæc nobiliſſima pugna, ſingulare certamen, & inauditum prœlium atque duellum Scopus mei erit diſcursûs. Primò cauſam & myſterium tentationis inquiremus, & valorem atque generoſitatem cœleſtis huius pugilis in pugnando contemplabimur. Secundò; Ieiu-

Ieiunij arma quibus ſpiritum nequam & tenebrarum vicit principem, vobis exhibebimus. Tertio, modum & quidem facillimum, ad hunc tenebrarum principem vincendum, diſcooperiemus, Attenti eſtote.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo. Matth. c. 4.

QVadraginta diebus, & quadraginta noctibus Redemptorem noſtrum in deſerto ieiunaſſe, niſque ciborum guſtaſſe, nullus noſtrûm ignorat; ad huius enim recordationem, ſancta Romana Eccleſia ſacrum quadraginta dierum inſtituit ieiunium. *Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Hic ſubintrant expoſitores, & ſuos acuunt intellectus atq; diſcurſus, inquirendo & inueſtigando cauſas & myſteria huius tentationis. Hic hanc, ille aliam adfert, & omnes tamen dignæ ſunt omni attentione atque ponderatione. *Matth. c. 4.*

S. Cyrillus de ador. in ſpir. S. Cyrillus dicit Chriſtum voluiſſe tentari à Diabolo, & cum tenebrarum pugnare principe in deſerto, vt nos animaret, & ad oppugnandum ac aggrediendum Angelum nequam alacres & intrepidos redderet, ſuâque pugnâ noſtram certiorem faceret victoriam. *S. Cypria. de tantat.* S. Cypianus putat Chriſtum hac tentatione ſuam intendiſſe Diabolo celare diuinitatem, & hominem ſolum, & non ſimul Deum exhibere voluiſſe. *S. Gregorius Nazian. in Apolog.* S. Gregorius Nazianzenus iudicat hac tentatione Chriſtum ſe voluiſſe ſecundum Adamum exhibere mundo. Tentatur primus Adam, Ecce Chriſtus ſecundus Adam vult tentari: ſed hæc debet notari differentia, primus ſuperatur atque vincitur, hic ſuperat atque vincit: primus proſtratus fuit Angeli tenebrarum mancipium, hic proſtrando & vincendo facit eum mancipium, & æternis includit carceribus. *Rationes SS.PP ob quas Chriſtus tentari voluerit.* *S. Hilarius c. 6. in Matt.* S. Hilarius dicit, Chriſtum nobis hac ſuâ tentatione commoditatem temporis Diabolum vincendi, & medium illius annihilandæ tantationis oſtendere voluiſſe, quod pœnitentiæ tempus eſt, dum per contritionem, veram confeſſionem, & veram pœnitentiam Deo reconciliati, filij gratiæ, & non iræ efficimur. *S. Leo Papa ſer. 1. de ieiun.* S. Leo Papa putat Chriſtum permiſiſſe ſe tentari à Diabolo, vt, oſtenderet tunc opera noſtra perfecta & magis meritoria eſſe, cum tentatoris manu triturata ſint; ſic enim, vt aurum in fornace probatum, Deo acceptabiliora fiunt. *Rupert. Abbas in cap. 4. Matth.* Rupertus Abbas opinatur, Chriſtum dum tentari ſe permittit, voluiſſe nobis viam reducem ad paradiſum oſtendere: Nam ſicut primus Adam in tentatione victus, de paradiſo eiectus aberrabat, nec viam illius denuò reperire poterat, ſic ipſe vt ſecundus Adam victor in tentatione, in viam reducem paradiſi nos ſiſtit, verumque modum redeundi ad illum tentationum victorias eſſe oſtendit.

S. Auguſt. l. 4. de Trinit. S. Auguſtinus dicit, Chriſtum hac concertatione voluiſſe nobis non tantùm efficientem victoriarum noſtrarum, verùm etiam exemblarem exhibere cauſam, vt eius intrepidâ magnanimitate, atque conſtantiâ inſpecta, nos quoque intrepidi & conſtantes in tentationibus, cum Diabolo pugnando efficeremur.

Doctrinales & perpulchræ omnes hæ opiniones atque rationes Sanctorum Patrum ſunt; mihi tamen præ omnibus in meo propoſito S. Ambroſij Doctoris arridet & placet ſententia. Dicit hic S. Doctor Chriſtum voluiſſe tentari à dæmone, & acceſſum poſt quadraginta dierum ieiunium, dum fame premeretur, permiſiſſe, vt arma quibus cum dæmonepugnandum, ipſeque proſtrandus eſſet, nobis exhiberet,

Quæ

Quæ arma famis, ſitis, vigiliæ, ieiunia atque carnis mortificationis opera ſunt. *Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtea eſuriit; Et accedens tentator.*

Ergo magnanimus & intrepidus Generaliſſimus noſter Chriſtus, pugnæ ac certaminis ingreditur locum, non aureâ indutus loricâ, vt Saul, non maieſtatis ac gloriæ ſuæ exornatus inſignibus atque trophæis, ſed ieiunio ac humilitate armatus, intrepido animo audacter principem tenebrarum aggreditur: Sic ipſum S. Leo Papa ingredientem contemplatur, dicens: *in noſtra congreditur humilitate.* Carne noſtra vt humili indutus veſte, ieiuniorum mortificatione debilitatus duellum inchoat. Stratagemate hîc Chriſtus vtitur, quo generoſiſſimi aliqui Capitanei ſuos inimicos propriis manibus ſuperarunt, & debellarunt; Qui dum alieno habitu ſuam celabant perſonam atque dignitatem, quaſi deſpecti, & commoditatem accedendi, & facilitatem ſuperandi nacti ſui valoris dedere ſpecimina. Sic Chriſtus *in noſtra congreditur humilitate,* id eſt, vili, abiecto, & alieno à ſua maieſtate habitu, noſtræ mortalitatis indutus ſuam placuit celare maieſtatem atque Deitatis gloriam, & tam humilis inimicum audacter & intrepidè aggreditur, fortiter pugnat, & feliciter ſuperat: nam pugili hoc viſo nec Deitatem in ipſo latentem cognoſcens, ſed hominem ſibi imaginans, & vt talem deſpiciens, certamque ſibi pro mittens victoriam tenebrarum princeps audacter atque intrepido ſpiritu eum aggreditur, pugnat fortiter, ſed miſer deceptum ſe reperit; nam mox Deitatem ſub mortalitatis veſte occultatam recognoſcit, de campo recedit, confuſus fugit, & vincitur. Audite Leonem S. Pontificem, quàm pulchris verbis hanc Chriſti victoriam deſcribat: *Dum irruit, ruit, dum captus eſt, dum perſequitur mortalem, incidit in Saluatorem,* Ac ſi diceret; Quia mortalem credebat Chriſtum, & tamen vires mortalitatem excedentes & opera in illo videbat, aggreditur vt hominem, & in eum irruens experiri deſiderat latentem virtutem, ſed ab illa in terram proſtratus, & dum putat ſe hominem poſſe capere, Deum recepit, & ab ipſo captus æternis ligatur catenis: mortalem enim credens quia *in noſtra congreditur humilitate miſer incidit in Saluatorem* & ſuum reperit creatorem atque victorem, & non hominem tantum ſed Deum hominem factum experitur.

S. Leo Papa ſerm, de nauit. Do.

Quibus armis Chriſtus Dæmonem aggreſſus ſit.

Primo humilitate.

S. Leo Papa ſer. de paſſ.

Ductus eſt Ieſus ſacer habet Textus. Hic pugil atque generoſus miles ingrediens campum, nobiliſſimus Capitaneus Chriſtus erat, Saluator noſter erat, ſed mortalitatis indutus veſte incognitus erat dæmoni: nam dum diuinâ indigna maieſtate indutum reſpicit, veſte deceptus miſer hominem iudicat, & vt cum tali congreditur, vincitur atque ſuperatur, ideoque eius fuga multò turpior, Chriſti autem victoria excellentior atque glorioſior facta eſt. Audite S. Auguſtinum. *Mirabilis fuit Chriſti victoria non quia Diabolum vicit, ſed quia noſtris armis ſuperauit.* Quòd Chriſtus dæmonem vicerit atque proſtrauerit, nihil noui, nec ideo admiranda victoria eſt; nam iam pridem per Archangeli Michaëlis manus vinctus fuerat, atque catenis ligatus tenebatur, nec vt ligatus canis mordere poterat, ſed in eo admiranda & mirabilis eſt victoria, quòd vt homo, & noſtræ mortalitatis armis ſpiritum hunc nequam vicerit atque debellarit, *Sed quia noſtris armis ſuperauit.* Securus erat Chriſtus de victoria vt Deus, & vt homo cui diuinitas adiuncta erat, ſed tamen quia mortalitatis vtebatur armis, & diuinitas hac latebat veſte, Spiritum Sanctum duelli elegit patronum. *Ductus eſt Ieſus à ſpiritu.* Sic Sanctus Auguſtinus vbi ſuprà: *Verè &*

S. Auguſt. ſerm. 38. de tempor.

abſque

absque vlla quæstione, conuenienter accipitur vt à Sancto Spiritu in desertum ductus dicatur; ac si diceret, quia Christus mortalitatis induebatur armis, & his tenebrarum principem vincere debebat, conueniens erat vt Spiritus Sanctus loco patrini illi assisteret, & huic duello præsentaret arma, dumque spiritum tam nequam superandi. *Vt tentaretur à Diabolo*: Sic ergo instructus ieiunij gladio atque abstinentiæ scutum manibus apprehendens, quadraginta diebus ac noctibus in his armis se exercitans securus de victoria aggreditur inimicum; *Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, nobis ostendere volens, vnica hæc esse arma ad assequendam in omnibus prœlijs ac tentationibus nostris securam victoriam. Sancti Ambrosij hæc est doctrina: *Dominus Iesus volens nos aduersus Diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus ieiunauit, vt sciremus nos aliter illecebras mali non posse vincere.*

Deinde ieiunio.

Matt. c. 4.

S. Ambros. in Epist. ad Eccl. Vercell.

PVNCTVM SECVNDVM.

INfallibilis ergo veritas & certissima est doctrina, quicquid priuilegiorum & gratiarum, fauorum in homines atque electos Deus elagiri solet, medio ieiunio fieri. Quicquid enim generis huius amicis suis concessit atque donauit, ieiunando & abstinendo obtineri & impetrari ab ipsis voluit. Ad probationem accedamus: Creat Deus hominem, collocat eum in paradiso voluptatis, declarat Dominum vniuersi, omniaque animalia sub eius ponit potestate, *Faciamus hominem ad similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs vniuersæ terræ.*

Omnia dona & gratiæ à Deo acquiruntur mediante ieiunio.

Gen. c. 1.

S. Ambrosius hanc considerans creationem, & potestatem à Deo super omne id quod supra terram viuebat, animaduertit ieiunij & abstinentiæ medio hanc voluisse Deum hominem promereri, quod Deus intimare voluit præcepto mox imposito. *Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Et quia hoc præceptum non obseruauit, sed ieiunium & abstinentiam impositam est transgressus, vt indignus tanto honore atque dignitate paradiso eijcitur, fit exul, & dominium, quod habebat super vniuersum, perdit. Exod. c. 34. eligit Deus Moysen ex vniuerso electo populo suo, vt illi præsit & legislator illius vocetur, & vt talem ab omnibus honorari voluit, antequam autem diuinæ placeret Majestati Moysen tantâ insignire dignitate, vocatus ad montem Horeb, longo disponitur ieiunio, & ad talem honorem atque dignitatem recipiendam præparatur abstinentiâ. Regum l. 3. c. 19. fugit Elias Propheta à facie persecutionis Iezabel iniquissimæ Iudæorum Reginæ, & absconditur in montis spelunca; adest illi Dominus suâ consolatur præsentiâ, & perbenignam dat Prophetæ audientiam totumque quod petit, concedit; tandem vt ardentem ac comburentem faculam imponit Dominus ori Prophetæ verbum suū quo dissiparet Reges, & gentes; sed priùs quadraginta dierum ieiunio os eius ad hanc receptionem purgatur; Danieli datur intelligentia, ac cognitio Scripturarum, conceditur illi explicatio somniorum, traduntur claues secretorum ac mysteriorum Dei, & illuminantur sensus eius cognitione futurorum, sed ieiunij medio, priùs præparare voluit eum Dominus. Fortissimæ illi fœminæ Iudith dederat Dominus cor forte, & virile; & gratiam liberandi ciuitatem suam Bethuliam à durissima Holofernis obsidione, sed absque his armis non poterat fieri; ieiunio & abstinentiâ armanda erat ad tam forte & periculosum aggrediendum opus. Niniuitæ nunquid per ieiunium obtinuerunt veniam? ac hoc medio Deum placauerunt, hoc subuersioni ciuitati imminenti occurrerunt? Dum Christus Ioannis Baptistæ laudes enarrare

S. Ambros. Hom. de Elia ac ieiun.

Genes. c. 2.

Exod. c. 34.

3. Reg. c. 19.

Daniel. c. 9.

Iudith c. 8.

Ion. c. 1.

rare conatur, à ieiunio vt summa laude incipit, volens creare Paulum & Barnabam Apostolos, & mittere ad prædicandum gentibus Euangelium, à ieiunio exorditur, & illud fundamentum Apostolicæ missionis posuit. Et hodie, dum tenebrarum principem in singulari pugna deuincere decreuit Christus, ieiunio ad hoc certamen se disposuit atque armauit; *Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit, & accedens tentator;* Non mirum ergo cuipiam videatur Sanctam Romanam Ecclesiam hoc sacrum quadragesimale instituisse ieiunium: nam hoc gladio semper vincitur atque superatur princeps tenebrarum; nec aptius ad sanctitatis apicem perueniendi medium ieiunio. Audite S. Basil. *Quotquot fuêre sancti, omnes per ieiunium ad vitam Deo dicatam instituti fuerunt.* Quis hominum vitia domuit in corpore suo? quis animam suam excoluit virtutibus? quis Dei effectus est amicus? qui tandem cœlos hæreditauit, si non mediante ieiunio? Nam abstinentia & ieiunium sacrum scala sunt, quâ ad cœlum tendere debemus, vt Sanctus Cyprianus testatur: *Nunquam audiui Sanctum in cœlos eleuatum quàm ieiunijs hoc obtinuisset:* Nam virtute huius fortissimum vitiorum propugnaculum terræ adæquatur, altissimum virtutum surgit in altum ædificium, ieiunio insolentia carnis annihilatur, & omnis Sathanæ fortitudo expugnatur atque dissipatur. Audiamus Sancti Augustini verba serm. 23. ad fratres. *Per ieiunium, fratres mei, prosternuntur vitia, augmentantur virtutes, humiliatur caro, & diabolica deuincuntur potestates.* Ergo nemo miretur, cùm sancti Basilij legit opinionem, asserentis Angelos Dei Ecclesijs, in quibus fideles congregantur, inhabitare, & ieiunantium obseruare personas, ac æternæ vitæ inscribere libro, non manducantes, non bibentes, non crapulis indulgentes, non potationibus seruientes, sed ieiunantes & abstinentes in libro scribantur vitæ. Audite verba Hom. 2. de ieiunio: *Angeli Dei per singulas sunt Ecclesias, ieiunantes catalogum Christi militum inscribentes:* Ecce Auditores, quot gratijs, quot priuilegijs à Deo dotatur ieiunium, quot honoris titulis insignitur, & miseri nos nil ita fugimus, nil ita abhorremus vt sacrum tot tantisque priuilegijs dotatum ieiunium. Tot habemus Sanctorum exempla; Ecce Christus noster quadraginta diebus & noctibus qui sine crimine erat, ieiunat & nos peccatores ieiunare detrectamus.

Actor. Apost. c. 13.

S. Basil. Hom. de laudib. ieiunij,

Ieiunium scala ad perfectionem ad cœlum.

S. Cypria. ser. de pœnit.

S. August. serm. 23. ad fratres.

S. Basil. Hom. 2. de ieiun.

Quid putatis Auditores, quinque Pentapoleos vrbes ad extremæ perditionis duxisse statum? causas ruinæ ipsarum quas fuisse putatis? non habebant ieiunium, blasphemabant, abstinentiam despiciebant, & irridebant ieiunantes, potationibus, crapulis atque ebrietatibus indulgebant. Audite Ezechielem Prophetam: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, satietas panis & abundantia.* Quid populum Dei electum in idololatriæ præcipitauit errorem, nolebant ieiunare, ieiunantes irridebant ventri tantùm indulgentes. Exod. cap. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Origo atque principium tot tantarumque miseriarum, quo primi nostri parentes obruti sunt, & nos omnes obruimur, nunquid ieiunij & abstinentiæ est defectus? Hoc Augustinus attestatur. *Princeps ille humani generis Adam quamdiu ieiunauit, seruans mandatum Dei in paradiso fuit, vbi verò comedit, eiectus est de paradiso.* Ecce quamdiu abstinuit Adam, & ieiunij seruauit præceptum, nil miseriarum experiebatur, immortalis erat, omni felicitate circumdatus. Ieiunium miser contemnit, transgreditur abstinentiæ præceptum, prohibitum sumens cibum protinus fit mortalis, & millenis circumdatur miserijs, de quibus extrahi & liberari debet ieiunij medio,

S. Ezech. Proph. c. 16.

Exod. c. 32.

S. August. de Genes. ad lit.

medio. Per ieiunij contemptum paradisi amisit delitias, & mundi reperit miserias; per ieiunium paradisi recipiet delitias, & de mundi liberabitur miserijs: Sic Sanctus Augustinus vbi suprà asserit: *Eiecit ergo nos de paradiso cibus? reducat esuries, reducat ieiunium.* Si ergo, vt audistis crapulæ medio à Deo elongati sumus, per ieiunij ac abstinentiæ medium, ipsi iterum approximemus.

S. August. vbi suprà.

Ad hæc arma arripienda Sanctus Maximus Hom. 4. de ieiunio fratres suos exhortatur; his & non alijs carnis nequitias superandas docet; his mundi tentamenta annihilanda instruit, & his omnes vincendos inimicos edocet. *Ieiunemus fratres, & hostes nostros in fugam conuertemus.* Vis o Christiane vt ad aspectum & præsentiam tuam dæmones fugiant, & mundus suis armatus delitijs tibi approximare non audeat, caro cum suis sensualitatibus & illecebris te abhorreat, & vt immortalem execretur inimicum; ieiunio armatus sis, hoc scutum omnibus te oppugnantibus obijce, & sic non tantùm victor, sed ab omni tentatione liber eris. Veniant omnia infernalia castra, & te oppugnare conentur, hoc viso scuto vt fumus euanescent. Audite Sanctum Basilium hanc ieiunij virtutem atque inditum ipsi terrorem fratribus prædicantem; Ieiunium contra exercitum dæmonum dat arma. Vidistis vnquam hominem in sylua aliqua Leoni rugienti occurrentem, quasi terrore atque tremore pulsetur, in quibus quantisque sit angustijs, quomodo vndequaque euadendi circumspiciat viam? Sic Dæmoni contingit homini ieiunio armato occurrenti; Hanc laudem ieiunio conuenire Sanctus Hieronymus attestatur, & huius efficaciæ abstinentiam esse asserit, Hom. 2. contra Iouin. *Pulchra res est ieiunium, quod Dæmones terret.* Vidistisne aliquando prælia maris? stant in ordine naues, disponuntur ad pugnam, prospero atque felici gaudent vento: Ecce hostis pulueribus atque igneis instrumentis in classem immissis aliquam accendit nauium, hæc concipit ignem, mox accenduntur & aliæ, & totâ potentissima Classis in confusionem redigitur atque dissipatur. Sic contingit homini ieiunanti, stant castra Dæmonum ex aduerso, ordinantur infernalium Spirituum turmæ; Ecce vna dies ieiunij confusionem inducit, & tot tantosque inferni dissipat Classes. Huius virtutis ieiunium esse, talemque producere effectum Origenes attestatur: *Cùm ieiunatis Dæmones vincitis omnemq; illius classem malignam, retrorsum agitis.* Sanctus Athanasius virginibus vitæ tradens regulas ieiunium Dæmoni terrorem incutere docet: *Ieiunij vim spiritus mali metuunt.* Sed quid multa dicimus, nullus vnquam Diabolum absque his armis vincere atque superare potuit.

S. Maximus Hom. 4. de ieiun.

Vis ac efficacia ieiunij.

S. Basil. Hom. 1. de ieiun.

S. Hier. Hom. 2. contra Iouin.

Origenes Hom. 4. in Diuin. loc. Matth.

S. Athan. lib. de virginibus.

Fabulantur Poëtæ Deorum scuta homines incolumes ab omni periculo atque inimicorum ictibus, & etiam terribiles reddere: Fabulæ sunt. At Deus noster Mars verus Deus belli spiritualis Dux noster & Capitaneus Christus tali suos armat milites scuto, quo tecti & inimicorum omnia euitant iacula, errorem simul ipsis incutiunt, omnesque ipsorum vires ac fortitudinem totam annihilant. Dauid Psalm. 68. sub tali scuto se omnium Dæmonum insidias delusisse confitetur: *Operui in ieiunio animam meam:* ac si diceret, pugnaturus cum vniuersali inimico, concertaturus cum illecebris carnis meæ, & desiderijs sæculi huius, ieiunio arrepto me protegebam, ac quasi fortissimo opposito scuto inoffendibilem me reddebam. Quòd hic verus sensus sit verborum Dauid, confirmat Sanctus Ambrosius dum ait; *Qui non ieiunat intectus est & nudus, & patet vulneri;* id est: Magnâ differentia a militibus nudis & bene armatis pugnatur. Miles nudus non indutus lo-

Ieiunium tutissimum scutum.

Psalm. 68.

S. Ambros. Epist. ad Sirit.

ricâ omni globo bombardarum, omni enſis ictui expoſitus eſt; At loricâ fortiſſimâ, & impenetrabili armatus ſcuto ſecurus eſt ab his.

Dum fortiſſimum expugnatur propugnaculum in foſſis & retro aggeres reſidens, ſecurus eſt, ſed extrauagans in apertiſſimo periculo vitæ verſatur; Sic qui ieiunat, à Diabolo, carnis ac mundi ictibus & inſidijs liber & ſecurus agit. Qui hoc non vtitur ſcuto, ſed crapulæ & abdomini indulget, plurimis vulneribus & æternæ ſalutis euidentiſſimo periculo ſe exponit. Nam ieiunium tanti ſplendoris, efficaciæ ac virtutis armatura eſt, vt eâ inſpectâ inimici noſtri intrinſeco quodam terrore perculſi protinus fugiant. Quem effectum Sanctus Baſilius animaduertens dicit: *Diabolus terretur pallore ieiunij.*

S. Baſil. Hom. de ieiun.

Martis ſcuti ſplendore hoſtium obtenebrabantur ac obfuſcabantur oculi, fortiſſimique Heroes debilitabantur, & puſillanimes reddebantur. Talis virtutis atque efficaciæ ieiunantis aſpectus eſt; *Diabolus terretur pallore ieiunij.* O Chriſtiane! vix vultus tuus ex rigore ieiunij pallorem induit, iam terribilis factus eſt Diabolo, vix ſuauis odor abſtinentiæ de tuo procedit ore. Ecce dæmon confuſus recedit, ceſſante crapulæ eructatione adſtare tibi non poteſt inimicus; imò confuſus retrorſum cadit atque fugit; & ſi tantæ adhuc ſit obſtinationis; vt ſuis te conetur impetere ſagittis, in vanum ſunt ictus eius; nam corpus tuum ieiunij virtute & abſtinentiæ efficaciâ iam non mollis caro eſt, ſed duriſſimus Adamas nullo penetrabilis ictu. Hoc atteſtatur Sanctus Ambroſius, & pro probatione huius doctrinæ Danielem innocuum inter leones ſedentem adducit; dicens, *Daniel in adamantis rigorem membra duratus non potuit vulnerari.* Accedebant famelici leones Danielem deuoraturi, ſed durum corpus eius deprehendentes, ad pedes iacentes, Sancto blandiebantur, non quòd caro eius in lapidem aut metallum duriſſimum conuerſa fuiſſet, ſed quòd ſuauiſſimo ieiunij percepto odore ora ipſorum occludebantur: percipientes enim internam & latentem ieiunij virtutem, & efficaciam dentes ipſorum iam ad deuorandum peracuti; obtundebantur, & inualidi ad Danielem deuorandum reddebantur: Ideo *non potuit vulnerari.* His armis indutus crudeles leones reddidit manſuetos, & ab ijs non potuit vulnerari. Sic, ſic & nobis Chriſtianis his armis indutis infernales leones minimè timendi ſunt; hoc muniti ſcuto carnis illecebrarum furor importunus nil æſtimandus eſt. Veniant leones infernales, veniat Lucifer ipſe cum innumerabilibus ſuis turmis, abſtinentiâ tanquam ſcuto munito agni erunt manſuetiſſimi, timidi ad tuos proſtrati pedes audaciæ ſuæ dabunt dignas pœnas.

Exemplis hoc illuſtratur, primò Danielis.

S. Ambroſ. ſerm. de Elia & ieiun.

Ad propoſitum Diſcursûs noſtri mirabile quoddam factum, vel vt meliùs me explicem ſtratagema Gen. c. 10. reperio, quo S. Abraham peregrinus in Ægypto vitam ſaluauit. Fame premente patrios lares deſerere, & peregrinus cum vxore ſua pulcherrima Sara per varia regna vagari cogitur Patriarcha, tranſit Meſopotamiam, tranſit Cananæorum regiones, de prouincia in prouinciam, de regno in regnum vagatur, nec periculū aut imminens malum ratione pulchritudinis Saræ ſuſpicatur, nec ſibi honoris periculum timet, vix Ægyptiorum attingit terminos, totus anxiatus, totus turbatus, & pudicitiam vxoris ſuæ & honorem atque reputationem ſuam, imò propriam vitam ſub euidentiſſimo deprehendit periculo: Quid ergo conſilij? ex vna parte fames premebat: ex altera parte ſpecies vxoris ac forma honoris & vitæ inducebat euidentiſſimum periculum: certas enim ſibi inſidias ab Ægyptiis, ob vxoris formam ponendas ſuppo-

Gen. c. 10

Secundo Abraham.

supponebat; Quid igitur agat? percipite, & admiramini sancti viri stratagema, quo & honorem, & vitam saluare intendebat; Iubet vt suam se sororem & non vxorem profiteatur. *Noui quòd pulchra sis mulier, & quòd cùm viderint te Ægyptii dicturi sint, vxor eius est, & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis, vt benè sit mihi propter te.* Mirum certè. Transit vir sanctus Cananæam; Mesopotamiam, & alia regna, nulla suboritur de vxoris forma suspicio. Ægyptum attingens plenus est suspicionibus; hic de vxoris suæ pulchritudine timet, & non alibi.

S. Ambros. de Abraham l. 1. c. 2.

Sanctus Ambrosius hunc considerans Abrahami actum, causam huius suspicionis discutiens inquit, cur hic & non in Cananæa subortus sit metus? Respondet tempore illo Cananæam & circumiacentes regiones validâ fame oppressas fuisse, vt sacra Scriptura testatur. Gen. c. 12. *Facta est autem fames in terra*; & sic populi illi continuis ieiuniis atque abstinentiis exsiccati & mortificati erant, ideo nullum pulchritudinis ac formæ vxoris timendùm erat periculum: securus enim erat Abraham à concupiscentiæ stimulis inter vacuos ieiunantium ventres; attingens autem Ægyptum, locum deliciarum & omnis abundantiæ, vt Liranus, & Abulensis testantur, cuius populus crapulæ ac potationibus indulgens, ac ventri seruiens, carnem non macerabat, sed nutriebat; anxius timet, & formam vxoris suæ exitium sibi futurum suspicabatur. Sciebat enim sanctus abundantiam, & crapulæ indulgentiam seminarium libidinis ac omnium concupiscentiarum plurimorumque malorum originem semper fuisse. Audire lubeat verba S. Doctoris: *Compererat in Ægypto lasciuam esse iuuenum luxuriam petulantem cupiditatẽ voluptatum intemperantiam. Aduertebat inter huiusmodi viros intutam vxoris pudicitiam fore; sibique coniugis pulchritudinem periculo futuram, monuit vxorem, vt sororem se diceret.* Videtis, Auditores, diuersitatem, quid ieiunium & quid crapula præstet, ieiunium tutam Abrahæ vitam, ac vxoris formam constituit, crapula atque abundantia prostituit; corpora libidinosis exsiccat humoribus sacrum ieiunium, crapula implet. His sancta mouetur Ecclesia, eo fine hoc sacrum quadragesimale instituit ieiunium, vt corporum nostrorum carnis ac libidinis exsiccatis humoribus, mens nostra liberior & aptior ad futuram Christi contemplandam passionem, & pretiosi sanguinis eius effusionem reddatur; hoc est quod insinuat, dum in sacræ Missæ præfatione cantat, *qui in corporali ieiunio vitia comprimis.*

Liran. & Abul. hic.

Ambros. vbi suprà.

Ecclesia in præf. tempor. quadr.

Affine est huic quod in eodem libro Gen. c. 39. legitur; Pulcher quidam iuuenis, decorus aspectu, moribus honestus & pudicus nomine Ioseph, ab inuidiosis fratribus venditur Madianitis; traditur Principi Regionis illius, & ponitur in seruitiis, illique fidelissimè seruit, vxor lasciua incautis intuetur Hebræum Iuuenem oculis, & pulchritudine atque decore eius capitur, & libidinis in ea apparet erga Iuuenem ignis. Iuueni præparatur certamen, aggreditur eum formâ eius iam capta libidinosa Domina, nunc nutibus, nunc gestibus amorosis, modò minis, modò reiteratis promissis, nunc aureis ac suauibus verbis, nunc blanditiosis carminibus; Sed iuuenis castus, vt mons fortissimus medio insistens mari, & vndique furibundis obrutus fluctibus stat constans & immobilis, minas Dominæ minimè curans, imminens periculum, si consensum non daret, contemnens, quacunque horâ occasio offerebatur belli, intrepidè oppugnanti resistebat Dominæ, & constantissimis verbis lasciuos eius reiicibat ictus, dicens: *Quomodo possum hoc malum facere?* Subintrat hîc Rupertus Abbas & Hebræi iuuenis huius admiratur con-

Gen. c. 39.

Tertiò Ioseph.

Rupertus in hunc locum.

ſtantiam, Quomodo iuuenis Hebræus, mancipium Dominæ ſuæ, nec blanditiis, nec promiſſis, nec minis futuri ſupplicij induci poteſt ad caſtitatis violationem; & in tam periculoſo certamine, vbi tot tantíque exercitati viri, atque Gigantes miſerabiliter victi ceciderunt, victor euadit? Hæc Adam ſuperauit, hæc Dauid proſtrauit, hæc Samſonem ligauit. Hæc Salomonis decepit ſapientiam; Hæc Herculem ipſum viliſſimum mancipium reddidit, & puer Hebræus illam vincit, Dominæ ſuæ, tot tantiſque armis reſiſtit, illamque detriumphat. Vnde tanta puero huic conſtantia? Legere iubeat ſacrum textum, cauſam atque originem tantæ reperietis conſtantiæ; examinate viuendi modum in Putipharis domo, arma quibus victor euaſit inuenietis. *Nec quicquam aliud nouerat niſi panem quo veſcebatur.* Die illa quâ caſtus iuuenis in Putipharis ponitur domo, vxorem Domini intuens laſciuos illam habere oculos deprehendit, & intus latentem libidinis ignem penetrauit, ne igitur ipſe hoc accenderetur, & laſciuis his vulneraretur luminibus, ieiunio ſe armat, carnis mortificationis apprehendit ſcutum, & ſuam domans carnem ſubditam ſibi illam fecit, & inexpugnabili induit loricâ, hac armatus victorioſus euaſit. *Quo relicto in manu eius pallio fugit, & egreſſus eſt foras.* Audiamus Rupertum vbi ſupra: *Ieiunium ita caſtiſſimi Ioſeph mentem purgauerat, quod carnem ſpiritui ſubiecerat continentiæ nebulas diſperſerat, libidinum ardores mortificauerat, & caſtitatis verum lumen accenderat.* Per ieiunium purgauit carnem, & libidinoſos exſiccauit humores, & ſic domitam ac rationi ſubiecit, & frœno hoc impoſito ducebat quò volebat. Carbones ardentes libidinis cordis ſui extinxit, & caſtitatis accenſas impoſuit faces, ideo mens eius puritatis illuminata lumine bellum hoc futurum præcognouit, & his per ſingulos dies ſe muniens armis, ſecurus de victoria bellum expectauit, ideo *relicto eius pallio fugit, & egreſſus eſt foras.*

Geneſ. vbi ſuprà.

Gen. vbi ſuprà, Rupert. Abbas in Gen. l. 8. c. 33.

His armis Iudith illa glorioſa armatur fœmina, hac induta loricâ, hoc operta ſcuto Aſſyriorum penetrat caſtra, Holofernis ingreditur tentorium, manu apprehendens comam eius & dextrâ extrahens ad lectum pendentem gladium caput eius abſcidit, & ſic victorioſa in Bethuliam ciuitatem ſuam rediens, Aſſyriorum confuſis caſtris, patriam liberauit à periculo ac perditione. *Sobria iugulat ebrioſum*, ait Sanctus Auguſtinus, & clarius adhuc ſanctus Ambroſius. *His armis munita proceſſit, & omnem Aſſyriorum circumuenit exercitum ab ſtulit Holofernis caput, ſeruauit pudicitiam, victoriam reportauit.* His armis atque hoc ſcuto apprehenſo Deus ſuum voluit pugnare populum, his præmunitum diſponebat ad prælium, & ſecurum victoriæ reddebat: vt enim in libris Paralipomenon habetur, Iſraëli contra Philiſtæos pugnaturo generale indixit ieiunium, quo armati atque excitati vt leones rabidi Aſſyriorum aggreſſi ſunt turmas, & memorabilem illam deportarunt victoriam. Sic ſanctus Leo ſerm. 1. de Quadrigeſima: *vt ſuperare hoſtes poſſent, vires animi, & corporis, indicto ſibi reparauêre ieiunio.*

Quartò Iudith.

S. Auguſt. de diuerſ. ſerm. 64. S. Ambroſ. de Elia & ieiun.

Quintò populi Iſraëlitici.

Paralip. cap. 20.

S. Leo.

Legite ſanctum Matthæum, & percurrite Euangelicæ eius hiſtoriæ caput decimum ſeptimun & reperietis pauperem & afflictum parentem adduxiſſe ad Chriſtum grauiter à dæmonio oppreſſum filium, & conqueſtum, Apoſtolos quibus eum ad curandum tradiderat, hoc illum malo liberare hoſpire non potuiſſe, ideoque coactum ad Dominum ipſum venire. *Obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum.* Quo audito CHRISTVS iubet oppreſſum a dæmone filium coram ſe ſiſti, mox increpans malignum ſpiritum exire coegit. Videntes diſcipuli tam facilem dæmo-

Matt. c.

nis

nis expulsionem incunctanter illum alloquuntur, dicentes: *Quare nos non potuimus eijcere illum?* Audite quid responderit CHRISTVS: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi per orationem, & ieiunium.* Ergo ieiunium maioris virtutis est, quam ipsi CHRISTI Apostoli. Ita est, dicit Augustinus: *Videte charissimi, quanta sit ieiunij virtus, vt id ieiunium facere valeat, quod Apostoli nequierant,*

S. August. serm. 66. de tempore.

Sed qui his immoror, altiorem abstinentiæ potentiam vobis exhibebo, tanta enim virtus est, eousque eius se extendit potestas ac imperium, vt cœlum suæ subiiciat voluntati atque obedientiæ, idque pro suo libitu claudat, & referet. Peccat populus Dei grauissimo idololatriæ peccato se maculans; videns tantam populi temeritatem sanctus propheta Elias zelo Dei exagitatus in medium prosilit, & duris eum increpans verbis cœlorum futuram minatur siccitatem, dicens: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto; si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Id est nec pluuiæ, nec roris guttulam cœlum dabit, quamdiu non dixero, & iussero. Sic etiam evenit, tribus annis nec pluuiam nec rorem vidit terra. Magnum reuera miraculum, summum certè supplicium, & dignum tam enormi scelere, vt idololatria est. Sed hoc admirandum est magis, quòd Propheta hoc præstare verbis oris sui promittat, & illo claudere cœlum, & omnem prohibere pluuiam audeat, dicendo: *Iuxta verba oris mei.* Vnde loquelæ Prophetæ tanta tribuitur vis? vnde verbis eius tanta datur potestas? ori eius tanta conceditur virtus? vt prolatis verbis his subitò cœlum claudatur, pluuiam & rorem sitienti neget terræ, & cœlum verbis oris eius iam exactam prestet obedentiam, sanctus Basilius non dubitat, ieiunium ori eius tantam contulisse efficaciam, tam sublimem potestatem tribuisse verbis eius. *A ieiunantis ore vox*

Ieiunium cœlum claudit ac reserat.

3. Reg. c. 17.

S. Basil. serm. 1. de ieiun.

egressa populo leges agenti cœlum conclusit per annos tres, & menses sex.

Sed quæ hæc respectu aliorum ieiunij priuilegiorum, atque gratiarum abstinentiæ sunt? nam tantæ virtutis voluntarium est ieiunium, vt mirabili quadam metamorphosi humanam in angelicam vitam commutare, & hominem in Angelum transformare valeat; Sic attestatur doctissimus Hugo Cardinalis; *semel in die comedere vita Angelica est, bis vita humana pluries vita brutorum;* ac si diceret: Qui secundùm sanctæ Romanę Ecclesiæ ordinationem quadragesimale obseruauerit ieiunium, semel de die manducans, iam non homo sed Angelus dici debet, quia non hominis sed Angeli ducit vitam; Qui verò bis manducat, homo est, & homo manet: Qui autem nullo ductus respectu atque timore toties quoties placet, ventri indulget, nec Angelus, nec homo sed bestia est: bestialem enim agit vitam. Ergo semel comedere in die, quasi vita angelica est; hinc quoque ieiunantes S. Ioannes Chrysostomus inter angelicos ordines constituit. *Non es homo, sed ferme Angelus, quia Angelus est ieiunans, & agens festum Domini.*

Homines tians format in Angelos.

Hugo Card. in c. 4. Reg.

S. Ioannes Chrysost. ad populū.

Clarius hoc ex ipsius Christi verbis patebit: ille enim Luc. 17. laudans Ioan. Baptistam verba illa Malachiæ Prophetæ c. 4. adducit: *Hic est de quo scriptum est; Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam,* Desideratisne rationem nominis tam excellentis scire? *Ecce ego mitto Angelum,* Doctissimum Titum Bostrensem à S. Thoma in catena aurea citatum inquirite, ipse vobis peraptam dabit rationem. *Angelum appellat hominem non quia natura esset Angelus in cœlo. homo enim naturaliter erat sed quia exercebat opus Angeli.* Quia ad instar Angelorum nec manducabat, nec bibebat, testante Euangelista Matt. c. 11. *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens;* & si quid manducabat, mel syluestre & locustæ erant, & potus eius stillæ cœli & vnda, ideo meretur nomen Angeli;

Malach. c. 4.

Titus Bostrens. à S. Thom. cit. in caten. aurea in c. 4. 2. Luc.

Matth. c. 12.

geli; nam ieiunans atque abstinens, non iam homo sed Angelus apparet, ideoque talis meritò existimatur & nominatur.

Atque hæc corporalis ieiunij atque abstinentiæ virtus atque efficacia est, sed non sufficit corporalis hæc solemnitas vt ieiunium in sua constituatur perfectione. Spirituale accedat necesse est, vt eo comite suam possit demonstrare virtutem, mens, animus, cor, lingua manus, pedes, suum quoque habent ieiunium, in hoc exerceri debet Christi Athleta, vt ieiunij consequatur effectus, Sic Bernardus sanctus ratiocinatur: *ieiunet oculus, ieiunet lingua, &c.* Ad veram perfectamque ieiunii formam inducendam, eiusque efficaciæ effectus producendos, stomachus socios oculos, pedes manus, linguam omniaque alia habeat membra, hac societate & vnione stabilita dæmoni formidabile erit ieiunium; Ergo *oculis ieiunet* lasciuos cohibendo aspectus; nunc lasciuis oculis circumpectus; nunc lasciuis oculis circumuagandi tempus non est, sed preteritaa transacta per oculos grauissima delicta plangendi & deplorandi. Oculos suos non custodiuit David lasciuo animo aspiciens vxorem non suam; sed magni constitit vnicus aspectus, vsque ad mortem habuit quod deploraret, vt ipse Psal. 110. testatur; *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Si oculi tui vagari volunt, terram intueantur, de qua facti sunt, & suas contemplentur miserias, cœlum respiciant & gloriam admirentur pro qua creati sunt & quomodo vnico aspectu non licito perdere illam possint, recogitent.

Ad ieiunium corporis, mentis accedat.

S. Bernard serm. 4. de orat.

Psal. 110.

Ieiunet lingua: id est, detractionibus, maledictionibus, murmurationibus, blasphemiis abstineat. Audite & sancti Chrysostomi verba, quibus linguæ ieiunium explicauit: *Quæ vtilitas, cùm carnibus abstinemus, fratres verò mordeamus & comedamus? Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit.* Et hunc loquendi modum à sancto Paulo ad Galat. c. 5. didicisse videtur, qui detrahentem proximo, & comedentem carnes fratris sui vnum & eundem æstimat, inquiens: *Inuicem mordetis & comeditis.* Sanctus Augustinus explicat, dicens: *Detrahitis inuicem.* Hæc non est Christianorum vita, nec Christi militis professio, sed Antropophagorum se inuicem manducantium mos est, hæc infernalis illius leonis qui vt leo rugiens, & vt canis fame rabidus circumit quærens quem devoret, vt S. Petrus 1. cap. 5. ait, infamis professio est; Cibus linguæ vestræ omni tempore, specialiter autem his sacris jeiunii diebus, quibus carnis abstinentiâ corpora vestra macerantur Dei benedictiones, ac pro tot tantisque beneficiis acceptis gratiarum actiones deberent esse. Sint ergo crapulæ linguæ vestræ, peccatorum vestrorum ad sacerdotis pedes, syncera & formalis confessio, Hic verus ieiunandi modus est, & cuius ieiunium non sic formatum est, insanum erit, nec ullus inde sperandus fructus: Continget enim illi quod iis apud Isaiam qui clamabant: *Ieiunauimus, & non aspexisti* Glossa in hunc locum discurrens, dicit ingratum tale jeiunium Deo esse: *Non est Deo gratum, ieiunium eorum qui vitiis interim nolunt valedicere*; deinde finit ac concludit dicens: *Ieiunium Deo acceptum est non solùm à cibis, sed ab omnibus rebus illicitis abstinere.*

S. Chrys. Hom. ad populum.

Ad Gal. 5.

Isai. c. 58. Glossa hic.

His rationibus inductus. S. Isidorus, ieiunantes & non à vitiis abstinentes dæmoni assimilat, qui & ipse ieiunat, & quidem semper & nunquam manducat nec bibit, in vitiorum tamen cursu alacriter pergit, in iisque accumulandis obstinatè se fatigat. Audite verba Sancti: *Qui ab escis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus esca semper abest, culpa semper adest.* S. Ambrosius hisce accedit, *Quid prodest abstinere à cibis & errare peccatis?* O sancta & benedicta abstinentia! quæ vitiis opponitur, & plusquam maledicta infelix crapula, quæ omnia adducit vitia.

S. Isidor. in Amos prophet.

S. Ambros. Hom. de quadragesima.

Resol-

Resoluite ergo vos aut paradisi exules fieri, aut quadragesimale seruare ieiunium, nam qui hoc non seruat, nunquam Dei gloriosum intuebitur vultum. Nescio certè si singulare quid à S. Matthæo c. 17. enarratum obseruaueritis, audite, & percipite bene; Christus ascendit in montem Thabor sub monte Discipulorum relinquens turmam, Petrum Iacobum, & Ioannem tantùm in verticem montis secum accipiens, & dum oraret transfiguratus est in ipsorum præsentia, ita vt vestes eius super nivem albescerent, & facies eius splendorem Solis excederet. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos: & resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Sancti Patres hunc explicantes locum, putant Christum suis dilectis discipulis gloriæ suæ hic voluisse tradere buccellam, & tantisper dare ad gustandam, vt sequenti, si sic Deo placuerit, audietis Dominica. Quod ergo nunc in hac transfiguratione dignum admiratione est, sunt Moyses, & Elias illi adstantes. *Ecce apparuerunt eis Moyses, & Elias cum eo loquentes.* S. Vincentius Ferrerius inquirit, cur potiùs Moyses, & Elias Christo adstiterint, & non alij? cur non Adam? cur non Enoch? Respondet de his duobus tantùm in Scriptura dari testimonium, quòd cum Christo quadragesimale obseruarint ieiunium, & quadraginta diebus ab omni abstinuerint cibo. *Quare plus anima Moysis quàm Adæ, vel Noe, & quare plus Elias quam Enoch? quia præ aliis sanctis, qui fuerunt ante aduentum Christi, nullus ieiunauit quadragesimam nisi isti duo* Hi præ omnibus aliis ex veteri Testamento deputantur participes fieri gloriæ Filij Dei, vt & nos sciremus, nullum paradisi posse gustare gloriam, qui non hoc sacrum quadragesimale obseruauerit ieiunium.

Ieiunium patricipes facit gloriæ cœlestis, *Matth c, 17.*

S. Vincent. Ferrer ser. 2.

Certus sum quidem plures ex vobis proposuisse sibi hoc quadragesimale obseruare ieiunium, si corporis debilitas, membrorum lassitudo, stomachi indispositio, capitis dolor, & similia non obstarent; at cogitate famosissimum & simul loquacissimum esse medicum dæmonem, qui talia & alia plura vestræ soleat imprimere imaginationi. Friuolæ & vanæ hæ sunt vestræ excusationes: Ecce similes S. Ieremias describit sequentibus verbis: *Factus est cursus eorum malus, & fortitudo eorum dissimilis.* Volebat dicere Propheta, populus meus ad me Deum suum ostendendum velox in cursu, ad mala facienda promptus valde est, in accumulando peccata peccatis, roboris plurimum populo meo inest, ad bonum autem faciendum, totus piger, ineptus, imbecillis est. *Fortitudo eorum dissimilis.* Quot nunc tales reperiuntur? Det Deo gloriam, & dicat veritatem, Iuuenis ille indomitus, tota nocte per plateas discurrens; nunc hic, nunc alibi, tot horis tenens illicitas vigilias, ac stationes. Cur hi quos nec frigus, nec æstus, sitis, aut fames, aut quæcunque alia incommoditas à comœdiis arcere non potest, medici sanitatis non exigunt consilium, cur sollicitantibus ad similia, medici obiicienda testimonia non exiguntur; sed hic, & in similibus nulla adducitur excusatio, nec frigus nec serenum obest capiti, vigiliæ, sitis, atque ieiunia non debilitant membra, & stomachum. Cum autem sacri quadragesimalis ieiunij intimatur obseruatio, protinùs adest debilitas, atque allegatur impossibilitas: vocantur medici, petuntur, & extorquentur impossibilitatis testimonia. *Fortitudo eorum dissimilis:* Ah miseros nos! ad peccandum debilis nullus, ad discurrendum per plateas infirmus nullus, à comœdiarum aspectu, nec stomachi, nec capitis revocantur dolore, cùm autem ieiunandum, & Dei Ecclesiæ seruandum præceptum est, quàm fragiles, quàm debiles, quàm infirmi, & doloris

Excusationes hominum nolentium ieiunare.

Ierem. c. 18.

doloribus pleni multi reperiuntur, vt
meritò illis Prophetæ applicentur ver-
ba, *Fortitudo eorum dissimilis.* Audite san-
S. Greg. habetur dist. 1. cap.
ctum Gregorium contrà inclamantem,
& miserabilem ipsorum deplorantem
statum: *Omnes huius sæculi dilectores in ter-
renis rebus fortes sunt, in cœlestibus autem de-
biles: nam pro temporali gloria desudare vsque
ad mortem appetunt, & pro perpetua ne parum
quidem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris
quaslibet tolerant iniurias, & pro cœlesti mer-
cede, vel tenuissimi verbi contumelias ferre re-
cusant. Terreno iudici toto etiam die assistere
fortes sunt, in oratione verò coram Domino,
vel vnius horæ momento lassantur.* Vult di-
cere Sanctus, in rebus mundi fortes &
robusti sunt, in meritoriis autem, & spiri-
tualibus operibus, vt ieiunio, abstinentia,
carnis mortificatione, debiles, ac infirmi
sunt. Diebus integris, ac noctibus astan-
tes principibus, & Magnatibus, nec som-
nus, nec ieiunium, aut alius labor lassare
potest. Sic ad terreni judicis procuran-
dum fauorem, nec frigus, nec æstus, nec
somus, aut alia aliqua molestat in-
commoditas; cùm autem vnius diei à
sancta Dei Ecclesia intimatur ieiu-
nium, tot debiles, tot infimi, ac imbe-
cilles reperiuntur. O Christiani! quàm
immensa est nostra miseria, quàm pau-
ci sunt, qui toto corde suam quærunt
salutem *Fortitudo eorum dissimilis.* Fra-
tres mei tentationes vincendi modus
nullus est, jeiunij armis superantur. Au-
dire vobis lubeat sanctum Bernardum
S. Bern. serm. 24. de modo benè viuendi.
ad suos sic perorantem. *Tentationes vin-
cere non poteris, nisi carnem per abstinentiam
castigaueris.* Hallucinaris ô Christiane!
dum absque ieiunij gladio, tuam inten-
dis humiliare carnem, atque innatam
eius deiicere superbiam. Abstinentia, &
ieiunium solas has habet vires.

Captâ ergo resolutione fortiter am-
plectamur hoc sacrum quadragesimale
ieiunium; Quid putatis à vobis san-
ctam Romanam exigere Ecclesima?
Non Moysis, non Eliæ petit ieiunium,
non Pauli primi Eremitæ, non Antonij,
non Hilarionis, & aliorum in se auste-
rissimorum Anachoretarum admirabi-
lem abstinentiam: non vult vos imitari
Mariam Ægyptiacam illud miracu-
lum abstinentiæ, & ieiunij: non Mariæ
Magdalenæ exigit abstinentiæ nor-
mam. Non, non Christiani, nam hæc
magis admiranda quàm imitanda, san-
cta proponit Mater Ecclesia, sed vt do-
ctissimus affirmat Hugo à S. Victore: à
Hugo à S. Vict. de instit. nouit.
te exigit atque desiderat Ecclesia, vt hoc
sacro quadragesimali tempore, abun-
dantiæ, & superfluitati mensæ vestræ
honestos ponatis terminos, his diebus
delicatis abrenuntietis cibis, conuiuia
fugiatis, crapulæ & potationi non in-
dulgeatis. Hæc, hæc, petit Ecclesia san-
cta, carnem vestram vobis in omni bo-
no opere patrando, rebellantem morti-
ficationis fræno, ac camo maxillis eius
impositis spiritui vestro subiugare, ac
obedientem reddere iubet. Audite Do-
ctoris verba: *Nimis rara, & insolita non re-
quiras, nec nimis lauta, & præparata concu-
piscas*: Id est, nil cibi gustare, nec potus
sumere, non iubet, sed moderamen in
cibis, ac temperantiæ requirit virtu-
tem. Amplectemur ergo hoc sacrum
quadragesimale ieiunium, & tali modo
ieiunemus, vt Dominus nostrum respi-
ciens ieiunium fructuosum reddat. In-
terim quiesco.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM

Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.
Matth. c. 4.

SAnctus Basilius Homilia de ieiunio;
S. Basil. Hom. de ieiun.
Christi famis causam inquirens ait:
Christum voluisse habere famem, vt oc-
casionem daret dæmonem aggredien-
di, & tentandi ipsum; Ergo fames Chri-
sti tubæ loco seruiebat, quâ dæmon ad
hoc singulare certamen inuitabatur; Et
Ecce audito huius tubæ clangore, id est,

Chri-

Christum videns famescentem, atque esurientem accessit superbus, & gloriosus securam sibi promittens victoriam. *Tunc accedens tentator*; Aggreditur ergo instatus hostis Christum, & vt iam in cœlo, ac terra pugnando maxima intulerat damna, sic hic quoque cum Christo se facturum sperat; pugnauit hic draco in cœlis, verùm non vicit, attamen damna plurima intulit cœlo, tertiam enim partem beatorum illorum spirituum secum abstraxit, & captiuos in infernum duxit. Pugnauit in terrestri paradiso atque victor euasit, & tantam in humano genere fecit stragem, vt in hodiernum diem intolerabilis cadauerum fœtor nares nostras offendat, qui & ad finem mundi duraturus est.

Prima tentatio gulæ.

Sic aggrediens Christum, victoriam, aut saltem stragem, vel maximum damnum inferendum sibi omninò promisit. Sed nec victoriam obtinuit, nec damnum infert Christo, sed victus recedere, & maximo suo damno fugere, & retrogredi cogitur; tribus diuersis armis, id est tentationibus oppugnat Saluatorem. Prima abominabilis gula est: sic S. Gregor. *Per gulam Dominum tentat*, videamus moralem sensum, casum ponam: contigit viduam aliàs honestam, & deuotam matronam sed nescio quo casu aut sinistrâ fortunâ in extremam reductam paupertatem, speciosam formâ, pulcherrimam, aspectu honestam, bene educatam, & iam nubilem habere filiam; videns eam diabolus, accedit tentator, dicens: *dic vt lapides isti panes fiant*, id est, Ecce aduersa fortuna in extremam te reduxit paupertatem, nobilis, & bene nata es, sed nil habes vnde tuum & filiæ tuæ possis conseruare statum; Filia tua quidem pulchra, sed paupercula est, debita adsunt plurima, non est qui eam in matrimonium ducere velit, sic & tu & filia viuitis in miserijs. *Dic ergo vt lapides isti panes fiant.* Da consensum, induc filiam tuam vt tali, & tali

S. Greg. Hom. 16. in Euang.

consentiat iuueni, & libidinosa eius impleat desideria; faciam vt lapides domus tuæ panes fiant, auro, & argento, & omni abundantiâ domus repleatur, mensa tua opulentissima semper absque omni tua cura, & sollicitudine parata sit. *Dic, dic, vt lapides isti panes fiant*: da consensum vt pudicitia filiæ tuæ prostituatur, indue filiam tuam, & persuade malè & peruersè agere. Secretum erit, nullus sciet, & tu honestam cum filia vitam agere poteris. Dic ergo, dic. Quidnam in fortissimis his tentationibus tibi agendum sit ô bona Matrona? quibus armis diabolicas has impugnationes vincere debeas, & confusum inimicum repellere possis, Christus tibi in hodierno exhibet Euangelio, *Non in solo pane viuit homo.* Cùm venerit tibi cum illo *Dic* responde tu discede à me spiritus infamis, & nequam, non scis quod scriptum sit: *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* Deùs dedit mihi hanc filiam meam, & vt pretiosissimam gemmam tradidit custodiæ meæ; suis denuò reddendam manibus, & hanc tuæ vis vt tradam potestati. Ah deciperis nequam, & infamis spiritus, honorata sum Matrona, honoris sui amantissima est mea filia, & si Domino placet nos pati, in miserijs viuere, fiat eius voluntas, & sanè ambo potiùs moriemur; confidimus in Domino, quod bene agentes non derelinquet. Dic, & dic sic, & recedet Diabolus, atque tentator.

Non displiceat vobis occasione horum verborum: *Dic vt lapides isti panes fiant*, aliam percipere moralitatem. Accedit vt sacrum enarrat Euangelium, tentator, suadet Christo lapides in panes conuertere: actus hic si in effectum poneretur malignus non esset, nam plurimorum si lapides panes fierent, subueniri posset necessitati; sed audite mirabile quid, alios nouos reperio Dæmones, homines quidem sunt, sed multò

nequiores, & peiores dæmonibus: nam & ipsi miracula facere nituntur, & prò dolor! in effectum suum ponunt intentum: accipiunt panes, & conuertunt in lapides cibum pauperum, panem fletûs, & doloris in lapides conuertunt, & non dicunt: Dic vt lapides isti panes fiant, sed dic, dic, vt panis hic pauperum sudor, & sanguis viduarum, atque pupillorum lapides fiant. Dicit mihi o diuites, qui sumptuosa fabricatis palatia, qui pro vestra securitate congeritis moles lapidum, qui sunt isti lapides? nunquid panis pauperum? nunquid sudor, & sanguis Rusticorum, atque subditorum? nónne viduarum, & pupillorum lachrymæ, atque suspiria? Accedat quis, interroget pulchra excisa marmora, pretiosas picturas, atque statuas, interroget aurum, & argentum, & omne ornamentum domus vestræ, respondebunt, atque dicent panis, sudor, sanguis, lachrymæ, pauperum, subditorum viduarum, atque pupillorum sumus, sic lapides loquuntur, sic respondent. Audite Amos Prophetam cap. 2. *Lapis de pariete clamabit contra te*: id est, in iudicij rigorosi illius diei clamabunt de muro contra te lapides, atque lateres, columnæ illæ marmoreæ, nos nos sanguis subditorum sumus, clamabunt & dicent portalia illa mirificà elaborata arte, clamabunt, & dicent, panis pauperum sumus; sericea illa, atque auro texta parietum ornamenta clamabunt, & dicent: nos viduarum sumus lachrymæ, atque suspiria Aurea, atque argentea illa vasa clamabunt & dicent pupillorum sumus substantia. *Lapis de pariete clamabit contra te.* Has o diuites! in hora mortis consolatorias audituri estis voces, hanc vobis non gratam velitis nolitis, ipsa & conscientia vestra, pro vltimo vale celebrabit Musicam. Permittatis igitur lapides esse lapides, & panem panem, & Diabolum tentatorem fugite.

Amos c. 2.

Secunda tentatio, Desperatio.

Secunda tentatio quà Diabolus armatus Christum aggreditur est desperatio: *Mitte te deorsum.* Sanctus Ambrosius lib. 4. in S. Lucam animaduertit nunquam Diabolum dicere solere: *Sursum* sed semper *deorsum.* Stamus sursum cùm mens nostra in tribulationis tẽpore sursum respicit, & in Deo confidens ab ipso petit, & expectat auxilium. Deorsum verò præcipitamur, atque tendimus, cùm Dei timorem ad partem ponimus, & illicita necessitatum nostrarum remedia inquirimus, & à Diabolo præsentata acceptamus. Cùm ergo his armatus tentator quempiam sic desperationis tentatione oppugnare conetur, Christi assumat verba, & dicat: *Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum*, confido in Domino, nam sperantes in ipsum non confundentur, qui suo tempore de omnibus his me liberaturus est.

S. Ambros. lib. 4. in S. Lucam.

Matth. c. 4.

Tertia tentatio. Auaritia.

Tertia tentatio, quâ Diabolus armatus progreditur, & Christum aggreditur est auaritia; omnia enim regna & thesauros mundi ipsi exhibebat, atque præsentabat. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Mercatores, & negotiatores hac præ alijs aggreditur tentatione Dæmon, his armis illorum oppugnat atque deuincit animos; nam cum illicitis lucris, & vsuris incumbunt, Dæmonis se tradunt potestati, cadentes enim in vsuras ipsum adorant, & se eius subditos profitentur. Cùm ergo venerit, & his armatus nos aggrediatur, etiamsi omnes mundi thesauros promittat, nolite credere, mendax est: Christi assumite verba, & dicite. *Vade retro Satanas*: non vsuras, non illicita cupio atque desidero lucra, non mundi regna, nec thesauros Principum in mea quæro negotiatione; sed vitam honesto atque laudabili transigere conor modo. Ergo vade retro Satanas.

His tribus armis, atque tentationibus Dæmon Christum aggressus est, victoriam sibi certò promisit, sed deceptus est, nam victus & confusus fugit. San-

S. Gregor. Hom 16. in ſacra Euang.

Sanctus Gregorius hom. 16. in ſacra Euangelia dicit : *Iiſdem modis à ſecundo homine vincitur quibus primum hominem ſe viciſſe gloriabatur.* Gloriabatur aſtutus dæmon his tribus tentationibus, primum viciſſe ac deieciſſe hominem, iiſdem armatus de Chriſto ſperabat victoriam, ſed vincitur atque confunditur : foſſam fecit homini ſed ipſemet cecidit in ipſam. Laqueos iecit humano generi : ſed miſer his illaqueatum ſe deprehendit, vulnerare intendebat hominem, ſed ipſe vulneratus proſternitur ab homine, ideo vt Euangeliſta ſanctus Lucas teſtatur, confuſus, & verecundiâ plenus receſſit, atque fugit. *Tunc reliquit eum Diabolus.*

Tempus iam hunc meum concludendi diſcurſum adeſt, hoc vnicum ſaltem dicam, vultis, Auditores vincere Dæmonis inſidias, optatis carnis ſuperare illecebras, deſideratis mundi vincere tentamenta, Chriſto aſſociemini,

Matth. cap. 4.

Ductus eſt Ieſus in deſertum : deſerta inquirite, hæc inhabitate. Sed non ſiluas, non Thebaidis, & Iordanis loca, vbi Chriſtus, & S. Baptiſta vixerunt, & commorati ſunt: Non vrbes, non pagos, non domos veſtras fugite, ſed conuerſationes non licitas, atque ſuſpectas, ſocios malos & ſocias deprauatas euitate angue peius, ſi victores de pugna hac abire optatis, Audite Arſenium illum magnum in vitis Patrum, de hoc vincendi modo loquentem, *Fuge homines, & ſaluaberis.* Audite & Senecam Epi. 10 *Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam vnum.* Hominum conuerſationem fugere debet, quiſquis ſaluari deſiderat, & non bonorum, ſed malorum. Tibi iuuencula fœmina illa ſuſpecta, iuuenis ille iam moribus deprauatus fugiendus eſt; Tibi virgo caſta ac pudica, tibi, hæc vetula, hæc & hæc mala, & deprauatis iam moribus ſocia deuitanda eſt; vobis ô vxorati hæc & hæc ſuſpecta matrona declinanda eſt. Comœdia vitiorum ſeminarium; ſaltus, & impudica feſta fugienda ſunt : Domus

In quænam deſerta cũ Chriſto tendere debeamus.

S. Arſenius in vitis Patrũ.

Seneca.

ſuſpectæ euitandæ ſunt vobis ô fœminæ: ſi veſtrum illæſum conſeruare honorem, & victores cum Chriſto de prælio exire deſideratis. Probauerat Dauid quid & cuius poteſtatis ſit exponere ſe velle periculo, & quàm damnoſum ſit malorum non euitare ſocietatem, aſpexit fœminam; adducitur pro conuerſatione, conuerſatur, peccatur, adulteratur, Vrias bonus occiditur, filius adulter debet mori. O Deus! vnde tot, & tanta mala, quis fortiſſimun hunc virum tot tantiſq; affecit vulneribus, & in pugna proſtrauit? aſpectus vnius fœminæ, vnius horæ conuerſatio cum laſciua matrona, ideo clamabat, & ſuſpirabat ad ſolitudinis quietem. *Quis mihi dabit pennas ſicut columba, & volabo, & requieſcam*; ſed quonam te conferre velles ô Dauid! ſi columbæ tibi traderentur pennæ? in ſolitudinem, ſed non ſyluam, neque eremum; ſum enim Rex, & populum Dei regere & iudicare debeo, ſed omnes in poſterum angue peius malas & ſuſpectas fugiam conuerſationes. *Elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Verum quidem eſt, aptiſſimum ſaluationis locum deſerta atque clauſtra eſſe, ſed non omnes his inhabitare poſſumus, ſit ergo deſertum veſtrum, Auditores, fuga ſuſpectorum locorum, fuga malâ laborantium famâ, fuga ſuſpectarum, atque inhoneſtarum perſonarum. Hæc fugite, hæc ſint vobis prohibita, ſi tentationes vincere, & ſaluari vobis cordi eſt.

Pſalm. 53.

Aptiſſimè cadit ad propoſitum, id quod legitur Apocalypſis c. 12. Rapitur Ioannes Euangeliſta in ſpiritu; vidit Draconem horribilem (qui diabolus erat) ſtantem contra mulierem quandam partui proximam conantem illam deuorare. *Draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura* : ſed quid agit mulier in tam euidenti poſita mortis periculo: *Fugit in ſolitudinem.* Nam cùm Deus Draconis vidiſſet intentionem, quæ erat hunc impeditura partum, alis duabus ſuccur-

Apoc. 12.

rit mulieri, quibus in desertum auolaret, ibi se absconderet paritura, & illic se; & suum saluaret partum. *Datæ sunt mulieri alæ duæ magnæ vt volaret in desertum.* Ad quid hæc exhibetur visio Sancto Ioanni & ab ipso describitur, & tibi per scripturam sacram communicatur? Ad tuam ò homo! Doctrinam; ad modum, quo dæmon deuincendus, tentationes superandæ sunt demonstrandum. Quem si vincere animus est, quas si superare optes, fuge, fuge non ad siluas, non ad deserta, & nemora, sed occasiones mulieri illius deprauatæ, ore suo dulcia, sed venenosa proferentis verba; fuge suspectas conuersationes, Draconem illum, tuam voluntatem demorare pudicitiam, fuge, & fuge, etiamsi intra claustra sacrarum virginum necesse sit te recipere. Sic Christus fugit in desertum, & superauit Dæmonem, sic sancti fugientes occasiones, beati facti, & vicerunt tentamenta. Hoc medio tot innumerabilia Virginum castra suam saluârunt virginitatem, tot millia pudicarum Matronarum suam defenderunt pudicitiam.

Domum ergo nunc recedentes vt spero Christi sanctorumque consolati doctrinâ, tot armis vobis exhibitis instructi, vnicum adhuc vobiscum libeat abducere conceptum: vultisue scire in quantum Dæmonis in nos extendantur vires? & qui sint termini potestatis eius? audite paucis dicam. In quantum nos ipsi volumus, & ipsi concedimus. Nil potestatis in nos habet Dæmon, nulla eius fortitudo, nulla eius sagacitas, atq; astutia, si nos nolumus; hanc habet quia ipsi volumus, his vincit, quia ipsi arma præbemus. Audite Sanctum Bernardum sermone ad fratres. *Videte, fratres, quàm debilis est hostis noster qui non vincit nisi volentem.* Dæmon nemini nocere potest sine permissione Dei, immò non nisi volenti. Ah miseros nos! tantò maior nostra confusio est, vincere non potest

S. Bernard. serm. ad fratres.

Dæmon, nisi volentem, & tamen tam facilè vincimur, vnde hoc? nisi quia sic volumus. Hanc vobis doctrinam Sanctus Hieronymus supra hoc Euangelium tradidit; considerat Sanctus Doctor actum illum Dæmonis, dum Christum supra pinnaculum templi sistit his ac his alloquitur verbis, *Mitte te deorsum,* exclamat, *Vox Diaboli, qui omnes semper cadere desiderat*, id est, desiderare potest vt vincamur, sed vincere non potest, casum nostrum intendit, sed potestatis talis non est, vt efficere possit. Ideo subiungit sanctus: *Persuadere potest, præcipitare non potest*: rationibus ad casum te adducere conatur, sed in effectum sine tua voluntate ponere nequit.

S. Hieron in c.4. Matth.

Vt tibi Diabolus noceat de altissimo templi pinnaculo, id est, gratiæ statu deijciat, tua adesse debet voluntas. Immo nec tentare, nec aggredi quidem te potest, nisi ab altissimo petat, & accipiat potestatem. Legite librum Iob capite 2. reperietis hanc veritatem. Obambulat die quadam Diabolus terram respiciens, atque examinans vitam hominum, reperit in terra Hus virum rectum, iustum, simplicem, sanctum nomine Iob, contemplatur eius vitam, respicit mores, recedit & Deo se præsentat. Quem videns Deus sic alloquitur: Satan vnde venis? *Qui respondens ait, circuiui terram, & perambulaui eam*, benè est perambulasti terram quid ergo noui, quid vidisti? *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus ac timens Deum, & recedens à malo.* Ita est, respondet Dæmon, sed mirum non est. *nónne tu vallasti eum*; ac si diceret: Ah si ego meam in illum possem exercere potestatem, si mihi liceret tentationibus ipsum oppugnare, & si à te non esset circumuallatus alius futurus esset Iob. Concede, concede vt ego tentator accedam, & cribrare incipiam, videbimus, quis Iob futurus sit, *iure nisi in faciem benedixerit tibi.*

Iob. c. 2.

Da poteſtatem, da licentiam. Bene, *Ecce in manu tua eſt, veruntamen animam illius ſerua.* Videtis quomodo ſine Dei expreſſa permiſſione Sanctum aggredi Iob Satan non poterat ſine expreſſa licentia, nec in bonis, in corpore nocere licebat, non vltra poterat extendere manum, quam Dominus conceſſerat permiſſionis. Quid dico? tanta eſt miſeria Dæmonis vt nec viliſſimæ, & abiectiſſimæ beſtiæ vt ſus eſt, poſſit quid damni inferre. Sic legimus apud Matth. Euang. cùm enim maxima eorum turba de energumenis duobis eiecta eſſet, & porcorum gregem intrare vellet ſine expreſſa Dei permiſſione, intrare non potuit. Audite in hæc verba Sanctum Auguſtinum. *Permitte nos intrare in porcos: vt ſcilicet nouerimus multò minus eos poſſe ſua poteſtate nocere hominibus, qui nec pecoribus potuerunt.* Vultiſue ſcire rationem tanti impedimenti in Dæmone, tantæque efficaciæ nocendi, cum tamen potentiſſimus ſit ſpiritus: ſicut enim in pulchritudine, gloria, & honore primus inter creaturas erat, ſic etiam poteſtate, atque robore, aliiſque qualitatibus, & Angelos, & homines omnes ſuperabat. Ecce S. Auguſtinus Pſal. 19. dicit. *Latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem; quia non cogendo, ſed ſuadendo nocet, non extorquet à nobis conſenſum ſed petit,* id eſt, diabolus rabibus canis, & crudelis leo quidem eſt, ſed ligatus nocere non poteſt, cornua quidem vt taurus indomitus ad nocendum habet, ſed impediuntur ad offendendum, & ſi tibi nocet, tu in cauſa es, quia propriùs accedis, & ipſi ſuadenti, & latranti aures præbes, & conſenſum; nam licèt ipſe importunus ſuo ſit latratu, & perſuaſionibus quàm fortiſſimè te oppugnet, minimè ſine tua voluntate nocere tibi poteſt. Nam & ligatus eſt vt audiſtis, & ſicut ille tibi malum ſuadet, ſic Deus te ad bonum exhortatur, & monet ne propiùs accedas, & eius ſuggeſtionibus conſenſum præbeas; ſic Sanctus Auguſtinus vt ſuprà: *Non ceſſat Satanas ſuadere malum, ſed nec Deus ceſſat ſuadere bonum.* Et tota tua ruina ex eius perſuaſione proueniens, tibi, non ipſi, imputabitur, nam fortior Dei gratia eſt, quæ in tuo corde conſenſum diſſuadet, quàm eius ſuggeſtio tibi malum perſuadens: vt confirmat ſæpius nominatus Sanctus, *Satanas non cogit inuitum, in tua poteſtate eſt conſentire & non conſentire.*

S.Matth. ...8.

...S. Auguſt. ...erm. 132. ...le temp.

...dem ali...i.

S. Auguſt. vt ſuprà.

Ex his dictis, & allegatis intelligere licet contrariorum titulorum à S. Gregorio Papa Diabolo aſſignatorum cauſam, & rationem, cùm eum formicam atque leonem ſimul nominat: Leo enim eſt, cum puſillanimem, atque timidum reperit, qui nec ieiunij arma apprehendere audet, nec eius ſuggeſtionibus fortiter reſiſtere ſatagit. Formica autem cùm magnanimum Chriſti militem adoritur, qui ieiunij apprehenſis armis fortiter illi reſiſtit, & ſuggeſtionibus eius aures ſuas obdurat. Sic Sanctus Gregorius lib. 5. Moral. *Si enim ſuggeſtionibus eius aſſenſus præbetur, tanquam leo tolerari non poteſt, ſi autem reſiſtitur tanquam formica atteritur.* Audiſtis nunc & ieiunij excellentiam, atque gloriam, efficaciamque eius fortiſſimum hunc vincendi inimicum, ac modos varios ſuperandi tentationes. Nunc vobis mecum ad omnes dæmonis cognoſcendi, & ſuperandi diuinum placeat inuocare auxilium.

S.Greg. l. 5. Moral. c. 17.

O Sanctiſſime ac generoſiſſime dux noſter, qui tot tantoſque glorioſiſſimos de diabolo ducis triumphos aſſiſtere nobis non dedignare, vt & inſidias cognoſcere, & tentationes eius ſuperare valeamus; Non reſpicias peccata noſtra, ſed tuam bonitatem, non errores noſtros ſed tuum inſpicias amorem, vt ſic victores te laudare, & amare cum omnibus Sanctis tuis in æternum valeamus. Amen.

Apoſtrophe ad crucifixum.

DISCVRS.

DISCVRSVS QVINTVS
PRO DIE LVNÆ POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

PRæsenti hoc discursu terribilitas extremi iudicij describitur. Prima parte Puncto primo Iudicis adducitur horror, quem eius causat seueritas. Puncto secundo strictissimum iudicis examen indagatur, & terribilem hunc efficere diem demonstratur. Secunda parte, puncto tertio condemnationis examinatur sententia; quæ ad summas peccatores redigit angustias.

Thema.

Cùm venerit filius hominis in Maiestate suâ & omnes Angeli eius cum eo: tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ

Matth. cap. 25.



VIVAT tantùm securus peccator suis immersus criminibus, incautè, & absque Dei timore prauæ voluntatis suæ expleat desideria; ducat absque Dei memoria dies annorum suorum, peccatis absorptus agat alacriter, ac si non esset, qui hæc videat, ac eius offendatur sceleribus. Assecuro ipsum, diem venturum, quâ filius Dei in sua apparebit gloria, non vt pater, sed vt seuerissimus Iudex, non vt frater, sed vt rigorosissimus accusator, non vt amicus, sed vt offensissimus inimicus, & quidem omnia strictissimè examinaturus, atque rigorosissimè iudicaturus. *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua.* Scisne ô peccator! qualis sit futura illa dies, quam modò non æstimas, neque recogitas? Dicam tibi. Dies illa erit dies iræ, ac indignationis, dies erit fletus & doloris, dies erit miseriarum, & angustiarum, dies erit inauditi, & crudelissimi spectaculi; dies erit tremendi iudicij, & tam lugubris, ac mœstæ tragœdiæ, quam vnquam vniuersa viderit creatura. Nam sol, & luna præ mœrore, & tristitiâ non dabunt lumen suum, & stellæ præ terrore excident fixis locis suis. *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.* Mat. c. 5 Terribilis ob hæc dies illa erit, sed in hoc terribilissima, quòd cùm à facie irati iudicis fugere quis velit, nullum refugij, vel fugæ locum reperturus sit. Nam in tenebris latibulum quærentes clarâ luce prodentur, mortem desiderantes ipsa fugiet, in montium cauernis salutem quærentes ipsi reijcientur, imò ipsi montes quibus sepeliri optabunt, charitatis hoc negabunt officium, atque coram irato iudice in præsentia omnium creaturarum prodire, & ad iudicis, & condemnationis sententiam accipiendam comparere cogent; cuius irati iudicis aspectu mirum in modum cruciabitur peccator. Sed id, quod præ omnibus alijs circumstantijs, in infinitum, timorem, ac terrorem miseri tunc peccatoris auget, & aggrauat; est quòd

ab omnibus derelictis comparere debeat. Hic enim antiquissimum, & potentissimum nobilitatis eius genus adiuuare eum minimè poterit, diuitiæ & thesauri Iudicem corrumpere non valebunt, excusationi non dabitur locus; testes plures quàm velimus contra nos assistent: imò seuerissimus iudex ipsemet testis, & sententiæ erit lator. Nec ad aliquod aliud Tribunal dabitur recursus. Hic miserabilis vltimus terminus, & lamentabilis peccatorum stultitiæ, & temeritatis finis est: talis illorum, qui nunc, non vt homines, sed vt bestiæ viuunt, vltima erit consolatio. Quàm verò terribilis dies illa peccatoribus futura sit, materia nostri discursus erit. Et primò ob iudicis seueritatem, secundò ob strictissimum examen, tertiò ob condemnationis, sententiam in quas angustias peccatores redactura sit, breuiter transcurremus. Attendite.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Cùm venerit filius hominis in maiestate sua &c. Matth. cap. 25.

IN tam sublimi excellentiæ gradu homo à diuina fuit constitutus bonitate, & ad tam altam eleuatus dignitatem, ut Deo parum videretur Angelicos spiritus eius deputâsse custodiæ, cœlum, terram, omnemque viuentem creaturam, eius assignâsse seruitio, nisi etiam librum, & sui ipsius Dominum constituisset. Priuilegium hoc tam nobile tam altæ dignitatis est, vt in consideratione, atque contemplatione eius Sapiens sequentia protulerit verba: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui:* [*Eccl. c. 15.*] ac si dicere voluisset: Possibiléne est, tot gratias Deum communicasse homini, & ad tam altum ascendisse liberalitatis gradum, vt hominem liberum, Dominum absolutum in sua propriâ constitueret

potestate. *Et reliquit illum in manu consilij sui:* per hoc tamen notandum, non tam liberum, non tam absolutum constituisse Dominum, vt tandem aliquando actionum suarum strictissimam rationem reddere non obligaretur; & de his si bonæ præmium, si malæ ad demeriti mensuram seuerissimam pœnam expectaret. Terribilissima hæc dies, de qua nobis sermo est; dies iræ, dies calamitatis, & miseriæ, dies tremendi iudicij est, quando tuba Angelica mortuos de sepulchris euocabit, & ad thronum iudicis in valle Iosaphat congregabit, atque sistet: si bene egerint ad saluationis, si malè egerint ad damnationis æternæ percipiendam sententiam. Sic Matthæus: *congregabuntur ante eum omnes gentes,* &, [*S Matt. 6, 25.*] quidem vt Apostolus Paulus 1. Corinth. c. 15. dicit: *In ictu oculi, in nouissima tuba.* [*1. Corint. cap. 15.*] Ad primum signum tubæ, cuius clangor tanti terroris atque formidinis erit, vt ipse infernus illo territus; & turbatus iudici occurrat: & ad iudicis expectandam se præsentet sententiam. Sic S. Ioannes Chrys. Hom. 58. in Matt. *verè vox magna, vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, petras scindit, inferos aperit, portas æreas frangit, & de profundo abyssi ereptas animas suis corporibus assignat.* [*S. Chrysos.*]

Congregatione hac in valle Iosaphat factâ, ecce crux Domini, trophæum iudicis in nubibus apparebit, & sicut ad eius aspectum boni mirum in modum exultabunt; sic mali ac peruersi mirum in modum cruciabuntur; inimici crucis, qui illam blasphemarunt, deriserunt, contempserunt, odio habuerunt, vt signum æternæ damnationis, & præsagium ærumnarum perpetuarum fugient; amici verò, ac amatores, qui carnem suam macerarunt, & cum sancto Paulo in suis portauerunt corporibus, vt signum salutis, & præsagium æternæ gloriæ grato acceptabunt animo. *Et tunc videbunt signum filij hominis:* Et in momento illo cœli aperientur, & ve-

niet filius hominis in tanta Majestate, gloriâ, & terrore, vt ab aspectu eius cœli diffluant, terra commoueatur, & omnes populi intuitu eius crucientur. Sic Propheta Ioël c. 2. *A facie eius cruciabuntur populi.* Tantum terrorem atque tremorem in vniuerso, eius causabit aduentus, & aspectus, ut sancta Romana Ecclesia aliàs dilectissima eius sponsa, hunc considerans diem supplex ad pedes, nunc sponsi, tunc iudicis, tota confusa, & timore plena, prostrata in Responsorijs officij defunctorum sic cantet: *Domine quando veneris iudicare terram, vbi me abscondam à vultu iræ tuæ.* Ac si diceret: O dulcissime Sponse! dum vt Iudex veneris dabitúrne mihi meisque filijs refugij locus, vel cauerna aliqua in desertis montibus, vbi à facie iræ tuæ abscondere me valeam.

Ioel c.2.

Aduentus Iudicis terribilis.

Ecclesia in Respons. officij defunct.

Ioël Propheta loquens de hoc rigoroso iudicio, vocat illud, diem magnum vindictæ, dicens: *Magnus enim dies Domini vindictæ.* Glossa interlinealis explicando hunc locum legit: *Et terribilis valde etiam bonis.* Quibus verbis sat clarè indicare voluit, hunc diem etiam iustis, bonis, ac sanctis, imò ipsis Angelis qui numquam peccarunt, formidabilem, & terribilem fore.

Ioel cap 2. Glossa interl. hic.

Quid dico, & exaggerare nitor terribilitatem diei huius? S. Iob c. 14. inferni pœnas, & flammas, refrigerium respectu diei huius terribilis, ac iudicis seueritatis existimabat, sic inquiens: *Quis mihi tribuat vt in inferno protegas me & abscondas me donec pertranseat furor tuus.* Eusebius Emissenus sermone de iudicio, ruminando terribilitatem diei huius, & Iudicis aduentum dicit: Si aduentus solus tot tantosque timores atque tremores in hominibus & creaturis causabit, quid fiet dum omnes strictissimè iudicabuntur? *Cùm ergo talis futurus sit terror venientis, quis poterit terrorem sustinere iudicantis.* Et nihilominus cogemur eius nos sistere iudicio & iudicantis percipere sententiam. Pergit vltra, & dicit Sanctus: *Quo tunc animo stabit desertor ante iudicem suum perditus ante pretium suum? quâ fronte misericordiam petet, primum de misericordia contemptu iudicandus?* id est, tunc, tunc tremor magnus inuadet hominem, quia misericordiæ locus non dabitur, neque tunc tempus erit quærendi, & implorandi misericordiam, sed seuerissimi iudicis interrogationibus, & processus illius rigorosissimi obiectionibus, quas tuæ formarunt culpæ, respondendi, & satisfaciendi. Quam terribilem diem hunc, sola & nuda Iudicis præsentia, eiusque aduentus constituat, audiuistis. Nunc & audire lubeat, quàm horribilis futura sit, ob rigorosissimum examen, & seuerissimas interrogationes, & inquisitiones Iudicis.

Iob c.14.

Eusebius Emissenus serm de iudicio.

PARS II.

PVNCTVM SECVNDVM.

ECclesia nostra sancta Mater in defunctorum officio plangit: *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur:* ac si diceret, tunc cuiusque conscientia aperietur, & quasi liber exponetur, in quo omnia peccata, & crimina, etiam vsque ad minimam cogitationem, & minimum motum cordis quàm exactissimè registrata, & notata reperientur, & nec minimum otiosum etiam verbum, & benè à rigorosissimo iudicio trutinatum relinquetur. Sapiens hoc capite sexto attestatur: *Interrogabit opera vestra, & cogitationes vestras scrutabitur,* id est, omnes tuos actus, quidquid egisti, & cogitasti; ab hora illa quâ natus es, vsque ad horam illam quâ tuam reddidisti animam percurret rigorosissimo examine, atque iudicio. Sic Glossa interlinealis: *discutiet vsque ad minima,* & Liranus *cogitationes scrutabitur tanquam de omnibus iudicaturus:* sic iudicabit Dominus & tam exactè perscrutabitur librum conscientiæ tuæ. O miser peccator! etiam

Eccles. in seq. mort.

Sap. cap. 6.

Glossa interl. Liran.

Examen exactissimum instituetur

etiam cogitationes quaſi ventus volans tuam tranſeuntes mentem examinabit, & his examinatis ad ſecretiſſimos motus cordis tui inquirendos atque perſcrutandos ſuo examine tranſiet, hoc Ieremias c. 17. atteſtatur. *Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes.* Imò culpæ illæ leuiſſimæ, quæ à nobis nullius valoris, aut ponderis æſtimantur, magnâ inquirentur diligentiâ, magna animaduerſione percurrentur, & exactâ inquiſitione examinabuntur, ac ſi res maximi ponderis eſſent. *Ego Dominus ſcrutans corda, & renes,* corda, id eſt, cogitationes etiam minimas.

Ieremi. c. 17.

Lubeat vobis, Auditores, legere ſanctum Ezechielem prophetam c. 5. & reperietis mirabile quid, à Deo Prophetæ impoſitum. Vocatur à Domino, & præſto eſt. Accipit mandatum. Vade, & apprehende nouaculam peracutam tuis manibus, abrades illam tam capitis tui, quàm barbæ tuæ pilos omnes; & curam habe ne vnicus quidem remaneat. Quo facto diuides in tres partes, accipies bilancem ſeu libram, & ponderabis magna attentione partes ſingulas, ne pilus deſideretur in vna vel altera lance, diuiſas, & æqualiter poſitas; deinde vnam partem igni trades, quem in medio foro ciuitatis, ſtrues; alteram in circuitu ciuitatis circa aggeres, & foſſas proijcies; vltimam in aërem, ventum, incertumque locum diſperges; hoc facto incontinenter manibus tuis gladium apprehendes, & pilos perſequeris, nec à perſequendo deſiſtere te volo, donec vnicus reperibilis ſit, ſcindes, & reſcindes in mille, & millenas partes. Audiamus verba: *Et tu fili hominis ſume tibi gladium acutum, radentem pilos, & aſſumes eum, & duces per caput tuum & per barbam tuam, & aſſumes tibi ſtateram ponderis, & diuides eos. Tertiam partem igni combures in medio ciuitatis, iuxta completionem dierum obſidionis; & aſſumes tertiam partem; & conſcides gladio in circuitu eius, tertiam verò aliam diſperges in ventum & gladium nudabo poſt eos.*

Similitudo de hoc examine.

Ezech. c. 5.

Gloſſa æſtimat hanc prophetiam populo Dei proximam obſidionem, aliaſque plagas ciuitati Hieroſolymæ ac Hebræo populo ob patrata peccata à Deo inferendas intimare voluiſſe. Alij moderni putant diuinam Majeſtatem rigoroſiſſimum examen quo in die iudicij peccata perſcrutabitur indicare ac deſcribere intendiſſe. Nam ibi diuinæ iuſtitiæ æquilibrio, ac bilance etiam capilli capitis noſtri ponderabuntur, id eſt, rigoroſiſſimè etiam quæ minima, & nullius apud nos æſtimationis ſunt, diſcutientur, atque examinabuntur; & vt grauiſſima igni æterno comburenda tradentur. Alia extra ſanctæ ciuitatis Ieruſalem muros, nunquam cœlum; nec Dei gloriam viſura proijcientur; alia diſpergentur in ventum æternorum ſuſpiriorum, ac gemituum, & à diuinæ Iuſtitiæ gladio vſque in infernum detrudentur.

Gloſſa hic.

Alia ſimilitudine, ſed perapta, & commodâ ad horrorem rigoroſiſſimi examinis huius demonſtrandum vtitur vir ſanctus Iob: Vidiſtiné cùm magni momenti perſona improuiſo aliquo caſu de vita tollitur ſuſpicione prælibati veneni accurrunt amici, & cognati, vocantur medici, atque chirurgi, ſit anatomia: aperitur cadauer, eximuntur interiora viſcera, atque membra; ſcinduntur in partes, & partes iterum in partes reſecantur, & iſtæ partes iterum in partes reſcinduntur. Deinde ad alia venitur membra, ſcindendo, & reſcindendo acutiſſimis cultris, nunc in venis, nunc in neruis, nunc in muſculis, nunc in hac, nunc alia parte latens inueſtigatur venenum. Sic, dicit Sanctus Iob: die illa Deus cum peccatoribus aget, ſcindet, & reſcindet in omni parte corporis atque animæ latens inquiret venenum: incipiens à capite vſque ad pedes pertranſibit corpus miſeri peccatoris, & rigoroſiſſimo examine capitis, cor-

Alia ſimilitudo.

 dis,

dis, ventris, renum, & etiam pedum iniquitates requiret. Iob cap. 13. *Vegistia pedum meorum considerasti.* Per pedes minima & ignorantiæ intelliguntur peccata. Ergone Deus talia etiam inquiret, & puniet? Ita, Auditores, minutissima, & ignorantiæ peccata rigorosissimè inquiret, & puniet in illa die, id enim expressis septuaginta Interpretes verbis attestantur legentes: *Adnotasti si quid inuitus errani.* S. Ambrosius *si quid ignoranter peccaui.* Id est: defectus illos minimos ignorantiæ, & culpas inuoluntarias rigorosissimo pertransibit examine, scindet, & rescindet culter diuinæ Iustitiæ. Nam in hac die non erit aliquod à nobis prolatum verbum, quod non examinabitur. Cogitationes, opera, & motus cordis nostri scrutabitur, nil intactum, vel inultum relinquetur. Quidquid in capite, in ore, in lingua, in gutture, in ventre, in corde, in stomacho, in manibus, in brachijs, in renibus, in pedibus latet, discooperietur, & per acutissimam anatomiam diuinæ iustitiæ manifestabitur. Sic de hoc rigorosissimo examine sanctus Gregorius lib. 15. Moral. cap. 25. ratiocinatur: *Deus igitur omnes semitas obseruat, & quia singulis quibusve nostris actibus etiam cogitationes pensat; & vestigia pedum considerat, quia intentiones nostrorum operum, quàm rectè ponantur examinat, ne & hoc quod bonum agitur, non recto desiderio agatur.* Non tantum opera mala, non tantum scelera nostra rigorosissimo discutiet examine, verùm etiam opera bona & pia examinabit. Ieiunia nostra, Eleëmosynæ nostræ, orationes ac preces nostræ inquirentur, vestigia pedum, peregrinationum nostrarum examinabuntur, id est, quâ intentione, quâ mente quo fine omnia acta, atque facta sint seuerissimus inquiret Iudex.

Iob c. 13.

Septuaginta Interpretes.

S. Ambros. in Psal. pœnit.

S. Gregor.

Et ne hæc doctrina ab homine inuenta, & consequenter incredibilis hominibus videretur: Ecce ipsemet Saluator noster hanc suo veritatis ore confirmare voluit. Matth. c. 12. *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Glossa interlinealis sic ponit, *vt de friuolis, & fabulis.* O rigor inauditus! nugæ nostræ, quibus aliquando honestè putamus licere recreationem capere, hic examinabuntur. Hunc inauditum considerans rigorem S. Bernardus Abbas sic exclamat: *Heu nobis, quænam ratio reddi poterit de otio?* O miseros nos! quis de omnibus otiosis verbis rationem reddere poterit. Audite, quæso, qualem hinc sanctus Ambrosius inferat consequentiam. *Si pro verbo otioso ratio poscitur, quantò magis pro verbo impuritatis, ac turpitudinis.* O terribilis, & formidabilis consequentia: si à Deo verba illa, quæ recreationis etiam honestæ & in nostra opinione etiam licitæ, & nulli inferentia damnum putantur ad melancholici aut infirmi alicuius mentem subleuandam prolata examinanda sunt. Ah quanto rigore iniuriarum prolatarum ponderabuntur verba. Qualis putatis de blasphemijs, scandalosis, turpibus, & inhonestis verbis fiet anatomia? qualis de murmurationibus, detractionibus? Et si tantus rigor in verbis, qualis de operibus malis, aut adulterijs, homicidijs, ambitionibus, iniurijs, furtis, vsuris, & similibus diabolicis actibus expectandus erit?

Matt. cap. 12.

S. Bernar. in Cant. serm. 55.

S. Ambros. in cap. 12 Matth.

Sic, auditores, agetur in die illa, cum omnibus peccatoribus; sic, sic eorum examinabuntur acta. Sed quid dico de peccatoribus? Iustorum etiam sic inquirentur facta, quod S. Iob verebatur vt expresse cap. 9. attestatur. *Verebar omnia opera mea, ne esset ibi aliquid iniustum.* Sanctus Gregor. lib. 4. Moral. c. 17. & Liranus doctissimus hunc explicantes locum dicunt opera Iob bona fuisse, & laudabilia valde, sed tamen ab omnibus, qui verè Deo vt Iob seruire, atque placere conantur, timenda, atque verenda

Iob cap.

Gregor. Liran. hi

verenda esse, non quòd mala sint, sed licèt bona sint, ne quid malæ intentionis, vel defectus habeant. *Bona quidem erant, sed hæc timenda his, qui verè volunt placere Deo.* Eiusdem mentis doctissimus est Hugo Cardinalis hunc explicans locum. *Quamuis bona eius opera fuissent, semper timebat, ne mala etiam aliquo modo essent.* Ergo & opera bona possunt esse mala. Ita, Auditores, finis non bonus, intentio non perfecta & bene purgata, mala faciunt. Heu infelices nos, si opera bona, quæ Iob faciebat, timoris plena erant, & apud illos, qui verè Deum colere intendunt, sic esse debent. Quid ô peccatores, & scelerati! de vestris operibus dicendum, atque sentiendum erit. Et si in iustorum operibus defectus reprehenduntur, quid erit de illorum, qui sanguinem pauperum sugunt, qui pupillorum sudore diuites fiunt, qui alienos defœdare solent thoros, à quorum lingua mordente, nullus status, nulla persona in ciuitate intacta relinquitur; Ecce iusti tremunt hoc considerantes examen, & peccatores rident & lætantur fabulas credentes. Legite sancti Cypriani vitam, reperietis quanto tremore rigorosum examen considerauerit. *Væ peccatis meis cùm venerit iudicium tuum.* Certè sanctus Augustinus lib. 9. Confess. cap. 13. sic ait: *Væ etiam laudabili hominum vitæ si semotâ misericordiâ discuties eam.* Tantus rigor, & tam accurata erit inquisitio examinis in illo iudicio, vt si diuina iustitia opera Sanctorum exactè cribrare vellet, & omnem seponere misericordiam, illi etiam de salute sua periclitarentur.

Sanctus Cyprianus in vit. sua. S. August. lib. 9. conf. c. 13.

Hoc horridum examen dum ruminaret Dauid, tanto timore atque tremore perculsus est, vt apud semetipsum deliberaret quidquid in mundo erat, fugere, ideo dicebat Psalm. 89. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo.* Aquila legit: *Negligentias nostras,* id est, illas negligentias & defectus commissos, in orationibus, in officio diuino recitando, ô religiosi! mox adiungit. *Et in ira tua defecimus.* Agellius his vertit ex græc. *Et in ira tua malediximus.* Quomodò Dauid in ira Domini maledicis? ita, sed cui; operibus his malis, de quibus tam rigorosum debeo examen, vt igitur ab hoc rigoroso examine liber sim, maledico diuitijs, maledico luxuriæ, maledico honoribus, maledico crapulæ, maledico omni illi, quod ad malum me inuitat, & vt causam & originem tam rigorosi iudicis & examinis fugiam, *in ira tua defecimus: in ira tua maledeximus.*

Psal 89.

Hunc ipsum rigorem alio loco exprimere conatur dum Dominum Deum sic alloquitur. *Non intres in iudicium tuum cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Augustin. in hunc locum dicit, sancti Dauidis verba huius sensus esse. *Nolo litigemus, nolo tecum habere causam, vt ego proponam iustitiam meam tu conuincas iniquitatem meam;* ac deinde subiungit dicens. Quare times? Respondet in persona Dauidis Regis: *Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Ac si dicere voluisset, si tu in seueritate iustitiæ, & in rigore strictissimi examinis tui, acta nostra perscrutari, & misericordiæ tuæ viscera claudere velis, quis tam mundus, tam purus erit à peccatis, cuius acta & opera tam exacta atque absque errore erunt, vt in conspectu tuo comparere possit: ideo timor apprehendit me, & timor præoccupauit omnia viscera mea.

Psal. 142. S. August. in hunc locum.

Videte ergo, stulti, & vanitati dediti homines, qui corpori atque carni tantùm indulgetis, & desideria eius explentes huius tremendi diei, ac rigorosissimi obliuiscimini examinis; audite væ illud, quod vobis Ecclesiasticus prædicit. *Væ dissolutis corde qui non credunt Deo.* Væ vobis peccatores, qui non hominis, sed bestiæ vitam viuitis. Væ vobis qui nunc non vt prudentes, sed vt stulti ac mente capti agitis, de annis in annos, de men-

Ecclesiast. cap. 2.

menſibus in menſes, de ſeptimanis, in ſeptimanas, de diebus in dies, de horis in horas penitentiam differentes, ac ſi minimè dies hæc futura ſit, & ac ſi opera, ac ſcelera veſtra iniudicata manſura ſint. *Væ qui non credunt.* S. Ambroſius dicit impoſſibile eſſe hominem vitijs, delitijs, ac vanitati datum, credere poſſe futurum diem iudicij, & eius acta fore iudicanda; *Si mente crederent homines: quale iudicium immineat mundo, ſenſus hominis non diſpergerentur vanitati ſæculi*; & tamen non eſt, qui hunc diem ſincera recogitet mente, & tam rigoroſum ſibi imminere examen credat, & ad Deum ſe conuertere cogitet. Cum Deo rigoroſiſſimo iudice vobis agendum eſt, cum Deo qui omnia notat, omnia videt, & motus cordis veſtri penetrat, & perſcrutatur. Cum Deo illo ſupremo Monarcha, à quo ad alium appellatio non datur, qui teſtis, & iudex ſimul eſt, negotium habetis. Ergo tempore opportuno tibi ipſi prouideas ô miſer peccator! & hunc iratum tibi iudicem reconciliare ne negligas: nam inſtat ſeuerus ille dies, rigoroſum illud tibi imminet examen. Audi Sanctum Hieronymum hunc deſcribentem diem, & rigoroſiſſimum eius examen contemplantem ſupra illa Pſalmi verba: *In medio autem Deos diiudicat. Rex formidabilis, res terroris plena: ſi Deos diiudicat quid faciet de peccatore*, id eſt, ſi vitam illorum, qui cum omni poſſibili perfectione illam tranſegerunt tam rigoroſo examine ſcrutari velit; ſi acta ac opera eorum, qui in omni ſanctitate, & puritate Angelica vixerunt, tam ſtrictè perſcrutari, ac penetrare cogitet? quid miſero eueniet peccatori? quò miſer fugiet? quem patronum rogaturus inquiret? quo rigore acta eius, ſeueriſſima Dei iuſtitia penetrabit, & diligentiſſima atque exactiſsima examinabit inquiſitione. Tunc præſertim cùm cœlum ac terra contra ipſum inſurgent, vt teſtatur Iob. *Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra conſurget aduerſus eum. Quia in iudicio* (vt Liranus hîc dicit) *virtute Dei omnia peccata reuelabuntur.* Et gloſſa moralis in hunc locum. *Angeli cœleſtes & homines terreſtres contra eum erunt teſtes.* Cœlum contra te o peccator teſtabitur, & tua ſe vidiſſe crimina indubitato deponet iuramento, & tot, quot lucidas habet ſtellas, tot lucidiſſimos ac digniſſimos fide allegabit teſtes, & eorum teſtimonijs verum eſſe ſuum iuramentum probabit. Terra contra te inſurget, & tot pauperes in teſtimonium criminum tuorum adducet, quot in ſudore vultus ſui ipſam coluerunt & à te mercedem non receperunt, rem verbo quidquid viuit, quidquid moritur aduerſum te teſtificabitur, & inſurget. Horum accuſatorum, ac teſtium ſimul conſideratione, S. Hieron. tanto percutiebatur terrore, vt etiam cellulam in qua ſanctus Deo, & cæleſti contemplationi famulabatur, vt futuram contra ſeipſum teſtem pertimeſceret. *Ipſam quoque cellulam quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam.* O peccatores! conſiderate, & recogitate verba huius ſancti, & tunc inſaniam, ac cæcitatem veſtram, in qua verſamini cognoſcetis. Hic ſanctus vir prodigium erat pœnitentiæ, & in illa magis admirandus, quàm imitandus; carnificina propriæ carnis erat cellula eius, cilicio operiebat corpus ſuum, herbis & radicibus nutriebatur, & ſuſtentabatur vita eius, & die ac nocte, lachrymis de oculis eius fluentibus, & ſanguine guttatim de pectore eius ex lapidum percuſſione defluente pauimentum cellæ eius madebat; & timet illam in die iudicij teſtem contra ſeipſum futuram. O Hieronyme quid times? Bonorum operum tuorum vitæ tuæ ſanctiſsimæ fidelis erit teſtis cella tua. Non, non dicit Hieron. Nullus ſine crimine viuit. *Ipſam quoque cellulam quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam.* Quis ſcit num cogitatio-

S. Ambroſ. ad virg. lapſ. c. 8.

S. Hier. in Pſal. 81.

Iob cap. 20.

Liranus hic.

Gloſſ. mor.

S. Hier. de pericul. vitæ ſolit.

De teſtibus in hoc iudicio.

gitationes mihi aduenientes eâ diligentiâ diſcuſſerim, eo feruore ac conſtantiâ reiecerim, vt teneor, de hac negligentia, & iniuria timeo ne teſtis contra me futura ſit; & vos peccatores ſecuri veſtris inhabitatis domibus, vbi tot ſcandala, tot crimina, tot iniquitates committuntur. In quibus non eſt lapis, qui tuus, ſed pauperum ſudor, ac pupillorum ſanguis ſit. Et vos molliter ſtratus lectulis veſtris ſumma quiete, ac pace incubatis, vbi tot ſcelera, tot fornicationes, tot adulteria & alia plura horrenda patrata ſunt crimina. Et non timetis in futuro iudicio, & domum, & ſaxa, & lectum, & petras illas, quæ veſtras audiuerunt blaſphemias, & maledictiones, futuros contra vos rabidos accuſatores, ac teſtes.

S. Bernar. de inter. Dom. c. 58.

Sanctus Bernardus adhuc magis rigoroſum hoc exaggerat examen, & rigorem eius diſcooperit, cùm dicit, quot peccata fecimus, quot delicta commiſimus, tot futuros contra nos teſtes in rigoroſo illo ſcrutinio: imò Dei ſic diſponente, atque vigente iuſtitiâ, nos ipſimet aduerſum nos teſtificabimur, & nos accuſabimus, ac condemnabimus. *Cogente etiam ipſâ conſcientiâ, tu ipſe eris accuſator & iudex.* Superbia ac arrogantia tua contra te inſurget, & aduerſum te, ſtans clamabit vindictam, & ſollicitabit condemnationis ſententiam, ſic teſtatur Regius Vates. *Superbia eorum, qui te oderunt aſcendit ſemper.* Sanctus Hieronymus vertit, *Sonitus eorum, qui te oderunt aſcendit ſemper*; Vult dicere quod iam dixi. O Superbe! arrogantia tua, intumeſcentia illa tua vana clamabit contra te, odium illud tuum, quo proximum proſequeris aduerſum te inſurget & teſtificabitur. O Auare! auaritia tua aduerſus te clamabit, aurum, argentum, ſacculi illi pleni nummis, vaſa ac pocula aurea per vſuras, ac illicitos acquiſita contractus dabunt voces contra te, luxuria tua, crapulæ tuæ accuſabunt te. Audiamus quid Habacuc Propheta de his accuſatoribus dicat c. 2. *clamabit lapis de pariete.* Sed quid clamabit? Clamabit contra te, & diſcooperiet omni creaturæ, te in tali ac tali platea, talem, & talem per preces, per dona, & per vim & metum ſuo priuaſſe honore. *Clamabit lapis de pariete.* Saxa hæc, lateres, ac lapides huius Eccleſiæ clamabunt contra te, quia non intentione Dei percipiendi verbum, non ſacrum Miſſæ officium audiendi, non Deum pro remiſſione criminum tuorum deprecandi illam intraueris: ſed idolum cordis tui ſalutandi, ac videndi. O blaſpheme! *Ecce clamabunt lapides de pariete*: & tot tantaſque horrendas blaſphemias de immundo tuo ore contra ſanctiſſimum Deum & ſanctiſſimam eius Matrem prolatas, enarrabunt; ô vindicatiue! ecce lapides alij, ſanguine proximi tui rubeſcentes, clamabunt vindictam contra te, & te accuſabunt quod ob vnicum verbum hominem occideris; lachrymæ vxoris, ac filiorum occiſi per manus tuas crudeles, vidua ac pupilli facti, apud Deum pro condemnationis ſententia, inſtantiam facient. Paupercula illa deſolata mater, cui ob meram ſiniſtram ſuſpicionem crudeliſſimâ morte abſtuliſti filium, inſurgent contra te & occiſum manuducens filium, ſanguinem pro ſanguine petet. Seniculus ille pater, cui baculum ſenectutis tuâ abſtuliſti crudelitate, ſceleris huius à te commiſſi vltionem à Domino flagitabit. Clamabit contra vos, mulieres vanitati deditas ipſamet veſtra vanitas, contra obſtinationem veſtram, ſanguis hic Chriſti à vobis toties falſis confeſſionibus conculcatus; clamabit contra vos vindictam, & æternæ pronuntiabit condemnationis ſententiam. Audite ſanctum Apoſtolum ad Heb. cap. 2. *Et ſanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel*, dicere vult. Si Abel ſanguis à Cain effuſus in terram, accuſans Cain, vindictam clama-

Pſalm. 73.
S. Hier. hic.
Habacuc cap. 2.
Ad Heb. cap. 12.

clamabat, quantò magis Christi Sanguis à vobis toties, quoties peccata vestra occultatis in confessione effusus, & conculcatus contra vos stabit, accusabit, ac condemnabit.

Huius rigorosi examinis reminiscentiæ defectus, tot tantaque mala, ac horrenda inducit scelera in mundum; de hoc fonte omnis effluit iniquitas; nam si homines hæc iam condito sæpiùs animo

Psal. 31.

voluerent, eiusque contemplationi inuigilarent; quis esset tam audax, ac tam

Obliuio Iudicis origo peccatorum.

perditus qui committere vellet, de quo in hoc rigoroso examine tam accurata erit facienda inquisitio. Regius vates enarrat, Deum die quadam cœli aperuisse fenestras, & in mundum respexisse, hominumque contemplatum esse agendi modum: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum*; Sed ad quid Deus de cœlo in terram prospexit? *Vt videat si est intelligens aut requirens Deum.* Inquirere volebat, num adhuc quis in mundo viueret qui Deum coleret, Deum timeret, & à peccatis abstineret, malum declinaret & bonum faceret, vel saltem eum pro remissione patratorum criminum deprecaretur, quot in tanta multitudine hominum tales Deum reperisse creditis? ille ipse vobis dicet, ipsum interrogate: audite verba eius:

Psal. 31.

Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. O stupendam & admirandam hominum fatuitatem! nec vnus quidem repertus fuit, qui sincero seruiret corde, Deo, tantum iniquitatis diluuium inundauerat mundum. Sed quis fons ille sit, vnde in tanta copia, ac abundantia scelerum aqua effluxerit, & tanto criminum diluuio texerit, ac cooperuerit terram. Idem dicet: *Non est timor Dei ante oculos eorum* S. Hieronymus hîc scribit:

S. Hier. hîc.

Non enim metuunt futurum iudicium. Ergo tot malorum causa, tantarum iniquitatum fons atque origo, extremi iudicij eiusque rigorosi examinis obliuio est.

Si hæc hominibus cordi esset, sæpiusque nominaretur, nec tot mala, nec tot crimina & scelera essent, inter homines, sed quiscunque pro viribus peccata fugere, & bonis incumbere operibus & christianam colere perfectionem satageret. Legite Sanctum Hieronymum

S. Hier.

lib. 2. ad Pelag. reperietis inuectiuam, quâ stultos mundi huius peccatis ac vanitatibus deditos aggreditur, & ipsorum securitatem in peccatis viuendo increpat ac castigat dicens: *Luna erubescit, Sol confunditur, cœlum operitur cilicio, & nos intrepidi atque lætantes, quasi omnes careamus vitio, occurremus Iudicis Maiestati?* Maxima certè iniuria ac fatuitas hominum hæc est. Percipiunt enim atque intelligunt, manibusque palpant, tot tantosque timoris actus etiam irrationabiles atque insensibiles creaturas ob iudicis aduentum ostendere, & tamen non est, qui Dominum toto corde inquirat, & sincero animo ipsum colere desideret, & de hac inani ac stolidâ exire cupiat fatuitate, sed in rebus pessimis malas ambulant vias. Timeo certè, ne tales fatui, de numero eorum sint, quorum apud Sapientem fit mentio.

Prou. c. 2.

Lætantur cum malè fecerint & exultant in rebus pessimis: Et ex illâ stolidâ societate, qui ad inferni portas extremum suum exitium ante oculos habentes adhuc lætantur, & in media hac sua lætitia ad inferni lacum rapiuntur, quos Iob describit:

Iob c. 21.

Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Audistis finem huius fatuæ societatis, in momento, dum toti madent vino, dum alienum fœdant thorum, dum Deum atque Sanctos blasphemant, dum actu numerant pecunias vsurâ acquisitas, in puncto, morte subitaneâ moriuntur, & ad inferos descendunt. O Peccatores! hæc vita non est tempus lætandi, sed tempus plorandi; Dies, quos vobis Dominus elargitur, non sunt in committendis criminibus, sed in deplorandis pecca-

peccatis commissis terendi. Tempus timoris atque tremoris est; necesse est semper cogitare iam iam ante fores adstare iudicium, & iam sonitum tubæ ac clangorem aures vestras pulsare, quo-ad rigorosum iudicij citamini examen. Audite S. Ambros. & normam ab eo accipite, dies vitæ vestræ terendi in Ps. 118 *Væ mihi si non peccata mea defleuero, Væ mihi si non mediâ nocte surrexero ad confitendum tibi.* Vult dicere, qui saluus fieri desiderat, & de hoc rigoroso examine in-condemnatus abire optat, die ac nocte timere debet, semper peccata plangere, semper ob commissa dolere crimina, semper pœnitentiam agere, semper carnem mortificare, & in continuo timore atque tremore viuere. Magnum illud S. Ecclesiæ lumen Hieronym. Ezechiæ Regis comtemplans encomia, quibus, à Deo per sacram scripturam honoratur sic discurrit: Scriptura dicit: *Ezechias Rex fecit, quod erat placitum in oculis Domini.* Iusta, sancta ac recta opera eius erant, Domino placebant; Populum enim Dei liberauit ab idololatriæ grauissimo peccato, Deorum falsorum atque simulachrorum diruit templa, ipsorumque confregit ac contriuit statuas, Dei populum reduxit ad sui Creatoris cultum, mundauit templum Altissimi, aperuit valuas eius, restituit ordines Leuitarum atque Cantorum, &, vt finiam, talia fuerunt opera eius, qua lia à nullo Iudæorum Regum patrata fuerant. Nihilominus dum mortis instaret tempus, & Propheta à Domino mitteretur, qui iam iam adesse mortem nuntiaret, & ad dispositionem domus suæ exhortaretur dicens: *Dispone domui tuæ, quia morieris & non viues. Expauit & totus confusus conuertit faciem suam ad parietem, & fleuit Ezechias fletu magno.* Hic S. Hieronymus sistit, ac pedem suæ contemplationis firmans, sic ait: *Certè iustus erat Ezechias & corde perfecto. Iturus erat ad Dominum, plorare non debuit,*

S. Ambros.

S. Hier. 2. adu. Pelag.

Isai. 38.

S. Hier. ib.

ac si diceret: miror causam mœroris ac fletus sanctissimi huius Regis, Deus mittit Prophetam, vt eum ad nuptias æternæ inuitaret gloriæ: intimatur ipsi finis ærumnarum atque miseriarum præsentis vitæ, & æternæ gaudiorum atque consolationum aperitur porta, attamen plangit & flet; sed quæ causa tanti mœroris atque fletus esse potest in tam Sancto Rege. Audiamus Hieronymum, vbi suprà: *Quæris rationem fletuum? si cogitaueris hominem, non miraberis causas doloris.* Sanctus quidem Ezechias erat Rex, opera eius quæ fecerat, sancta quoque ac perfecta & Deo placita erant, vita eius, sine macula coram omni erat populo, sed hæc opera hominis non Angeli erant, fragilitati humanæ subiecta; poterant esse maculata, ex intentione vel alio fine non ita recto patrata, ideo timet cognoscens se miserum & peccatis subiectum. Audite Sancti verba: *nullus enim intrepidus vadit ad iudicium Domini habens conscientiam peccatorum*, ac si diceret: quisquis non cæcâ illâ pecatorum fatuitate laborat, & suam cognoscit fragilitatem & miseriam, quâ ad peccandum trahitur; etiam si sanctissimè viuat, & angelicam ducat vitam, semper timet iudicij diem, semper rigorosum illud exhorrescit atque expauescit examen, vbi intentiones & fines operum nostrorum rigorosissimâ inquisitione examinabuntur; Et nos miseri, qui toti in peccatis viuimus, quorum iniquitates supergressæ sunt capita nostra non timemus, non expauescimus hunc diem terribilem, & sine præuia pœnitentia immundi & maculati varijs criminibus Iudici nos sistere nullatenus veremur. O cæca fatuitas hominum! Sol confundetur in conspectu Iudicis, & lucem suam in tenebras mutabit, præ confusione sua Luna obscurabitur, & præ verecundia sua non lucebit. Terra præ timore

Quinam timuerunt hoc iudicium.

S. Hieron. vbi supra.

S. Hieron. vbi suprà.

more conteretur: & omnis creatura commouebitur ob irati Iudicis aduentum: & nos, qui scelerati sumus, & mille iniquitatibus coinquinatas habemus animas læti sine cura & absque timore in delicijs viuere volumus, & in operibus carnis dies nostros insumere cogitamus, & tamen in iudicio illo comparere, & rigoroso sistere nos examini audemus. O miseros, vanos ac fatuos! non audistis, quid Iob dicat c. 26. quòd angeli Dei, qui nunquam peccarunt, purissimi illi spiritus, semper innocentes, quibus nulla inesse macula potest, in tempore crudelissimæ huius vindictæ trement atque expauescent. Audite verba: *Columnæ eius contremiscunt & pauent ad nutum eius.* (*Iob c. 26.*) Similia verba apud S. Bernardum reperio: *Paueo gehennam, paueo Iudicis vultum ipsum quoque tremendum angelicis potestatibus*, (*S. Bernar. serm. 16. in Cant.*) id est, si supremæ illæ potestates timent ac tremunt ob Iudicis iram, cùm tamen innocentes sint, quomodo ego, qui peccator sum, & supra quem omnis furor effundendus erit, non timebo? & non totus tremebundus hunc recogitabo diem? Percipiamus & S. Basilij verba: (*S. Basil. hom 11. in Hexam.*) *Quis sine timore? ne angeli quidem adstant, & ipsi, non vt rationem dent Deo, sed tamen gloriosa apparitio omnibus timorem inijcit.* Angeli timent Dei iudicium, trement in Iudicis præsentia, non vt rei rationem reddituri, sed quia Iudex aliquâ nouâ tremendâ & inusitatâ apparebit gloriâ, ideo non erit creatura, quæ ob iram Iudicis non expauescet. Ah Deus meus! si semel tantùm, ô peccator hæc puro & quieto examinares corde? & tua infinita commissa consideraret scelera, de ijsque strictissimam rationem reddendam crederes, ac tibi iam iam iratum Iudicem in inusitatâ illâ gloriâ insedentem throno suo repræsentares, non dubito, quin mirabiles timoris & tremoris consideratio hæc in animo tuo causaret effectus, & idem tibi contingeret, quod Præsidi illi nomine Felici, cùm Sanctus Paulus de terribilitate Iudicij huius prædicaret, contigit. Act. c. 24. (*Act c. 24.*) *Disputante autem illo de iudicio futuro tremefactus est Felix.* Liranus addit: *Ex auditu talium*, quia tantùm audiebat Paulum talia prædicantem totus pauidus toto corpore tremere cœpit.

His de causis Dauid peccatores omnes alloquitur atque exhortatur ad mala euitanda, & peccata deserenda, ac peruersam atque deprauatam vitam derelinquemdam, dum ait: *Nolite iniquè agere.* (*Psal 72.*) Glossa interlinealis in hunc locum sic habet: *Non perseueretis in malo.* (*Gloss inter l.*) Cessate, cessate ô peccatores! tandem aliquando à peccatis, frangite cursum criminosæ vitæ vestræ; sed quare? *quoniam Deus Iudex est*, & omnia tua acta rigoroso examine percurret, & ne minimam cogitationem iniustam, nec minimum motum cordis tui inordinatum iniudicatum pertransiet. *Quoniam Deus Iudex est*, non est, qui iudicantis Iudicis possit cohibere manus. Sanctus Augustinus in hunc locum: (*Aug. hic*) *Iudex ergo talis est, qui vitiari non potest, quia Deus est* id est ille qui omnia videt, ad quem vltima datur appellatio, Iudex est, hæc Sanctus Ieremias capite 15. dicere volebat. (*Ieré. c. 15*) *Quis enim miserebitur tui Ierusalem?* ac si diceret, si Deus contra te iratus est, à quo poteris sperare misericordiam? quis erit Sanctus ille, qui tunc tuam suscipiens causam tuum aget Patronum & Dei, pro te implorabit misericordiam? Ideo Ecclesia mater timens ac tremens in sequentia Missæ pro defunctis ita cantat: *Quid sum miser tum dicturus, quem patronum rogaturus, cùm vix iustus sit securus.* Habebunt Sancti satis quod secum agant, suarum actionum reddent rationem, quis ergo miserebitur tui? Audite Doctissimum Liranum ad hæc verba. (*Liran. h[ic]*) *Quasi dicat, nullus post tanta mala à te perpetrata.* Sanctus Franciscus ad tuas preces tunc surdus erit, Sanctus Domi-

Dominicus non te exaudiet, tuus Patronus ac aduocatus pro te non deprecabitur, imò ipsa sanctissima Virgo aliàs mater misericordiæ sua clausa habebit viscera, & te tunc non respiciet. Quis enim miserebitur tui? Nullus, nullus, imò omnes lætabuntur diuinam esse adimpletam iustitiam. *Aut quis contristabitur pro te?* Nullus, nullus, dicit Sanctus Ieremias, vt enim explicat Liranus hunc locum. *Quilibet iustus magis lætatur de impletione diuinæ iustitiæ.* Beatus ille Thomas de Villa-nouâ nominatus habet: *Non ibi prædicandi locus, nullus nobis intercessor assistet, qui pro vobis verbum loquatur: non Beata Virgo, non Angelus, non Apostolus propiabitur pereunti.*

Liranus hic.

Finem huic primæ imponens parti cum Regio Propheta vos omnes alloquor: *Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum.* Liranus hîc habet, *Mandata eius contemnendo.* Theodoretus explicans hunc Psalmum sic scribit: *Diligenter considerate singula, quæ dicta sunt.* Ac si dicerent hi omnes: Ah peccatores, ne ita inconsideratè viuatis, aperiantur tandem aliquando oculi mentis vestræ, non de vno die, non de vno mense, non de vno anno, non de decem, centum, mille & millenis agitur annis, sed de tota æternitate: de cœlo, de inferno negotium est: Animæ vestræ res agitur: sic nunc dispomite vitam vestram, sic dirigite actus vestros, vt benedictorum sententiam audire valeatis: *Venite benedicti Patris mei*, & non maledictorum; *ite maledicti in ignem æternum*; & dum hæc recogitatis, paululum quiesco.

Psal. 49. Liranus hic. S. Theodoretus in hunc psal. Matth. cap. 25.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM

FInito rigorosissimo hoc examine, intellectis atque benè examinatis testibus, auditis accusationibus nouam & inusitatam induet Iudex Maiestatem totus plenus irâ ac indignatione suo insidens thronô ad sinistram vertet se partem, & totus indignabundus oculis suis præ ira ignem ac flammam spirantibus Dæmonem cum omnibus suis sequacibus respiciet, & hoc suo intuitu incredibili afficiet tormento, & timore ac tremore implebit, & irreuocabilem pronuntiabit sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* O iniqui & scelerati! quoties vos amorosis ad meam amicitiam inuitaui verbis, & surdi fuistis, quoties vos volui sub alis amoris mei, vt gallina pullos suos, congregare, & noluistis. Prouerb. c. 1. *Vocaui & renuistis*, nunc recedite à me & quidem in ignem æternum. Vos peccatores! qui tot tantorumque concionatorum à me ad vos missorum verba & paternas admonitiones audire noluistis, vos, qui nugas & fabulas hæc nunc præsentia prædicastis & credidistis, *discedite à me*; Vos qui maluistis maledictionem, quàm benedictionem, *discedite à me.* Vos qui Iustorum ac sanctorum fugistis societatem, vos qui odio prosecuti estis religiosos bonos & ipsorum fugistis consortium, *discedite, discedite à me.* Sed quònam ô Deus meus! homines ituri sunt? Ad infernum cum Diabolo & Angelis eius, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Ite, ite in carcerem illum obscurum, ite, ite in lacum ignis, ite cum Diabolis in maledictionis locum. Et quamdiu ibi mansuri sunt, mi bone Deus? vsque in æternum, non mille millenis annis, sed semper, semper vsque in æternum *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*

Matth. c. 25. De sententia terribili in reprobos. Prou. c. 1. Matth. c. 25.

Hæc velim ô stulte ac fatue peccator, consideres, & dicas mihi, quid ibi ages? quomodò in æternis illis flammis tempus teres? quibus frueris gustibus? quomodò inter Diabolos manere poteris vsque in æternum? & horum nequissimorum spirituum malignâ ac odiosâ frui conuersatione? Et hæc tamen erunt, nam vita tua peruersa à qua desistere non vis, hanc mihi facit

certitudinem; vita enim tua, quam agis, non est cœli vita viæ tuæ, quas ambulas, non paradisi, sed inferni ac æternæ condemnationis viæ sunt, & si mihi fidem dare neges, tuam interroga conscientiam, clariùs tibi hanc doctrinam prædicabit. Vide, vide, ô stulte & fatue peccator! ne te vllâ horâ deceptum fateri cogaris, & modò dum tempus est, reforma vitam tuam pessimam & emenda. Quid putas? non de vna pœnarum ac suppliciorum agitur die, non de annis, sed de æternitate tota. De tua anima res agitur, si illam perdas, & gloriam & cœlum & gloriosissimum Dei vultum perdes, & in æternum Diabolorum socius eris. *Væ illis, væ illis*, dicit Sanctus Augustinus, *qui cum Diabolo mansionem habebunt*. Væ vobis peccatores! cùm non lucem, sed æternas inhabitabitis pœnarum tenebras; non videbitis nisi horrenda & abominabilia monstra, non aliud quàm Diaconum ac infernalium percipietis serpentium stridores: hæc misera sors iniquorum ac peruersorum erit.

S. August. tract. 21.

At iustorum sors melior atque felicior est. Beati vos, qui dies vestros in sanctitate ducitis, & salutem vestram in pœnitentia & in operibus Deo placitis certam facere satagitis. Nolite dubitare, opus vestrum non defraudabitur; nam cùm nunc carnem vestram per pœnitentiæ opera maceratis, & animas vestras rigore vitæ iudicatis, & in sacro pœnitentiæ fonte ab omni peccatorum sorde abluitis, die illa iam à vobis ipsimet sic iudicatæ, examinatæ ac mundatæ, coronam gloriæ à Domino recepturæ sunt. O quàm diuersa sors vestra ab illa peccatorum! illi à sinistris vt reprobi hœdi, vos à dextris vt electi agni stabitis in die illâ; illi vt maledicti, vos vt benedicti, illi vt iam damnati & æternis addicti pœnis, vos vt liberati & æternis deputati gaudijs. O iusti! non videbitis vos in Iudice vllam iram, aut indignationem contra vos, sed cum omni affabilitate & amoris affectu vos respiciet, & suam benedictam eleuans manum in æternum benedicet, & benedicens dicet: *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*: venite fructus amarissimæ meæ passionis, pretium crucis meæ. Ecce ego sum Pater & frater vester: venite filij ad charissimum vestrum Patrem, accedite ad amantissimum vestrum Fratrem, intrate mecum in gloriosum regnum meum, percipite coronam gloriæ quæ vobis ab æterno à sanctissimo patre meo parata est, & retributionem omnium operum vestrorum & laborum vestrorum. *Hospes apud vos eram & collegistis me*, pauper ad vestras pulsabam portas, aperuistis & introduxistis me cum cordis affectu; nudus eram & vos me vestijstis; esuriebam & sitiebam, & vos tribuistis mihi in abundantia cibum, & potum, & ministrastis mihi in omni humanitate. Sic nunc retribuam vobis: venite in domum benedicti patris mei, recipite in regno meo mercedem horum laborum vestrorum; vt mihi ministrastis ad tempus apponendo me mensis vestris, sic in æternum apponam vos lautissimæ mensæ Patris mei, & transiens vt promisi, ministrabo vobis in æternum. Hanc felicissimam Beatorum sortem S. Paulus 1. ad Thessal. c. 4. descripsit, atque lucidissimis expressit verbis dicens: quid putatis ac iudicatis de futura nostra sorte ac iniquorum; ipsi à Dæmonibus rapientur, & ad infernum trahentur ad suas meritas pœnas in æternum luendas. Nos verò audacter Iudici venienti obuiam procedemus, imò nubibus à Domino circumdabimur & ijs tamquam triumphi curribus per aëra cum ipso rapiemur in æternum cum ipso regnaturi. *Deinde nos qui viuimus qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiã Christo in aëra & sic sẽper cum Domino erimus.*

Matth. c. 25.

De mitt. Electos.

S. Luc. c. 12.

1. Thess. c. 4.

Hæc

Hæc fiducia iustorum est, hâc securitate donati Iudici obuiam procedent. *Rapiemur obuiam Christo* Sed quâ securitate, quâ fiduciâ hæc expectare & sibi promittere ac in electorum numero se ponere quis potest? Ecce Christus dat iusto talem fiduciam atque securitatem, sanguis eius pro salute eius effusus hæc sperare & certò sibi promittere iubet, vulnera eius pretiosissima hanc eius futuram assecurant gloriam. *Rapiemur obuiam Christo*, & benedictam illam vocem audire nos faciet: *Venite, venite benedicti Patri mei.* Aures iusti non attingent horribilia Christi verba: *Discedite, discedite à me maledicti.* O auditores! qui Cœlum petitis, hæc verba baculus & pera itineris vestri sint: non sit dies, non sit hora, quâ mens vestra hæc non ruminet. Susanna illa apud Prophetam Danielem cap. 13 dicebat, *angustiæ mihi vndique sunt*, o quot angustias, quot anxietates reprobis illud *discedite* causabit! in quam afflicto & misero ponit statu, *Discedite, discedite à me in ignem æternum.* Et contrà quantâ consolatione & gaudio perfundentur ac obruentur Sancti & electi Dei dum illud: *Venite, venite* audituri sunt! ad quam felicem sortem hoc *Venite, venite & percipite* Regnum Patris mei constituet!

Ad horum continuam ruminationem audiamus exhortantem Sanctum Bonauenturam in soliloq: cap. 3. O *anima mea nunquam excidat è memoria tua illud, venite benedicti percipite regnum. Et quid potest lamentabilius atque terribilius excogitari quàm discedite, & quid delectabilius exprimi quàm venite? Duæ sunt voces, nihil iucundius vnâ, nihil terribilius alterâ.* O anima Christiana! desideras audire die illa istud *venite, venite*, nunc tibi non displiceat audire illud *venite, venite*, quo Christus ad suæ nunc te vocat imitationis vitæ normam: *venite post me*. Nunc cum S. Paulo carnem tuam crucifigere

S. Bonau.

Matth. 4.

non durum tibi sit, malum fugere & bonum operari tibi non displiceat, *Venite, venite post me.* Christum imitemini in omnibus, quæ vera Christiana perfectio est.

O Fratres mei, si nos faceremus, quæ facere debemus, & ex parte nostræ obligationis defectu non exsurgat, certos vos de futurâ Dei misericordia esse sciatis, & si vos Christo in imitatione eius non deeritis, nec ipse vobis in die illa sua deerit benignitate. Ergo hodie incipiamus vitam nostram emendare, & ad Christi normam dirigere, eumque imitari. Satagat quisque viam pacis & salutis, bonorumque operum ac virtutum currere, & sic currendo studeat faciem aduenientis Iudicis peccatorum suorum bonâ præuenire confessione, ad quam à Regio inuitamur Psalmista. *Præoccupemus faciem eius in confessione*, id est, vera, integra contritione, & plenâ confessione. Audire libeat Sanctum Augustinum hæc verba explicantem, & ostendentem, qualiter quisquis saluus esse, & hæc verba: *venite, venite, percipite regnum*, audire cupit, agere, & in confessione Domini faciem præuenire debeat: *Venturus est, præueniemus faciem eius in confessione antequam veniat: nos confitendo damnemus, quod fecimus, vt ille quod coronet, non quod damnet, inueniat*: ac si diceret: quò seueriores & rigidiores contra nosmetipsos in examine conscientiæ nostræ reperiemur, eò mitiorem & clementiorem Iudicem inueniemus, & sic securi erimus à tremendis illis verbis quæ condemnati audituri sint: *Ite maledicti in ignem.* Sic Sanctus Augustinus serm. 38. de Sanctis docuit: *Ab auditione mala non timebit, auditum malum quem audituri sunt impij: Discedite à me maledicti in ignem æternum*, qui nunc Christum imitari satagitis, nequaquam verba illa maledictionis audietis. Vt igitur die illâ ab horum auditione liberi sint, nunc illa ruminare non pigeat. Audite pro con-

Quomodo duram reproborum sortem effugere possimus.

Psal. 94.

S. August. in hunc Psalm.

S. August.

clusione Sancti Augustini verba: *Irreuocabilis sententia erit, quæ ideo multò ante prædicitur, vt à nobis totis viribus caueatur.* Væ miseris hæc ruminare verba negligentibus! væ stultis ac fatuis peccatoribus nunc faciem Iudicis in confessione præuenire non curantibus! Væ, væ illis non inuigilantibus hanc rigorosam effugere diem! quid cogitatis o miseri de æternitate, de tormentis nunquam cessantibus, de igne semper arsuro agitur; nunc ergo mecum pedes accedite Domini, & eius mecum implorare gratiam non displiceat.

O animarum nostrarum Redemptor! qui vt nobis vitam dares, pro te durissimam & ignominiosissimam elegisti mortem, qui vt nobis subuenires, vitam tuam perdere non curasti. Tu vt ignem æternum ob scelera nostra patrata iam nobis præparatum extingueres, diluuium sanguinis de tuis sparsisti visceribus; da gratiam & adiuua in nosmetipsos redire & nostras congnoscere fatuitates, vt sic secundùm vitæ tuæ normam, nostram dirigere, sanctè & piè viuere, & æternæ maledictionis sententiam effugere valeamus. Amen. Apostrophe ad Christum crucifixum.

DISCVRSVS SEXTVS
PRO DIE MARTIS POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.
ARGVMENTVM.

Præsentis Discursus sanctissimum Nomen, IESVS, *scopus est, Prima parte, puncto Primo excellentia atque sublimitas eius: Secundo Puncto pœnæ ac supplicia hoc sanctissimum Nomen despicientium exhibentur. Secunda parte, puncto tertio demonstratur, qualis Dei Ecclesiis, vbi ad Deum orandum conuenimus, debeatur reuerentia.*

Thema.

Hic est IESVS *Propheta à Nazareth Galileæ,* Matth. cap. 21.



Ex Gloriæ ac Redemptor noster Christus die quâdam, vt Matth. cap. 8. legimus, ventis exacerbatis & tumultuantibus in mari silentium inducens furorem eorum compescuit, & Ecce statim sistunt ac silent, turbato mari & furiosis vndis pacem ac tranquillitatem reddidit, & Ecce obediunt. Accurrunt mox homines, admirantur, interrogans quisquis proximum suum: *Quis est hic, quia mare & venti obediunt illi?* Alio tempore curat, infirmos, de obsessis corporibus eijcit dæmonia, curatos dimittit insuper eis remittens peccata, vt videre est Luc. cap. 7. Congregantur vicini, admirantur omnes iterum interrogantes: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Et ecce hodierna die ducens triumphum vt verus Israëlitarum Rex ac Dominus, Regiam intrat Hierosolymam; fit rumor

mor atque motus in populo, & clamant omnes, *Quis est hic? Quis est hic?* Alta quæstio & sublimis hæc interrogatio est, Auditores. quisnam Christus sit, humanam omnem excedit solutionem; Solus Pater, solus Deus qui cœlum & terram creauit, solus ille, cui æqualis in gloria atque Deitate est, dicere potest, quis Christus sit. Audiamus ergo Patrem æternum: *Quis est hic? Quis est hic? Hic est Filius meus dilectus*, inquit; Interrogemus & ipsum Christum. Respondebit: *Ego sum primus & nouissimus.* Dicat & Spiritus sanctus, *quis est hic? Ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum.* Act. 10. Respondeant prophetæ, *quis est hic?* Audite Isaiam c. 45. quid de eo sentiat: *Verè tu es Deus absconditus.* Audiamus & Apostolorum opinionem, *quis est hic?* Respondet omnium loco Petrus: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Sed quid, Auditores, nos de nostro triumphante dicemus Christo? quem eum esse confitebimur? *Quis est hic? quis est hic?* Clamemus cum Hebræorum pueris atque altissimâ voce dicamus. *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galileæ.* Hæc est illa laudabilis Hebræorum puerorum confessio, à Dauide Patre atque Rege ipsorum prophetizata Psalmo 8. *Ex ore infantiam & lactentium perfecisti laudem.* Nunquam homo taliter Christum laudare atque prædicare potuisset, vt Hebræorum pueri his fecerunt verbis: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilea:* Maior laus, maior confessio reperibilis non erat pro Christo, quàm, *hic est Iesus.* Hoc ergo sanctissimum nomen pro scopo discursus hodiernâ die elegi. Primo puncto excellentiam & dignitatem huius nominis, quantaque reuerentiâ dignum sit, considerabimus. Secundo loco pœnas, quas illi, qui irreuerenter ore suo promunt & blasphemant incurrant ac mereantur, exhibebo. Tertio puncto & secunda parte, quam reuerentiam Domus Dei, id est, Ecclesia, vbi ad laudandum Deum conuenimus à nobis requirat atque exipat ostendam, attenti estote.

Matth. c.21. & 7.

Apoc. c. 1.

Actor. 10.

Isai. c. 45.

Matth. c. 16. & 1.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Hic est IESVS *Propheta à Nazareth Galileæ.* Matth. c. 21.

MAgnus ac gloriosus Rex Dauid in spiritu, Christi hodiernum considerans triumphum præuidit prophetico spiritu, quomodò Hebræorum pueri hodie essent, laudaturi Christum, in quem finem illis Psalm. 112. composuit: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.* Et hæc laus non à solis pueris Christo tribuatur, nomen eius non infantes tantum laudent, verùm laus hæc omnium gentium pronuntietur ore: *Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & vsque in sæculum.* Non sit laus sub cælo, vbi hæc vox laudis non audiatur ab omni creatura: *A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.* Hoc gloriosum illud nomen est, quod dominatur omnibus gentibus in terra & excellentiâ suâ transcendit omnem cœlorum gloriam. *Excelsus super omnes gentes Dominus & super cœlos gloria eius.* Hoc excellentissimum & potentissimum nomen Domini est. Quis enim Dominorum alius reperibilis est, qui cœlos altissimos inhabitet, & supra & infra illos omne quod est, eius pateat oculis, vt Dominus noster; qui IESVS vocatur? *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra?* Hoc nomen illud mirabile est, quod miserorum subuenit necessitati atque eos de miserijs subleuat. *Suscitans à terra inopem & de stercore erigens pauperem.* Hoc illud ineffabile nomen est, quod adorantes in electorum numerum collocat, ciues efficit cœlestis Ierusalem. *Vt collocet*

Psalm. 112.

Psalmus 112. compositus in laudem nominis IESV.

collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Hoc fructificans & celeberrimum nomen illud est, memoria cuius steriles spiritu consolans fructiferos reddit, & afflictos omni implet iucunditate & lætitia *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Hic Psalmus ille est, quem Propheta in laudem huius sanctissimi composuit nominis, & dulcisonâ suâ cytharâ psallere solebat, admirabile illud prædicans atque demonstrans. Et non absque fundamento, nam nil in eo est atque continetur, quod non admirabile sit.

Et quod hæc summa sit veritas; memoriæ vestræ occurrere vellem crudelissimum illud bellum in latissimis Empyrei cœli campis inter luciferum supremum Angelum cum suis reprobis, & Sanctum Michaëlem cum bonis atque electis Angelis gestum. Lucifer suæ admirabili gloriæ & pulchritudini nimiùm inhians altissimo similem prædicari se cupiebat. *In cœlum* Isai.c.14. *conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum & similis ero altissimo.* Opponit se Sanctus Michaël, & cum suis adhærentibus fortissimâ inclamat voce: *Quis vt Deus?* qui clamor tantæ virtutis tantique valoris fuit, vt tota illa gloria ac pulchritudo luciferi in teterrimam diaboli formam in vno momento mutaretur, & mox cum suis adhærentibus de cœlo in tenebrarum lacum deturbatus caderet. Sic legimus Apoc. c. 12. *Factum est prælium magnum in cœlo, Michaël* Apoc. c. 12. *& Angeli eius prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius & non prævaluerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo, & proiectus est draco ipse magnus.* Horsum, Quæ armatura tam potens (Virtus Nominis Iesu ad prostrādum dæmonem.) tantæque fuit virtutis, quæ potestas, quâ sanctus Archangelus Michaël tam potentem superauit atque deiecit, hostem? Nomen Dei, Nomen hoc admirabile, IESVS, sic S. Bernardinus Senensis affirmat: *Existimo, quod Angeli boni dicebant: Viuat Iesus, viuat Iesus, & ad vocem* (S. Bernardinus Senens. tom. 4. serm. 41.) *huius nominis dæmones resistere non potuerunt, quin de paradisi apice in abyssum caderent.*

Hac propositâ Doctrinâ atque Sancti huius opinione, Apostolorum Christi relationem, quam apud Lucam cap. (Luc. c. 10.) 10. Christo faciunt, sat lucidè nunc intelligo: *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Id est, tot millia, tot legiones dæmonum de obsessis eiecimus corporibus, & in tenebrarum relegauimus carcerem, & totum hoc vi ac virtute nominis tui. IESVS, efficimus, audite, quid dulcis respondeat Iesus lætabundis suis discipulis: *Videbam sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* id est, dum sathanas de cœlo cadebat, præsens eram, & benè videbam.

Horsum Auditores. Quis non admiretur hæc Christi respondentis verba? Apostoli dicunt, in tuo nomine eiecimus dæmonia, enarrant, quomodò illo audito atque percepto corpora quæ inhabitabant, reliquerint atque aufugerint. Christus respondet, de cœlo se vidisse per modum fulguris sathanam cadentem. Mysterium latens in Christi verbis S. Bernardinus Senensis suprà aperit & dicit, his verbis Christum Apostolis indicare voluisse, Michaëlem Archangelum in huius Nominis virtute luciferum de cœlo deturbasse, ac in infernum detrusisse. Audiamus Sancti verba: *Quasi vellet dicere, ne admiremini, si* (S. Bernardinus Senens. vbi suprà.) *in virtute mei Nominis expelleris dæmonia, quia in nomine meo fuerunt expulsi de paradiso ruendo tanquam fulgur, quod vno impetu descendit.* Videtis, dilectissimi, quàm prodigiosum hoc sacrosanctum Domini nomen, Iesus, si: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galileæ.* Hoc primum prodigium in cœlis est, quod hoc sacrosanctum operatum est nomen Domini. De cœlis ergo descendendo in terram audiamus, qualia prodigia in eâ fecerit.

Dico primò prodigiosam illam Israëlitici populi liberationem de durissimo

simo ac tyrannico Pharaonis iugo vi ac virtute huius sanctissimi Nominis deductam fuisse in effectum: pro cuius intelligentia: Verba Dei, quibus Moysen, dum eum pro liberando populo mittit, alloquitur. Percipite: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac & Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Scias, Moyses, eundem Dominum ac Deum me esse, qui Abraham, Isaac & Iacob in diuersis apparui occasionibus, & cum eis sermonem habui, attamen nulli ipsorum vnquam volui admirabile & gloriosum nomen meum reuelare, quod nunc tibi reuelo. Sanctus Iustinus Martyr considerans hunc Dei actum non solùm miratur diuinam dispositionem, sed profundius intrans mysterium penetrat, & dicit: hoc nomen tam gloriosum atque efficax, in quo Moyses populum Israëlem de captiuitate liberare debebat, & Abraham ac alijs celatum fuerat, admirable nomen, Iesus, fuisse. Audiamus ipsum hoc asserentem: *Fuit nomen, Iesus, quod ait Abrahamo nuntiatum non esse.* Nomen illud admirabile, quod Abrahamo, Isaaco, Iacobo à Deo reuelatum non fuerat sed Moysi prodigiosum, erat nomen Iesus, Moysi reuelatur, quia per virtutem illius nominis tot tantaque prodigia facturus & Israël liberaturus erat: in huius enim virtute nominis Moyses Ægyptum ingreditur: apud Pharaonem gratam habet audientiam, monet ac suadet Dei dimittere populum, & tergiuersantem atque nolentem inauditis percutit plagis: In huius prodigiosi nominis virtute tot tantaque patrauit, vi huius aqua mutata est in sanguinem, tenebris, cimerijs totus fuit obductus Ægyptus, demum virtute huius Israel educitur de Ægypto, liberatur de catenis seruitutis Regis Pharaonis, & siccatur mare, transit Israël sicco pede profundissimos pelagi campos, & mirabilia Dei perlustrat; Et Rex Pharao cum suo exercitu validissimis obruitur vndis, atque Dei populus saluus & incolumis promissionis terræ attingit terminos. Sic sanctus Iustinus vbi suprà. Audiamus verba eius: *Virtute nominis populus exijt ab eo deductus, qui Iesu nomen acceperat.* Ergo liberator ac Redemptor qui populum hunc durissimâ Ægypti liberauit seruitute, non Moyses, non Aaron, non Iosue, sed prodigiosum & admirabile hoc nomen fuit. Sanctus Theodoretus quæstione 15. in Exod. Et scripturæ etiam adest locus.

Exod. c. 6.

In virtute Nominis Iesu Israel liberatus de seruitute Ægyptiaca.

S. Iustinus Martyr Dial. cum Trypho.

S. Iustinus Martyr vbi suprà.

Legistisne apud sanctum Iudam Apostolum verba illa: *Iesus populum de terra Ægypti saluans.* Tostatus hæc considerans ait: Quomodò Iesus poterat saluare ac liberare populum Dei de durissima Pharaonis seruitute, & de Ægypto in terram promissionis inducere, si tempore illo nec Verbum incarnatum, nec Iesus à purissimâ Virgine natus fuerat? Respondet, hoc non de Iesu iam incarnato, nec de Verbo iam caro facto, verùm de supposito illo diuino, quod solum Verbum erat, intelligendum esse, cui iam ab æterno hoc sacrosanctum nomen inditum erat, & nobis in tempore reuelatum fuit: sed magis arridet & placet sancti Iustini vbi suprà opinio, cuius hæc verba sunt: *Virtute nominis populus exijt ab eo deductus, qui Iesu nomen acceperat.* Eiusdem opinionis atque sententiæ est Didymus Alexandrinus. Sed doctissimus & acutissimus Hugo Cardinalis solito suo acumine profundiùs locum hunc penetrat, & lucidissimis verbis hanc confirmat sententiam in hunc modum. *Iesus non Filius Naue scilicet Iosue, sed Dominus noster; qui non à partu Virginis initium habuit, sed erat Deus æternus, qui natus de Virgine nomen, Iesus, accepit, hic, inquam, Iesus per Iosue significatus eduxit populum Israëliticum de terra Ægypti, vt nec ab Ægyptijs tangeretur, nec infirmitatibus vel defectibus grauaretur.* Ergo in virtute admirabilis huius nominis prodigiosa illa peracta fuit libe-

S. Iudae Apost. Epist. Canon.

Tostatus quæst. in Exod.

S. Iust. mart. vbi suprà.

Didym. Alexand.

Hugo Card. hic.

ratio atque redemptio. Videtis, Auditores? quàm admirabile hoc sacrosanctum nomen sit, quàm prodigiosos habeat effectus. *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilea.*

Sanctus Propheta Isaias considerans statum nouæ legis & spiritu prophetico libertatem Concionatorum describens, quâ bonum annunciare, atque Dei populo prædicare debebant, in sequentia prorupit verba: *Quàm pulchri super montes pedes annuntiantes bonum!* id est, pulchrum ac iucundum mihi est spectaculum videre concionatores nouæ legis de montibus, id est, cathedris, annuntiare bonum, arguere malum & sine vllo timore aut respectu veritatem cunctis dicere. Interlinealis loco huius verbi, *bonum*, ponit *Euangelium*, ac si dixisset secundum opinionem Origenis in Præfat. 10. *Euangelizabant Apostoli bona, scilicet Iesum*, vult dicere: Certè omni admiratione atque stupore digna res est videre duodecim Apostolos Christi pauperes, natiuitate humiles, Hebræos, apud omnes gentes despectos, incognitos, qui litteras non didicerant cum mundi sapientibus disputantes eosque confundentes, atque Christum & hoc eius nomen sine vllo respectu prædicantes, atque in solo nomine cuiusdam mortui & condemnati ad crucis patibulum æternam annuntiantes salutem. Doctoris verba percipere libeat. *Nec miretur quisquam si nomine bonorum numero multitudinis exposuerimus annuntiari Iesum ab Euangelizantibus, facilè enim intelligetur, quomodò multa bona sit Iesus. Vita bonum est, Iesus est vita, resurrectio bona est, Iesus est resurrectio; lux mundi bona est, Iesus est lux vera, veritas ostium, sapientia, potentia, thesaurus denique omne bonum Iesus est.* Ne quis ergo admiretur, quòd doctus hic vir per Isaiæ *bonum* hoc sanctum & admirabile intelligat bonum, nam qui, Iesus, dicit, idem dicit ac omne bonum, & Iesus omne bonum est. Sic sanctus

Isai. c. 52. Hoc nomen animat verbi Dei præcones.

Interlin. hîc.

Origen. in Pref. 10.

Franciscus: O Iesu, ô Deus meus & omnia, dicere volebat. Id Hebræorum pueri atque infantes Christo occurentes atque eum laudantes dum altâ clamarent voce: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilea*, dicere ac prædicare intendebant. Sed altiùs assurgamus.

Nomen hoc non solum prodigioso atque admirabili gaudet titulo, verùm etiam amoris insignitur atque honoratur nominibus, nam veri amoris nomen est, huius veritatis eximios atque excellentes apud sanctos Euangelistas inuenietis effectus; sit vnus pro multis Matth. cap. 21. *Accesserunt ad eum cœci & claudi & sanauit eos.* O nomen! in quo omnis abscondita dulcedo est, origo salutis nostræ continetur, & contra omnia occurrentia nobis mala & infirmitates infinita salutis media proponuntur & offeruntur. Amorosum atque salutiferum illud nomen, cùm paralyticus ille à Iesu sanatus, Ioan. c. 5. in synagogâ à Scribis & Pharisæis examinaretur, & opus hoc, quod Christus in eo patrauerat, exprobraretur, ac si non à Deo proveniret, cùm in sabbato factum fuisset, vt fortissimum scutum eorum obiecit opprobrijs atque impertinentibus obiectionibus: dicens: *quia Iesus esset, qui fecit eum sanum*; Ac si diceret: An sabbato tale opus patrare licitum sit, an ille qui sanum me fecit, malè in hoc egerit, testari nequeo; hoc vnicum scio, quòd homo ille, qui me à paralysi liberauit, qui sanitati me restituit, & hanc mihi gratiam in sabbato præstitit, *Iesus* vocetur. Est autem in responsione huius paralytici notandum quòd non dixit, *quia Christus Messias esset, qui fecit eum sanum*; sed cur non dixit, & in hoc locus est sensu, cùm tamen à plurimis Rabbi & Messias vocaretur? scitis quare? volebat omnibus palam facere nomen hoc Iesu verum & vnicum & gazophylacium amoris atque charitatis esse, ita vt ad portas eius in-

vocanti

Nomen Iesus, nomen amoris gratiarum est.

Matth. 21.

Ioan. c.

S. Gaud. tract. 2 de paralyt.

inuocanti vel pulsanti nullus amoris atque salutis effectus denegari possit; Audiamus Sanctum Gaudentium, cuius hic conceptus est: *Sciebat vtpote Hebraeus, nomen Iesus ex virtute descendere sanitatis, ille, inquit, me sanum fecit, cuius & nomen salus est, & quomodo potest salus per praescriptum legem prohiberi ne sanet.* Iesum ergo Paralyticus & non Messiam, Christum aut Rabboni adducit; sciebat enim nomen hoc Iesus idem dicere velle ac Saluator. Vt ergo Pharisaeis demonstraret, quòd vbi Iesus esset, ibi & vera reperiatur salus, hoc amorosissimum nomen in medium adducit: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galileae.* Nota satis historia illa est, quam Iosue c. 2. habemus. Legimus ibi, populi Dei supremum Capitaneum nomine Iosue viros duos explorandi causâ de populo in ciuitatem Iericho misisse, qui cùm intrassent, & quò se verterent, nescirent, meretrix quaedam compassione mota in domum suam ipsos recepit, & cum hac incolis cogniti atque discooperti inquirerentur de nocte extra ciuitatem per muros dimisit eos, qui actus ipsi & omni eius domui attulit salutem, atque effecit, vt captâ ciuitate, cùm omnes trucidarentur, ipsa sola cum suâ domo liberaretur, & seruaretur à morte. *Misit igitur Iosue duos viros exploratores in abscondito & dixit eis: Ite & considerate vrbem Iericho qui pergentes ingressi sunt domum meretricis nomine Raab.* Aureum illud eloquentiae flumen S. Chrysostomus hîc subintrat, & meretricis actionem considerans inquirit, vnde foeminae meretrici tanta securitas atque fiducia salutis, quam per os duorum exploratorum acceperat, quibus reuerà hîc nulla danda erat fides. Respondet dicens: non in exploratorum promissis hanc suam fundasse fiduciam & salutis securitatem; sed in nomine Iesus, cuius vmbra atque figura erat Iosue nomen, qui illam à morte saluare debebat. Audiamus Sanctum: *Nihil mihi desperandum est. Noui Raabam meretricem in porta ciuitatis misericordiam sui peccati obtinuisse, qui enim seruauit illam Iesus Filius Naue, figuram veri Iesu referebat: bona meretrici pro opere bono donantur & retribuuntur: sic igitur nomen Iesus tunc salutem & remissionem tribuit.* Si ergo vmbra huius sanctissimi Nominis salutem talem operata est, & meretricem à periculo vitae & aeternae quidem damnationis statu, quantò magis nunc nobis reuelatum, & omnibus ad inuocandum expositum, salutem, si inuocetur, in nobis operabitur. Inundant nos mala, & diluuium rursus mundum inundet, insurgant aduersum nos omnia infernalia castra, obruant nos omnes tribulationes ac aduersitates mundi, hoc inuocemus nomen, in hoc quaeramus salutem & saluabimur & intacti atque illaesi euademus. Sic Ioel attestatur Propheta c. 2. *Et omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Hic effectus huius sanctissimi nominis ansam dedit sancto Antonio de Padua sequenti nos imbuere doctrinâ. *Cùm tentaris, dic diabolo, in nomine Iesu, qui imperauit ventis, recede à me,* & sic victor euades. Et hic finis est, quem sancta Romana habet Ecclesia, dum omnes orationes (vt Rupertus Abbas animadvertit) hoc sanctissimo concludit nomine: *Per Dominum nostrum Iesum Christum.* Et meritò vtitur hâc formulâ, & quidquid à Deo Patre petit, in nomine hoc Iesu petit; nam firmâ tenet fide, quòd omne id, quod in hoc sanctissimo petit nomine, à Deo Patre obtentura sic, ne quidquam deuotè hoc inuocato nomine ipsi negari possit, nam securitatis huius ipsiusmet dulcissimi sui sponsi verba habet Ioannes capite decimo sexto, vbi omnium Patrem in hoc inuocantium nomine securas atque certas petitiones facit. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ideo Rupertus exclamat dicens: *Saluatoris mos & Catholica haec sancta Ecclesiae orandi regula est, vt in omni oratione, quam ad Patrem diri-*

Iosue c. 2.

[P]er hoc [n]omen [R]aab sal[u]ata est.

S Chrysost. tom. 3. serm. in peccatric.

Ioel. cap. 2.

S. Anton. de Padua serm. 3. post Epiph.

Ioan. c. 16.

Rup. Abb.

dirigit, subiungat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Percepistis, Auditores, virtutum atque efficaciam Sanctissimi huius nominis sanandi & liberandi nos ab omni malo? nunc percipere vobis lubeat, quantâ internâ spiritus dulcedine atque consolationis nectare deuotè illud ore voluentium animas repleat. Audiamus mellifluum Bernardum, quid circa hanc animarum sentiat dulcedinem. Anima deuotè & reuerenter ore voluens sanctissimum hoc nomen saccaria atque mellis excedente dulcedinem liquore impletur, aures dulcissimo pulsantur sono omnium musicæ instrumentorum suauitatem longè superante, cor verò inexplicabili repletur iubilo atque iucunditate; Verba hæc sunt: *In ore mel mirificum, in aure dulce canticum, in corde grande gaudium*, & alibi: *Nil canitur suauius, nil auditur incundius, nil cogitatur dulcius, quàm Iesus Dei Filius.* Nec Bernardus solus expertus fuit hanc dulcedinem sub sanctissimo hoc nomine absconditam. Percipite qualem sanctus Augustinus gustaverit, vt in suis Soliloquijs attestatur: *O nomen dulce, nomen delectabile, nomen bonæ spei*; ac si diceret: Cùm dulcissimum hoc nomen devotè ac reuerenter meo reuoluerem ore, atque dentibus cordis mei masticarem latentes eius qualitates, dulcedine omnem aliam excedente replebatur anima mea; delectatione, cui similis reperibilis non est, obruebatur cor meum, & plurimorum aliorum bonorum spe confortabatur mens mea. Quid dico? tanta inest sanctissimo huic nomine dulcedo, vt vix pronuntiato hoc nomine os omni repleatur dulcedine; sic attestatur sponsa: *Mel & lac sub lingua eius.* Imò ipsamet pronuntiatio huius nominis & circumstantes replet summâ suauitate, vt sponsa vbi suprà fidem facit, *vox enim tua dulcis.* Nomen hoc sanctissimum de cœlo diffluens illa dulcedo est, quâ omnis mundi huius amaritudo dulcis efficitur, omnis aduersitas atque tribulatio in gaudium atque complacentiam transmútatur, imò ipsimet acerbissimi cruciatus & inaudita tormenta in delicias transferuntur. Legite Actor. cap. 5. inuenietis tali amaritudine sanctos Apostolos oppressos, quâ maior sub cœlo excogitari non poterat, & tamen hilares, lætos, consolatos & plenos omni reperietis gaudio. Vnde hoc? dulcissimi huius nominis effectus erant. Audite verba textus. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Dicite mihi, Auditores, quid terribilius morte sub sole? certè nihil, nam sola memoria eius omnem aufert consolationem, omne gaudium vertit in luctum, & omnem dulcedinem in amaritudinem. Sic Ecclesi. exclamat: *O mors, quàm amara est memoria tua!* Nihilominus hæc sanctis dulcissima est, in huius memoria atque consideratione summâ fruuntur consolatione, & vt dulcissimum quid appetunt, & quæ omnibus amara ac dura videtur, ijs vt dulcis & suauissimus euenit somnus. Vnde hoc? efficaciâ atque virtute sanctissimi & dulcissimi huius nominis. Videamus doctrinæ huius exemplum in Actor. Apostol. cap. 7. Obruitur Sanctus Stephanus lapidibus, mors suâ amaritudine sanctum aggreditur Diaconum; quid facit Athleta Christi ad hanc auertendam amaritudinem, dulcissimum hoc inuocat nomen. *Domine Iesu suscipe spiritum meum*: quid sequitur prolato hoc sancto nomine? tantâ repletur dulcedine os Sancti Diaconi, & tantâ consolatione atque iucunditate anima eius perfunditur, vt dulcissimo soporatus somno in summâ dulcedine animam sanctam & immaculatam Deo reddat; *& cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino.*

Tanta inest sanctissimo nomini huic dulcedo, vt amaritudo nulla in mundo reperi-

Effectus Nominis Iesu in anima.

S. Bern. in Psal. 5.

S. August. in Soliloq.

Cantic. 4.

Actor. 5.

Eccles. c. 41.

Actor. c. 7.

reperibilis sit, quam hoc nomen in summam non vertat suauitatem. Sic S. Augustinus in soliloquijs: *Per te omnia dulcorantur.* In tanta amaritudine erat Sanctus ille vir Iob, vt in quamcunque partem oculos suos verteret, plagis amarissimis circumdatum se conspiceret, vt ipsemet cap. 1. testatur: *In amaritudinibus moratur oculus meus*, quocunque oculos vertero, tristitiâ impletur cor meum, si filios respicio, crudelis abstulit mors, si camelos, si oues & boues considero, latrones abduxerunt, si domos meas atque habitacula inspicio, aceruum lapidum reperio; si frumentum, cineres deprehendo, si vxorem, blasphemantem audio; vertam me quocunque voluero, nil nisi summam reperio amaritudinem. *In amaritudinibus moratur oculus meus.* Nihilominus hæ omnes amaritudines in dulcedinem & summam suauitatem illi conuertebantur, sed quo medio? dulcissimi huius nominis pronuntiatione; in momento enim illo, quo mœrore obruebatur sanctus ille vir, ad dulcissimum hoc currebat pharmacum, & amaritudini dulcissimum hoc miscens nomen dulcem & suauem efficiebat. Adest puer, nuncium apportat, famulos ac pastores Chaldæorum percussos gladio & greges omnes abductos esse. Quid agit Sanctus vir amarum hoc percipiens nuncium? pharmacum dulcissimum apprehendit, ac miscens amaritudini dicit: *Sit nomen Domini benedictum.* Adhuc puero illo loquente, puer alter adest, filiorum atque filiarum annuntiat mortem, quid Sanctus agit vir amarissima filiorum & filiarum mortis repletus memoriâ? dulcissimo huic accurrit nomini, & apprehenso illo amarissimo suo apponit cordi, & illa memoria amara fit dulcis, *Sit nomen Domini benedictum*, blasphemat eum vxor, vituperijs exacerbat animum atque cor eius, & summâ replet amaritudine, quo medio vtitur Sanctus vir ad fœminæ sedandi rabiem, & amaritudinem in dulcedinem conuertendi? quam repetit inuentionem? ore suo dulcissimum hoc apprehendit nomen dicens: *Sit nomen Domini benedictum.* Sic sic & nos oportet, inquit Origenes, facere, cùm filiorum atque filiarum mors vestra implet corda amaritudine, cùm dispendium substantiæ vestræ mœstos vos reddit; huic accurrite dulcissimo pharmaco, hoc sanctum nomen deuotè ore vestro teratis, & amaritudo omnis in summam vobis conuertetur dulcedinem. Origenes l. 1. in Iob. *Dicemus in omnibus idem cum sinceritate: Sit nomen Domini benedictum.* Atque hæc de admirabili excellentia sanctissimi nominis huius dixisse sufficiat, nunc breuiter vobis reuerentiam atque respectum huic sacro-sancto debitum nomini exhibebo.

S. August. — Orig. l. 1. in Iob.

PVNCTVM SECVNDVM.

QVàm profunda reuerentia hoc sanctissimum sit colendum nomen, & quàm inexplicabili respectu ore promendum, & quàm summo auribus percipiendum sit honore, sanctum in hoc audiamus Paulum Apostolum ad Philipp. cap. 2. *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cœlestium, terrestium & infernorum.* Id est; Deus vnico Filio suo tam sublime, altum ac gloriosum dedit nomen, & tantam ei tribuit excellentiam atque dignitatem, vt omne aliud nomen in cœlis & in terris excellentiâ & dignitate superet, in cœlis ab angelis adoretur, in terris ab hominibus colatur, in inferno à Dæmonibus timetur. Sic Liranus hîc. *Id est, vt omnes ei exhibeant reuerentiam, Angeli, homines & Dæmones.* Hæc Sancti Pauli verba, Auditores, speculum nobis sint; in quo videre possi-

S. Paul. ad Philip. c. 2.

Quænam reuerentia debita huic nomini.

possitis, quâ deuotione, quo honore, quâ reuerentiâ, sanctissimum, hoc nomen ore Christiani proferendum sit, quid prodest Christiano ad omne opus, ad omnem actum, hoc sanctissimum nomen mouere ore suo, si cordis non debita tribuatur ei reuerentia. Occurrat vobis, Auditores, quid S. Petrus olim fecerit. Obambulabat hic porticum Salomonis, vidit eum adiacens claudus, eleëmosynam ab ipso requirit, quem intuens compassione motus eleëmosynæ

Act.c.3.

loco, cùm aurum & argentem vnde ei tribueret, non haberet, sanitati restituit

In nomine Iesu claudi ambulant. *S.August. ferm 28.de verb.Apost*

sic eum alloquens; *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula*, ac si diceret, vt S. Augustinus explicat. Eleëmosynam à me petis, hanc tibi plusquam libenter tribuerem, sed pauper sum, Christi Apostolus sum, quorum professio est nec aurum nec argentum possidere; attamen de substantia, quam veri Christi discipuli in thesauro cordis sui portant, tuæ succurram necessitati. Iesus thesaurus meus est, nomen hoc in corde meo porto, de corde meo promo, atque tibi do & dico: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Audiamus Ecclesiæ Sanctæ Luminis verba: *Quid igitur hâc paupertate ditius argentum, & aurum non habeo, videamus, qui aurum non habet, quid habet? fidem habet, virtutem Iesu habet.* vt & nos sciremus, quòd cor hominis vbi auri & argenti resideat affectus, minimè huius sanctissimi nominis gazophylacium esse possit, nam tantùm puris & purgatis à terrenis omnibus affectibus inhabitat animis, & in talium ore tam diuites causat effectus. Quis nunc ô Christiani! tam perditus est, qui dulcissimo huic nomini dignum habitaculum in corde suo denegare velit. O quàm felices sunt illi! qui nunc debito honore atque conuenienti reuerentiâ hoc sanctum nomen inuocant & colunt. Audite mirabile quid à S. Bernardino Senensi tom. 1. serm. 41. c. 2. prolatum.

Scimus omnes, quantæ angustiæ mortis sint, quàm terribilis hora illa nobis futura sit; nam tunc nec aurum nec argentum tantâ auiditate quæsitum adiuuare poterit decumbentem, numerosus famulatus contra ictus mortis Dominum suum minimè defendere sufficiet, amicorum & consanguineorum nullum sperandum auxilium, nam vndique mortis angustijs ciuitas animæ nostræ circumuallata, vndique inimicorum castris circumdata, nullam admittet consolationem, solum hoc dulcissimum nomen tantæ efficaciæ ac virtutis est, vt inuocatum hos penetret cunios, & etiam peruersissimi peccatoris omni amaritudine oppressum cor dulcescere, & in his subleuare angustijs possit. Verba Sancti hæc sunt: *Quicunque scelestissimus peccator debitè inuocauerit in vltimo vitæ nomen Iesus, saluabitur, iuxta illud Prophetæ Ioel cap. 2. Quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* In cuius doctrinæ confirmationem Sancti Bonauenturæ sententiam appono. Considerat dolorem & mœstitiam in Sanctis Apostolis per Christi ascensionem causatam, & consolationem per Angelum de de cœlis ipsis transmissam. *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*: Inquit Sanctus, cur sic mœstos & afflictos cœlum intuentes his angeli alloquantur verbis. Respondet dicens: ad nostram informationem hæc prolata esse verba, vt sciremus, nulli cœlorum patere ascensum & auditum, nisi per hoc dulcissimum nomen Iesus. Ponam formalia S. Doctoris verba: *Qui enim cœlum ascendere desiderat, hoc nomen Iesu inuocet.*

Scelestissimi vitâ æternâ donantur.

S.Bern. Sen. tom. 1.serm.41. in Luc.2. Ioel.c.2.

Act.1.

Ergo hoc sacro-sanctum nomen summa à nobis venerandum reuerentiâ, summâ colendum deuotione, atque profun-

profundissima adorandum est humilitate, nam tanto zelo honoris ac reuerentiæ nominis huius diuina ardet Maiestas, vt illud humano generi publicare angelico voluerit ore S. Matth. Euangelista cap. 1. suam exorditur Euangelicam historiam sic dicens: *Christi generatio hæc erat*, non dicit Iesu Christi, sed in silentio transit hoc sanctissimum nomen: rationem cuius S. Paschasius in hunc locum pulchram reddit: *Christi enim nomen solum sine additamento Iesu hic posuisse creditur, vt eum intelligeres, de quo Propheta dixerat: vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis; Et nomen Iesu quod substantialiter illi inerat, Angelo dicendum reseruaret.* Idem doctissimus Origenes Hom. 14. in Luc. 2. pridem ante ipsum elegantissimis exarauerat verbis: *Vocabulum, Iesu gloriosum omni adoratu cultuque appellari, neque ab eis efferri in mundum, sed ab excellenti quadam maiorique natura: vnde signanter Euangelista addidit dicens: Et vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur.* Videtis, quo honoris zelo erga hoc sanctissimum nomen teneatur Altissimus. Hoc sanctissimum nomen necessariò vt salutis portam mundo publicari opus erat; nomen hoc extra quod salus non est, hominibus exhibendum erat, sed non Prophetarum, non sanctissimæ Virginis omnium creaturarum purissimæ, sed purissimi spiritus ore: hoc Deus fieri voluit: tanta eius enim excellentia est, vt dum promitur, angelico promi debeat ore, purissimo angelicó debet ruminari palato.

S. Paschas. Abb. in c. 1. Matth. Psal. 44.

Orig. homil. 14. in Luc. c. 2.

Nomen Iesu Angelus primus nominauit.

Ad te nunc vertor Christiane: Dic mihi, quomodò tu sanctissimum hoc nomen colis, honoras, atque adoras? quâ reuerentiâ hoc sacro-sanctum pignus salutis tuæ immundissimo pro-mis ore? ad omne opus, ad omnem actum, ad omne verbum bonum aut malum, licitum aut illicitum, honestum aut inhonestum sine vlla distinctione temporum aut rerum hoc sacro-sanctum à te pronuntiatur nomen. Sed quid dico? quot reperiuntur, qui tantùm non in vanum ore suo promunt hoc nomen, & sine vlla reuerentia aut honore nominant; sed quod peius est, blasphemant. Conqueritur de his Deus apud Isaiam. cap. 52. *Tota die nomen meum blasphemant.* Quæ aliæ voces, dum poculis atque epulis seruitis, audiuntur, quàm hoc sacrum blasphemantes nomen? accedat quis mercatores, audiat atque intelligat in foro atque plateis congregationum discursus; vix verba tria proferuntur, vbi non grauissimæ interueniant blasphemiæ. O Christiani! sub cœlo malitia maior non est, quàm Diaboli; sed hoc sacrum nomen dum blasphemo profertis ore, in hoc & Dæmones superatis. Dæmones colunt & reuerentur hoc nomen, si non amore saltem terrore atque tremore, nam audito hoc terrentur, timore perculsi protinus recedunt & fugiunt reuerenter proferentem: Et Christiani illud blasphemare audent, & sine vllo respectu, differentia atque distinctione immundo proferre ore. Doctrina hæc non mea, sed est Sancti Gregorij Nazianzeni orat. 21. vbi sic loquitur: *Et quidem Dæmones ad Christi nomen cohorrescunt, nec scelerum nostrorum grauitate vis huius nominis obliterata & exstincta est: nos verò rem nomenque; adeò venerandum contumeliâ afficere nil veremur.*

Isa c. 52.

Ingens blasphemia hoc inhonorare nomen.

S. Gregor. Nazian. orat. 21.

Sanctus Iudas Apostolus Iesv Christi in sua Catholica Epistola certamen de Moysi corpore inter Michaëlem Archangelum & Luciferum inferni Principem referens dicit, noluisse blasphemare Michaëlem, neque maledicere Lucifero, neque similibus abigere verbis & armis, sed dixisse, imperet tibi Deus: Verba hæc sunt: *Cùm Michaël Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, imperet tibi Deus.* Moyse

S. Iudas in Epist. Canon.

Moyse mortuo Dæmon corpus eius habere desiderabat, vt mediante illo Dei populum ad Idololatriæ induceret cultum, quod sanctissimus animaduertens Michaël Archangelus à Deo supremus custos huic ordinatus populo occurrit futuro malo, & Dæmonem aggreditur, atque sic disputando altercantur de corpore Moysis. Poterat Archangelus Michaël iustissimis de causis Dæmonem blasphemiæ atque maledictionis percutere iudicio, sed noluit & cohibuit se, & sic sibi contrarium reijcere noluit.

Et hoc actu Michaëlis Archangeli Doctissimus Liranus insignem elicit consequentiam dicens. Quis negabit, blasphemiæ peccatum non nisi grauissimum esse peccatum? poterat licitè Sanctus Archangelus Michaël Dæmonem blasphemare, & maledictionis abigere fulgere, sed noluit. Quid ergo dicendum de ijs Christianis, qui Deum suum & hoc sacro-sanctum nomen eius sine vllo blasphemant timore atque terrore? nónne grauissimum & inauditum erit peccatum? Audiamus Doctoris verba: *Et per hoc patet, quòd blasphemare Deum, cuius natura est excellentior in infinitum, est grauissimum peccatum.* Ideo Glossa interlin. in hunc locum omnem tam rigidè prohibet blasphemiam dicens: *Vos non debetis blasphemare, quia nec Michaël blasphemauit.* Dolendum certè est, tantam Christianis inesse malitiam: sed non minor est illorum, qui dum blasphemantibus adstant, & horrendas auribus percipiunt blasphemias, nec os operire & immundas eorum fauces obturare audent. Ah! grauissimum committitis peccatum, si verbis non potestis obturare immundissima hæc ora, manibus fortiter percutiendo obturate, nam per ictus tales vestras Domino manus consecrabitis. Non mea hæc doctrina, sed S. Ioan. Chrysostomi ad populum est: audire libeat, quid sentiat: *Si quempiam in foro blasphemantem audieris, auidè increpa, & si verbera infligere oporteat, ne recuses, ipsius faciem alapâ percute, contere os ipsius, percussione manum tuam sanctifica.* Rigidus certè hic sanctus in sua est sententia. Sed quid diceret, si tempore nostro matres & Patres balbutientes adhuc infantes aut blasphemiæ verba docentes aut ab ipsis prolata audientes deprehenderet? nónne inauditum scelus hoc proclamaret? nunquid vt maleficos igni tradendos iudicaret? O Christiani, quam dura vobis erit reddenda ratio, quod cùm filios vestros atque filias blasphemantes auditis, non crudeli castigetis manu; hîc nulla habenda est patientia, hîc paternæ pietatis exuenda sunt viscera, grauissima enim peccata hæc vestris imputabuntur animabus.

Grauissimum scelus blasphemare.

Liran. hic.

Gloss. interlin. hic.

Imò etiam audire blasphemantes & non corrigere.

S. Chrys.

Sed quid de his dicemus, Auditores, qui nomen Domini alios blasphemare faciunt, & tot tantarumque blasphemiarum causa atque origo sunt? nónne hi grauissimo offendunt peccato? nónne & his horrenda expectanda sunt æternæ damnationis supplicia? Sanguineis certè deplorandum est lachrymis, nunc tales reperiri Christianos, qui recreantur, dum alios blasphemare audiunt, qui mille inquirunt media, mille indagant adinuentiones, vt proximum suum in hanc Diabolicam deturbent fossam, blasphemare faciant Patrem suum. Lib. 2. Regum cap. 12. legimus, Deum in Dauidem Regem seuerissimè animaduertisse, eò quòd aliquibus blasphemandi causa fuerat, & quidem in pupilla oculi sui castigasse, nam Filius super omnes dilectus mori debuit. Audite verba sacri textus: *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Doctissimus Saluianus Marsiliensium Pastor atque Præsul super hoc Dei facto longo discurrit sermone, varia ac rigorosissima ponderat pœnitentiæ opera, quibus Sanctus Dauid

Ansam blasphemandi præbere.

2. Reg. c. 12.

Saluian. de Gubern. Dei l. 4.

Dauid Deum placare, & filij obtinere vitam nitebatur; & tamen hæc nullius fuisse effectus vehementissimè admiratur. Inquirit tandem tantæ duritiei in diuino pectore causam, & cur cùm Deus naturâ pœnitentibus petitas concedere gratias facilis sit, nunc aures obturet, ac misericordiæ locus nullus sit reperibilis, sed dilectus debeat mori filius. Respondet tandem singulari hoc Dei fuisse factum prouidentiâ filius debuit mori, vt grauitas peccatorum, qui alios blasphemare faciunt nomen Domini, hominibus exhiberetur. Audiamus verba eius: *Ex quo intelligi potest, quòd nullum penitus maioris periculi crimen est quàm blasphemandi causam gentibus dare.* Nunc, auditores, arguere mihi liceat. Si tam enorme scelus est gentibus & infidelibus, qui in condemnationis statu viuunt, blasphemandi præbere occasionem, quale non erit, si quis proximum suum & in Christum credentem, sanctissimum eius nomen blasphemare faciat? si quis filios & filias blasphemare doceat, & ijs dum blasphemant, arrideat? Admiramini filiorum atque filiarum immaturæ mortis causas? inquirite, examinate conscientias vestras; scrutamini actus atque opera vestra, reperietis, vos proximos vestros, filios vestros atque filias, seruos atque ancillas blasphemare fecisse nomen Domini, vel ijs blasphemantibus arrisisse, nec pro culpæ modo in eos animaduertisse.

Ansam blasphemandi præbere.

Legite Zachariam Prophetam c. 5. & reperietis vatem sacrum mirabilem quemdam per aëreos volantem campos intueri librum: *Ego video volumen volans.* Sed quid scriptum in hoc libro sacro exhibebatur Prophetæ? quænam in illo legenda proponebantur Zachariæ sancto? Vultis scire? hominum erant blasphemiæ atque maledictiones: *Hæc est maledictio quæ egreditur super omnem faciem terræ.* Sed ad quid liber hic in aëre sic circumuolabat? quis finis volatûs? Audite verba sacri textus: *Et veniet vltio diuina ad domum iurantis in nomine meo mendaciter*, dicit Liranus, ac si diceret: Liber hic mille habet oculos, in aëre hinc inde vagatur singulorum perlustrans domos, si blasphemos & mendaciter iurantes reperit; intrat & quidquid in domo est, subuertit; filios atque filias morti tradit, supellectilem & totam substantiam dispendio consumit, imò & muros ipsos & ligna domus conterit, destruit, & in minutissimos redigit pulueres. Audiamus eius verba: *Et commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius & lapides eius, id est, totam progeniem transgressorum.* O Christiani! quot sunt nobilissimæ familiæ, quæ antè florebant, & in multitudine diuitiarum & redituum suorum gloriabantur! nunc maiores earum banniti ac exules per orbem vagantur, & locum in sua non reperiunt ciuitate. Vxores eorum miserijs consumuntur, filij & filiæ ostiatim sustentantur, atque eleëmosynâ viuunt. O Sancte Deus! vnde tot mala? quænam talis immutationis origo atque causa est? Ecce inspicite hunc librum, inquirite, & inuenietis nomen alicuius vel aliquorum ex familia huic inscriptum, qui aut ipsi blasphemauêre, vel alios nomen Altissimi blasphemare fecerunt. *Et veniet vltio diuina ad domum iurantis in nomine meo mendaciter.* Quot mercatores aliàs opulentissimos vnâ die, vnâ horâ ad extremam videmus redactos paupertatem? vnde rogo tam subitanea immutatio? totius crediti dispendium, atque extremæ eius ruinæ origo? Librum inspicite, inter blasphemos & mendaciter iurantes nomina eorum notata reperietis. *Et veniet vltio diuina ad domum iurantis, in nomine meo mendaciter.* Cur pulcherrima mulierum aliquorum forma in horrendam transmutatur aliquando mortis vmbram? vt semper miseræ, semper infirmæ, sem-

Zach. c. 5.

Liran. hîc.

Pœna blasphemantium.

semper afflictæ sint; librum hunc aperite, librum hunc interrogate, & dicet feminam hanc vel illam blasphemam esse, atque mendaciter in nomine Domini iurare. Vultis audire breuiter quid blasphemo atque mendaciter iuranti expectandum est? Omne malum, omnis calamitas, omne infortunium atque omnimoda ruina. *Nam hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: & veniet vltio diuina ad domum iurantis in nomine meo mendaciter.*

Iob. c. 2. In lib. Iob cap. 2. feminam reperio sancto insultantem viro, illumque ad blasphemiæ verba incitantem, ac omnibus modis conantem vel vnicum saltem contra Dominum extorquere. Sed ad quid toties reiecta bellum reiterat sancto viro atque maioribus redit armata instantijs? Breuiter dicam: Puto compassione motam id egisse: nam cùm tot tantisque miserijs oppressum, atque dirissimis flagellis à dæmone conspiceret cæsum, illi condolebat, & mortem vt aptissimum earum leuamem ac vnicum atque infallibile medium ex his omnibus malis euadendi proponebat; cùm sciret blasphemo infallibiliter ipsam inferendam fore; ad blasphemiæ proferenda verba contra Dominum, tot tantisque modis instigauit virum, dicens: *Benedic Deo & morere.* Septuaginta legunt: *Dic aliquod verbum contra Dominum & morere.* Id est ad subitaneam vel improuisam mortem infligendam plurimorum verborum blasphemiæ opus non est, vnicum verbum sic prolatum sufficientissimum est ad omne malum, ad ipsam subitaneam inducendam mortem. Cupida ergo mulier Iob, sancti viri mortis, & cùm ei blasphemiæ crimen eiusque natura atque effectus sat nota erant, ad verbum aliquod blasphemiæ proferendum incitat, inde certam ac indubitatam sperans mortem. Sic Apollinaris in hunc locum: *Blasphemiam solam statuebat, quâ subitam necem afferret*; nam blasphemiæ vehementissimum venenum est, cordis interna statim occupans atque subitaneâ tollens nece hominem.

Lect. Septuaginta interp.

Apollin. hic.

Fructus reuerenter proferentium nomẽ IESV.

Pro conclusione primæ huius partis vnicam adhuc audite quæstionem. Inter Decalogi præcepta secundum est, Dei nomen in vanum non assumere. Nunc autem passim hoc fieri omnes, prô dolor! videmus. vix verbum bonum aut malum profertur, quod nomen hoc non comitetur; inter licita aut illicita sine vllo actuum discrimine, sine vllo præuio examine, atque honore hoc sacrum pronuntiatur nomen. Vnde rogo tam parua reuerentia, exiguus respectus ad hoc sacro-sanctum nomen in hominibus originem habet? Legite S. Bernardum, & reperietis id quod inquirimus: *Non nouit nomen eius, qui illud assumit in vanum: qui dicit ei: Domine, Domine, & non facit quæ dicit ipse. Non nouit nomen eius, qui eum nec honorat vt Patrem, nec vt Dominum timet.* Ac si diceret: Causam scire cupitis, cur tam inconsideratè, sine vllo honore, differentiâ, respectu, distinctione temporum, atque rerum ab hominibus his temporibus Dei proferatur nomen? Non cognoscunt, neque cogitant quis sit Deus, nec sperant, nec credunt ex hoc nomine solo ipsos saluandos fore; ideo ad omne verbum, ad omnem actum, & quod peius est, ad ipsamet peccata patranda hoc sanctissimum nomen Iesus assumitur.

S. Bernard. in Psal. 9.

Plurimis insigniter priuilegijs deuotè, ac cum debita reuerentia hoc inuocans nomen Iesu; vnicum quod refert Sanctus Paulus ad Romanos c. 10. referam. *Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit*, O inauditum priuilegium deuotè inuocantium hoc sanctum nomen! Iesus Christus erat Altissimi Filius; immaculatus Agnus, Hostia in qua non erat macula; nihilominus vt intraret in gloriam suam, vt ipsemet apud S. Lucam c. 22, cùm duobus

Ad Rom. c. 10.

duobus discipulis apparuisset, attestatur, crucis in patibulo debuit sustinere mortem. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam?* Et nos tam facilè sine labore vllo, solius huius sancti Nominis inuocatione, debita cum reuerentia atque honore æternam possumus attingere gloriam, & salutis intrare portas. *Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.*

S. Luc. c. 21.

O dulcissime Iesu, vnicam supplico gratiam à diuina tua Maiestate, cùm hodie diuina tua Maiestas, gloriosum ingressum in regiam celebraret ciuitatem Hierosolymam, populus ciuitatis illius dignatus fuit hoc sanctissimum promere nomen, clamans: *Hic est Iesus*, sic mihi omnibusque alijs ô dulcissime Iesu comtingat, vt dum de hac exibimus ciuitate atque hunc relinquemus mundum, hoc sanctissimum nomen tuum inuocare, atque reuerenti liceat promere ore & nomen dicere *Iesus*, *Iesus*, & huic sanctissimæ tuæ adiungere Matris, & discere, *Iesus Maria*, sint vltimæ meæ syllabæ *Iesus*, *Iesus*, *Maria*, his nominibus armatus atque munitus tuo sistar throno atque judicio. Interim quiescamus.

Apostrophe ad crucifixum.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM

PErcepistis, Auditores, Dei zelum erga hoc sanctissimum Nomen suum; nunc videre libeat Christum in domo Dei zelantem atque zelo Dei honoris, qui Dei debetur domui, accensum; ementes & vendentes, ejicientem templo, atque hoc actu nobis demonstrantem, quantus honor, reuerentia atque respectus Dei debeatur domibus atque Ecclesijs, Matth. cap. 21. *Intrauit Iesus templum Dei, & ejciebat omnes vendentes & ementes in templo.* Id est, cùm Iesus docendi causâ populum, in Dei intrasset templum, reperit illic plurimos profanatores; quibus visis, arreptis quibusdam funibus, quibus fortè victimæ adductæ fuerant, & in flagelli modum dispositis, contra illos insurgens, mensas inuertit, merces dispergit; imò & ipsosmet diris afficiens ictibus, templo ejicit, atque sequentibus increpat verbis: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Quo facto ostendere voluit Dei templa non nisi ad Deum colendum fundata esse, nullumque ibi actum licitum nisi directè ad Dei mouentem gloriam atque honorem.

Matth. c. 21.

Templa quo in honore habēda sint.

Lib. 3. Reg. c. 2. describitur famosi illius Salomonis templi structura, consecratio, & dedicatio. Illius finis solus Dei fuit honor atque gloria, ideo ipsemet suâ præsentiâ dedicationem honorare, atque consecrare voluit domum suam. Sic Salomon attestatur, ipsiusmet Dei adducens verba: *Sanctificaui domum hanc, quam ædificasti vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum.* Ac si dicere voluisset: Hanc domum, quam mihi ædificasti, elegi mihi pro habitaculo meo, ibique sanctum meum volo habitare nomen. Cum igitur illud sanctissimum sit, atque omni honore atque reuerentiâ colendum, illud sanctificare volui, & ab omnibus vt sanctum haberi iubeo. Audistis superiùs quantis subiaceant maledictionibus, qui Dei inhonorant nomen, nec minoribus Dei profanantes templa subijciantur: ideo in summo honore habenda, summâ inhabitanda reuerentiâ sunt.

3. Reg c. 9.

Nullus dubitare poterit, Verbi Incarnationis finem nostam fuisse redemptionem, quæ per acutissimos dolores & crudelissima tormenta, imò per ipsam mortem in crucis patibulo executioni danda erat; nihilominus vt capite 8. apud sanctum Ioannem Evangelistam legimus, cùm Iudæi ipsum lapidare intenderent in templo, fugit atque de templo exiuit: *Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum, Iesus autem abscondit se & exiuit de templo.* Sed cur de templo, &

Ioan. c. 8.

Iudæorum fugit lapides? Si mori venerat, cur non potiùs in templo lapidibus obrutus quam in Calvariæ monte Cruci affixus mori voluit? Vultis scire rationem? Ecce dicam: Si Christum Iudæi in templo occidissent, templum Dei fuisset prophanatum. Ne ergo Christus ad hunc concurreret, etiam passiuè, actum, fugit atque exiuit de templo, & multò infamiorem & crudeliorem maluit subire mortem, quàm vt templum Dei suâ morte aliquâ irreverentiâ afficeretur. Sic doctissimus Hugo Cardinalis. *Non quod mori non cuperet, cùm ad hoc in mundum venerit; sed ne tanto sacrilegio domus illa pollueretur.* Id est, Christus non mortis timore de templo fugit, sed ob reuerentiam atque honorem tali debitum loco, & ne passiuam causam sacrilegæ daret actioni. Et nunc tot reperiuntur qui actiuè loca sacra infinitis prophanant sacrilegiis, & quod peius est, industriâ in his conueniunt sacris locis & mille atque millenis infamissimis prophanant actibus; & vt benè Tertullianus dicit in Apolog. capite quinto, *ad adulteria componenda & lenocinia tractanda.* Possúntne depravatiores & infamiores in Christiano reperiri mores, quàm dum Dei templa in latronum, adulterorum speluncas & omnis sensualitatis officinas transmutant? Nónne magna hæc est miseria Christianorum, quòd in locis, in quibus salutem operari debent, æternam operentur mortem? Hoc est quod sanctus olim deplorabat Cyprianus. *Inter ipsas leges delinquitur, inter iura peccatur, & innocentia nec illis, vbi defenditur, reseruatur.* Ac si diceret: Quid cogitas Christiane? quare in Dei peccas templo, ubi Dei tibi prælegumtur præcepta, & modus ea obseruandi tibi exhibetur, ad eorumque obseruantiam instrueris atque informaris? *Inter ipsas leges delinquitur, inter iura peccatur.* Quid tibi ô Christiane imaginaris? dum in loco sacro vbi à sceleribus mundandus es, noua scelera patras, quod in loco vbi innocentia acquiritur, tu tuam, & alium suam perdere facias. *Et innocentia nec illis vbi defenditur, reseruatur.*

Hugo. Card. in c. 8. Ioan. — *Tertul.* — *Cyprian.*

Respiciat quisque cui salus sua cordi est, & consideret miserum horum statum; Ecce quomodò stant intrepidi, sine vllo timore in locis sacris Deum offendendo, in loco orationis quam pro remissione ac contritione peccatorum suorum facere deberent, sine omni reuerentia atque respectu sacris debito domibus, prophanos, imò lasciuos, & impudicos miscent sermones. Vident sanctissimum Sacramentum in altari expositum, & credunt ibi suum esse iudicem, qui omnia videt, omnia percipit verba, & non timent à terra vt Dathan & Abiron absorberi, vel fulmine de cœlo in infernum deturbari. Possibiléne est tantam inesse Christiano cęcitatem? videre & credere Deum suum esse præsentem & tam paruo coram adstare respectu?

Quis Deo debeatur honor in templis.

Sanctus Chrysostomus sermone centesimo quinquagesimo sexto ponderat verba illa sancti Matthæi cap. 2. quibus Magi locum recenter Iudæorum Regis nati indagabant, vt ipsum adorando sua offerrent muneta. *Vbi est qui natus est Rex Iudaorum?* Admiratur sanctus hunc interrogandi modum, & non absque fundamento; nam Magi & à Deo intrinsecus, à stella duce extrinsecus ad locum recenter Regis nati ducebantur, & tamen interrogant: *Vbi est qui natus est Rex Iudaorum?* Sed ad quid, cùm & locum latentis Regis scirent & ducem stellam haberent, alios interrogant, qui minus ipsis sciebant? Respondet, non interrogasse Magos ac si locum nati Regis ignorarent, sed exprobrando Iudæis frigiditatem in Dei sui amorem atque paruam reverentiam & cultum, quo Deum suum, qui in carne ipsis aderat, honorabant; ac si dicere voluissent: Hæc ciuitas electa est à Deo & tot insignia eius amoris in ea lucent. Sed dicite

S. Chryso serm. 156 — *Matth. c. 2*

dicite mihi, vbi est reuerentia illa? vbi honos ille qui à vobis tanto exhibendus est Deo? Ecce filius eius carnem assumpsit, venit in hunc mundum, & habitat inter vos, & nullus eum recognoscit, nullus reueretur, nullus adorat, nullus debitum ipsi exhibet honorem. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Non interrogant* (dicit Sanctus) *sed insultant quando scientes interrogant nescientes: non ipsi ignorant, sed negligentes agunt.* Si infidelis aut Turca quispiam hanc intraret Ecclesiam, & nostrûm quis eum, dum sacra celebrantur, instrueret, dicens nos Deum nostrum sub his colere speciebus, eumque semper, sicut in cœlis est, hîc quoque nobiscum habitare, semperque nobis assistere, quid iudicatis ipsum dicturum? Idem quod Magi Hebræis: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Si hîc Rex vester, & Deus vester, vobis adstat, & si creditis ipsum vos audire loquentes, penetrare cogitantes, & hæc omnia iudicaturum esse, vbi est debitus ipsi honos?

Quis Deo debeatur honor in templis.

Regum libro primo capite octauo legimus Dagon in conspectu arcæ minimum stare potuisse; sed secretâ Dei virtute, quæ arcæ inerat, in terram corruisse, atque in minutissimas partes contritum manè à sacerdotibus prophanis inuentum fuisse. quem locum tam sacerdotes quàm populus in tanto habuerunt honore, vt impostérum nullus loco huic approximare, eumque pedibus calcare auderet, maximum hoc iudicantes sacrilegium. Sic scriptura sacra attestatur: *Sacerdotes Dagon & omnes qui ingrediuntur templum, non calcant super limen Dagon vsque in hodiernum diem.* Glossa interlinealis huius cæremoniæ adducit peraptam & nostræ intentioni accommodatam rationem, dicens: *Ob reuerentiam Dei sui.* Oleast. hunc ponderans actum, dicit: Estnè possibile tantam reuerentiam infideles suo exhibuisse Deo; & idoli contriti ac annihilati loco tanto coluisse honore, & qui ligni & lapidis, in tanto habuisse respectu, & Christianis sacro loco quem verus illorum Deus inhabitat, tam modicam exhibere reuerentiam? Imò dæmonis, carnis, atque peccati victorem tam modico colere honore? Audiamus auctoris verba: *Si ergo idolatræ tanti faciunt loca, quæ membra idoli terigêre, quanti à Christianis facienda sunt sacra?* Similiter & Sanctus Chrysostomus raciocinatur: *Quid facis homo? non erubescis tantâ templum Dei afficiens contumeliâ? prostibulúmne tibi videtur Ecclesia & foro ignobilior?* Ac si diceret: Inhonestos actus, quos nec in plateis, nec in foro aut alijs locis præ verecundia Christiano agere licet; hos nunc in Ecclesijs, locis sanctis, ad præsentiam Dei sine vllo respectu, timore & absque omni pudore patrant. Quid sanctus Paulus, si nunc rediret, diceret? quas maledictiones contra tales non fulminaret? quo zelo & feruore contra hos profanatores & scriberet & concionaretur? certè nullâ maiore indignatione illos argueret, ac 1. Corinth. c. 11. fecit, dum manducantes ac bibentes in Ecclesijs tam seueris excepit verbis. Quid nunc acturus esset si Dei intraret domum & ibi in angulis lasciuos atque impudicos miscentes sermones & alios inhonestos patrantes actus reperiret? *In foro erubescis,* (dicit sanctus Chrysostomus) *etiam times ne quis te videat mulierem sectari; in Ecclesia verò Dei nec horrescis nec times?*

1. Reg. c. 8.

Ethnici quo honore affecerint templa deorum.

Glossa interl. hic. Oleast. in adnot. ad Mores super cap. 3. Exod.

S. Chrysost. Hom. 73. in Matth.

S. Chrys. sost vbi suprà.

Legistisne verba illa Dei prolata ore apud Hieremiam cap. 11. *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Doctissimus Liranus sic explicat: *Id est in templo nomini meo consecrato.* Ac si diceret: Quid video? quid audio? in Ecclesijs, in sacris locis meo nomini consecratis peccata, crimina, atque enormia committuntur scelera; *In domo mea fecit scelera multa.* In locis illis vbi publicare per meos facio concionatores, alienos tibi de-

Hierem. c. 11.

Conqueritur Deus de peccantibus in templo.

deſiderare thoros licitum non eſſe, ibi tractas, ibi colloqueris, tempus, diem, horam deputas, adulterij patrandi? In Eccleſijs, vbi aſylum pudoris feminarum eſſe deberet, tu ibi & tuum perdis, & alium perdere facis? ô cæcitas Chriſtianorum! ô pudor atque verecundia ſumma! Audiamus ſanctum Chryſoſtomum contra tales duro inuehentem ſermone: *In Eccleſia Dei eo ipſo tempore maximè fornicatione & adulterio vteris, quo tibi magnâ voce intonatur vt ab his fugias.* Et quis noſtrûm non eiuſdem ſententiæ cum hoc ſancto erit viro? tales profanatores non ſolum temporalem, verùm etiam æternæ damnationis mortem promereri? Sic idem ſanctus: *Non fulminibus ſolùm, ſed etiā gehennæ ſupplicio eſt digniſſima.*

S. Chryſ. vbi ſuprà.

Pſal. 91.

Quæ mea de his profanatoribus ſit ſententia, paucis dicam. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine*; Regius cantat Vates, id eſt, qui Dei vult intrare Eccefias, ſanctè, piè, reuerenter, & cum omni debito honore, reſpectu atque reuerentia, ſacris debet aſſiſtere. Qui Dei ingredi præſumit Templum, non fabulandi, non vanis amoribus indulgendi, non illicitos tractandi contractus, ſed Deum orandi atque pro ſuorum criminum remiſſione deprecandi locum eſſe, ſibi perſuaſum habeat. Qui aliter cogitat, aliter intendit agere atque Dei non erubeſcit profanare templa, & Dei non timet Eccleſias ſacrilegijs & alijs maculare criminibus, extra manere, nec immundis atque ſacrilegis pedibus ſuis vel limen Dei calcare optarem. Sed quare hoc? nunquid omnibus Dei patet Eccleſia? Vultis ſcire quare? ne illis contigat quod Paulus 1. Corinth. capite tertio, ſimilibus Eccleſiæ profanatoribus minatur, dicens: *Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet ipſum Deus.* Quo modo autem Deus tales diſperdat, & quale ipſos expectet iudicium, Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus dicit, hunc

Signa præſcitorum irreverentia, & prædeſtinatorum, reuerentia templorum.

1. Corint. cap. 3.

explicans locum, *Perdet animam ſuam ad inferos iudicando.* Id eſt, quia Dei inhonoras templum, Dei profanare non times Eccleſias, in locis ſacris vana, immunda, impudica atque illicita tractas, Deus improuisâ te ſuperueniet morte, & ſic in tui te reperiens peccatis iudicabit atque pro culpæ modo, æterno condemnationis tradet igni. *Perdet animam ſuam ad inferos iudicando.*

Audite quid N. N. piis atque deuotis in Dei Eccleſijs, conſolationis atque gaudij; profanatoribus autem pœnæ atque afflictionis. An quis noſtrûm prædeſtinatus aut præſcitus ſit, nemini niſi Dei patet revelatione: Speramus omnes, ſed certò ſcire nequimus: nam de his extra diuinæ reuelationis medium nulla datur determinata veritas; poſſumus tamen aliqua habere ſigna, quibus præſcitum à prædeſtinato coniecturaliter diſcernere valemus. Poſitâ ergo hac doctrinâ dico, deuotè & cum reuerentia ac debito honore templa atque Dei Eccleſias inhabitantes præſtantiſſima de ſe prædeſtinationis dare ſigna. Econtrà verò Dei Eccleſias profanantes, veros præſcitos eſſe, eorumque æternæ perditionis tot certiſſima dare ſigna, quot ſcelera ac crimina in Dei non reuerenter patrant Eccleſijs. Audite Iſaiam claris id dicentem verbis: *In terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.* Sanctus Bernardus in declamat, hunc conſiderans locum: *Durus eſt hic ſermo & comminatio valde terribilis. Non videbit gloriam Domini.* Ac ſi diceret: Si quis Dei profanet Eccleſias, evidentiſſima ſuæ condemnationis de ſe dat ſigna; nam ſcriptum eſt: *Non videbit gloriam Domini,* ideò durus eſt hic ſermo & condemnatio valde terribilis.

Iſai. c. 16. S. Bern. in declamat.

Ergo cauti ſitis Chriſtiani, Hic locus *Domus Dei eſt*, locus orationis, non fabulatinonis; locus cum Deo ſalutis veſtre, non vſurarum atque illicitorum

con-

contractuum negotia tractandi: locus hic diuini, non lasciui atque obscœni amoris est. *Domus mea domus orationis vocabitur.* qui hanc debito non intrat honore, in hac debito cultu atque reuerentiâ sacris non assistit, *non videbit gloriam Domini*: nam *Domus mea domus orationis vocabitur*. Poterat diuina Maiestas alio insignire honoris titulo consecratam sibi Ecclesiam, & domum Fidei, Spei, Charitatis appellare, sed noluit. Domum orationis vocari vult, ad demonstrandum nobis, Ecclesias Dei non fabulandi, non negotia tractandi, non obscœni amoris sermonem miscendi; sed orandi, Deum colendi atque pro tot tantisque acceptis gratiis Deo gratias agendi, & sacris omni reuerentiâ assistendi causâ intrandas esse. Accedat quis Turcarum templa, & illorum intret mosceas, tantam ibi videbit reuerentiam, tantum ad sacra respectum, vt ne sputo proprio terram maculare audeant. Taceam alia indecora quæ nostri audent Christiani peragere; & tamen hæ Ecclesiæ non sunt, neque Dei domus nominari debent, cùm ibi non Deus, sed dæmon inhabitet. Et nos Christiani in verbi Dei domo tam modico sacris adstamus respectu atque honore, tam exigua in nobis viget reuerentia erga hæc sacra loca, ô pudor! ô vituperium intolerabile! Ad vilissimi hominis, qui dignitate aliquâ fulget, quisque nostrûm componitur aspectum, & debitum ei tribuit honorem. Si Regi vel Principi alicui adstare contingit, bone Deus! quâ modestiâ! quâ compositione? quâ reuerentiâ ipsi adstare nitimur? os aperire vix audemus, oculos elevare vix quis præsumit, non vt homines, sed vt Angelos nos compositos exhibere studemus; & Deo nostro Iesu Christo, qui nos redemit, & Rex & Princeps noster est, adstamus ore, toto tempore fabulamur: oculis hinc inde lasciviendo vagamur & nullum ei debitum exhibemus honorem.

Matt. c. 21.

Turcæ quomodò ad confusionem nostram se gerant in templis.

Dicite mihi vos profanatores templorum Dei, quomodò sacris sacrificiis dum pro vestris peccatis in altari immaculatus ille Agnus æterno offertur Patri, assistitis? qualis est vestra attentio atque compositio? Si nesciatis, dicam vobis: Hîc noua enarratis, negotia vestra tractatis, contractus vestros concluditis, & faxit Deus vt verum non dicam; hîc adulteria, hîc fornicationes, hîc potationes, hîc milla & mille tractantur, conponuntur atque concluduntur obscœna atque illicita. Quomodò possibile est, vt peccator vermis & vilissimum lutum tantæ perversitatis sit, vt Dei templum intrare, ibique sine vlla reverentia sacris adstare & adhuc Deum offendere non vereatur, neque sibi æternam mox venturam mortem timeat? Magna certè atque omnino cæca hæc Christianorum est temeritas. Cur non Deum flagellum, quo vos de templo in æternum condemnationis barathrum eiecturus est, manibus tenere considetatis? non percepistis ex sacri Euangelij historia, quomodo profanatores templi flagellis cædens de templo, & domo Dei eiecerit? *Et intrauit Iesus in templum Dei & eiecit omnes vendentes & ementes in templo.* O profanatores! cavete vobis ab ira Dei, & in actionibus vestris cautissimi & circumspectissimi sitis: nam Paulus dicit ad Galatas capite sexto: *Nolite errare: Deus non irridetur*; grauissima enim vos expectant supplicia atque tormenta. Ergo ô profanatores, modum vestrum agendi in Dei Ecclesiis, immutate, & imposterum debito honore sacris assistite, debitâ reverentiâ Deo vesto adstate: nam scriptum est: *In templo eius omnes dicent gloriam.* Hoc faciatis vt in vera illa & nunquam cessante Ecclesia triumphante Deum vestrum laudare & infinitæ eius gloriæ vsque in æternum assistere valeatis. Quod mihi & vobis benedictus semper JESUS concedere dignetur. Amen.

Psal. 28.

DISCVR-

DISCVRSVS VII.

PRO DIE MERCVRII POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

TRactatur de Pœnitentia eiusque effectibus & adducuntur grauissima damna ac mala, quæ dilatio eius animæ peccatis oppressæ inferre solet.

Thema.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio, cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Matth. cap. 12.



Vantæ virtutis atque efficaciæ sancti illius Prophetæ Ionæ fugitiui apud Niniuitas prædicatio fuerit; quàm rigidos atque austeros pœnitentiæ effectus in eorum animis annuntiatio subversionis ciuitatis causauerit, quantæque potestatis totalis ruinæ ac extremæ vrbis perditionis publicatio in ciuium cordibus exstiterit, Dominus noster Iesus Christus hodierno manifestat Euangelio, dum non solùm eorum laudat atque extollit pœnitentiam, verùm etiam nolentes pœnitentiam agere, eamque despicientes atque deridentes ab his in die Iudicij iudicandos & condemnandos fore, attestatur. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio, cum generatione ista & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ,* nam perceptâ uniuersalis subuersionis comminatione subitaneo terrore atque timore impleta sunt corda eorum: iam oculi eorum lasciuis non intuebantur aspectibus, sed lachrymarum emittentes flumina, Dei implorabant misericordiam: linguæ eorum non amplius maledictionibus atque spurcitiis occupabantur; sed per humillimas preces Deum reconciliare satagebant: cor eorum iam non vana atque illicita meditabatur, verùm profundissima per pectoris portas efflans suspiria; varios Deum placandi excogitabat modos. Trium dierum indictum fuit vniuersale Ieiunium. Rex & omnis populus saccis induti, cinere asperserunt capita, atque corpora; vndique audiebatur fletus paruulorum; vndique planctus seniorum; vbique lamentatio matronarum. Quid dico? imò & bestiarum in omnibus plateis vlulatus. His atque alijs potentissimis pœnitentiæ operibus vt validissimis armis Dei aggrediuntur iustitiam, feliciter illam expugnant, ad misericordiam inducunt, veniam obtinent peccatorum, & ciuitatis subuersionis atque perditionis impetrant suspensionem. Hæc est pœnitentia Niniuitarum: hæc hodierno nobis describitur Euangelio, & à Christo vt norma Deum placandi, atque de commissis criminibus veniam obtinendi adducitur, vt addiscamus non ad finem vitæ pœnitentiam differendam,

dam, sed subitò ac peccatum commissum est, illam esse agendam, nunc cùm sani & fortes sumus, & non cùm senes & ad peccandum inutiles effecti, vitam emendandam esse. Hæc Niniuitarum pœnitentia, materia concionis meæ erit; quam vobis vt normam propositam exhibebo, atque primò periculum, cui se exponunt qui pœnitentiam differunt, demonstrabo. Secundò, quomodo peccatum hominem in bestialem conuertat formam, declarabo.

PARS I.
PVNCTVM PRIMVM.

VIri *Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Matth. c.12.* Quòd sacra pœnitentia remedium salutis nostræ sit, illaque tabula, quâ per peccatum commisso naufragio enatare atque in portum salutis redire possumus, Christianorum nulli dubitandum est; nam doctrina hæc tam infallibilis est, vt impossibile sit peccatorem sine illa saluari & non condemnari; nam sit, quisque velit, si peccatum commisit, & sine pœnitentia de hoc discedit mundo, Dei minimè videbit gloriam, sed æternis addicetur supplicijs. Expressa Christi Saluatoris nostri apud Sanctum Lucam c.13. habemus verba: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Sed quod præ omnibus alijs pœnitentiæ circumstantijs ponderandum proponitur, est, quod non differenda, non procrastinanda pœnitentia, atque conuersio peccatoris fit, sed subitò peccato patrato assumenda, vt eius operibus peccator armatus diuinæ possit resistere Iustitiæ: nec mortis exspectandum tempus est, si decipi non velit. Audiamus Sanctum Chrysostomum nos omnes ad tempestiua in tempore pœnitentiæ opera exhortantem. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & de differas de die in diem; nescis enim quid paritura sit superuentura dies: periculum enim & metus est in differendo; salus verò certa & secura, si nulla sit dilatio. Ne dicas: Erit tempus quando conuerti licebit; verba enim hæc valde Deum exasperant.*

Pœnitentia non procrastinẽda.

Luc. c.13.

S. Chrys. Hom. 22. in 2. ad Corinth.

Hanc non differendam esse Dauid nos exhortatur, dicens: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corde vestra.* Non cras, non cras peccatores arripienda pœnitentiæ sunt opera; sed hodie, horâ illâ quâ peccatum commissum est, huius operibus diuinam placare debetis iustitiam. Ideò Romana & sancta Dei electa Ecclesia incipit laudes, quibus suum septies per diem sponsum colit atque adorat, his verbis: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* His verbis per singulos dies in Ecclesijs adstantium pulsat aures; his ad pœnitentiæ maturos actus, suos exhortatur filios; his vt amantissima mater ad conuersionis statum auersos suos inuitat natos.

Psal. 94.

Scindatur igitur pestilens hoc dilationis filum, amoueatur omnis remora, superetur omnis difficultas, annihiletur omne impedimentum, & omne reijciatur obstaculum pœnitentiæ. *Hodie, hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Hodie & non cras conuersionis tempus est; nunc, nunc, & non post horam, Deus placandus est; nam minimum tempus, minima mora, maximum includit periculum, & à momento huius dilationis atque pœnitentiæ retardationis æterna tua pendet salus. Percipere libeat Sancti Bernardi verba ad pœnitentiam suos animantes fratres. *Videtis fratres quàm salubriter admoneat nos Propheta, vt si vocem eius audierimus hodie, non obduremus corda nostra; vtilius namque & multò salubrius est hodie audire eum consulentem, admonentem, docentem, quàm in die illa tam amara, audire illum iudicantem, sæuientem, condemnantem.*

S. Bernar. serm. de verb. Abacuc.

Sed & sancti Pauli Apostoli opinionem de non procrastinanda pœnitentia,

tentia, quid de ſuo peccati ac conuerſionis dicat ſtatu, audire nobis lubeat, ad Galat. cap. 1. *Audiſtis conuerſationem meam in Iudaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam.* Ac ſi diceret: Puto ſat omnibus vitæ meæ præteritæ conſtare rationem & normam, & quàm feruidus in Iudaiſmo defendendo & Chriſti legem oppugnando extiterim, nullum veſtrûm latere autumo. Sed quid contigit? Audiui vocem ad pœnitentiæ & conuerſionis me inuitantis ſtatum: non in craſtinum diſtuli diem, non in horam, non in momentum; ſed incontinenti inclinaui ad vocantis vocem cor meum; & dixi: *Domine quid me vis facere?* non reſtiti vocanti, non obſtiti annuenti: ſed in puncto illo conuerſus, firmiter vſque modò vocanti adhæſi. Audite verba eius: *Cùm autem complacuit ei qui me ſegregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt euangelizarem illum in gentibus, continuò non acquieui carni & ſanguini.* Ad primum radium diuinæ gratiæ cor meum intrantem, conuerti me ad Dominum, continuò, ſine vlla mora vocantis obediui voci, & dixi: *Domine quid me vis facere?* Sanguis quidem ac caro vocanti recalcitrare nitebatur; hic ſermo, Iudaicam relinquere legem, ac Chriſto adhærere, durus carni videbatur. Dæmonum ſuſurrationes aderant, conuerſionis perſuadentes dilationem, & pœnitentiæ ſolicitantes procraſtinationem; ſed ad carnis atque ſanguinis inſtantias pro dilatione pœnitentiæ ſupplicantis, durum atque inexorabilem me exhibui, & dæmoni ſenſus meos, ſuis pulſanti perſuaſionibus, inſenſibiles præbui & *continuò non acquieui.* Non per annum, non per menſem, non per diem, non per horam, non per momentum conuerſationem atque pœnitentiam diſtuli; ſed continuò conuerſus ad Dominum, pœnitentiæ operibus præterita

Ad Galat. c.1.

Act. c.9.

Sic fecit S. Paulus

abolere atque mortis inſcripta libro delere, & à futuris ſecurum me reddere ſine intermiſſione laboraui. *Continuò non acquieui.* Periucunda certè concertatio inter Paulum & diuinam gratiam nobis in hac exhibetur conuerſione. Gratia præueniendo certat: Paulus recipiendo reſpondet. Si velox & improuiſus Deus in vocando eſt, velox & improuiſus Paulus in correſpondendo eſt; nam jam à Deo illuminatus, damnum, quod pœnitentiæ dilatione animæ eius inferre poterat, præuidebat; ideo ſine mora, ſubitò, continuò pœnitentiæ aggreditur opera & ad Dominum conuertitur. *Continuò non acquieui carni & ſanguini.*

Similiter & Sanctus Petrus Apoſtolorum egit Princeps. Ter, vt omnibus conſtat, dum Chriſtus Iudæorum aſſiſteret tribunalibus, & ab ancilla, & alijs igni in domo Principis Sacerdotum adſtantibus, de Chriſto interrogatus, negauit ipſum; & cùm gallus tertiò cantaſſet, & Ieſus paternis oculis perditam iam ouem reſpexiſſet atque ad pœnitentiæ caſtra internâ præueniente gratiâ reuocaſſet, non diſtulit pœnitentiam, non procraſtinauit, non vſque ad lucem proximè iam imminentem expectauit; ſed nocte illâ, horâ illâ, momento illo, diſceſſit, exijt, ac fleuit amarè. Sic Luc. cap. 23. *Egreſſus foras fleuit amarè.* Quem Petri conuerſionis actum S. Chryſoſt. conſiderans, ait: *Petrus ad pœnitentiam non multorum ſpatia poſtulauit annorum, ſed ipsâ nocte quâ cecidit, ipsâ quoque ſurrexit; ipsâ nocte quâ vulnus ſenſit, ſenſit & remedium ſanitatis.* Vidiſtis aliquando duos duello concertantes, atque vnum, vel vtrumque grauia & periculoſa recipientem vulnera, quâ diligentiâ currunt famuli, quo feruore ſi poteſt & ipſe læſus occurrit medico atque chirurgo, & ſi currere ob debilitatem non licet, voces, lamenta, ſuſpiria de profundis cordis trahens

Sic S. Petrus.

S. Chryſoſt. hom. de Iona.

viſceribus

visceribus, sanitatis atque medici inclamat desiderium. Sic (sanctus Chrysostomus) Petro contigit; grauiter vulneratur, & negationis mucrone cor perfoditur Principis Apostolorum; subitò se læsum sentiens, medicum quærit, pro vulneris curatione suspirat, anhelat, & venienti occurrit, vulneris recipit curationem, atque sanitatem; *ipsâ nocte quâ vulnus sensit sensit & remedium sanitatis.*

Sic S. Petrus.

Sanctus Ambrosius considerando subitaneam atque improuisam Sancti illius cum Christo crucifixi latronis conuersionem atque inopinatam ac prosperam illius fortunam, admiratur subitaneam illam remissionem peccatorum & simul æternæ gloriæ hæreditatis traditionem, quæ à Christo Domino ipsi in verbis illis, *Hodie mecum eris in paradiso*, facta fuit; tandem pulchram & nostro discursui peraptam reperit rationem, dicens: *Cito verò ignoscit Dominus, quia citò ille conuertitur.* Subitanea & improuisa fuit latronis conuersio; ideo celer & velox Christus in peccatorum remissione, & Paradisi traditione extitit; subitò, in momento, quo, diuinâ præueniente gratiâ, corgelidum atque durum tactum fuit, correspondet, conuertitur, & pœnitentiam in crucis patibulo publicam non solùm ipse agit, verùm & socium ad illam agendam incitare conatur. Sic Deus quoque præsto est, subitò & momento illo & veniam impertitur, in gratiam recipit, ac æternorum verum ac perpetuum constituit hæredem. *Hodie mecum eris in paradiso.*

Sic latro in Cruce.

S. Ambros.

S. Chrysost. hom. de Iona.

Ergo ô peccatores! conuersio vestra vobis cordi sit; nam vestra res agitur, & de vestra pelle alea iacitur. Ecce hodie Deus ad pœnitentiam vos vocat; vos verò conuersionis mille dilationis causas & quæritis & adducitis. Qualem securitatem habere poteritis? hac nocte super vos veniet mors. Quis scit quid hac nocte de vobis diuina concluserit Maiestas? quis, ne sinistri aliquid vobis eueniat, certos vos reddidit? Nullus certè, nec momenti vnius certitudinem habet. Ecce Rex clamat: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Iam, iam, dum voces auditis; nunc, nunc, cùm propria vos exhortatur conscientia; modò, modò, dum miseræ vestræ animæ pro liberatione, de duro peccati seruitutis iugo, anxiæ atque sanguineis supplicant lachrymis. *Hodie, hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* O peccatores, attendite bene, ne à dæmone persuasi, hanc differre conuersionem & iuuenile vestrum robur allegare velitis, dicentes: Iuuenis sum, robustus ac sanus in peccatis atque delitijs iuuentutem consumam, & annos iuueniles mundo, eiusque gustibus; seniles verò atque senectam Deo tradam, & tunc vt alij plurimi, qui Iuuentutem suam mundo consecrauerunt, & in senectute rigorosam egerunt pœnitentiam, ego quoque agam; & sicut his, licèt peruersissimi & multo majores quàm ego peccatores fuerint, tempus pœnitendi atque se conuertendi à Deo concessum fuit, & gratia illam agendi data, in qua mortui atque saluati sunt, mihi quoque accidere potest. O peccatores! quam stultè agitis; dæmonis atque nigerrimi illius Plutonis, qui vestram desiderat perditionem, consilia hæc sunt; rationes atque supputationes tuas indirecto calculas ordine, & hâc falsâ Arithmeticâ, à dæmone grauissimè deciperis. Attendite & cordi vestro reseruate vnam vel alteram sacram historiam.

Psal. 94.

Manasses Rex, vt habetur 4. Reg. cap. 21. cùm puer duodecim esset annorum, mortuo patre, regni accepit coronam; quinquaginta annis vixit, atque regnauit, quos in adulterijs, homicidijs, & innocentis sanguinis, effu-

Valde diuersi serò pœnitentium exitus.

4 *Reg. c.* 21.

effusione, furtis, sacrilegijs, rapinis, idololatrijs, veneficijs, superstitionibus, milleque alijs immunditijs, atque abominationibus consumpsit, diabolo atque mundo consecrauit, cùm morti proximus, & tempus tot tantorumque patratorum peccatorum atque scelerum dignas accipiendi pœnas aduenisset, (ô diuina bonitas!) Deus suâ diuinâ gratiâ cor eius pulsat, aperit scelerum atque abominationum cloacam atque sentinam, atque in illum suam gratiam intromittit. Annuit vocanti Rex, conuertitur, duram ac rigidam agit pœnitentiam, obtinet veniam peccatorum, recipitur in gratiam & æternæ hæreditatis particeps fit gloriæ, & tandem moritur, atque saluus fit, & sepelitur in sepulchro patrum suorum in horto Ozæ. Subintrat Regnum filius eius nomine Ammon, coronatur firmato regno suo, patrijs insistit peruersis vestigijs, Iustitiam violando, idololatrando, Mosaicam despiciendo legem, luxuriando, furando, & infinita patrando latrocinia, atque in his ac alijs plurimis immunditijs atque abominationibus suum imitatur patrem Manassem. Sic sacer attestatur textus: *Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius, & ambulauit in omni via, per quam ambulauerat pater eius.* O quàm inscrutabilis atque admirabilis est thesaurus diuinorum secretorum! Quid diuina agit Maiestas? quam diuersa & inscrutabilia eius iudicia? Permissione diuinâ, secundo anno regni Ammon in propria domo, à proprijs seruis ac intimis suis contra eum componitur rebellio, ponitur in effectum, occiditur Rex Ammon in propria domo & in medijs peccatis, & omni obrutus scelere moritur atque in æternum condemnatur. O Deus meus! quid agis & quàm diuersimodus es in tuis iudicijs! Manasses Rex quinquaginta quinque annis in omni vitiorum cœno volutatus,

Declaratur Exemplis Manassis ac filij eius Ammon.

à iuuentute nil aliud nisi scelera, atque crimina patrauit infinita, & ecce dum dignas pœnas pro culpæ modo subire deberet, misericordiâ motus pœnitentiæ concedis horam, das gratiam conuertendi, de peccatis dolendi, & saluas animam eius, & Ammon filius eius vix incepit vias ambulare patris sui, secundo anno peccaminosæ vitæ ei irasceris, & subitaneâ, temporali & æternâ castigas morte. Audistis peccatores, qui de anno in annum, de mense in mensem, de die in diem, de hora in horam differtis conuersionem atque pœnitentiam. Sed dicite mihi; quæ causa tantæ diuersitatis diuinorum potuit esse iudiciorum? Vultisne scire quænam? Ecce dicam: Discursum illum, quem superiùs in vestra allegaui persona, Ammon Rex quoque faciebat, & illo modo quo vos calculatis vestras rationes atque supputationes, ille quoque faciebat; sed deceptum se reperit, & vos aliquando vos deprehendetis. Sic ordinaria habet Glossa: *Pater meus à puero multa sceleratè fecit, ac in senecta pœnitentiam egit. Quamobrem & ipse hac in ætate pro animi libidine me geram, & deinceps ad Dominum me conuertam.* Ac si diceret: Pater meus malè ac sceleratè vixit, & in fine fecit pœnitentiam, & benè ac sanctè mortuus est; sic ego nunc agam cùm iuuenis sum, libidini omnique alij seruiam sceleri; cùm senuero, agam pœnitentiam, & etiam sanctè moriar: petam à Domino peccatorum remissionem, &, vt pater meus, saluus fiam. Hic discursus Regis Ammon, hæc falsa atque deceptoria Arithmeticæ eius calculatio erat: computum fecit, sed iudicem & dominum computûs non adduxit in socium; ideò tam miserabiliter deceptus, atque æternis fuit addictus supplicijs. O insanum atque omnis rationis expertem ratiocinandi modum! Vnus Manasses in fine vitæ, vnus Dysmas latro in Cru-

Gloss. ord. hic.

ce

ce conuersus mihi à sacris exhibetur litteris, vna Magdalena à Christo adducitur; sed mille Ammon, mille Iezabel, mille reperiuntur, pro dolor! atque à sacris & profanis discribuntur litteris Pharaones atque Holofernes, qui & in mari vitiorum suorum submersi, & temulenti viui ad inferni descenderunt supplicia. Quot dum alienos deturparunt thoros, in suo proprio sanguine sepulti viui ad Inferos ruerunt? Quot sunt Magdalenæ, quæ nec centesimam peccatorum Sanctæ illius patrarunt partem, & tamen vnà nocte aut occiduntur, aut alio modo in peccatis suis moriuntur atque in æternum condemnantur? Quot latrones, quot stupratores, quot homicidæ in cruce suspenduntur, & iugulantur, aut in peccatis suis moriuntur, & pœnitentiæ locum non reperiunt; sic timendum est, ne & vobis contingat peccatores. Audite glossam ordinariam suum de Ammonis casu concludentem discursum: *Hac igitur de causa Deus pœnitentiam ipsius non exspectauit, quando paternis calamitatibus nullo modo factus erat melior.*

Ne ergo verbis tantùm in incertum temporis spatium vagans dicas: Confitebor peccata mea; hanc & hanc proximam abiurabo occasionem; furto ablata restituam, & conuertam me atque duram agam pœnitentiam. Nam deceptum in tua te reperies calculatione, & dum minimè putas, veniet super te Dei ira atque iustitia, & in tuis morieris peccatis, atque æternis addicêris cruciatibus. *Hodie, hodie* (clamat Propheta) *si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Nolite differre conuersionem, nolite salutarem prorogare pœnitentiam, sed dicite iam, iam, iam & facite modò, modò, & nunc pœnitentiam.

Audite Sanctum Paulum Apostolum, quomodò opportunam & subitaneam pœnitentiam suadeat & dilationem eius vituperet. *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc tempus salutis.* Nunc cùm tempus est salutem operandi, & illam per pœnitentiam obtinendi, nolite perdere occasionem, & ne momento vnico differatis: nam, vt Primasius in hunc dicet locum, salutis tempus, dies, horæ, momenta vitæ nostræ sunt: quot de his perdimus, tot occasiones salutis amittimus. In his certus aliquis terminus homini à Deo positus non est, nec hora aliqua certa salutem operandi statuta; vult enim Deus hominem omni horâ, omni momento de sua esse solicitum salute, & semper in illa acquirenda, & assecuranda esse occupatum. Sic verba eius sonant: *Dies autem videtur vita hac, quia apta est ad operandum, & concluditur nocte iudicij, in qua nemo poterit operari.* *Primas. in hunc locum.*

Hoc Dauid his verbis indicare volebat: *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Sanctus Bruno hunc explicans locum, scribit, *pro hac, id est, remissione peccatorum orabit ad te omnis Sanctus.* Et ne salutem hanc obtinendi atque procurandi incerti statuerentur à peccatoribus termini, ipsos ponit, atque designat, dicens: *In tempore opportuno, id est, in hoc sæculo, quod aptum est de pœnitendum.* Ac si diceret: Omnis dies, omnis hora, omne momentum aptissimum tempus salutem operandi est; ideò nec per horam, nec per momentum quidem pœnitentia differenda est: nam omnis hora, omne momentum vitæ nostræ opportunum salutis tempus, illamque acquirendi accommodatissimum. *In tempore opportuno.* Lectio Hebraica sic habet: *In tempore inueniendi.* Genebrardus habet, *quo Deus vel remissio peccati inuenitur.* Sanctus Hieronymus: *Tempus opportunum est vita præsens.* Hæcnè vita nostra opportunum tempus nostram acquirendi salutem est? Cùm igitur hæc tam instabilis atque incerta *Psal. 31.* *S. Bruno in hunc locum.* *Lect. Heb.* *Genebrard.* *S. Hier in hunc locum.*

sit, nec per horam, nec per momentum quidem, pœnitentia vt salutis medium differenda est; nam nec horæ, nec momenti vnius spatio vitæ huius assecurari homo potest; igitur dum durat, salus operanda atque inquirenda est, & faciendo aliter, æterna nobis mors atque inferni dolores exspectandi sunt. Ad hanc maturam & subitaneam pœnitentiam Isaias cap. 55. inuitat peccatores: *Quærite Dominum dum inueniri potest.* Glossa interlinealis hîc: *Dum pœnitentiæ locus est.* Et sanctus Hieronymus: *Agite pœnitentiam & conuertimini dum tempus habetis.* Nunc, nunc dum viuimus, dum sani sumus, hac hora, hoc momento, quod nobis Dominus concedit, conuertimini ad Deum & pœnitentiam agite. Sic S. Augustinus in Psalm. 101. & 144. Procrastinatores pœnitentiæ, & Cras bene viuam, cantantes instruit, dicens: *Indulgentiam tibi promisit Deus, crastinum diem nemo tibi promisit; si malè vixisti, bene viue iam hodie.* Certus es ô homo, si pœnitentiam egeris, tibi à Deo elargiri indulgentiam & omnium peccatorum remissionem; sed an tempus illam agendi habiturus sis, nescis, nec de tempore vnum annum, mensem, diem, horam, momentum vnum spondere quis tibi potest? Si igitur præteritos annos, dies, atque horas malè & luxuriosè viuendo consumpsisti, nunc hac hora, hoc momento cùm de proximè futuro minimè securus sis, de peccatis dolere firmiter proponas, atque cum gratia Dei confiteri ac pro tuis viribus impostеrum abstinere: nam de præteritis dolere, & ampliùs non peccare, præstantissima pœnitentia est.

Sera pœnitentia difficilis.

Isaiæ c. 55.

Gloss. interl. S. Hier. citat.

Gloss. in hunc loc.

S. Aug. in Psal. 101. & 144.

Nemo ignorat mille à dæmone in salutis via inijci nobis laqueos atque in ea operanda infinita nobis poni obstacula, è quibus non minimum illud est, quo ordinariè à salutis assecutione homines retardantur: stolida est illa dilatio boni & prompta mali executio. In solo malo perpetrando nulla datur dilatio, nulla admittitur cunctatio; sit quiscunque alius actus, semper procrastinatio cantatur, semper dilatio vel horæ vnius ipsi adhæret, & vndique podagrâ & paralysi ad bonum efficiendum laboramus, promittimus & proponimus cras, vel alterâ septimanâ adueniente, illâ die, eadem repetitur cantio, & procrastinando & menses & anni & tota labitur ætas, quoad vsque dæmoni animas nostras impœnitentes reddamus. Audite, quæso, sanctum Patrem Chrysologum expressis hanc doctrinam referentem verbis: *Semper homo bona facere tunc cupit, quando mors faciendi tempus adimit.* Aurea certè hæc verba sunt, & cordi inscribenda Christiano: tunc confiteri volumus, quando angustiæ mortis, loquelæ obstruxerunt vias: tunc volumus relinquere malum, quando omne malum iam nos apprehendit: tunc volumus bona agere, cùm ad omnem humanum actum inutiles atque ineptos mortis nos reddiderunt dolores, & cùm vt stolida atque insensibilia iacemus corpora. O peccatores! crastinum tempus nullum adhuc distat, quis scit an crastinum sit quis visurus diem? quis scit an futuram sit quis auditurus sonantem horam? si nunc viuitis, nunc agite pœnitentiam; nam Deus de crastina videnda die non posuit neque dedit nobis assecurationis arrham? Cur pœnitentiam, quæ tamen aliquando fieri debet, si saluari velitis, in crastinum differtis, cùm hodie & aptiùs & securiùs fieri possit? Ad hoc Apostolus vos exhortatur: *Ergo dum tempus habemus, bonum operemur.* Interlinealis scribit *in hac vita.* Hugo Card. in hunc locum. *Ergo dum habemus in hac vita tempus benefaciendi, bonum operemur.* Hodie, hodie, nec crastinum diem pœnitentiæ tempus se habiturum quis præsumat; incerta mortis hora est, nec annos, nec menses, nec horas tibi certas qui-

S. Chrysol. serm. 125.

Galat. 6. interlin. hîc. Hugo Card. hîc.

quibus tua possis plangere crimina, tibi imagineris: nam in hoc actu, celeritas ipsa summa tarditas est; momentum enim non patiuntur dilationis salutis nostræ opera. Desideratis audire quid dilatio pœnitentiæ atque conuersionis sit? Dicam vobis cum S. Bernardo, Laqueus diaboli est, quo vestras capit animas & in infernum secum trahit; pestis crudelis, quâ nostras inficit mentes; mora infernalis est, quâ vestram perditis salutem. Audite Sanctum: *Quid de futuro miser, tam temerariè disponere præsumis, tanquam Pater tempora & momenta in tua, & non in sua posestate posuerit?* Ac si diceret: O stolide! quid tibi adhuc annum vitæ tuæ promittis? mensem, diem, horam vel momentum vnicum pœnitentiæ temporis præfigis? an nescis in solius Dei hoc esse potestate? soli æterno Patri vltimum punctum vitæ tuæ notum atque cognitum esse? De futuro disponis anno, & quis scit an crastinus tibi sit exoriturus sol? Stellæ hac nocte tibi lucent, quis scit an post mediam noctem lucem illarum videbis? Ad quid ô Christiani talis dilatio vobis prodest? ad quid seruit, nisi ad æternæ damnationis statum? Si conuerti ad Dominum & pœnitentiam agere cordi est, cur nunc non agitis & nunc non conuertimini ad Deum vestrum? Dicit sanctus Augustinus lib. 7. Confessionum c. 7. *Quare non modò, quare non hac horâ finis turpitudinis tuæ?*

Incertitudo mortis monet nos pœnitentiæ continuæ.

S. Bernardus de modo bene viuendi ad Sorores.

S. Chrysol. serm. 125.

S. Aug. lib. 7. confessio. cap. 7.

Dicet quis: Plurima mihi sunt negotia, quibus ab hoc opere bono impedior & necessariò ad dilationem cogor. Audite sanctum Augustinum vbi suprà, quid talibus respondeat: *Malum negotium per quod impeditur animæ lucrum.* Maledicta & proscripta sint apud Christianum negotia talia quæ salutis retardant opus. Et quale negotium Christiano plus cordi esse debet quàm æternæ salutis? quid magis ab homine qui saluari cupit, æternitate æstimendum

S. August. vbi suprà.

Galat 6. interlin. hic. Hugo Card. hic.

est? Ergo nunc conuertimini, nunc agite pœnitentiam. Hoc ipsum monet Eccles. *Ne tardes conuerti ad Dominum.* Nam eo ipso, quo per momentum conuersionem peccator differt, æternæ damnationis euidentissimo se exponit periculo.

Eccles. c. 5.

In præceptorum numero, ad quem Deus in libro Leuit. suum obligauit populum, reperitur illud circa sacrificij ritum, quo cautum est, ne mortuum quid in sacrificijs offeratur Deo: ideò non admittebantur pisces in sacrificijs, qui vix dum aquis extrahuntur, subitò moriuntur. Sic Liranus hîc. *De piscibus autem non fiebat sacrificium, quia extracti de aqua, citò moriuntur, & ideò non possent viui deferri ad templum; oblatio autem non fiebat de mortuis.* Pisces tales sunt peccatores, voluptatum atque deliciarum mundi huius immersi atque innatantes oceano. Ita Propheta Abacuc illos depingit, capite primo: *Facies hominis quasi pisces maris.* Hi non valent neque seruiunt pro sacrificio Deo offerendo; nam mortui in peccatis suis sunt, & si quid vitæ ipsis inest, externa quædam vestis, & nomen vitæ est, quo fœtidæ, mortuæ atque corruptæ eorum leguntur animæ. Talem Ioannes Apocalyp. cap. 3. depingit piscem. *Nomen habes quod viuas, & mortuus es.* Viuos nos offeramus Deo, exeamus de profundo vitiorum pelago & de piscibus in hominem atque viuentem spiritum mutati, in sacrificium laudis, & animas nostras & corpora nostra, & quidquid in nobis viuit, Deo offeramus. Ad quod sanctus Paulus ad Romanos cap. 12. paternis nos exhortatur verbis, dicens: *Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corda vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Quem locum doctissimus Doctor Caietanus sic explicat: *Hoc est, dum hanc degitis vitam, exhibete corpora vestra hostiam.* Qui pœnitentiam differt, & proposita atque vota tantùm

Leu. c. 10. Liran. hîc.

Abacuc. c. 1.

Cur pisces non offerantur in sacrificijs.

Ad hom. cap. 12. Caiet. hîc.

tantum Deo offert, mortuos ac fœtitos offert pisces; qui verò nunc proposita exequitur, ac conuertitur, & sua confitetur peccata, dignos pœnitentiæ faciens fructus, viuentem hostiam offert Deo: qui autem solis insistit propositis, & his dies & annos pertransit & in mortis horam pœnitentiam differt, ab Altissimi altari vt fœtidum, putridum ac mortuum reijcietur sacrificium.

Eodem libro describit Deus animalia aliqua, quæ vt immunda à sacrificijs reijci iubet: inter quæ coruus & cygnus deputantur; quæ animalia S. Augustinus lib. 50. homil. hom. 41. dicit symbola peccatorum istorum esse, qui pœnitentiam procrastinant & conuersionem ad Deum in mortis differunt vltimam horam; nam vt coruus semper cras, cras cantat, sic cygnus, qui aliàs suauissimè cantaret, totâ suâ vitâ tacet, obmutescit, & suauissimum suum cantum ad vltimam horam vitæ suæ differt. Sic Italus ille poëta: *Il bianco ce dol ce cigno, cha cantando muore.* Et Martialis:

S. Augustin. lib. 50. ho. hom. 41.

Serò pœnitentes similes coruo & cygno.

Poëta.

Dulcia defectu modulatur carmina lingua,
Cantator Cygnus funeris ipse sui.

Id est, Cygnus, dulcem ac suauissimum quidem habet cantum, sed non auditur, nisi dum moritur: ergo coruus & cygnus hominum procrastinantium pœnitentiæ opera, symbola sunt: nam dum peccator semper cras, & cras cantat, & de hora in horam, de die in diem, de annis in annos differt pœnitentiam atque conuersionem, in omnibus coruum imitatur, ac vt nigerrimus coruus putridis sustentatur cadauerum carnibus, id est, voluptatibus. Cùm autem mortem sibi imminere cernit, etiam præsentem intuetur, tunc pœnitentiam agens sua confitetur peccata, & conuersus ad Dominum misericordiam implorat: Sanctorum inuocat patrocinia atque intercessiones, dulciter quidem vt cygnus cantans; sed an hic cantus Deo acceptus sit, an verè dulcisonus ac Dei oblectans aures, Sanctorum plurimi dubitant; non quòd Deus talem non sit accepturus pœnitentiam & cantum, sed quia ordinariè non cantus, sed vlulatus est, & ob mortis dolores, aut iusto Dei iudicio deficiente gratiâ non debitâ formâ, nec modo requisito in effectum ponitur, & sicut imperfecta pœnitentia & non cygni cantus, sed canis ac lupi vlulatus reijcitur. Nunc igitur Christiani, dum viuitis, dum in vestra est libertate bonum aut malum, agite bona & conuersi ad Dominum; pœnitentiæ operibus vestram certam facere salutem satagite; sin minus, certò sciatis, æternæ condemnationis vos manere sententiam. Huius doctrinæ infallibilis est testis propheta sanctus Psalmo 6. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui.* Veniet mors & tua propria te arguet conscientia, atque bona à te requiret facta, & ecce inops & pauper eris vacuis accedens manibus & clamabis: O Pater! nunc faciam, nunc dabo eleemosynas: fundabo altaria, atque virgines pauperculas matrimonio iungam. Sed deciperis Christiane, dæmonis laquei hi sunt, quibus te capere atque perdere conatur. Non legisti quid Christus apud sanctum Joannem dicat? *Venit nox quando nemo potest operari.* Mortis hora non est tempus agendi bona; sed iam acta Dei iudicio præsentandi. Sic Hugo Cardinalis in hunc locum: *Venit nox, id est, mors, quando nemo potest operari, id est, mereri. Præsens vita dicitur dies, & mors dicitur nox, quia dies dati sunt ad operandum & noctes ad quietem.*

Psalm. 6.

Ioan. c. 9.

Hugo hic.

Sanctus Augustinus in soliloquijs considerat miserum atque periculosum procrastinantium conuersionis statum, & qui nunc spe atque fiduciâ illâ nutriuntur, in morte misericordem se inuenturos Deum, & dicit magnam diaboli esse deceptionem atque apertissimam

mam inferni principis astutiam atque fraudem, qui his falsis suggestionibus & spe ista falsos ad æterna conatur supplicia trahere. Audite verba sancti Doctoris: *Immittit securitatem, vt rapiat hæreditatem.* Bonus confortator atque consolator dæmon est, dum viuus & sanus es; misericordem, placabilem & pium valde tibi depingit. Omnipotentem atque Altissimi infinitas tibi exaggerat misericordias, & nil aliud quam pietatem, clementiam atque benignitatem de eo tibi prædicat; sed latet sub herba anguis, decipere te conatur; ideò hanc magnam tibi *immittit securitatem, vt rapiat hæreditatem.* Percipite, rogo, admirabilem nequissimi huius spiritus astutiam, quam ad viuum idem Augustinus depingit alibi. Dum Apostoli Christum Iudæis atque gentibus euangelizarent, spiritus hic nequam & per Idola & magos suos loquens, à Christi fidei ac Euangelicæ doctrinæ susceptione homines cohibere conabatur. Christum non Deum, sed hominem solum & quidem sceleratum, impium extitisse, & vt talem à Iudæis, & Romanis cum alijs sibi similibus cruci affixum fuisse attestabatur. Sic in primitiua Ecclesia Christi tentabat Athletas vituperando Christum Iudæum, Crucifixum proclamando: nunc autem eum fides ac Euangelium eius vndique diuulgatum atque susceptum sit, & ille solus vt verus colitur atque adoratur Deus; alijs tentat modis, diuersisque inuentionibus æternæ gloriæ hæreditatem rapere nobis conatur, atque *laudando Christum; Misericors est, patiens, & Deus misericordiarum.* Inclamat: Nolite diffidere de Dei misericordia, nunc dicit dæmon; Deus summè misericors, longaminis atque patiens est, etiamsi mille feceritis peccata, omnem culpam atque reatum eorum dimittet, & felicem, dum vobis parcit, se iudicabit. Ah spiritus nequam! quanta tua

S. Aug. in soliloq. c. 16.

Dæmon conatur modis omnibus hanc nobis persuadere.

est astutia? nónne nunc cùm Deus totus misericors est, pœnitentia vsque ad mortem differenda tibi videtur? cum autem differtur, & mortis quis proximus est, ô quàm rigorosus à te depingitur Deus! quàm indelebile à te, dilatio hæc, depingitur crimen, quàm seuerus à te Judex prædicatur Christus, & quantis modis ad desperationis barathrum morientis conaris trahere animam!

Quòd Deus misericors & ipsa misericordia sit, nullo modo dubitandum est; at ideo nullus de eius præsumat misericordia, & liberiùs peccet; nullus purus & obstinatus in peccatis viuat; hoc enim esset Deum despicere, ac infinitas eius diuitias patientiæ ac bonitatis contemnere atque irridere. Sic sanctus Paulus ad Romanos cap. 12. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnitis?* Verum est, Deum esse patientem, pium, benignum, longanimem; sed patientia eius, pietas, benignitas, atque langanimitas incitare atque mouere debet ad conuersionem & pœnitentiam mox agendam, & non ad vitam in peccatis terendam; nam aliter faciendo agis, quod Apostolus dicit: *Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Vult dicere Apostolus: Scitis quid hi agant, qui nunc multa de Dei præsumentes misericordia, de peccato in peccatum ruunt & conuersionem suam vsque ad mortis horam differunt? Iram sibi congregant Dei, qui in mortis hora, quando volent Dei implorare misericordiam, quam modò contempserunt, super ipsos effundetur. Dicat mihi quis vestrûm, si amicum haberet, per cuius tectum latrones intrarent, aut ignis in eius accenderetur domo, ipse portas accederes atque pulsares euocando ipsum de somno, & tuum offerres auxilium atque subsidium; ille autem & tuas contemneret voces, & melius se

S. Paulus ad Rom. 12.

Rom. 2. 5.

sperare atque scire responderet, & sic cum ignominia te reijcere, si interim à latronibus dispendium suarum rerum pateretur, aut igne omnia absumerentur, & ad te postea, veniret, & subsidium quæreret? nunquid baculis talis stolidus excipiendus atque fustibus reijciendus videretur; quia tempore opportuno tuum contempsit oblatum auxilium? Similiter & nos cum Deo agimus, eum pulsantem & paternè admonentem atque gratiam suam atque auxilium offerentem cum ignominia reijcimus, & melius nos de ipso sperare respondemus; illudimus, ô Christiani! Christo, & thesaurizamus nobis iram pro die iræ. Audite Saluianum: *Et verè ita agimus vt dicit Apostolus; Deus enim nos vocat ad pœnitentiam sed nos thesaurizamus iram: Deus nos inuitat ad veniam, sed nos quotidie cumulamus offensam.* Ah quàm miser & periculosus status est differentis pœnitentiam, & sic iram Dei sibi thesaurizantis! ô miseri peccatores! nescitis quid sit ira Dei. Ecce dicam vobis; ignis comburens est, qui animas vestras vsque in æternum cruciabit atque torquebit. Sic Regius Vates: *Exardescit sicut ignis ira Dei.* Dicite, obsecro, qui nunc vestras procrastinando conuersiones, pœnitentiam differendo, iram Dei vobis thesaurizatis, quis vestrûm poterit Deo ad iram commoto resistere, qui nunc ipsius abutimini misericordiâ & eius longanimitatem & patientiam despicitis, atque oblatas gratias contemnitis, cùm hac ratione eum magis ad iracundiam prouocetis? Sic Saluianus vbi suprà: *Cogimus ad vlciscendum criminum nostrorum immanitatem nolentem Deum.* Deum, qui naturâ suâ inclinatur bona nobis facere, per hanc obstinationem nostram ac pœnitentiæ procrastinationem, cogimus mala nobis facere & suum in nos effundere furorem.

Thesaurizant sibi iram Dei impœnitentes.

Salu. lib. 5. de gub. Dei.

Psalm. 88.

Saluianus vbi suprà.

O quàm prudenter ageremus si & nos in pœnitentia agenda Niniuitas imitaremur & ad huius concionis auditum, nouam inciperemus vitam; peccatum commissum odio prosequeremur, & de futuris abstinere fortiter proponeremus, idque reipsa hodie demonstraremus! Imitemur charissimi, ciuitatis Niniuæ inhabitatores, qui ad Prophetæ vnius vocem, vnius comminationis perceptionem, ad vnam concionem Ionæ & peccata defleuerunt atque abominati sunt, & vitam emendauerunt & per asperos pœnitentiæ actus & pœnam remouerunt, ac misericordiam Dei obtinuerunt. Quadraginta dierum spatium illis à Iona positum erat. *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Et ipsi nec diem, nec horam temporis perdunt, sed subitò incontinenti horâ illâ, quâ comminatio à propheta fulminata erat, atteruntur & conteruntur; pœnitentiæ aggrediuntur opera, & Deum per veram conuersionem placare student. Sic ipsemet Christus attestatur apud sanctum Matthæum capite 12. *Pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* In ipsa prædicationis adhuc durante comminatione, vix verba expresserat Ionas, & ecce Niniuitæ conuertuntur, sua percutiunt pectora, commissa deplorant crimina & ieiunio saccis atque cilitijs induti, Dei implorant misericordiam. Sic, sic & nos, ô Christiani! facere debemus, viros hos Niniues ciuitatis imitantes; non cras, sed hodie; non post horam, sed nunc, adhuc me loquente vobis detestanda sunt vestra crimina, nunc deplorare incipite, nunc pectora vestra contundite, non sit qui inconfessus ex hoc egredi audeat templo. Ecce non quadraginta diebus, non quadraginta horis, non tot momentis de vestrorum corporum resolutione atque subuersione securi estis.

Iona c. 3.

Pro doctrinæ huius confirmatione, occurrere vobis velim verba illa qui-

bus

bus Christus suis Apostolis (dum de futura die Iudicij interrogaretur) respondit: *Memores estote vxoris Loth.* Sed quàm extrauagans respondendi hic modus est? Apostoli auent scire iudicij diei aduentum, atque tempus eius, interrogant Christum, quo anno, quo mense, quo die futurus sit, & Christus memoriæ ipsorum vxorem Loth in statuam salis conuersam obijcit. Diuinâ sapientiâ plena hæc fuit responsio & valde ad propositum. Audite & enarrabo vobis. Præceperat Deus Loth, & omnibus qui cum illo erant, & quis strepitu audito circumspiceret. Mulier atque consors nescio quo modo aut pietate versus patriam mota, aut curiositate stimulata, cùm & tonitrua & ignis de cœlo cadentis strepitum, & clamorem atque planctum inhabitantium ciuitatem percepisset, cohibere se non valuit, sed respexit. Dicite nunc N. N. quis vestrûm negabit hanc fœminam de diuina sperasse misericordia, & omnino & caput retorquendi, & de transgresso præcepto pœnitentiam agendi sibi promisisse tempus? Ita certè, nec dubium est, hanc vanam ipsi fuisse confidentiam; aliàs tam stolida & cerebri inops non extitisset, vt certo suo periculo aliorum intueri voluisset interitum; sed misera decepta fuit, & spe illâ suâ atque confidentiâ Dei sibi thesaurizauit iram; nam vix collum retorquet & ecce in momento illo insensibilis fit & in salis conuertitur statuam. Sic Genes. c. 19. *Et versa est in statuam salis.* O procrastinatores pœnitentiæ atque conuersionis! hanc meditemini historiam, casus huius miseræ atque infelicis matronæ vobis seruias in stimulum. Ecce quacunque die, quacunque hora ac momento colla vestra retorqueris ad strepitum ignis, i. e. vitiorum: nam hic luxuriam versus suum retorquet collum, ille iram versus, hic ad auaritiam, alter ad vindictam, vnus ad hanc, alter ad illam iniquitatem suum inuertit caput, suos applicat sensus, & tamen omnes cum hac femina fortiter speratis pœnitentiæ tempus, & creditis in mortis hora minimè vobis Dei defuturam misericordiam. Sed quis cautionem vobis posuit? quis assecurationis vobis tribuit arrham, ne & vos insensibiles fiatis & in momento subitaneâ morte præuenti, pœnitentiæ tempus minimè reperiatis. *Memores estote vxoris Loth, quæ* (dicit Liranus) *nec habuit spatium respiciendi retro, sed statim conuersa in statuam salis,* & tandem concludens dicit: *Sic nec tunc habebunt homines spatium respiciendi retro, id est, spatium intendendi alicui negotio, sed oportebit eos statim comparere conspectibus Iudicis.* Nec sit quispiam vestrûm qui latronis in cruce conuersi casum obijcere velit: ipse solus in tali casu & tali tempore dignus fuit tali gratiâ. Duo erant, vnus conuertitur, alter obstinatus in sua perseuerat malitia & moritur ac condemnatur. Audite de hoc casu sanctũ Bernardum perorantem. *Noli ergo huic periculosæ expectationi tradere temetipsum; si enim bene memini, in toto canone Scripturarum vnum latronem sic inuenies saluatum.*

Luc. c. 17.

Iona c. 3.

Gen. c. 19.

Vxor Loth exemplar serò pœnitentium.

Liran. hîc.

S. Bernar. serm. 38. inter paru.

Omnia tempus habent, dicit Spiritus sanctus apud Sapientem, & omne opus opportuno tempore peragendum est; sed cuius operis peragendi tempus vitæ huius est? Salutis atque saluationis. Dierum vitæ nostræ opportunum tempus est, peccata commissa deplorandi, pœnitentiam agendi & per varia opera bona certam nostram reddendi saluationem atque vocationem, vt sanctus dicit Petrus 2. Epist. cap. 1. *Quapropter fratres magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem atque electionem faciatis.* Ergo dum viuimus, bona agere & per bona opera salutis nostræ negotium assecurare oportet. Sic & Ecclesiast. docet. *Ne frauderis à die bono, & particula boni doni non te pertranseat.* Procrastinatores, non fallant nec seducant vos

Semper tẽpus agendi pœnitentiam est.

Eccl. c. 14.

vos dies prosperitatis, in quibus ducitis annos vestros & tempus consumitis: neque nimium fidatis in fortitudine atque robore iuuentutis vestræ; nam dies hi non dati sunt vobis ad mala agenda, sed ad bona operanda; de his nec hora, nec momentum quidem in malis, sed bonis operibus impendendum est. Hugo Cardinalis: *Nulla hora vacua à bono opere*, & nihilominus tot horas, tot dies, tot septimanas, tot menses, tot annos in mundanis negotijs & acquisitione temporalium bonorum, quæ quantocyus (velimus aut nolimus) nobis delerenda sunt, consumimus, & sæpiùs in committendis grauissimis criminibus terimus.

Hugo Cardinalis in hunc locum.

Quid ergo in his nostris miserijs, ad quas deprauata nos inclinat natura, agendum vobis sit, sanctum Paulum cap. 5. ad Ephesios legite, ipse dicet: *Videte itaque fratres quomodò cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Ac si diceret: Fratres attendite bene, quomodò dies vestros teratis, & in omni sanctitate per salutis viam ambuletis, neque in hac quærenda ac operanda cæcorum atque stultorum, sed sapientium more vadatis. *Redimendo tempus.* Quod vt sanctus docet Gregorius, tunc vendimus, cùm mala agimus, illud peccando, & sceleratè viuendo inutiliter terimus; at verò in nosmetipsos conuersi, peccata commissa deplorantes, & per pœnitentiæ opera delere studentes, atque in bonis operibus illud consumentes redimimus, atque recuperamus. Audiamus sancti Pontificis verba: *Tempus quippe redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciuiendo perdidimus, flendo reparamus.*

S. Paulus ad Eph. cap. 5.

S. Greg. lib. 15. Matth. c. 28.

Dicite mihi, nunquid negotium nobis omnibus cum Deo est? Ita certè. Nam quisquis nostrûm siue diues, siue pauper; siue nobilis, siue ignobilis, siue dominus, siue seruus, vitæ suæ rationem Deo reddere debebit. Nunc peto atque interrogo vos, quando hanc Deo reddere, & vestras rationes rectificare, atque hunc computum cum Deo liquidum reddere intenditis? Absque dubio respondebit quispiam vestrûm: Cùm tempus erit, & Deus hanc à me exegerit. Benè dicitis, Cùm tempus erit & Deus hanc à me exegerit. Attendite rogo ad illa, quæ nunc vobis dicturus sum. Duo Deus nobis deputauit tempora rationes nostras liquidas reddendi, id est, quibus vitam nostram emendare, atque ad Deum conuerti possimus: primum est tempus præsens; secundum est futurum. Præsens est tempus misericordiæ, benignitatis, pietatis, atque veniæ; futurum est tempus Iustitiæ, rigoris, atque condemnationis. At sub cuius temporis spatio conuertere vos cogitatis, atque vestram emendare vitam? præsentis, vel futuri? Si futuri? ecce quid vobis dicam; erratis fratres, & vos ipsos seducitis; nam status illius temporis, est status Iustitiæ, rigoris, iræ, atque vindictæ; tunc agendum vobis erit cum seuerissima Iustitia diuina, quæ sibi ad suam effundendam iram atque vindictam, statum temporis illius reseruauit. Nunc ergo cùm salutis tempus est, cùm misericordia, pietas, benignitas diuina vestras certas reddere potest rationes, ad illam conuertimini, vitas vestras emendate, & nunc computus vestros, atque rationes liquidas reddere satagite; nam cùm status huius temporis, benignitatis, pietatis atque veniæ sit, facilè veniam commissorum impetrare, atque vestras rationes securas reddere poteritis. Ideò summa illorum fatuitas est, qui ad iustitiæ tribunal illam differunt, & in futuro conuerti volunt.

Duo tempora agendi pœnitentiã; vnum aptum, alterũ ineptum.

Doctissimus Origenes in caput 25. Leuit. Homiliâ 15. considerat fauorabilem illam legem, vendentibus domum aliquam à Deo positam, quâ Deus

Orig. in c. 25. Leuit. Hom. 15.

Deus iubet, vt si quis ex populo domum aliquam necessitate coactus vendidisset, redditâ pecuniâ illam recipere possit, & emptor eam cedere debeat: attamen huic fauorabili legi terminos certos assignat, atque licentiam & potestatem hanc tempore anni vnius circumscribit, ita vt elapso anno, etiamsi pecuniam offerret, non in eius potestate staret, domum illam recipere, sed in emptoris illam reddere, vel non reddere. Verba sacri textus hæc sunt: *Qui vendiderit domum intra vrbis muros; habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus: si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum.* Magnum sub his verbis latet mysterium, dicit Origenes: Anima nobilissimum domicilium diuinæ gratiæ est, à Deo, atque cælorum fabricatum architecto; toties quoties quis peccat, dæmoni illud tradit, atque vendit. Ecce bonitas diuina ius tuum illam redimendi legi promulgata tibi seruat, vt cùm tibi placuerit, illam redimere, & tuæ reddere potestati liceat; sed terminos legi posuit, & hanc potestatem, atque permissionem vnius anni tempore circumscripsit, qui annus, tempus vitæ tuæ est; spatio huius tibi illam licet redimere, & damnificam dæmoni reddere pecuniam. Quid autem fiet, cùm hoc tempore opportuno, ad Deum conuersus, peccata tua plangere, ac per pœnitentiæ opera illa redimere non conaris? Finito hoc tempore iam non erit in tua potestate animam tuam redimere, sed in æternum *emptor possidebit eam*, infinitis torquendam cruciatibus. Ergo peccatores nunc in hoc anno, in huius vitæ temporis statu pœnitentiam agatis, nec conuersionem vestram procrastinetis: nunc nobilissimum domicilium animæ vestræ redimatis: nunc per pœnitentiæ opera dæmonem inde eijciatis, Deum atque sanctos Angelos suos introducatis; nunc peccata vestra deflendo, confessario illa confitendo, reddatis dæmoni illa, quibus eam vendidistis, & illam recipientes, imposterum vt stulti illam vendere caueatis.

Leu. c. 25.

Duò tempora agendi pœnitentiã; vnum aptum, alterũ ineptum.

Legite procrastinatores Psalm. 6. & inuenietis Prophetam clamantem; *Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam*, ac si diceret: Conuertaris, quæso, ad me Domine, & animam meam sub grauissimo peccati iugo oppressam liberare digneris, & salua me; non quidem per mea merita hanc peto gratiam, quia illam non merior, sed per tuam pietatem, misericordiam atque benignitatem, quæ infinita est. O Dauid! liceat mihi inquirere, ad quid tanta celeritas, tanta festinatio conuersionis tuæ? Ecce Iuuenis es, Bethsabea adhuc pulchra, formosa, atque decora, tibi adulatur atque omni gustu tuam recreat carnem; dabitur adhuc à Domino tibi sat temporis conuersionis, atque pœnitentiæ: cùm senueris, ad Deum conuerti poteris; adhuc & in morte ipsa locus conuersionis tibi à Domino non denegabitur. Non, non dicit Dauid, nunc rogo, modò supplico: *Conuertere ad me Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.* Nam tempus mortis, dura illa hora conuersionis tempus non est, quia non solùm difficulter tunc quis conuerti, atque pœnitentiam agere poterit, sed & de illa cogitare vix licebit. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui*, ac si diceret: Quomodò in morte pœnitentiam agere, atque ad Deum conuertere me potero, vbi nec tempus de illa cogitandi dibitur? nam tot angustijs tot doloribus, atque mortis cruciatibus obruetur anima mea, tot dæmonum tentationibus, tot propriæ conscientiæ argutionibus, atque commissorum scelerum accusatione vexabitur mens

Psalm. 6.

Sera pœnitentia plerumque infructuosa.

mea, vt de Deo, atque de conuertendi ad ipsum ratione vix cogitandi dandus sit locus. Et licèt quis tunc facere pœnitentiam vellet atque faceret; adde, quid Glossa hîc dicat: *Quoniam non est in morte pœnitentia fructuosa.*

Glossa hîc.

Nec aliter si veritatem fateri velimus, moribundo procrastinatori contingere potest: nam quomodò homo opus tam arduum, vt conuersio ad Deum est, in mortis hora agere poterit? quomodò tanti momenti actum, & ad cuius effectum tanta requiritur attentio atque sensuum omnium diligentia, exequi? cùm iam quasi mortuus iaceat, timore oppressus, & ob charissimam iam breui deserendam vitam summo perculsus timore? quomodò mens nostra inuigilare poterit cogitationibus, & charissimo illo lumine, quod vera requirit conuersio, illustrari, dum vxoris, mariti, filiorum atque filiarum dura & amara separatio cogitationum nebulis illam totaliter obumbrabit? Ah miseros insensatos! qui sic differunt pœnitentiam, atque conuersionem. Cogitet quispiam, & attentè suâ reuoluat mente, quanti laboris ac sudoris opus sit, vnico quadrante animæ suæ, præsentiæ Dei imponere frænum & seriem tractare conuersionem; & si, dum sani sumus, tantâ difficultate hoc facimus, quid facere poterimus, dum toti languidi, mœsti, atque tristes ob mortis præsentiam lecto alligati iacebimus? Satis ad agendum habebimus, vt mortis dolores, atque amaræ illius diuisionis angustias cum patientia toleremus. Mortis hora, conuersionis tempus non est: nunc dum viuimus, dum sani ac robusti sumus, pœnitentia agenda est. Hæc non mea, sed sancti Augustini doctrina est, qui serm. 58. de tempore sic loquitur: *Erit tempus, in quo peccator velit pœnitere, & non poterit; quia quando potuit, noluit. & propter malum velle, perdidit bonum posse.* Ergo oculos mentis vestræ aperiatis; nam negotium tractatur, à quo æternæ salutis vestræ tota dependet substantia.

S. August. Serm. 58. de temp.

Audite quid Sophonias Propheta de his procrastinatoribus dicat: *Ambulabunt vt cæci, qui Domino peccauerunt.* Id est, cæci erunt, vt cæci præsentem sibi adstare mortem minimè cognoscent, vt eius timore commoti pœnitentiam agant, atque ad Deum conuertantur; sed vt cæci in sua permanentes obstinatione, in peccatis suis ambulantes, in æternam damnationis cadent fossam. Huius mentis etiam Sanctus Hieronymus est, apud quem in hunc locum sequentia reperietis verba: *Ambulabunt vt cæci, quia lumen perdidêre virtutum, & locum pœnitentiæ non habebunt, & hæc patientur, quia Domino peccauerunt.* Quid ergo N. N. est Domino peccare? nunquid peccatum omne quod committitur contra Dominum est? Ita sanè: sed procrastinationis peccatum particulare hoc habet, quòd peccatum contra Dominum vocetur; ideò etiam particularem meretur pœnam: nam qui toties pulsantem, & misericordiam offerentem repellit, & à cordis sui reijcit portis, meritò & ipse, cùm eius portam, & misericordiam, quam toties oblatam contempsit, petere intendit, & accedit, repellitur, & cæcitate, ne eam reperire possit, à Domino percutitur. *Ambulabunt vt cæci, & locum pœnitentiæ non habebunt.* Sed quare? cur tantâ percutiuntur à Domino cæcitate? *Quia Domino peccauerunt*, toties pulsantem & gratiam offerentem reiecerunt. Huius opinionis & Doctissimus Pater Ribera est, & hunc locum explicat casu illo Sodomiæ ciuium, quando à Domino cæcitate percussi portam domus Loth, in qua Angeli Dei hospitabantur, minimè reperire poterant. Nam cùm ad luxuriandum, & bestialia sua explenda desideria S. Loth domum ingredi conarentur, Angelos Dei, quos Iuuenes esse

Sophon. c.1.

S. Hieron. in hunc locum. Imò ferè impossibilis.

Ribera in 1. c. Sophon.

esse

esse putabant, ad suam explendam libidinem tradendos, instanter à S. Loth postularent, dicit Scriptura, Dei angelos Loth manibus apprehendisse & intra domum reduxisse, ac portas clausisse; viros verò Sodomitas, qui foris erant, à minimo vsque ad maximum tali percussisse cæcitate, vt nullus portam domus reperire vltrà valuerit: *Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Loth, clauseruntq; ostium, & eos qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Hìc doctus ille suprà memoratus Pater quærit, quænam porta sit peccatoris? Respondet, Dei misericordiam hanc esse. Hanc portam procrastinatores, quia cæcitate à Domino percussi sunt, in mortis hora minimè reperire possunt, vbi suam possint assecurare salutem. Percipere libeat tanti Doctoris verba. *Ita peccatores oppressi angustijs & venturam iram formidantes, tentant effugere, & pœnitentiam quærunt, & ianuam non inueniunt, quâ ingrediantur sicut de viris Sodomitis legitur, & eos qui foris erant, percusserunt cæcitate, à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.*

Gen. c. 19.

Ribera vbi suprà.

Ergo procrastinatores, in annis, robore iuuentutis vestræ, nolite vana futuræ pœnitentiæ iacere fundamenta; nam vos ipsos fallitis: quis enim vestrûm crastinum diem sibi certò promiserit? quis dicere poterit: Sequenti adhuc viuam horâ? aliud nolite exspectare tempus; nunc, nunc agite pœnitentiam, & ad Dominum conuertimini: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis,* dicit Paulus, quem explicans sanctus Anselmus, sic loquitur: *Dies enim salutis per Christi gratiam est vita præsens, quoniam apta est ad bene operandum, & concludetur nocte Iudicis, in qua nemo poterit operari,* Non minima res est, N. N, saluari aut condemnari: non negotium est, in quo ludendum atque nugandum est, sed summi est momenti; nam semel condemnato nulla datur venia. Doctissimus Liranus, considerando prædicationem Noë, quâ hominibus futuri diluuij & peccatorum horrorem persuadere conabatur, dicit: Quando Noë ipsis concionabatur atque futurum annuntiabat diluuium, & ad emendandam pessimam vitam exhortabatur, illudebant illi, & dum arcam illam fabricabat, recreationis, & Sanctum irridendi causâ turmatim accurrebant, & mille sanctum virum improperijs afficiebant. Hanc pessimam hominum dementiam assumens Glossa, dicit: Sic contingit procrastinatoribus & pœnitentiam differentibus, qui singulis diebus, dum à concionatoribus aut propriâ arguuntur conscientiâ, & futura Dei contra ipsos fulminatur ira, derident concionatores, & mille afficiunt improperijs, & licèt in alijs iam effectum Dei deprehendant iræ; attamen vt cæci, aut non vident, aut videre nolunt, & sic in suis moriuntur peccatis, & in æternum condemnantur. Hos fatuos, ac mente captos ad saniorem mentem S. Chrysostomus reducere conatur. *Nolite misericordiæ tempora perdere; nolite accepta remedia dissimulare; ante supplicium cogitate de supplicio.* Ah miseri procrastinatores! quid cogitatis? quid agitis tergiuersando & diuinis resistendo inspirationibus vos ad pœnitentiam vocantibus? ad quid tales nectitis moras? Scitote hoc, quòd tales procrastinationes euidentissimum æternæ perditionis signum sint.

2. Cor. c. 6.

S. Anselm.

Liran.

Gloss. in c. 6 Gen.

S Chrys. Hom. 30. in Euang.

Antequam hanc partem finiam, vnam vel alteram satis ordinariam resoluam obiectonem. Dicet quis: Scimus Deum naturâ suâ ad misericordiam inclinari, & in quacunque hora peccator resipuerit, ad pietatem moueri, & in gratiam recipere confitentem delicta sua, quod ipsemet Deus apud Ezech. cap. 18. attestatur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vitâ viuet, & non morietur.*

Ezech. c. 18.

Omnium

Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Ergo ad quid modò pœnitentia agenda est? nunquid & in mortis tempus, virtute verborum istorum differri potest? Altera obiectio erit conceptus sancti Ambrosij, qui dicit, columbam illam de arca emissam, cùm omnes arbores diluuij aquis submersæ atque coopertæ essent, nihilominus oliuæ arborem & viridem quidem aquis supernatantem reperisse, de qua ore decerpens ramusculum, in signum pacis & cessantis diluuij attulit ad arcam ac Noë præsentauit. Sic Genes. cap. 8 habetur: *Et cùm non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est in arcam, deferens ramum oliuæ virentibus folijs.* Per hanc oliuæ arborem, quæ diluuij aquis supernatabat, Dei intelligit sanctus Ambrosius misericordiam atque pietatem, cuius oliuæ arbor symbolum est. Sicut ergo arbor illa virescens diluuij supernatabat aquis, & omnibus submersis sola viridis remanserat; sic licèt diuina Iustitia immittat pœnas, atque supplicia, tamen semper misericordia virescit, & vt oliuæ arbor diluuij aquis supernatat, & semper spes misericordiæ habenda est. Audiamus verba S. Ambrosij: *Gauisus est vir iustus, videns fructum de veteri semine aliquem reseruatum, & inde collegit misericordiæ insigne diuinæ, qui fructum demonstraret, cui non possint nocere diluuia.* Bene & laudabiliter certè, de diuina misericordia S. Ambrosius discurrit, nec ego largas & prodigas Dei manus, quibus gratias hominibus elargitur, restringere volo.

Exemplo columbæ ac corui, feræ ac velocis pœnitentiæ vis explicatur.

S. Amb. de arca Noë, c. 16.

Sed rogo, vt mecum hodie habeatis patientiam, & vnicam supra hunc locum à me reflexionem percipiatis. Reperio in sacris litteris, coruum de arca fuisse emissum; illum verò oliuæ ramum inuenisse, & cum illo, vt spe veniæ atque signo cassantis supplicij atque pœnæ, redijsse ad arcam, minimè deprehendo. Quid sibi vult hæc diuersitas? Columba exit, oliuæ arborem diluuij aquis supernatantem reperit, carpit ramusculum, ore portat ad arcam, & signo pacis atque cessantis diluuij arcæ inclusos recreat. Exit & coruus, nec oliuæ reperit arborem, nec ad arcam redit, sed extra manet. Considerate corui & columbæ naturæ diuersitatem; sic habebitis solutionem. Quæ ergo corui natura est? S. Augustinus dicit de vera & falsa pœnitentia, coruum semper cantare, *Cras, cras, cras.* Sic sunt aliqui peccatores, qui coruos imitantur; nulla alia ipsis vox est, quàm *Cras, cras* conuertar; *cras* pœnitentiam agam. Venit *cras*, & transit *cras*; *cras* conuertitur in menses, menses in annos, & sic semper *cras* conuertar, semper *cras* pœnitentiam agam. Vt ergo nunc coruus oliuæ ramum, vt signum misericordiæ & pietatis & cessantis supplicij non inuenit, neque attulit, sic & peccatores, qui postremos annos in menses & in dies differunt pœnitentiam, minimè oliuæ ramum, id est, Dei misericordiam, atque pietatem reperturi sunt. Audite ipsum sanctum Augustinum: *Ecce dico tibi, cùm facis vocem coruinam, occurret tibi ruina.* Columba verò præter alias qualitates, hanc etiam habet, vt cùm nido discesserit, quantocyus redire soleat, & in hac qualitate symbolum iusti est; qui licèt aliquando nidulo suo, id est, vulneribus Christi exeant atque extra illa per campos & syluas peccatorum vagentur, citò tamen ad nidulum vulnerum redeunt, & ibi commissos errores amarè plangunt; hi oliuæ reperiunt arborem diluuij supernatantem aquis, & in misericordiæ atque pietatis signum ore suo gestant: at illi procrastinatores corui, clamabunt in illa die, quando iam mors corpus ab anima separare aggredietur, *Misericordia, misericordia*; sed iusto iudicio surdus erit Deus & ipsorum minimè exaudiet clamores, vt Proverb. cap. 21.

S. Aug. de vera & falsa pœn.

Prouerb. c. 21.

Ipse

Ipse clamabit, & non exaudiam. Hoc S. Gregorius Papa ipsis prædixit hunc loquendi modum diuinæ maiestatis considerans, ac rationem peraptam dat: *Clamorem eius angustiæ tempore Deus non audit, quia tranquillitatis tempore in præceptis suis ipse clamantem Dominum non audiuit.* Hæc recogitate peccatores, & nunc ad aliam instituendam vitam vos resoluite, interim aliquantulum quiesco.

S. Gregor. moral. 4. c.17.

S. Aug. de vera & falsa pœn.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

TRibus diuersis desiderijs sancti Augustini animam inflammatam fuisse, aiunt. Primum erat, audire S. Paulum prædicantem. Secundum, videre Romam triumphantem. Tertium, assistere & inspicere Christum in carne conuersantem. His Sancti Augustini anima cruciabatur desiderijs; sed vt veritatem fatear, similiter & meus animus tribus exagitatur desiderijs. Primum est, voluissem Ionam Prophetam audiuisse prædicantem, vt hodie sacrum enarrat Euangelium *in prædicatione Ionæ.* Secundum est, voluissem vidisse ciuitatem Niniue pœnitentem, incolas eius ieiunantes, saccis indutos & cinere aspersos, Dei implorantes misericordiam, & per pœnitentiæ opera, & de dæmonio, & de peccatis, & de ipsa diuina triumphantes Iustitia. Tertium est, voluissem inspexisse tantæ ciuitatis Regem, sacco & cilicio amictum, ac cinere conspersum, plorantem, per ciuitatis discurrentem plateas, totum contritum, Dei implorantem pro se & suo populo misericordiam. Grauissimum certè exstitisset spectaculum, Ionam prophetam vidisse per ciuitatem Niniue currentem, prædicantem, mœstâ, & lamentabili voce clamantem: *Adhuc quadraginta dies & Niniue sub vertetur.* Et hæc erat vox eius per integrum diem, per ciuitatem Niniue annuntiando ipsis futuram subuersionem.

Matth. c. 12.

Proverb. c.21.

S. Hieronymus insigne hîc proponit dubium, atque etiam resoluit. Ciuitas Niniue erat tantæ magnitudinis, vt spatium trium dierum itineris contineret; (*Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum,*) & tamen Ionas vnâ die totam percurrit, & adhuc quod magis est, prædicando. Certè si concionabatur, quandoque in certis locis ciuitatis, vbi maior erat populi frequentia, debebat firmasse gradum; quomodo ergo spatio vnius diei, iter trium dierum conficere potuit? Audite sancti Doctoris verba, quibus propositam soluit quæstionem: *Viam trium dierum vnius diei festinatione compleuit, quia diuina misericordia eum impellebat.* Ac si diceret: Diuina misericordia insequebatur Ionam, & exhortando, & instigando compellebat celeres figere passus, & sic eum impellebat, vt vnâ die trium dierum iter conficeret: nam diuina misericordia inspiciebat imminens periculum ciuitatis, & iam diuinam Iustitiam, gladium euaginatum tenentem intuebatur; ideò Ionam ad accelerandum incitabat, & tantopere solicitabat, & vrgebat, & post tergum eius clamabat; Curre Iona, accelera passus tuos, annuntia hodie adhuc per vniuersam vrbem superuenturam ruinam, & conuerte hodie adhuc populum hunc; nam Dei Iustitia euaginatum iam manibus suis tenet gladium. *Compellebat eum diuina misericordia.*

S. Hieron. in c. 3. Ion.

Væ omnibus peccatoribus, si diuina misericordia suppliciorum diluuij aquis vt oliuæ arbor non supernataret, iam & omnes peccatores, & mundus ipse totus subuersus, atque annihilatus fuisset. Benedicite ergo, ô peccatores! magnas Dei misericordias: infinitas illas prædicate cunctis populis, & annunciate, quòd bonus, pius, longanimis, & misericors sit Dominus, & cum Rege Dauid cantate Domino: *Confitemini Domino; quoniam bonus: quoniam in* Psal. 105.

seculm misericordia eius. Niniuitarum pœnitentia fructuosa fuit, & desideratam obtinuit gratiam, quia festinans & subitanea fuit, statim vt admonentis, ac exhortantis ad conuersionem vocem audierunt, prætò fuerunt & Rex, & populus totus; imò innocentes infantes cilicijs cooperti, & cineribus aspersi animas suas in jeiunio coram Domino humiliauerunt, & sic sua deplorantes crimina, Dei implorauerunt misericordiam. Et vt efficacior esset eorum supplicatio, Rex ipse coronam capitis sui deposuit. cinere illud conspersit, atque sacco induit, & similiter facere omni viuenti mandauit, & vt bestijs fieret præcepit. Sic Ionas c. 3. *Homines & iumenta saccis induantur.*

Ion. c.3.

Diuinum hoc erat præceptum, & plenum mysterijs, à Rege Niniuitarum positum; hoc enim & vilitas, & bestialitas disco operitur peccatori; eundem enim assignat prudentissimus Rex, eundem deputat ornatum, populo peccatis oppresso habitum stolidis bestijs, vt demonstraret paruam aut nullam differentiam inter bestiam & hominem peccatorem esse, & quod dilitijs atque cupiditatibus illicitis deditus, iam non vera creatoris sit imago, verùm brutissima bestia hominis laruam gerens. *In corpore manet humana animæ similitudo, in anima verò bestiali similitudine mutata, est similitudo Dei.* Similitudo illa Dei, quæ in anima hominis ante peccatum erat, patrato peccato in similitudinem brutissimę conuertitur ferę, & ille externus hominis apparatus corporis, & hominis forma larua tantum fictitia est, & peccator nihil aliud, quàm laruata bestia, & malum hoc tantæ enormitatis est, vt satius esset, hominem non natum, quàm peccatorem esse; imò bestiam creatam fuisse, & semper exstitisse, quàm peccatis inquinatam habere animam, Et ne mea hæc propositio dura alicui videatur, quæro

S. Bernar. serm. de pri.med & nouis.

quid magis optandum sit homini; in æternum cœlestibus carere delitijs atque gaudiis, & æternis cruciari tormentis, aut bestiam & non hominem à Deo creatum fuisse? Absque dubio, quisquis dicet supposito, quòd æternis non debet frui gaudijs, meliorem pro homine bestię statum quam hominis fuisse.

Mellifluus Bernardus verba illa Euangelij ponderat apud Marcum: *Bonum erat ei, si non esset natus homo ille,* dicit: *Non vtique, si natus non fuisset omnino, sed si natus non fuisset homo; sed verbi gratiâ, aut pecus, aut alia quæpiam creatura, quæ quoniam iudicium non haberet, ad iudicium non veniret, ac per hoc nec ad supplicium.* Ac si diceret: Multò melius, atque tolerabilius, imò magis optandum fuisse Iudę traditori, non hominem, sed bestiam extitisse; nam vt talis, Christum non tradidisset, nec in æternum inferni tormentis addictus fuisset: nam vt rationis incapax, nec iudicari à Deo, nec condemnari poterat. Videtis ergo nunc, ô peccatores! infelicissimum vestrum statum: satius fuisset, bestias vos semper fuisse, & extitisse, quàm modò Dei imaginem in animabus vestris impressam, per crimina atque scelera commissa in bestiæ similitudinem transmutasse; nam vt tales nec iudicio præsentari, nec condemnari à Domino potuissetis; nunc autem & iudicio sistemini & iudicabimini, & æternis addicemini cruciatibus ob Dei imaginis in bestiæ transformationem.

S. Bernad serm. 35. in Cant.

Possibiléne est, quòd homo ratione præditus, ad Dei creatus similitudinem atque imaginem, Christi sanguine redemptus sis? Lux illa clara diuinæ gratiæ, per sacrum baptismа tibi infusa in tua ardeat mente & turpitudinem, vilitatem tuam in peccatis tuis capere nequeas & tandem aliquando ad Dominum conuertaris & commissa defleas crimina, & à Domino remissionem supplices? *Miserere animæ tuæ,* dicit Sapiens,

Apostrophe ad auditores.
Eccl. c. 30

piens. Compatiaris animæ tua velim; nam si semel eam perdis, in æternum perdita manebit; nam illinc nullus datur regressus, quoniam in inferno nulla speranda est redemptio. Ingredere ô peccator! qui tuam semper procrastinas conuersionem, internam domum animi tui, & aperi oculos mentis tuæ, & periculum intuere, quod tibi imminet, dum vt cæcus, ab omni priuatus lumine inter æterna ambulas præcipitia, & carni, atque omni indulges vitio, ac si Deus non esset in cœlo, si supplicium, atque æternæ condemnationis sententiam, iam tibi à Deo præparatam, declinare velis (de quo non dubito; nam nimiùm stultesceres, si hæc mente tuâ non volueres,) Niniuitas imitari te non pigeat in pœnitentia atque conuersione; qui mediâ hâc præparatum, & iamiam sibi imminens subuersionis periculum declinauerunt. Ecce nunc dies salutis, nunc sacrum quadragesimale tempus ad id præstandum, opportunissimum est; nam ad hunc finem hoc institutum fuit ieiunium. Nunc ieiuna cum Niniuitis, nunc tua plange crimina; nunc per varia mortificationis opera tuam carnem iudicare non negligas, vt sic iudicatam atque castigatam Deo illam præsentare & peccatorum remissionem, atque æternæ hæreditatis gloriam obtinere valeas, quod mihi & vobis concedere dignetur sanctissima Trinitas, Amen.

DISCVRSVS VIII.

PRO DIE IOVIS POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

PRæsentis discursus scopus est exercitium sanctæ Orationis. Primo puncto, delitiæ atque gustus orationis adducuntur. Secundo puncto efficacia eius, maximè cùm multi orantes concurrunt, describitur. Secundâ parte, & puncto tertio, rationes & causæ aliquæ exhibentur, quæ orationis effectum impediunt, atque faciunt vt aliquando non exaudiantur supplicantes.

Thema.

Egressus Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis, & Ecce mulier Chananæa, à finibus illis egressa, clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine, fili Dauid. Matth. c. 15.

QVàm infelix status impij illius Saul Hebræorum Regis extiterit, dum spiritus malus à Domino illi immissus, eum vexaret, & varijs tormentis exagitaret, quantâque facilitate puerulus quidam Hebræus, nomine Dauid pastorculus dulci citharæ sono atque suaui psallendi arte illum abigere, Regisque furorem sedare solebat, satis clarè sacræ descri- 1.Reg.c.
bunt literæ. *Quandocunque spiritus Domini* 16.

malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percuriebat manu suâ & refocillabatur Saul, & leuius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus. In præsenti Euangelio adducitur nobis mulier quædam Chananæa, cuius filiam similis quidam spiritus malus mirum in modum agitabat. *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Quæ dum Christi percepisset aduentum, protinus salutis occurrit medico, orationis atque humilis supplicationis citharam apprehendens, salutem filiæ suæ à Christo efflagitauit. *A finibus illis egressa clamauit.* Et ecce vix verba profert, vix dulcissimus citharæ orationis sonus auditur, immundus recedit spiritus, filia sanitati restituitur, atque quieta & consolata recedit mater & filia. *Et sana est filia eius ex illa hora*, quia tantam dulcedinem atque suauitatem orationis minimè ferre dæmon poterat, discedit & filiam sanam; & matrem consolatam dereliquit: nam tam grata & accepta dulcis orationis Deo vox est, vt inter alias Dei delicias vna deputetur. Cùm ergo diabolus, Dei sit inimicus, & ob felicem eius statum summâ torqueatur inuidiâ, toties, quoties suauis hic Dei deliciarum sonus, aures eius pulsat, protinus fugit atque recedit: nam pati non potest, Deum his delicijs & suauissimâ orationis musicâ ab hominibus mulceri. Quod autem orationis musica, atque dulcissimus eius sonus, singulares à Deo causent delicias, ipsemet attestatur, dicens: *Delicia mea esse cum filiis hominum.* Supra quæ venerabilis Beda, *Delicias* (ait) *quas reputat sibi Deus ex nostra oratione.* Has delicias apud suam reperire sponsam, hisque ab ea mulceri, mens eius desiderabat, Canticorum capite secundo, *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis,* Chaldæus textus sic legit: *Quoniam vox tua suauis est in oratione,* ac si diceret: O charissima mea sponsa! si scires quàm suauis orationis vox meis auribus esset, quantisque ex auditu eius mens mea frueretur deliciis, quàm diligens ac continua in ea esses, hac rogo, sæpiùs ac sæpiùs dulcissimo hoc sono mentem meam recrees, his deliciis animum meum mulceas, *Sonet*, ergo, *vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* Oratio igitur scopus discursus mei erit: primo puncto delicias in Dei mente per illam causatas exhibebo. Secundo puncto vim atque efficiam eius, maximè cùm plures in ea facienda concurrant, demonstrabo. Secundâ parte & tertio puncto, rationes atque causas aliquas adducam, cur Deus non semper nostra exaudiat vota atque orationes. Attenti estote.

Matth. c. 13.

Oratio suauis musica in auribus Dei.

Prouerb. c. 8.
Venerabilis Beda hic.

Cantic c 2.
Traduct. ex Chald.

PARS I.
PVNCTVM PRIMVM.

Egressus Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis, & Ecce mulier Chananæa, à finibus illis egressa, clamauit dicens ei: Miserere mei Domine, fili Dauid. Matth. c. 15.

TAm suauis in Dei mente orationis vox est, tantaque dulcedine, atque gustu eius prolatione diuinus impletur animus, vt quodam modo videatur angelicæ eam præferre musicæ. Apocalyps. c. 8. Sanctus Ioannes Euangelista rapitur ad diuina percipienda mysteria in ecstasim, introducitur in Altissimi gloriosa palatia, Dei præsentatur templo, vbi angelicâ illâ dulcissimâ musicâ Dei recreabatur animus. Sed quid fit? Cum inter se Angelici certarent chori suauissimis suis cantibus ad Dei se inuicem prouocarent laudes, derepentè à Deo silentij datur signum, cessant organa atque musicalia instrumenta, obmutescunt angelici illi spiritus, & dulcissima musica amplius non audi-

Musica orationis gratior Deo, musica Angelorum.

Apoc. c. 8.

auditur. *Factum est silentium in cœlo.* Sed cur tam subitaneum signum dat Deus silentij, & suauissimam Angelicorum mandat cessare musicam? Ecce viginti quatuor senes adueniunt, phialas aureas habentes in manibus suis plenas odoramentorum suauissimorum, quæ erant orationes Sanctorum, & illas in Dei effundunt conspectu. Vt ergo diuina mens atque Altissimi animus huic dulcissimæ suauitati magis attendere posset, illaque auidiùs frui, Angelicæ harmoniæ indicitur silentium. Sic modernus quidam opinatur Doctor.

Genesis c. 39. Iosephi Patriarchæ describitur captiuitas. Diris vinculis, atque grauissimo catenarum pondere oppressus, obscuro includitur innocens iuuenis Hebræus carceri, inter omnia sui corporis membra, solam linguam liberam & non ligatam habet, quâ & Deum in sua laudabat tribulatione, & feruentissimâ oratione suam præsentabat, atque commendabat innocentiam. Cuius effectus hanc sancti Iuuenis putatis fuisse orationem? Dicam vobis: Suauissimam in Dei mente præsentabat musicam, cuius dulcedine ac suauitate, diuinus commotus fuit animus, vt suauissimi Angelici obliuiscens concentûs, hanc propiùs auditurus musicam, empyreos deseruerit cœlos, & cum puero Hebræo inter vincula & catenas ita suauiter cantante in obscuro non detrectarit habitare carcere. Sic sacer habet textus: *Descenditq; cum illo in foueam; & in vinculis non dereliquit eum.*

Ad incarceratos hac musicâ trahitur Deus.

Sapient. c. 10.

Sed quid dico de carceribus & obscuris fossis, atque cisternis? tanta auiditate huius musicæ diuinus tenetur animus, tantoque desiderio sacra mens eius ardet, suaues ac dulces orationis percipere voces, vt in fornace ignis ardentis orantibus adesse voluerit. Legite Danielem prophetam c. 3. Aspicite tres pueros ob Nabuchodonosoris statuam contemptam, ignis ardentis fornaci inclusos, nomine Sidrach, Misac, & Abdenago: omnes tres sanctos & innocentes in medio ambulantes fornacis, vt in florentissimo prati alicuius obambulantes solo, dulciter ac suauiter concinentes atque Deum laudantes, omnesque creaturas ad Dei laudes inuitantes. *Benedicite*, inquiunt, *omnia opera Domini Domino laudate & superexaltate eum in sæcula.*

In medio ignis constitutos visitat.

Daniel c. 3.

Et ecce in medio illorum, Filium Altissimi secundam personam Sanctissimæ Trinitatis, quæ Angelicam assumpserat formam, ambulantem, & dulcissimæ illorum orationis musicæ inhiantem, atque summâ delectatione atque gustu, suauissimos illius orationis atque benedictionis percipientem sonos. *Et quartum similem filio hominis.* Descenderat in forma Angeli, æternum Verbum, & in medio illorum ambulabat. Idem in hodierno peregrinus Euangelio à longo atque distanti trahitur termino, vt mulierem Chananæam suauiter ac dulciter orantem atque cantantem percipiat. *Secessit in partes Tyri & Sidonis.* Tantâ eius orationis dulcedine, atque suauitate repletur, vt totum quod petit, subitò ei concedatur, & gratia, pro qua supplicatur, mox impetretur. *Fiat tibi sicut vis.* Videtis quàm dulcem ac suauem harmoniam in Dei mente feruens excitet oratio quantoque desiderio audiendi illam diuina teneatur mens; nunc videbimus, cuius efficaciæ atque virtutis sit, dum non vnus, sed plures conueniunt, & mirabili quadam consonent voce vnanimiter Deum laudantes, adorantes atque pro æterna supplicantes salute.

PVNCTVM SECVNDVM.

Sit ergo prima Propositio; Si plures in oratione fundenda conueniunt, & vna-

vnanimiter à Deo quid petunt, mirabili quodam modo diuinam obligari bonitatem, ad nihil illis negandum. Rem ita se habere ipsemet attestatur Christus, apud S. Matth. [*Matt. 18. 19.*] *Si duo ex vobis consenserint super terram; de omni re quancunque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.* Locum hunc explicans & considerans S. Petrus Chrysolog. hæc omni [*S. Petrus Chrysolog. serm. 132.*] attentione digna protulit verba: *Vbi sunt, qui præsumunt Ecclesiæ conuentum posse contemni, & solitarias preces venerandæ congregationi autumant anteferri? si duobus vel tribus simul positis medium se futurum, & omnia se promittit quæ postulatus fuerit præstiturum?*

[Multorum vnanimis orationis efficacia.]

[*Tertull. de orat. Dom.*] Inde Tertullianus de oratione Dominica sic loquitur: *Coimus in cœtum, & congregationem, vt ad Deum quasi manu factâ precationibus ambiamus orantes.* Et tandem concludit dicens: *Hæc vis Deo grata est.* Vult doctissimus hic vir dicere: Multi ad orandum conueniunt, vt in impetrando, quod prætendunt, securiores atque certiores sint, simul spallunt, atque Deum exorant; quæ multorum oratio, non tantùm Deum mirabili quadam aggreditur virtute, diuinum expugnans animum; verùm cogit, ad totum illud, quod petitur concedendum. Nam Deus tali pugnandi modo cum plures conueniunt, & in Ecclesijs atque publicis processionibus sua deflent atque deplorant crimina; suspirijs atque lachrymis diuinam implorant opem ac misericordiam, resistere non posse videtur. Sed cur! *Hæc vis Deo grata est.* quia Deus tali se oppugnandi & supplicandi modo summè delectatur, & taliter animus atque mens eius his occupatur armis, vt minimè id, quod petitur, negare possit.

[*S. Chrys. hom. 2. in Ep. ad. Corinth.*] S. Chrys. vim atque efficaciam orationis à multis prolatis considerans, ait: *Deus frequenter reueretur multitudinem vnanimem & consentientem in precando, vt veluti pudore victus, non audeat illis negare.* Sanctus hic vir ad id alludere videtur, quod sæpiùs nobis contingere solet, Aduenit aliquando amicus, cuius apud nos tantus respectus atque authoritas est, vt præ pudore & verecundia, nec ipsum offendere in aliquo, nec quod petit negare possimus. Sic Deo nobiscum contingit: tantus non multorum congregatorum in oratione apud Deum respectus, atque authoritas est, vt pudore quasi vincatur, & non audeat negare illa, quæ petuntur: nam diuinus animus summopere erga orantium afficitur multitudinem.

In huius probationem menti atque animo vestro occurrere velim, id quod Deum inter & Ionam contigit prophetam. vt sacræ nobis exhibent litteræ, cùm hedera, contra solis æstus vmbrâ ipsum protegens, per Dei iudicium exsiccata fuisset. Bonus Propheta è regione sedens ciuitatis sub hederæ umbra, subuersionem illius exspectabat, & Dei iudicium, vt annunciauerat, intueri desiderabat: & Ecce animaduertit Deum mutasse sententiam, & iam non supplicij aut subuersionis, sed gratiæ ac misericordiæ dare signa; ideo indignatur, irâ accenditur. *Et afflictus est Ionas afflictione magnâ, & iratus est.* [*Ionæ c. 3.*] Et sic commotus ad Deum conuertitur, & sententiæ mutationem illi obijciens, dicit: Si tam facilè sententiam mutare, & ad supplicantis populi voces iram conceptam in gratiam supplicium; in misericordiam conuertere decreueras, ad quid me vexare tot itineribus, tot periculis exponere opus fuisset? Idcirco ne fortè aliâ vice simile quid illi contingeret, viuere iam nolle. *Petijt animæ suæ vt moreretur.* Placuit tandem diuinæ Majestati consolari prophetam, dando rationem facti; quæ alia non erat, quam multitudo congregatorum hominum vnanimi corde sua deplorantium peccata, atque Dei implorantium misericordiam. Audite sacrum textum, *Et*

ego

ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum? Non allegat populi ieiunia, non carnis adducit mortificationes, non cilicia describit, quibus sua operuerant corpora, atque cineres, quos suis inspersERANT capitibus, sed populi tantam multitudinem, quæ vnanimiter Deum pro misericordia exorauerat, atque supplicium in gratiam conuertere supplicauerat? & quod hâc dulcissimâ musicâ Deus commotus fuerit; imò coactus omne deputatum supplicium in gratiam ac misericordiam deputare: vt nos inde colligeremus, vt sanctus Chrysostomus docet, quòd oratio multorum atque integræ congregationis maximi in diuina mente valoris, & ad impetrandum omne id, quod à Deo petitur, efficacissima fit. *Non sine re amplum populi numerum ibi proposuit; sed vt intelligas plurimum eam pollere orationem, quæ cum consensu cogitur & iugi concordia multorum hominum.*

S. Chrysost. hom. 3. de incomp. nat. Dei.

Ionæ c. 3.

Regum 1. c. 17 Hebræus populus Regem desiderat, qui illos regeret, atque in bello gubernaret, & ideo Samuelem accedentes, regem ab ipso postulant. Sciens Samuel difficulter Deum huic Hebræorum petitioni præbiturum consensum, populum tamen consolatum cupiens; congregationem in Masphat ipsis indicit, certus atque securus si illuc conuenerit, & vnanimi oratione id à Deo postulauerit, Deum ad hanc inclinandum gratiam. *Congregate mihi vniuersum Israel in Masphat, vt orem pro vobis.* Sed cur congregari iubetur populus? Dionysius Carthusianus in hunc locum dat rationem & dicit, hoc Samuelem egisse, vt certior de effectu orationis suæ foret; nam benè sciebat multorem orationem talis efficaciæ esse, vt sic petita difficulter negentur. Verba eius hæc sunt: *Quatenus ex multarum præsentia facierum, exaudibilior eius esset oratio.* O felix multitudo orantium! cui omnis promittitur gratia! ô fortunata multorum societas! quæ omne id quod à Deo petit, impetrare valet. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.* Magna hæc congregationis atque multorum orantium priuilegia sunt; sed illud admirabile est, tanto erga eam Deum ferri affectu, vt illam gratiarum suarum dispensatricem instituere voluerit. At verò cùm vnanimem multorum orationem extollo, nolim solius alicuius orationis virtutem eneruare; habemus enim euidentissimos, ac miraculosos etiam talis orationis effectus: hæc maria diuisit, flumina exsiccauit, cœlum per annos aliquot clausit, ac demum reserauit, montes transtulit, solem firmauit, atque retrogredi tot gradibus fecit. Hoc tantum dico maioris efficaciæ, atque virtutis esse, multoque maiora causare prodigia atque miracula, quando à multis debito fit modo atque feruore. Non datur in cœli thesauris gratia, quam obtinere non possit talis oratio. Difficultas non est reperibilis, quæ multorum oratione superari non valeat, non periculum quod hac duce euadere quis non queat; sed id quod magis in multorum oratione admiror, est, quod vix diuino præsentetur tribunali, subitò, in momento illo, eius suppulicationes gratioso expediuntur consensu; nam vt sanctus Ambrosius attestatur, *multorum preces impossibile est contemni.*

1. Reg c. 7.

Dionys. Carthusian. hîc.

Sola vnius oratio etiã efficax.

S. Amb. lib. de pœni.

Iosue capite sexto legimus, Inhabitatores ciuitatis Iericho in Hebræorum aduentu, inter suos se recepisse fortissimos muros, iisque, vt fortissimo ac inexpugnabili loco inclusos, securos se omnino existimasse, atque omnem Hebræorum circumuallationem atque aggerum congeriem, ac expugnandi feruorem; vanum ac inanem derisisse laborem. Sed quid fit? Dei iussu Hebræus congregatur populus, vniuersalis

salis indicitur supplicatio, atque processio: Leuitarum ordinantur chori, atque suas iubentur inflare tubas: Sacerdotibus iniungitur psallendi officium, & vniuerso populo vniuersalis præcipitur validus clamor ad Dominum. Et ecce momento illo, quo Dei circum portatur arca, Leuiticarum tubarum personat clangor, Sacerdotum exaudiuntur voces, atque populi vniuersi inualuit clamor, muri ilicò corruunt, aditus offertur populo Hebæo, sine offendiculo intrant & penetrant intima ciuitatis; & quidquid viuit, absque resistentia vlla iugulant gladio, vt sacer testatur textus. *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox, sonitusq; increpuit, muri illicò corruerunt, & ascendit vnusquisque per locum qui contra se erat, ceperuntq; ciuitatem & interfecerunt omnia quæ erant in ea.* Ecce quàm bene sanctus Ambrosius vbi suprà dixit: *Multorum preces impossibile est contemni.* Eiusdem virtutis orationem multorum congregatorum, doctissimus Origenes attestatur, & nunc esse, cùm plures ad orandum congregantur, atque debito modo à Deo petunt gratias. Hoc minimè sanctum Petrum Apostolum latebat; ideò cùm graui catenarum se oppressum deprehenderet pondere ac mortis contra ipsum prolatam sciret esse sententiam, nihil curat, nec de his solicitus est, sed quietus & pacificus dormit ac quiescit, vt videre est Actorum capite duodecimo. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites & vinctus catenis duabus.* Intellexerat certò sanctus Apostolus altero mane Herodem ipsum esse producturum ad mortem: videbat se ideò custodiri à militibus, inter ac extra carcerem; nihilominus non timet, nullum terroris aut tristitiæ dat signum, sed securus ac quietus inter duos milites *erat dormiens.* Vnde in Petro oritur tanta securitas? Ecce sacer dicit textus. *Oratio autem fiebat ab Ecclesia pro eo.* Sciebat sanctus Apostolus totam illam primitiuam Ecclesiam Hierosolymis esse congregatam atque pro eius liberatione ad Deum fundere preces; ideò non timet, sed de liberatione certus atque securus absque omni cura & solicitudine quietus dormit inter milites. Neque in hac sua securitate absque certitudine sanctus defraudatur Apostolus; nam cùm quietissimo ac profundissimo teneretur sopore, astitit illi Angelus Dei atque latera eius concutiens, de somno excitauit, catenis illum liberauit, carcerem aperuit atque liberum eduxit, & Ecclesiæ restituit, vt ipsemet capite citato testatur. *Nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum & eripuit me de manu Herodis & de omni exspectatione plebis Iudæorum.* Conceptum hunc sanctus Chrysostomus genuit, cuius verba aurea audire vobis libeat. *Vis scire quanta sit orationis vis, in Ecclesia facta potentia? Vinctus erat Petrus multisq; catenis circumdatus. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo, & statim eum à carcere liberauit,* & totus obstupefactus atque admirabundus sequentibus verbis conceptum absoluit atque concludit, dicens: *Quid hac igitur datur oratione potentius, quæ columnam & Ecclesiæ turrim adiuuit?* Hoc autem ideò euenisse concludit, vt & nos sciremus quantæ virtutis multorum congregatorum esset oratio, & quod hæc ad omne id quod petitur, impetrandum sufficientissima sit. *Vt intelligas plurimum eam pollere orationem quæ cum consensu agitur & iugi concordiâ plurium hominum.*

Iosu. cap. 6.

Origenes in hunc locum.

Act. Ap. c. 12.

Ioan. Chrysost. homil. 79. ad pop.

Hanc quoque potentiam orationis multorum sanctus penetrauerat Daniel Propheta, ideò cùm ipsi à Rege obscurissimi somni interpretatio iniuncta esset, ad eiusque replicationem Dei opus haberet reuelatione, tres charos suos socios iuuenes Hebræos nomine Ananiam, Azariam & Misaël conuenit,

nit, & cum ipsis orationis aggreditur exercitium atque vnanimiter à Deò pro somni reuelatione supplicabat: & Ecce subitò conceditur quod petitur; & somni explicatio & latens per diuinam reuelationem illi exhibetur, atque explicatur mysterium, *Tunc Danieli per visionem nocte reuelatum est.* Nam oratio multorum congregatorum, vt Liranus in hunc asserit locum, ad omnia impetranda efficacissima est: *Adiungit enim sibi socios in orando, quia oratio multorum, & maximè bonorum, est multum exaudibilis.*

Dan.c.2.

Liran. hic.

Confirmat hoc admirabilis illa historia, quam idem Propheta Sapientiæ tertio enarrat. Ecce tres pueri Hebræi innocentes, quia Nabuchodonosoris Regis statuam adorare noluerant, in fornacem ignis accensi proijciuntur, atque in cineres vertendi occluduntur. Quid fit? nec ignis pueris nocet, nec quidem filum vnum vestimentorum eorum tangitur atque consumitur; imò vt suauissimâ flante aurâ matutinâ in ignis flammis obambulantes dulciter canebant. Quo viso & Regi nunciato, ipsemet adest, & iubet extrahi illæsos. Sic sacer attestatur textus: *Non tetigit eos omninò ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit.* Sed vnde tantum miraculum? quæ causa tanti admirabilis effectus? & quid ignis mutauit naturam? Nihil aliud quàm horum Hebræorum puerorum vnanimis supplicatio; hæc sufficiens erat ignis ardorem in suauissimam matutinam mutare auram, eiusque cohibere rigorem & nociuas depellere flammas. Sic Glossa interlinealis habet: *Quasi & vno ore vnanimiter laudabant & glorificabant & benedicebant Deo in fornace.* Admirabilem hanc considerans historiam sanctus Cyprianus de oratione Dominica, sic loquitur: *Hanc orationis legem seruauerunt tres pueri in camino ignis inclusi consonantes in preces, & spiritus consensione concordes. Loquebantur quasi & vno ore, & idcirco orantibus fuit impetrabilis & efficax sermo.*

Tres pueri de fornace ignis.

Interlin. hic.

S.Cyprian. de orat. Dom.

Et hanc suam doctrinam roborat sanctus Martyr illo Apostolorum facto, quod Actorum capite secundo nobis exhibetur, quando post Christi ascensionem sancti Apostoli vnanimes in oratione Dominica & nocte perseuerabant: *Et erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Iesu*, vt nos docerent hanc veram esse orandi normam, si illa, quæ petimus, à Deo obtinere velimus. Sic loquitur vbi suprà: *Perseuerabant in oratione vnanimes orationis suæ & instantiam simul & concordiam declarantes.*

Actor.c. 2.

S. Cypri. vbi supra.

Libro Genes. capite 25. legitur Rebecca laborasse sterilitate; & quidem tali, vt futuræ prolis modica spes esset; ideo tota afflicta & melancholica in amaritudine ducebat dies. Quod Isaac animaduertens, vigesimo sterilitatis anno orationi se tradit, atque pro vxore sua Rebecca supplicat & Dominum obsecrat vt sterilitatis obstacula remouere & hanc charissimam consortem fructiferam efficere vellet. *Deprecatusque est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis.* Hebræus textus habet, *contra vxorem suam.* Id est, vt Liranus hîc explicat, & Isaac & Rebecca orabant, & dum orarent, mutuò oppositas sibi exhibebant facies, vt nunc in Religiosorum atque Religiosarum fit choris, & sic vniti Deum deprecabantur. Audite Lirani verba: *Ipsa Rebecca orabat Dominum ex una parte & Isaac ex altera, vt Dominus daret eis liberos.* Et orantes subitò obtinuerunt gratiam: nam Deus occlusam Rebeccæ aperuit vuluam & duos Isaac genuit filios, nomine Esau, & Iacob, vt sacra attestatur Scriptura, *Qui audiuit eum & dedit conceptum Rebeccæ*, vt & nos intelligeremus orationem à multis prolatam ad obtinendum à Deo quoduis efficacissimam esse.

Rebecca fertilis redditur.

Gen. cap. 25.

Hoc videntur sciuisse decem illi leprosi, qui à sancto Luca referuntur vnanimes in castello quodam CHRISTUM inde transiturum expectasse & prætereuntem vnanimi voce inclamasse. *Eleuauerunt vocem, dicentes: Iesu Præceptor miserere nostri.* Euthymius hos leprosos considerans, ait: Horum hic vnanimis clamor præferre videtur errorem; nam commodiùs atque aptiùs vnus post alterum ad Christum accessisset ac auxilium implorasset, nam sic maiori curâ & beneuolentiâ à Christo forsan suscepti fuissent, & aptiori modo suas quisque potuisset Christo exhibere necessitates. Respondit doctissimus vir: Non sic agendum erat his leprosis, sed optima ipsorum fuit conuentio, congregatio atque vnanimis illa diuini auxilij atque sanctitatis imploratio. Sciebant leprosi hi, atque penetrauerant, quantæ efficaciæ atque virtutis multorum congregatorum esset oratio, & ideo congregantur quotquot in vicinia erant; idea simul & vnanimes Christi expectant transitum, & occurrunt atque vnanimiter *leuauerunt vocem, dicentes: Iesu Præceptor miserere nostri.* Et ecce quod petebant, obtinuerunt & sanati sunt. Audiamus Euthymij verba quæ aurea sunt. *In vnam societatem conuenerunt homines illi, accedentes an Christum, vt non solùm cogente eos morbo communi, se studio coniungente, quasi factâ manu Christum expugnarent: nam quod charitatis vnanimitate petitur à Deo, impetratur.*

Luc. c. I.

10. Leprosi mundantur.

Euthym. hic.

Oratio armatura contra Deum.

S. Chrysost. homil. 41. ad pop.

Ex his mihi colligere licet quàm pretiosum huius sanctæ orationis studium nobis esse debeat, quantâque eius necessitate laboremus. Audiamus sanctum Ioannem Chrysostomum, quam de necessitate huius sancti exercitij opinionem habeat Homiliâ quadragesimâ primâ ad populum. *Armis vobis opus est: magna verò armatura oratio,* ac si diceret: Vt varia inimicorum genera sunt, sic & varij generis indigemus armis quibus & inimicos offendere, & nos contra ipsorum insultus tueri valeamus; ex quibus primum obtinet locum oratio, cuius vis hæc est: Quòd Dei non vereatur nec extimescat iratum vultum, à iudice sæuiente non fugiat, sed audacter illi obuiet, fortiter aggrediatur, oppugnet, quantumque inuincibilis sit, vincat, ac omnipotentem ligit, & de Altissimo triumphet. Hoc sanctus attestatur Bernardus sermone de Magdalena his verbis: *Oratio vincit inuincibilem, ligat omnipotentem.* Et Saluianus replicando versiculum illùm Psalmi 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum;* dicit Deum oranti promptissimam præstare obedientiam. Verba eius hæc adiacent: *Quod scriptura ait: Aures Domini semper in precibus esse iustorum, non audientia tantùm sed quadam quasi obedientia designatur.* Ac si diceret: Dum iusti orant atque à Deo quid petunt, non tantùm promptam reperiunt audientiam, verùm etiam promptissimam obedientiam, ad omnia alia quæ petuntur exequenda; sic quodam modo Deum ligant, & ligatum adducunt ad ipsorum implenda desideria ac vota.

S. Bernard. serm. de Magd.

Saluian. lib. 2. de prouid.

Mortalis atque passibilis erat Elias Propheta sicut & nos & alij omnes qui nascimur; vt inquit Iacobus Apostolus cap. 5. *Elias erat homo similis nobis passibilis,* nihilominus his armis Deum aggressus, non solùm inuincibilem alias vicit, ligauit atque constrinxit ad omne id quod petierat, quantocyus in effectum ponendum secundum nostrum loquendi modum. Videamus Praxin libro 3. Regum cap. 17. occurrunt grauissima populi crimina sancto Prophetæ, vellet illa castigata, & nouo aliquo supplicio ac inauditâ pœnâ populum ad meliorem reducere vitam, postulat à Deo ne cœlo dimittat pluuiam; imò iubet ac alter Deus. Audite verba

Iacobi c. 5.

Lib. 3. Reg. c. 17. verba: *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit ros & pluuia annis his, nisi iuxta verba oris mei.*) Id est, Facite quod vultis; nisi ego iussero, cœlum pluuiam non dabit. Id quod misero contigit populo; nam prolatis his verbis clauditur cælum, æneæ fiunt nubes, & tantâ sterilitate laborant aquarum, vt spatio annorum trium ac mensium sex ne stilla vnica in terram ceciderit. Bone Deus! non vides quam arida atque sterilis facta sit terra defectu pluuiæ? nec fructus suos ferunt arbores folijs viduatæ, nec frumentum agri siccitate vastati, & innumerabiles mortales fame miserabiliter perierunt: clamant ad te populi & bestiæ pro sua sustentatione, & non audis nec exaudis. Nónne tu es ille qui omni animanti escam das in tempore opportuno? Aperi ergo cœlum & da pluuiam, ne omnis pereat caro omnesque deleantur viuentes. Respondit Deus: Non faciam. Sed quare? Ecce Elias meus Propheta manus mihi ligauit, & etiamsi vellem, non possem, nisi illas mihi soluat; adeoque iuxta verba oris eius non possum super terram mittere pluuiam. Ergo quia Elias hanc cepit resolutionem, vult diuina vestra Maiestas vt omnis caro atque homines & animalia pereant fame atque siti? Ita dicit Deus: nam Eliæ oratio, quâ petijt ne plueret super terram, me vicit, ligauit atque meam captiuam duxit voluntatem, ita vt minimè id facere possim, nisi Elias in hoc consentiat, cui iam verbum meum dedi. *Voluntatem timentium se faciet*, dicit Dauid. Sic per tres integros annos & menses sex, nec ros cecidit, nec cœlum dedit pluuiam, iuxta verba oris Eliæ Prophetæ. Ecce quàm clarè facer hoc dicit textus: *Elias homo erat similis nobis passibilis: & oratione, orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex.* Tandem sanctus Propheta videns hominum atque bestiarum miserabilem stragem, compassione motus, iterum aggreditur Deum: orat & precibus Deo soluit manus, mandans quasi pluat super terram. quod & factum est: nam cœlum dedit pluuiam & suo suauissimo rore terram recreauit, dum denuò virescebant arbores, florebant prata, campi desideratos suos afferebant fructus, homines & bestiæ saturabantur. Hoc autem totum factum est, vt omnis caro sciret, Eliam, orationis efficaciâ manus ligatas habuisse Dei, & nunc eiusdem virtute solutas esse. *Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra fructum suum.* Vnde sanctus Ioannes Chrysostomus sermone de Elia; hoc considerans factum, orationem clauis titulo honorat quæ cœlum claudendi atque aperiendi potestatem habet. *Clauis cœli fit sermo Eliæ: iubet enim & clauditur cœlum: orat postmodum & aperitur, vt Sanctorum meritum demonstraretur, non solùm in terris posse quod voluit, sed etiam in cœlestibus posse impetrare quodcunque petierit.* Ergo clauis cœli sanctum orationis exercitium atque studium est, hoc cœli clauduntur ne pluant, hoc reserantur vt defluant imbres gratiarum: imò hoc studio atque exercitio sancto quicunque Christianus & Deum vincit, & ligat, & ad suã faciendam voluntatem cogit: ideò S. Bernardus: *Oratio vincit inuincibilem, ligat omnipotentẽ.*

Claudit, reserat cœlum.

Psal. 144.

S. Iacob. c. 5.

S. Chrysost. Serm. de Elia.

S. Bernardus vbi suprà.

Libro Exodi c. 32. Deus sic vinctus ac ligatus à Moyse Hebræorum legislatore exhibetur atque describitur. Peccauerat populus Dei Idololatriæ peccato grauissimo, iam parauerat in illum sæuire diuina iustitia & pro modo culpæ in eum animaduertere, sed non poterat. Cur non? Quis ille tam potens qui Dei cohibebat manus, ne igne de cœlo misso, sceleratum atque ingratum hunc deleret populum? Ecce Moysis erat oratio, paucis verbis; hanc in Deum aliàs omnipotentem potestatem obtinuit, dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam*

Exod. c. 32.

noxam, aut ſi non facis, dele me de libro quem ſcripſiſti. His paucis Moyſes Deo ligauerat manus, adeoque cohibuerat ne ſecundùm ſuam voluntatem atque iam conceptam iram Hebræorum deleret populum. Hinc exclamat aduerſus Moyſem: *Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* S. Bernardus conſiderans hoc factum, admirari ſatis non poteſt; & cum ratione: nam quid admirabilius, quàm videre creaturam imperare creatori? & eundem, qui vniuerſæ carni vitam dedit, & in cuius poteſtate eſt iterum reſumere eam, pro ſua voluntate; decretum ſupplicium non poſſe exequi, & ad id à Moyſe quaſi licentiam petere? Ideo admiratur dicens: *Feriendi licentiam quærit à Moyſe, qui Moyſem fecit?* Ecce N. N. quàm omnipotentes terminos ſuo deputauit imperio orationis exercitium, atque ſtudium! *Inuincibilem vincit Deum,* & omnipotentis ligat manus, & eundum qui omni dominatur creaturæ, ſuo ſubijcit imperio, & ſeruum ſuæ facit voluntatis: hæc enim orationis virtus atque efficacia eſt. *Oratio vincit inuincibilem, ligat omnipotentem.*

Exod. c. 32.

S. Bernard. ſerm. de S. Magd.

Orationis arma & prope & procul offendunt.

Duplicia offenſiuorum armorum habemus genera: aliquibus de longinquo, alijs de propinquo offendimus. Quibus propè offendimus, ſunt lanceæ, haſtæ, gladij, & alia huiuſcemodi, quæ manibus à nobis teneri & agitari poſſunt, dum inimicum oppugnamus; de longè ſunt ſagittæ de arcubus emiſſæ, & globuli de bombardis eiecti & alia ſimilia. Vtriuſque generis oratio armatura eſt: nam & præſens, & abſens oppugnat, & de propinquo & longinquo Altiſſimi ferit cor, & omni ſagitta celerius cælo peruolat, & Dei infigitur cordi. Sic Sanctus atteſtatur Ambroſ. *Oratio longiùs vulnerat quàm ſagitta; ſagitta enim non niſi proximè conſpectum percutit aduerſarium, oratio autem longiùs poſitum vulnerat inimicum.* Ac ſi diceret: A longè ſagittarius ſuâ ferit ſagittâ inimicum; à longè miles ſuo eiecto globo vulnerat hoſtem; ita tamen vt non ſit extra ictum ac oculum: at oratio tantæ virtutis eſt, vt etiam abſentem & minimè oculis noſtris præſentem, imò cœlis incluſum, quàm directiſſimè feriat atque vulneret. Magicâ arte quidam fictitia caſtra atque militum turmas obijcere oculis ſolent, & his ſuos terrere inimicos. Diabolica hæc fraus eſt, qui ad incantationis verba intuentium ſic illudit oculos. Sed oratio ſinceram hanc virtutem habet; non fictitios milites ponit, non imaginarios componit militum ordines, non eluſorias educit cohortes; ſed vera ac realia Angelorum agmina in orantis attrahit ſubſidium, atque inimicorum opponit cuneis. Non mea hæc doctrina, ſed S. Ambroſij eſt, qui Eliſæi adducit Exemplum 4. Reg. c. 6, Propheta, cùm vellet eum Rex Syriæ captiuare, annuntianti puero ait: Noli timere; plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. *Mira res* (dicit Sanctus) *plures cœlo defenſores meretur ſanctitas, quàm in terris oppugnatores adduxit improbitas.*

S. Ambroſ. Serm. 86. de Eliſeo.

Oratio format caſtra.

4. Reg. c. 9.

S. Ambroſ. Serm 86. de Eliſæo.

Non dubito N. N. quin perjucundam atque curioſam illam Aulicorum Darij Regis de fortitudine diſputantium legeritis concertionem, qui veram fortitudinem non videntur cognouiſſe. Hic enim dicebat: *Forte eſt vinum*, ſuas allegans rationes. Ille Regiam adducebat poteſtatem, dicens: *Fortior eſt Rex*: Mulierum aſtutias atque ſagaces fallacias tertius fortiſſima prædicat arma; *Fortiores ſunt Mulieres.* Quartus tandem veritati imponit coronam, dicens: *Super omnia autem vincit veritas.* Quintus ſi adfuiſſem & ego, nec vinum, nec Regem, nec mulieres, aut veritatem fortiſſimam rerum prædicaſſem, ſed ſanctæ orationi hanc impoſuiſſem coronam, talique honoraſſem meritò titulo. De fortitudine terræ quis dubitare audet? nam fortiſſimis ac duriſſimis compa-

3. Eſdr. c. 3.

Oratio fortiſsimo in orbe.

cta

cta saxis, stabilis, firma ac immutabilis semper sistit; nihilominus oratio Moysis, compages eius rescindit, ligaturas fortissimas disrumpit atque aperit. Sic Exodi c. 4. *Aperta est terra.* Fortissima creatura est mare; nam cùm effervescit, fluctibus suis omnia deijcit, deturbat atque adæquat: sed fortior est oratio; nam hæc Maria diuidit, scindit atque exsiccat, & per siccùm tot millibus Hebræis securum atque iucundum præbet iter, vt habemus Exod. cap. 13. Fortissimum aëris elementum est; nam cùm purum est, omni quod viuit, dat robur atque vires; si impurum, atque infectum est, fortissimo adimit vitam; sed huic dominatur oratio Moysis quâ & de nocte illuminatur, & de die obscuratur aër. Quid fortius igne, qui omne quod attingit, consumit, & in suam redigit naturam? Sed fortior trium puerorum est oratio, quæ hac ignem priuat viuacitate atque actiuitate, & eius imponit frænum furori, vt legitur Danielis c. 3. Fortissimus solis est cursus, sed Iosue surmatur oratione, & Regis Ezechiæ preces retrogredi ipsum cogunt, vt habet Isaias c. 38. Quid deinceps fortius Altissimo? & tamen oratio super ipsum etiam suum extendit imperium; ideò non dubitauit Sanctus Bernardus Reginam ac Dominatricem omnium quæ in cœlo & terra sunt, eam constituere, dicens: O *humilis oratio tua est potentia suum reginum.* Ergo hanc colite Christiani, hæc vobis charissima semper sit socia, huius sit studium atque exercitium vestrum; nam sic potentissimi eritis, & omne id quod vobis placuerit, agere atque efficere poteritis.

Exod. c. 13.

Dan. c. 3.
Iosue c. 10.
Isa. c. 38.

S. Bernardus serm. de Magd.

Sed notare vos vellem, iustorum, & non peccatorum hoc esse orationis priuilegium, virtutem atque efficaciam: si in Dei quis est gratia, hæc omnia quæ audistis, efficere per orationis studium sufficiens est; sin minus, laborem perdit & in vanum laborat, atque arenas maris & stellas cœli numerare intendit; nam peccatum inhabilem ad omnem obtinendam à Deo gratiam, constituit hominem. Inde Regius cantare solebat Vates: *Iniquitatem si aspixi in corde meo non exaudiet Dominus.* Nam vt sanctus Hieronymus in hunc locum, docet, ad iustorum, & non improborum preces Dei inclinantur aures; *Pia enim aures eius iustorum precibus semper patent.*

Psal. 65.

S. Hier. hic.

Vult ergo quispiam vestrûm scire, an accepta eius sit futura oratio, idque quod petit obtentura, suam tergiuersetur conscientiam & diligenter examinet, num aliquid ibi reperiatur, quo Dei possint obturari aures. Si purum ac vacuum ab omni reperiatis culpa, omni securitate orationis arripite armaturam, & certò sciatis omne id quod petitis, vos obtenturos; si autem peccato, aut crimine aliquo mortali vulneratos vos deprehenderitis, accedere nolite, sed prius doloris ac contritionis scopis cor vestrum mundare, atque purgare ne pigeat; alias vt immunda ac fœtida animalia à Dei reijciemini conspectu. Dicite mihi: Si quis vestrûm Hispaniarum aut Galliarum Regis primogenitum, illumque charissimum & vnicam spem Regni, crudelis occidisset, & sanguine adhuc madentibus manibus Regem accedere & gratiam aliquam petere vellet; num eam sperare, aut non potiùs crudelissima tormenta, & acerbissimam mortem expectare deberet? Absque dubio, ac meritò. O sanctissime Deus! quis charissimum tuum filium tam diris affecit tormentis? Quis hæredem vnicum, atque spem Regni, crucis affixit patibulo? Quis diris clauis eius delicata transfixit membra? Quis nobilissimo eius capiti illudens, spineam imposuit coronam? Quis sanctissimum eius pectus crudelissimâ perforauit lanceâ? Scitis, quisnam hoc malum fecerit in medio

Peccatoris oratio inefficax.

dio populi, atque inauditum hoc perpetrauerit scelus? Ego primus, & vos omnes hoc facimus; nostra crimina huius horrendi spectaculi sunt auctores. Quomodò ergo dum adhuc peccatri sanguine madent manus nostræ, Deum accedere auderemus & ab ipso petere gratiam? Audite quid Deus per Isaiam *Isai. c. 1.* sic orantibus ac immundis accedentibus manibus, consolationis det. *Cùm multiplicaueris orationem, non exaudiam.* Sed cur o Deus! *manus enim vestræ plenæ sanguine sunt.* *Interl. hîc.* Interlinealis hîc *peccato*; & *Liranus hîc.* Liranus, *enormibus peccatis*, Ac si dicerent: Quomodò? adhuc sanguine Filij mei habentem manus madidas exaudiam? quomodò? sceleratissimo peccatori, qui suis criminibus meum occidit Filium, & toties quoties peccat, eius effundit sanguinem, gratias concedam? Minimè certè; imò cum ignominia reijciam, atque tortoribus in æternum cruciandum tradam. Et hæc est ratio, cur nostra mulier Chananæa, sine mora, ac sine labore ad primam petitionem, desideratam obtinet gratiam: *Fiat tibi sicut vis.* Ecce exiuerat de finibus suis, id est, de peccatis ad virtutis & pœnitentiæ vitam. Sic sanctus Antonius de Padua explicat: *S. Anton. de Padua serm. 45. Dom. 1.* *A finibus illis egressa, id est, peccatis.* nam impuræ manus ad gratias à Deo recipiendas minimè aptæ sunt, sed nitidæ ac immaculatæ ad hunc requiruntur effectum, & non nisi mundis ac puris manibus à Deo tribuuntur gratiæ.

Ergo ô Christiani! quisquis nostrûm peccata omnia, eorumque occasiones quantum possibile erit, fugiat & quantocyus derelinquat, vt sic emendati, à Deo omne id quod petitis impetretis. *Isai. c. 55.* Non meum, sed Isaiæ Prophetæ c. 55. hoc consilium est; percipite, rogo verba eius: *Derelinquat impius viam suam.* Id est, *opera sua mala*, interpretatur doctissimus Liranus; *Liran. hîc interlin.* interlinealis verò sic scribit: *Et vir iniquas cogitationes suas & pessimas, & reuertatur ad Dominum per veram pœnitentiam.* Sed dic mihi Propheta sancte, cùm hæc fecerit peccator quid illi exspectandum erit? *Et miserebitur eius.* Ergo N N. si quis nostrûm mortali sit læsus culpâ, & magno aliquo infectus crimine, per confessionem ac contritionem cor suum mundare atque à crimine purum se Deo exhibere conetur, sic oratio eius erit accepta atque fructuosa, & id quod petit impetrabit. Hoc Liranus in hunc locum attestatur: *Et quia peccatoris oratio non est exaudibilis, ideò subditur: Derelinquat impius viam suam.* Ergo quisquis nostrûm suam emendet vitam, & dignos pœnitentiæ faciat fructus, & sic conuersus à finibus peccati egressus confidenter & audacter cum nostra Chananæa Christum accedat, & petat, certus quod cum ea dulcem Christi merebitur audire vocem: *Fiat tibi sicut vis.* Interim quiesco.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

INtellexistis, vt opinor, sanctæ orationis efficaciam ad omne id quod à Deo petitur obtinendum; nunc causas atque rationes aliquas examinabimus, ob quas Deus non semper nostras exaudiat preces atque supplicationes. Duæ à sanctis Doctoribus Romanæ Ecclesiæ assignantur rationes. Prima ex parte Dei se tenet; altera ab hominis stat parte. *Causa cur preces non semper exaudiuntur.* Causa atque ratio quæ à Dei se tenet parte, hæc est: Videt atque penetrat Deus gratiam, quam petimus, minimè saluti nostræ profuturam, sed potiùs obfuturam; ideò negat & non concedit. Exempli gratiâ: Diuina sapientia penetrat sanitatem filij, quam instantissimè petunt parentes, minimè ipsis profuturam, sed potiùs obfuturam, & in ipsorum, ac domus & totius fami-

familiæ ruinam cessuram ; ideò negat, & filio sanitatem concedere tergiuersatur. Alius indomitus iuuenis repentino apprehenditur morbo, qui eum ad mortis deducit portas. Fiunt preces ab infirmo, dantur eleëmoysinæ pauperibus, concipiuntur vota, imploratur chorus sacrarum Virginum atque Religiosorum, magna promittitur conuersio, & multa proponuntur facienda pœnitentiæ opera ; sed surdas atque obduratas exhibet Deus aures & ad tantorum instantias minus inclinatur. Vnde hoc? Videt benè Deus sanitatem ei obfuturam & ad æterna eum ducturam supplicia, & non conuersionem, sed peruersionem secuturam ; ideò negat & postulatam non concedit gratiam. Tertium ponam exemplum : Contingit duas personas sacro conjungi matrimonio, viuunt piè & sanctè : de bonis à Deo tributis fideliter diuidunt cum pauperibus : orphanorum atque viduarum sunt patroni : Religiosorum atque sacrarum Virginum patres ac matres; sed sterelitate laborant, & non habent liberos : supplicant ergo, instant pro illis apud Deum pauperes, preces fundunt Religiosi, chori sacrarum Virginum flent atque plangunt, omnes vnanimiter petunt prolem, atque tantarum opum hæredem ; sed inexorabilis est Deus, ad nullorum vult flecti preces; vnde, rogo in, Deo alias benigno tanta inexorabilitas? Dicam vobis: A longè videt Deus & prolem æternæ damnationis laqueum ipsis futurum cognoscit : præuidet enim adueniente prole omnem hanc cessaturam pietatem, & in execrabilem conuertendam auaritiam ; ideò negat, ideò inexorabilem se exhibet, & ad tot tantasque preces minimè flectitur ; nam si proles daretur, iam orphanorum atque viduarum cessaret patrocinium, pauperes à fauoribus arcerentur, Religiosis non subministraretur honesta sustentatio, & per fas & nefas pro prole accepta, infiniti congregarentur Thesauri ; ex cuius accumulatione infinitæ nascerentur iniustitiæ & innumerabilia patrarentur scelera ; ideo Deus negat similes gratias, maius negando quam concedendo, petentibus exhibens beneficium. Sic sanctus Leo dicens : *Deus enim iustus & bonus, quando ea quæ noccitura sunt, petuntur, negando miseretur.*

Prima est nostra culpa, quia nociua petimus.

S. Leo. ser. 5. de passion. Domini.

Regius vates Psalmo 105. & 21. instantissimas ad Deum fundit preces: *Domine exaudi orationem meam ; & clamor meus ad te veniat.* & quia Deus surdas ei præbuerat aures, contra eum conqueritur ac dicit: *Clamabo per diem & non exaudies.* ac si diceret : Nolo amplius orare, & preces fundere, quia toto die me clamare facis, & tamen quod peto, minimè concedere placet. S. Augustinus hic subintrat, & causam huius inexorabilitatis in Deo requirit, & tandem longo formato discursu respondet, neminem hoc admirari debere ; Deum enim doctissimum atque expertissimum quandoque agere cum hominibus medicum. *Intelligat homo, medicum esse Deum.* Quid hac similitudine Sanctus vult nobis intimare? Attendite & breuiter vobis aliquo demonstrabo simili. Arripitur quispiam ardentissimâ, & vt ita dicam, ignitâ febri, membra exsiccantur intolerabili siti, lingua præ ariditate faucibus adhærens, loquelæ perdit officium, summâ debilitate laborat stomachus, intolerabili grauedine atque dolore opprimitur caput ; discerpuntur renes atque latera, & mille alijs afficitur malis atque indispositionibus, qui omnes ardentissimæ febris effectus sunt, & infinita sanitati contraria, atque nociua excitant in infirmo desideria. Aduocatur medicus, qui præstò adest, manum & linguam petit infirmi, intuetur linguam, tangit pulsum, petit calamum, atramentum atque chartam ; & dum

Psal. 105. & 21.

Causa cur preces non semper exaudiuntur.

Similitudine declaratur.

S. Aug hic.

& dum ordinantur syrupi, atque potiones purgatiuæ, adsciscitur Chirurgus, aperiuntur venæ, & in copia corruptus atque putridus extrahitur sanguis. Non arrident hæc infirmo, sed nunc nociuos à Medico petit cibos, nunc frigido haustu vini aut aquæ, arida atque exsiccata vellet refocillare membra; nunc de lecto surgere & gelidæ inhabitare cauernæ, nunc fructus & alia plurima suæ contraria petit sanitati, At durus atque inexorabilis ad eius petitiones deprehenditur medicus, omnia petita rotundè negat infirmo. Cur, quæso, hæc medicus tam instanter flagitantem non exaudit? Quia sanitati recuperandæ obstant, & si hæc concederet, morbus non tantùm exacerbaretur, verùm etiam euidentissimum vitæ periculum immineret infirmo. Sic cum homine, ac Deo, se rés habet. Deus est medicus. *Intelligat homo medicum esse Deum.* Homo est infirmus ardentissimis vexatus desiderijs, vt Psalmista attestatur: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Psalm.6. Infirmitas hominis varia est, & tot eius ægritudines, quot spiritus supprimitur & oppugnatur carnis passionibus atque nessitatibus: in his recurrit homo ad Deum vt medicum: nunc ab hac, nunc ab illa petit liberari passione; nunc huius, nunc illius necessitatis petit subleuamen atque remedium; & Deus surdum se omnino præbet; redit, clamat, inuocat diuinam pietatem, nunc hanc, nunc illam petit gratiam, & non exauditur. Cur rogo tam inexorabilis fit Deus? Vultis scire rationem? Necessitas illa, in quâ homo versatur, & cuius alleuiatio & remedium à Deo petitur, medium & via est homini ad æternam ducens salutem: gratia illa quæ petitur, & quam homo desiderat, non saluti eius proficua, sed obnoxia est, & qui eum ad æternam condemnationem esset ductura, Ideò & meritò ipsi negatur, & quod petitur, minimè conceditur. Sancti Augustini Ecclesiæ columnæ vbi suprà hæc est doctrina. *Multi clamant in tribulatione & non exaudiuntur, vt intelligat homo orationem esse medicamentum ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus, vreris, secaris, clamas; non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.* S. August. vbi suprà.

Ex huius doctrinæ intelligentia, obscurorum verborum illorum à sancto Iob prolatorum, accipi potest explicatio. Dicit Iob: *Cùm inuocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam.* Iob.c.9. Ac si diceret: Dum Deum invoco, & ille meas audit preces, non credo eum mea percepisse verba. Quàm clarè, ô Iob! tibi contradicis? quomodo possibile est, quod ad Deum clamaueris & ille tuos exaudierit clamores; & tamen tuas non perceperit voces? Doctissimus Liranus nobis respondet ac contradicentes complanat difficultates, dicens; vno eodemque tempore exaudiuisse Deum Iob, & tamen ad eius voces minimè attendisse; nam petebat liberari de miseria ac calamitate, quæ in ipso æternam operabatur salutem, sed non fuit exauditus: volebat enim Deus sic eum pati, vt maior & excellentior eius fieret corona atque præmium. Audiamus Lirani verba: *Deus aliquando non exaudit ad votum, exaudit tamen ad profectum, ordinans huiusmodi flagella ad meritum vitæ æternæ.* Liranus hic. Et hæc prima ratio est quâ Deus mouetur, vt nostras aliquando non exaudiat preces.

Alia tarditatis ad nostras preces in Deo ratio est, quam suprà aliquo modo attigi, nostra indispositio, & status peccati mortalis, qui omni gratiæ obicem ponit, & causat vt nostræ minimè Deo sint acceptæ preces atque orationes; nam anima immunda atque criminibus maculata, indigna iudicatur Dei conspectu. Pessimè ergo agunt, qui sic maculati ante Dei comparere audent

Secunda est, quia in malo statu oramus.

dem oculos, & adhuc proximæ insistentes occasioni, de illa exire non cogitant. Ergo qui à Deo exaudiri cogitat, atque suas vult esse acceptas & efficaces orationes, mundus debet esse à peccato, & de proxima omnis peccati exiuisse occasione. Tale exemplum hodierna mulier Chananæa omnibus præbet, qui suas optans à Christo exaudiri preces, non tantum regionem suam ac habitationem reliquit, verùm etiam à finibus eius secessit, in aliam veni regionem. *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa.*

Sed dicet quispiam: Reuerende Pater, hæc omnia quæ dicis, feci, & tamen non exaudior à Deo. Ad amussim peccata mea confessus sum, nil sciens reticui, & debito modo antecedenter meam examinaui conscientiam, firmum habeo propositum Deum imposterum non offendendi; imò omni occasioni peccati totaliter valedixi, & tamen minimè illa quæ peto, à Deo obtinere possum. Ignosce si hîc tibi respondere cogar: Falsum est, quod dicis; nam infallibiliter Deus tuas exaudiret orationes, si tua ita esset disposita anima; sed miser tuæ te excæcant & decipiunt passiones: videris tibi omnem reliquisse occasionem, cùm adhuc collotenus illi firmiter inhæreas. Libro secundo Machabæorum capite primo mirabile & nullibi alias auditum describitur factum. Hebræorum sacerdotes perpetuum illum ignem, qui in Dei semper templo ardere debebat, in transmigratione & captiuitatis abductione de templo acceperunt & in profundissimo puteo, vbi aqua non erat, absconderunt & lapidibus eo obruto, cum alijs captiuis vt ipsi adducti in captiuitate mortui sunt, & hic puteus, & ignis ignotus, & nulli locus ille pro certo cognitus erat. Cùm verba Machabæi & gentes de ciuitate eiecissent, templum recuperassent, ritu'que atque cæremonias restituissent; mandarunt Nepotibus illorum Sacerdotum qui ignem absconderant, indagare locum, & ignem absconditum extrahere. Quod & factum est: nam cùm Sacerdotum nepotes post sedulam inuestigationem locum & puteum reperissent, vbi ignis ille sacratus latebat, lapides atque terram, quibus puteus obstructus erat, extraxerunt, & iam ad fundum putei peruenerant, & non ignem, sed crassam atque spissam quandam inuenerunt aquam, vt habet sacer textus. *Non inuenerunt ignem, sed aquam crassam.* Quod cùm Sacerdoti summo Nehemiæ relatum fuisset, iussit aquam istam sibi afferri eâque sacrificia atque ligna pro sacrificijs aspergi. *Et iussit eos haurire & iussit sacerdos Nehemias aspergi ipsâ aquâ & ligna, & quæ erant superposita.* Et ecce admirabile quid. *Accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* Illa aqua crassa, quæ priùs fuerat ignis, vt subitò & in momento illo, quæ sacrificij carnes & ligna attigit, ad pristinam redijt naturam, & in vehementissimum exarsit ignem. Quid putatis N. N. hoc admirabili facto me vobis insinuare velle? Audite: Dicitis vos peccatum & occasionem reliquisse & concupiscentiæ ignem in puteo defossum lapidibus obruisse & in crassam conuertisse aquam; sed scire debetis hanc aquam latentem in se habere ignem. Examinet ergo quispiam conscientiam suam, an totaliter ignem extinctum in cordis puteo, vel in aquam conuersum habeat. Dicet quis: Reuerende Pater, quis hoc scire potest? Ecce dicam tibi, vnde hanc poteris attingere scientiam; Si mens tua ac memoria vacua turpi obiecto est; si munuscula nulla iniustè accepta tuis includantur thesauris; si amicæ habitantis in platea tua, tibi horror, eiusque aspectus tibi abominatio; quidquid amari obiecti potest reficere memo-

Quômodo ignis vertatur in aquam.

riam in summo odio est; euidentissimum extincti concupiscentiæ ignis signum habes: si autem munuscula (etiamsi spiritualia) adsint, platea vbi habitat amica, frequentetur, eiusque conuersatio adhuc sit acceptabilis, loca periculosa accedantur, & dulci quâdam memoriâ mens tua refricetur; etiamsi omnis intentio mala absit, non extinctus est in te concupiscentiæ huius ignis, sed in aquam crassam, adhuc ignis naturam retinens, conuersus est. Ideò non mirum quòd à Deo tuæ reijciantur preces; nam tuum cor non mundum est adhuc à concupiscentiæ igne, sed sub forma aquæ crassæ tuo inest cordi. Vis ergo vt tuæ à Deo exaudiantur orationes, & gratiæ à te petitæ concedantur? fuge omnem occasionem; fac vt concupiscentiæ ignis totaliter extinguatur, & non in crassam aquam conuertatur; sic omne id quod petieris, impetrabis, & cum nostra Chananæa vocem Christi audies: *Fiat tibi sicut vis.*

Et si aliquando non statim quod petimus obtineamus, ideo non desistendum, nec precibus imponendus finis est: nam quod Deus dat, dat pro suo beneplacito. Ideo Sanctus Augustinus pusillanimes exhortatur, dicens: *Pulsa orando pete, insta.* Ac si diceret: Si Deus aliquando non statim tribuit quod petis, ideo non desistas; sed pete iterum: & si adhuc durum se exhibet, iterum insta; nam Deus vt amantissimus Pater vult vt dilatentur nostra desideria: & sic desideratæ gratiæ ac elargitæ magis placeant. Audite Sancti verba: *Et quod dare vult, differt, vt amplius desideres dilatum, ne vilescat citò datum. Diu desiderata dulcius obtinentur, citò autem data vilescunt.*

S. Aug. ser. 28. de verb. Dom.

Instanter & perseueranter orandũ.

Ante omnia autem N. N. si nostras preces efficaces esse volumus & ad id quod petimus, obtinendum securi, perseuerantia nobis cordi sit: nam sine hac nullius erunt effectus; non sufficit semel orasse, non vnâ horâ, non hodie, non cras, sed perseuerare oportet. Sic sanctus Gregorius docet: *Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci* Ac si diceret; Si hodie non impetratis petendo atque orando, cras redite clamando atque vociferando; & si non obtineatis quod petitis, reuertimini plangendo atque suspirando; si adhuc nil obtinere potestis, carnem vestram macerate, cor vestrum coram Deo humiliate; nam instantiâ ac perseuerantiâ, si obtinere vultis quod petitis, vobis opus est. Sic ipsemet nos docet Christus apud sanctum Lucam: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Sed quid multum Scripturis perseuerantiæ necessitatem vobis probare fatigor, cùm exemplum & verum prototypon fructuosæ vobis hodie exhibeatur orationis? Accedit Chananæa tota afflicta, se humiliat ante Christum, supplicat, deprecatur humili voce pro filiæ salute, dicens: *Miserere mei Domine, fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur.* Quid facit beneuolus Christus? qualem audientiam præbet huic deuotæ feminæ? Vertit tergum, ne quidem eam respicit, & nec verbum illi respondet. *Non respondit ei verbum.* Adiunguntur sancti Apostoli huic Chananææ feminæ; instant ipsi pro ipsa, dicentes: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Nec sic exaudit, imò sanctorum Apostolorum reijcit preces, dicens: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierant Domus Israël.* Quid hîc & iam his reiecta agit Chananæa? Alias inquirit vias, Christo de nouo præscindit iter, ac obuians illi, primò in terram prostrata, lamentabili atque flebili voce eius implorat auxilium, dicens: *Domine adiuua me.* Quid respondit Christus perseueranti huic feminæ? Vocat eam canem, ac ignominiosis repellit verbis. *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.* At Chananæa nostra non terretur,

S. Greg. in Psalm. 6. pœnit.

Luc. c. 18.

Matth. c. 15.

retur, sed his ipsis Christi verbis arreptis eum aggreditur, dicens: *Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Quis nostrûm N.N. ad has rejectiones, animum quid obtinendi non perdidisset? Quis non sibi certò persuasum habuisset non desiderio eam audiendi, sed molestiâ ac & fastidio Christum toties illam reiecisse? At non ita se res habuit, vocis illius Chananææ dulcedine Christus allectus, non reijciendi, sed detinendi causâ ipsi talia dabat responsa; nam summopere importunâ eius delectabatur oratione; ideo tam felicem obtinuit expeditionem. *Fiat tibi sicut vis.*

Quod ergo aliquando illa quæ petimus à Domino, non impetremus, fit, quia non perseueramus in oratione cum nostra Chananæa; & si id quod petimus, non statim obtinemus, euenit, quia diffidentiâ obruti, orationis deserimus studium. Si igitur instanter & sine cessatione orauerimus, atque in hoc sancto exercitio vnanimiter perseuerauerimus, sine dubio in hoc mundo illa quæ petimus obtinebimus, & in futuro æternam possidebimus gloriam; quam mihi & vobis concedat omnipotens & misericors Dominus, Amen.

DISCVRSVS IX.

PRO DIE VENERIS POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Tractatur de Lachrymis. Primo puncto excellentia, virtus atque efficacia earum exhibentur. Secundo puncto demonstratur, quomodò & quando, & non ob temporale dispendium, sed peccata commissa fundendas esse. Secundâ parte, & tertio puncto docetur quomodò peccator per suam conuersionem festos dies Christo faciat.

Thema.

Est autem Hierosolymis probatica piscina quinque porticus habens. Ioan. cap. 5.

NOn est dubitandum, quin omnia opera, quæ Deus in cælo & sub cælo fecerit, valde rara, electa, nobilia, pulchra ac certis gradibus sint distincta, ita vt vnum altero præcellat. Inter omnia quæ elementum primum videtur obtinere locum & nobilitate & excellentiâ & pulchritudine atque raritate, omnia alia inferiora excedere, à cuius pulchritudine atque excellentia Deus illectus super omnia alia & fauoribus & gratijs id ornare placuit: In principio mundi complacuit Do-

mino tantisper deambulare, & hæc deambulatio instituta fuit super aquas,
Gen.c.1. Gen. c. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Cùm diluuij aquis mundum obruit, Noë cum suis liberare volens, arcæ eum inclusit ac aquis supernatare fecit,
Gen.c.7. & cum eo fuit in arca Genes.c.7. *Arca ferebatur super aquas.* Irritatus à Pharaone Rege cùm ipsum supplicio afficere decreuisset, primum fuit aquæ in sangui-
Exod.c.7. nem conuersio, Exod. c. 7. *Et eleuans virgam, percussit aquam fluminis, quæ versa est in sanguinem.* Hebræorum populum volens de dura liberare seruitute, per
Exod.c.24. aquam fieri complacuit, Exod. c. 14. *Diuisaq; est aqua & ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextera eorum & læua.* Cùm Pharao cum suo insequeretur exercitu, populum Dei, & in ore gladij eum percutere decreuerat, aquis medijs liberatus
Psal.135. est, Psal. 135. *Diuisit mare rubrum & excussit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro.* Promittens effusionem gratiæ in noua lege per Prophetam Ezechielem,
Ezech. c.36. sub aquarum promisit symbolo. *Effundam super vos aquam mundam.* Medium volens tribuere humano generi, quo & à peccatis mundaretur & nouâ perficeretur generatione, aquas ad id operan-
Ioan.c.3. dum, deputauit, Ioan.c.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Descendens de cœlo & varijs miraculis suam volens confirmare salutis doctrinam; primùm
Ioan.c.2. fecit in aqua, eamque in Cananæis nuptijs in vinum conuertit, Ioannis cap.2. *Gustauit Architriclinus aquam vinum factam. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ.* Conuertit Samaritanam, sed aquæ medio, Ioan.c.4. Elegit Apostolos; ad Aquam facta est ele-
Ioan.c.18. ctio, Ioan. 18. Rem paucis, dum fidem & doctrinam suam in ligno crucis confirmare placuit, aquis subscripsit ex latere fluentibus. *Exiuit sanguis & aqua.* Cuius sanctus Hieronymus dat ratio- *S. Hier. in c.2. Ioan.*
nem: *Qui ab aquis cœperat, finiuit ab aquis.* Et doctissimus Tertullianus aquarum in Deo considerans opera, admirabundus dicit: *Nunquam sine aqua Christus.* *Tertul. lib. de bapt.*

Miraculosæ hæ omnes fuerunt aquæ. Sed dicat quispiam: Quæ magis aqua miraculosa atque admiranda est quam illa, quam cor pœnitens atque dolens de peccatis, de oculorum fontibus scaturire atque fluere facit? Has miraculosas in hodierno Euangelio sub figura piscinæ nobis exhibet atque depingit *Ioan.c.5.*
sanctus Ioannes Euangelista cap. 5. suæ Euangelicæ historiæ, dicens: *Est autem Hierosolymis probatica piscina.* Per quam deuotissimus atque doctissimus Dionysius Carthusianus, lachrymarum intelligit fontes. *Mysticè per piscinam intelligere possumus quotidianum baptismum lachrymarum sanctarum.* Et sic lachrymarum baptismus, hodierna Euangelica est piscina, quæ omnium malorum remedium à Deo ordinata erat, & omni malè habenti afferebat salutem, vt in languido nostro triginta octo annorum aggrauato morbo claram habemus experientiam, qui his immersus aquis subitò recuperauit salutem. *Tolle grabatum tuum & ambula. Et statim sanus factus est homo ille.* Breuiter ergo de his lachrymarum discurrere decreui fontibus, & primo puncto virtutem atque valorem ipsarum vobis exhibebo. Secundo quomodo & quare hi fontes aperiendi, vt fluentes Deo grati sint demonstrabo. Secundâ parte & tertio puncto, festos dies, quos super his fontibus, Angelici agunt spiritus, & quale ipsorum gaudium in conuersione peccatoris sit, inspiciemus. Attendite.

Dionysius Carthus. in lib. Ioannis.

Probatica piscina fons lachrymarũ.

1. Ioan. c.5.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Est autem Hierosolymis probatica piscina quinque porticus habens. Ioan. c. 5.

S. Gregor. Nazianz. Orat. 3. — *S. Hieron. adu. Pelag.* — *S. August. serm. 11.* — Lachrymarum prærogatiuæ.

HOræ tempus certè non sufficit ad lachrymarum describendas virtutes: prærogatiuas atque priuilegia: nam hæ, vt Gregor. Nazianzen. orat. 3. attestatur, balneum sunt efficacissimum, quo & mundus expurgatur, & peccata in hominibus abluuntur. *Sunt lachrymæ peccati diluuium & mundi expiamentum.* S. Hieron. assimilat illas salutis nostræ portæ & baptismatis æquiparat gratiæ, aduersus Pelagianos: *Pœnitentia gratiam baptismatis imitatur.* S. Augustinus serm. 11. alteram intitulat passionem. *Lachryma est passionis Christi vicaria.* Magno honore afficiuntur lachrymæ pœnitentis, dum diluuij, quo peccata hominum diluuntur, insigniuntur titulo; maior ipsarum laus, dum baptismo æquiparantur: cùm verò vicariæ Christi appellantur, titulo, omnes alios, sive honoris, siue excellentiæ excedente honorantur: nam dum lachryma vicaria Christi nuncupatur, idem est, ac si illa eadem potestas quam passio Christi in se habet, in ipsa contineretur.

S. Chrysol. serm. 93. — *Petrus Cell. Abbas l. de pœn. c. 12.*

Audiamus Chrysologum sermone nonagesimo tertio harum enarrantem laudes. *O quanta vis in lachrymis peccatorum! ligant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuinâ promulgatione sententiam.* Sed quid dicam? vna lachryma sola, quæ de pœnitentis stillat oculis, tanti valoris atque pretij in cælis est, vt etiam maximus ac scelestissimus peccator & paradisum emere, & si hoc non sit contentus, alium adhuc sibi fabricare atque exstruere valeat. Talem Petrus Cellensis Abbas attestatur lachrymarum esse valorem. *Aqua hæc aut facit, aut inuenit paradisum.*

O millies felicissimæ lachrymæ! quæ tanti valoris in Dei sunt conspectu, quibus & tanta vis atque potestas, in nostrum auxilium atque fauorem, contra inferni potentias! Et quis hominum enarrare vestras valeat excellentias? Vos enim estis Deo, Angelis lætitia, hominibus dæmonibusque terror: vos extraordinariâ ad nostras à Deo obtinendas necessitates fungimini legatione: vos pro remissione culparum commissarum apud Deum aduocati subitis officium & Secretarij fidelissimi affectionum animi nostri ac motuum refertis partes. Et quis vestra poterit edicere miracula? Nam vos estis pulcherrimæ illæ non stillæ, sed stellæ; & stellæ non fixæ, sed cadentes; non de cœlo, nec per aëris regiones, sed per deuotas genas, de pio vultu defluentes. Vos estis diuina illa Theriaca, quæ de peccati veneno quidem originem traxit, nunc verò per contriti cordis distillata atque cocta calorem, contra omne peccati venenum præstantissimum estis antidotum. Vos estis pretiosissimæ illæ gemmæ, quibus Christi exornantur sponsæ. Vos amarissimum peccatorum mare in dulcissimum virtutum conuertitis pelagus. Vos estis filiæ doloris, atque mœstitiæ, sed in pœnitentis corde, matres consolationum atque lætitiæ; fructus vester producitur in terra, sed dulcedo vestra gustatur in cœlis. Vestro finui dum incumbit pœnitens peccator, reperit indulgentiam atque gratiam. Vobis peccatorum suorum remissionem Regius adscribit vates: vobis ductoribus Magdalena attestatur se peruenisse ad Christum, ab ipso obtinuisse criminum suorum absolutionem, suæ animæ salutem, atque fratris vitæ restitutionem; per vos Petrus pro se impetravit veniam, & nobis spem salutis per vos superesse docuit.

Beata ergo anima hæc quæ manè

& vesperè peccatorum suorum ac criminum sordibus maculata lacrhrymis se lauat, easque vt placidissimum sacrificium ante Dei cum Magdalena Christi proijcit pedes; nam efficacia atque virtus earum talis est, vt non nisi salutem & indulgentiam, atque diuinas nos iubeat sperare gratias. Non mea, sed sancti Cypriani hæc est doctrina, cuius verba hæc sunt: *Quoties te in conspectu Domini video suspirantem, sanctum Spiritum non dubito adspirantem: cùm intueor flentem, sentio ignoscentem.* Ecce quid vobis dicam? lachrymis & gratiæ nullum interponitur spatium, neque datur vlla dilatio. In cuius doctrinæ probationem obuiat mihi locus ille Ezechielis prophetæ cap. 4. vbi legimus Deum Prophetæ dedisse præceptum sequentibus verbis: *Sume tibi laterem scilicet crudum* (vt Liranus explicat) *vt possint tibi protrahi figura.* Sed cum latere crudo & non cocto quid agere debet Propheta? Iubet Deus in illo ciuitatem Hierosolymam depingere & eam vallis obsidionis, ac aggeribus circumdatam delineare. *Describes in eo ciuitatem, & ordinabis aduersus eam obsidionem.* Id est; Volo in hoc crudo latere ciuitatem Hierosolymam ad viuum depingas, & vt ab inimicis reipsa obsidione constrictam ad viuum repræsentes: & vt non tantùm ciuitas in hoc latere delineata appareat, verùm etiam armata agmina inimicorum illam obsidentia exprimantur, cunei atque aggeres depingantur, & omnia expugnationi apta instrumenta appareant; & quidquid inimici ad expugnandum illam excogitare possunt. *Ordinabis aduersus eam obsidionem.* Dicto obediens Propheta accepit laterem crudum, atque in ea obsidione Hierusalem constrictam Hebræo exhibuit populo. Sed cur Deus hæc in latere crudo & non cocto iubet fieri? si ad terrendum & à peccatis auertendum populum hanc fieri voluit delineationem, cur non in duro marmore inciditur hæc obsidio? cur non in tela depingitur hæc ciuitatis aggressio, aut ligno vel alij sculpta lapidi exhibetur sic obsidenda ciuitas? Attendite, paucis dicam; magnam sub hoc crudo & non cocto latere consolationis latet mysterium. Per ciuitatem Hierusalem obsidione atque inimicorum castris circumdatam anima peccatoris figuratur, cùm eam mortale inhabitat peccatum; tunc enim à Deo obsidetur, & omnis generis Dei iræ atque suppliciorum contra ipsum ordinantur machinationes. Sed cur in crudo hoc depinguntur latere? Cornelius à Lapide in cap. 4. Ezechielis peraptam & magnæ consolationis adfert nobis rationem, dum dicit, Deum voluisse hac delineatione vim, valorem, virtutem atque efficaciam lacrymarum ad nostram consolationem exhibere; nam ut crudus later, aquæ immersus, & aspersus non solùm lineas in eo factas perdit, verùm etiam formam amittit lateris & in luti conuertitur massam, & omnis in eo scriptura ac delineatio euanescit; sic cor pœnitens & contritum, lachrymarum fontibus, omnia iræ à Deo comminata supplicia, animaduersiones, atque castigationes animæ præparatas, delere, annihilare atque auertere, & Dei iram in gratiam atque bonitatem conuertere potest. Audiamus verba tanti viri: *Ierusalem obsessa est anima posita in peccato, contra quam omnes diuinæ iustitiæ munitiones diriguntur. Verùm hæc omnia in latere non decocto, sed crudo, qui facilè aquâ dissoluitur, describuntur, vt intelligamus omnes diuinæ iræ munitiones, aduersus peccatores dispositas, pœnitentiæ lachrymis posse dissolui, atque adeò totam dæmonis accusationem deleri.*

Ad rem certè hîc loquitur doctus vir: nam tanta lachrymarum contriti cordis est virtus atque efficacia, & tam salubre ex earum guttulis fit balneum,

vt

S. Cypria. serm. de Cœna Dom.

Ezech. c. 4.

Similitudine explicatur vis lachrymarum ducta ab obsidione Ierusalem in latere crudo depicta.

Cornel. à Lapide in c. 5. Ezech.

vt vna guttula innumerabilia à nobis etiam maxima crimina atque scelera commissa delere sufficientissima sit. Hanc lacrymarum virtutem, magnus ille ac sanctus Ephrem Homiliâ 3. de Compunctione cordis, descripsit his verbis: *Magnum delictorum chirographum modicis lacrymis deletur.* Ac si diceret: Si quicunque peccator velit, etiamsi omnia mundi commiserit scelera atque crimina, & plurima obligationis chirographa dæmoni dederit, si illa recipere atque delere desideret, & in Dei iudicio purus & mundus ab ipsis apparere optat, hos lacrymarum cordis sui fontes aperire festinet: & si flumina fluere nolint, stillent guttæ; si non multæ, saltem vna, vel altera; hæ enim sufficientes sunt ad chirographa recipienda & peccata commissa delenda.

S. Ephrem homil. 3. de compunct.

Quàm potens vnica gutta lachrymarum ad delenda peccata.

Cæsar. in specul. exempl.

Mirabili quodam facto à Cæsario in speculo exemplorum adducto hanc meam explico doctrinam. Parisijs contigisse fertur, studiosum aliàs perversissimum & scelestissimum, qui infinita commiserat crimina, ad Deum conuersum, ad Religiosi cuiusdam pedes per confessionem sacram sua crimina expurgandi causa procubuisse. Qui cùm ea chartæ inscripsisset atque summâ contritione, ac lachrymarum effusione sacerdoti confessus fuisset, ita vt etiam chartam lacrymis madefecerit; Religiosus tot tanti'que criminibus, & alias non auditis obstupefactus, consilij inops, qualis tanto peccatori iniungenda foret pœnitentia, Superiorem suum adeundi licentiam à Iuuene petijt. Qui non solum in eam libenter consensit, verùm & chartam, in qua crimina sua annotauerat, Superiori tradendam, & salubrius consilium petendi atque impetrandi causâ tradidit. Quam cum Superiori tradere atque crimina prætexere voluisset, eam lacrymarum vndis madefactam reperit; sed nil scriptum in illa; imò niue nitidiorem inuenit. Quo facto ipse obstupefactus, Superiori causam enarrauit, atque lachrymarum perspectâ virtute Deum ambo laudauerunt, & iuuenem, quem iam diuina absoluerat gratia, absque pœnitentia aliàs ipsi pro culpæ modo imponenda, dimiserunt. Fortè hanc efficaciam atque potestatem lachrymarum Sanctus volebat nobis exhibere Chrysostomus, dicens: *Peccata tua in libro scripta sunt; lacrymas dimitte, & obliterantur, & purus ille liber inuenitur.*

S. Ioannes Chrysost.

Sed quid his immoror? ad maiores excellentias, ad altiores efficaciæ gradus transeamus lacrymarum. Lacrymæ de contrito atque pœnitente exurgentes pectore, cœlestes sunt Amazones & Heroinæ, quæ magnanimæ atque generosæ diuinam aggrediuntur iustitiam, & Regem alias robur & ducem cœlestium exercituum, contra peccatores varijs suppliciorum armatum cuneis progredientem summâ accedunt fortitudine, mirabili quadam obstinatione oppugnant, & non desistunt donec ipsum & vincant, & captiuum pro sua abducant implenda voluntate, & ipsum aliàs omnipotentem cogant suis consentire votis atque desiderijs. In probationem cuius admirabile illud factum Genes. cap. 32. memoriâ repetite. Iacob dum nocte quadam lassus in campis Phanueli iaceret, ad duellum à Domino prouocatur: acceptat Iacob: congrediuntur, pugnant ambo fortiter, & ecce Iacob à Domino prosternitur, & iam quasi victus videbatur, cùm illicò resurgit, pugnam renouat & qui victus videbatur, victor euadit. Sic testatur Propheta Oseas cap. 12. dicens: *Inualuit ad Angelum & confortatus est.* Quis, Auditores, factum hoc non admirabitur? quis non stupore plenus Iacobum victorem, Deum victum intuebitur? & tamen ita est. *Inualuit Iacob & vicit.* Sed quomodò? Non erat Deus superior fortitudine, ingenio

Lacrymæ vincunt Deum.

Gen. c. 32.

Osea c. 12.

ac dexteritate? Absque dubio superior erat. Quomodo ergo vincitur? Ecce mysterium sacer textus aperit, cùm ait Iacob, cùm se quasi victum vidisset, luctam manuum conuertisse in lachrymarum voces. *Fleuit & rogauit eum. Id est, deuotè & cum lachrymis rogauit eum.* Explicat Liranus; ad quarum auditum Deus victum se reddidit & iam amplius non pugnauit, sed se dimitti à Iacob supplicauit, & non fuit dimissus, nisi id, quod Iacob petebat, concessisset. *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Non meus hic conceptus, se deuotissimi Ruperti Abbatis est, qui libro secundo de processione Spiritus sancti sic loquitur: *Non potuit Deus se continere flente illo, quin de multitudine viscerum suorum, Spiritum Paracletum effunderet in eum.*

Gen. c. 32.

Liran. hic.

Rupertus lib. 2.

Similiter factum libro tertio Regum cap. 21. reperietis in persona impijssimi Iudæorum Regis Achab. Infinitis sceleribus impius hic Rex Deum ad iram prouocauerat, quare Dominus furore accensus, plurima ipsi comminatur mala: mittit Prophetam qui ei Regni, & vitæ simul amissionem ac perditionem annuntiet. Quo audito turbatur Rex, & ad diuinæ resistendum Iustitiæ arma apprehendit, Regales lacerat atque de corpore reijcit vestes, sacco ac cilicio induitur, cinere atque puluere caput aspergit, & pectoris fontes aperiens, flumina lachrymarum ex oculis suis emittit, & sic instructus, flens ac dolens procedit, Diuinæ se præsentat iustitiæ. Audite mirabile quid: Deus vix eum intuetur, mutat sententiam, & quod admirabilius est, Deus se victum confitetur eius lachrymis, iam amplius quod proposuerat in effectum se ponere non posse, cum Achab profitetur. *Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus eius.* Ah dicite quæso: eratné fortè saccus ille ex vili confectus panno, impenetrabilis aliqua lorica? forsan cineres illi capiti inspersi formidabilem præseferebant galeam; ita vt Deus diffideret sic armato posse nocere? Non certè; nam nil inest homini quod Deo possit incutere timorem; sed lachrymæ illæ, riuuli illi, ex oculis Achab per calidas defluentes genas, eius erant virtutis, hæ Dei immutarunt sententiam; flumina hæc Dei excœcabant oculos, ita vt Achab iam non vt inimicum & peccatorem, sed amicum & iustum respiceret: nam pœnitentis lachrymæ inuictissimi sunt Heroes; qui non solum furori Diuinæ Iustitiæ resistere; verùm etiam in misericordiam atque gratiam, illum commutare sufficientissimæ sunt. Audiamus sanctum Chrysostomum, quam insigniter hunc nostrum confirmet conceptum, scribens ad Theodoretum lapsum *Rex ille impijssimus Achab, vbi semel duntaxat luxit, vsque adeò misericordiam DEI arripuit, vt omnia mala quæ tunc ei imminebant, euitaret.*

3. Regum c. 21.

S. Chrysost. ad Theodor. lapsum.

Ergo ad rem & cum ratione sanctus Ambrosius contra Auxentium, vbi de lachrymis ratiocinatur, lachrymas sua vocat arma, dicens: *Lachrymæ meæ, arma mea sunt.* Id est, lachrymæ quæ de meis fluunt oculis, gladius, hasta, scutum, & lancea mea sunt, quibus armatus Infernum expugno atque annihilo pro mea persona, Deum omnipotentem ac sæuientem aggredior, supero, & mitem ac mansuetum facio: his prouisus, audacter diuinæ me objcio Iustitiæ, & tanquam inexpugnabili scuto omnia eius contra me iacta suppliciorum euito atque declino tela. Hanc virtutem atque valorem sanctus Hieronymus in caput quartum Ieremiæ pœnitentis tribuit lachrymis, dicens: *Comminatus est Dominus per Ionam, & imminentem gladium lachrymarum & gemituum multitudo superauit.* Volebat dicere sanctus Doctor; cum Devs per Ionam futurum intonasset supplicium; Iustitiam eius armatam accessisse ciuitatem Niniue,

S. Ambros. contra Auxent.

Lachrymæ sunt arma.

S. Hieronymus in c. 4. Ieremiæ.

& vibra-

& vibrato illo gladio, quo plurimas deportauerat victorias, duellum atque pugnam induxisse, quàm subitò Niniuitæ acceptârunt, & illi non ignobiliorem gladium vibrantes, diuinæ obuiarunt iustitiæ, id est, eius minis atque iam imminentibus supplicijs lachrymarum obijcere flumina, qui gladius Iustitiæ gladium hebetauit atque superauit & minas omnes ac parata supplicia in gratiam atque misericordiam commutauit. *Et imminentem gladium, lacrymarum, & gemituum multitudo superauit.*

Nec hîc virtus atque efficacia lacrymarum suos figit atque sistit pedes; sed cum inuictissimo Romanorum Imperatore Carolo Quinto Herculis superans atque transiens columnas, *Plus vltrà* intonat; non sunt contentæ vt velut acutissimus ac efficacissimus gladius diuinæ Iustitiæ penetrent cor; vulnerent, atque superent & supplicia in gratias conuertant; sed scalæ etiam sunt, quibus quisque pœnitens cœlos ascendere ac occupare facillimo potest labore. Sic sanctus attestatur Augustinus primo Soliloq. [*S. August. 1. Soliloq.*] *O cœlum patria nostra! ad te suspiramus, & lachrymis nitimur, si quando ad te peruenire possimus.* Vidistis aliquando quomodo per assultus milites ad deditionem vrbem compellant? Sic, dicit sanctus Ambrosius, pœnitentis lachrymæ cœlum ad deditionem cogunt. Verba eius hæc sunt: *Cogimus regnum cœlorum non compellando, sed flendo: non prouocando iniurijs, sed lachrymis & exorando.*

Vidistis aliquando nobiles matronas quantâ diligentiâ vniones, si casu filum, quo continentur, disrumpatur & in terram defluant, recolligant atque in suos reponant thesauros? Sic DEVS agit cum lacrymis: tanto illarum tenetur amore, & illarum aspectu adeò illicitur, vt guttatim de maxillis pœnitentis defluentes colligat, & suis recondat thesauris. Sic Apocalypsis capite septimo: [*Apoc. c. 7.*] *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Quem sanctus ponderat Bernardus atque dicit: [*S. Bernar. in declam.*] *Felices lachrymæ, quas benignæ manus conditoris abstergent.* Libeat nobis in confirmationem huius admirabile percipere factum. Infirmatur Rex David, & quidem vsque ad mortem, & angustijs lecti includitur: visitat illum Deus; rogo quid agit cum illo, quam ei adfert consolationem, vel sanitatis remedium? Vultis scire quale? Psalmum quadragesimum legite, & inuenietis Deum commouentem & inuertentem lectum eius, & afflictum Dauid in suo turbantem & incommodantem strato. [*Sunt vniones quibus Deus colligendis occupatur.*] Audiamus Psalmi verba: *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* [*Psal. 40.*] Quid agis Domine mi? Numquid Dauid tibi dilectus homo secundùm cor tuum est? Actorum capite decimotertio: *Inueni hominem secundùm cor meum.* [*Act. c. 13.*] Cur ergo illum sic vexas, affligis, & consolationis loco in strato turbando, omnia commoues & inuertis? Forsan hæc sunt alleuiationes & confortationes, quibus tuis succurris seruis in eorum angustijs? Ecce mysterium latet: Inquirite quibus lectus Dauid fuerit repletus, & quænam in illo sparsa erant; tunc & causam huius inuersionis reperietis. Lachrymarum plenus erat vnionibus, lachrymarum diluuio inundauerat Dauid lectum suum; & rore cælesti suum irrigauerat stratum. Sic ipsemet Psalmo 6. attestatur: [*Psalm. 6.*] *Lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis stratum meum rigabo.* His Deus illectus, ad Dauid descendit & recolligendo lachrymas, quibus lectus aspersus erat, inuertit stratum eius, inquirens, num adhuc stillæ & guttulæ aliquæ laterent. Sic habet Cassiodorus in hunc locum. [*Cassiodor. in hunc locum.*] *Hoc ideò facit, vt etiam eas, quas stra-*

tum absorbuerat, indagaret. Et in tantùm his lachrymis afficiebatur Deus, & tam ardenti ferebatur amore, vt ex sanguine Dauid Christus suam assumere carnem voluerit atque decreuerit. Doctrina hæc sancti Ambrosij est, de pœnitentia, libro secundo. *Dauid aiebat: Per singulas noctes lectum meum lachrymis rigabo; & ideò meruit, vt ex eius familia virgo eligeretur. quæ partu proprio, Christum ederet.* Et hæc satis sint de efficacia atque virtute lachrymarum.

S. Ambros. lib. 2. de pœnitentia c. 8.

PVNCTVM SECVNDVM.

CVm ergo N. N. lachrymæ hominis tanti sint valoris apud Deum, & tam pretiosæ vniones in oculis eius, in æstimatione à nobis habendæ erunt, nec facilè spargendæ, nisi peccata commissa delere intendamus. Nullum alium ob finem guttula huius pretiosissimi roris fundenda est, nisi pœnitentiæ & scelerum abluendi causâ. Clariùs declarabo veritatem huius doctrinæ cum responsione ad dubium, quod à sancto agitatur Iob cap. 38. ibi enim inquit Iob, pluuiæ patrem inquirens, *Quis est pluuiæ pater?* id est, vnde oriuntur pluuiæ? quæ est aquarum origo atque causa? Audiamus Petrum Cellensem ad hanc nobis respondentem quæstionem, qui per aquas has, lachrymas pœnitentis intelligit. *De fonte igitur peccatorum exiuit vena omnis lachrymarum.* Ac si diceret: Vultis patrem scire qui lachrymas genuerit? scelera nostra sunt pater. Vultis cognoscere causam atque originem lachrymarum? ecce crimina à nobis commissa sunt; si hæc peccata non essent, lachrymæ vtique minimè forent: hæc scelera atque peccata fons sunt, vena sunt, vnde tot flumina scaturiunt lachrymarum.

Iob, c. 38.

S. Petrus Cell. hîc.

Ex huius quæstionis resolutione, facilè capiemus rationem atque causam, quâ Deus motus, violationem istam templi ab Ezechiele Propheta capit. 8. descriptam, tantopere senserit. Mandat illi Deus, vt templi subfodiat muros, & vsque ad fundamenta abominationes, per quas templum violatum fuerat, inquirat. *Fode parietem, ingredere, & vide abominationes pessimas.* Plurimæ gentes in templo conueniebant, & varijs Idololatriæ cultibus illud porphanabant; sed de his non loquitur Deus, ac si id nihil curaret, sed parietis fodere iubet, maiores volens Prophetæ ostendere abominationes. Sed quænam illæ erant? Ecce aliquæ feminæ habebant in vsu, in templo conuenire, vbi in certo loco Adonidis erexerant statuam, pro cuius compassione ac amore vano, flumina spargebant lachrymarum; & solum templi suis madefacientes lachrymis, summopere Deum exacerbebant. Ergo abominatio illa, sine vlla comparatione alijs maior erat: *Mulieres plangentes Adonidem.* Mirabile certè hoc factum est, Idololatria peccatorum omnium grauissimum est, & tamen Deus lachrymas has sic inaniter sparsas, planctum hunc mulierum pro maiori habebat abominatione, dicens: *Videbitis abominationes maiores.* Ergo peccatum harum muliercularum, quæ vanâ motæ compassione, Adonidis plangebant fortunas, maius Idololatrarum illorum peccato, qui dæmones Dei loco colebant atque adorabant, à Domino habetur? Sanctus Hieronymus respondet ad hoc dubium & dicit, quòd harum lachrymarum effusio à feminis in templo facta, grauissimum fuerit peccatum; & hoc simili aliquo adducto confirmat. Si Medicus, inquit, quis in sua arte adeò excelleret, vt medicina inuenta, populo alicuius ciuitatis pro omni occurrente malo succurre-

Ezech. c. 8.

Abominatio funder lachrymas ob aliuui finem quar ob peccat

S. Hier. hî

re possit, illaque talem haberet efficaciam, vt omnem aduersam sanaret valetudinem, omnesque curaret infirmitates; at verò si ciuium quisquam adeò effrons esset, & hanc medicinam non tantùm vituperaret, verùm etiam in solum effunderet, & iniuriosis plurimis prolatis verbis, pedibus conculcaret; nunquid meritò hanc iniuriam pro summa sibi duceret contumelia Medicus? Absque dubio & perfidus talis omni esset dignus supplicio, quoniam grauiore injuriâ & medecinam & totam non potuisset offendere ciuitatem. Sic se feminarum hic planctus cum Deo habuit. Deus, qui animarum nostrarum medicus est, videns tot tamque pestilentibus peccatorum animas nostras laborare infectionibus, ac infinitis expositas esse malis, medicinam adinuenit, ordinauit, quæ vniuersalis esset, & omnia præterita etiam actualia curaret mala, & ab omnibus futuris præseruaret: & hæc medicina lachrymarum sunt fontes, quibus & ab actuali liberamur malo, & de futuro præseruamur. Hanc diuinam medicinam mulieres illæ in terram effuderunt; dum Adonidis fortunam, & non sua in templo deplangebant peccata. Ideo meritò indignatus Deus, hunc planctum maiorem ipsâ idololatriâ æstimauit abominationem. Peccata N. N. non fortunæ, deploranda sunt, in animarum vestrarum, & non mortuorum amicorum compassionem; hos facite fluere fontes, atque currere flumina; tunc beati eritis, tunc & mala præterita atque præsentia animarum vestrarum curabuntur & à futuris præseruabuntur. Hoc dicere volebat Sanctus Chrysostomus homiliâ vigesimâ secundâ ad populum dicens: *Beati qui lugent non mortuum, sed peccatum.*

S. Chrysost. homilia 22. ad popul.

Luc. c. 7.

Ex hac doctrina iam clariùs facti illius à Sancto Luca capite septimo recensiti patebit mysterium. Accedit Christus ciuitati Naim, volens intrare, & solito suo more, salutis instruere verbis, & varijs recreare sanitatum curis: & ecce dum portæ attingit limites, filius vnicus viduæ efferebatur mortuus, cuius mater pheretrum sequebatur, amarè flendo ac plangendo filij iacturam. Hanc Christus flentem respiciens, ad compassionem mouetur & corpus portantes alloquens, gradum figere iubet, matrem verò intuens flentem, indignatus super fletum atque planctum eius, lachrymarum iubet sistere flumina, & planctui atque vlulatui silentium indicit, dicens: *Noli flere.* Sed dicite mihi; cur matris non vult admittere planctum? cur dolentis & afflictæ prohibet lachrymas? Simon de Gassia lib. 5. c. 13. in Lucam assignat rationem, & dicit, ideò Christum lachrymis atque fletibus huius feminæ indixisse silentium, quia illis abutebatur, & tam salubrem ab ipso inuentam medicinam non rectè adhibebat; nam fletus atque lachrymæ ad peccatorum sanandos morbos inuentæ sunt, & ad animæ alleuandos dolores à criminibus causatos, & non ad deploranda infortunia ac casus humanos. Audite verba: *Prohibet fletum, nihil quidem plangendum ab hominibus quàm peccatum; solùm peccatum istam habet materiam deplorando.*

Simon de Gass. l. 5. c. 13. in S. Lucam.

Ergo ad rem & meritò N. N. lachrymarum aperiendi sunt fontes, & non fortunæ aduersæ, sed nostra nobis sunt deploranda crimina, scelera illa enormia; quibus Deum Redemptorem nostrum offendimus: deflenda sunt mala illa grauissima per peccatum in animabus nostris causata, lachrymarum fontibus diluenda ac sananda sunt. Audiamus Sanctum Hieremiam Prophetam ad has fundendas nos exhortantem, capite 2. *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem; non des requiem, nec taceat pupilla oculi*

Ierem. c. 2.

culi tantus ac continuus fletus? Sanctus Augustinus Sermone 12. ad fratres in eremo dicit, ob peccata dimissa & ad ea delenda nos semper flere debere. *Quotidie fleas peccata quæ commisisti*; non sit dies, non hora, quâ flumina oculorum tuorum cessent, sed semper peccata tua fleas, hæc sine intermissione deplangas, ac mala quæ animæ meæ intulerunt, nunquam deplorare cesses, & in hoc sanctum imitare Dauidem, qui dies plangendo, ac noctes lachrymis suum rigando stratum consumebat. Audire lubeat de hoc sanctum Ephrem libro de compunctione. *David noctes diesq; transegit in lachrymis, Ille forma nobis est datus, & exemplum pœnitentiæ; quare imitemur eum in lachrymis* Hic N. N. lachrymarum finis atque scopus est; ob crimina commissa, ob mala animæ per peccatum causata flendum atque plorandum est.

S. August. Ser. 12. ad fratres in eremo.

S. Ephrem. lib. de compunct.

Ne ergo quispiam dicere audeat: Vellem mea deflere scelera atque crimina, sed sum tam durus & siccus vt silex, & potius ignis, quàm aqua lachrymarum meis exprimetur oculis. Excusationes N. N. hæ sunt ac dæmonis imaginationes, qui vos sic decipere, atque sub suo conatur tenere dominio; non lachrymarum aut humiditatis defectus, quòd nostra non plangamus crimina, sed manifesta dæmonis fallacia atque fraus est: nam effectus ipsemet ac experientia huius veritatis magistra est. Ah, quàm promptæ lachrymæ sunt, si amicus moritur! quo impetu lachrymarum decurrunt flumina cùm parentes, filij, vxor, maritus, sorores, atque cognati defunguntur! quo aquarum diluuio & genæ, & vestes, & pauimentum ac strata diluuntur, cùm dispendium rerum nobis aduenit, & contrariâ exagitamur fortunâ! In his promptæ sunt lachrymæ; in peccatis autem deflendis tardæ, siccæ, aridæ, steriles reperiuntur. Mortuos deflere atque deplorare faciles sumus; animas autem nostras iam mortuas ac perditas per crimina commissa, deflere difficiles reperimur. Audiamus rogo de hac materia sanctum Augustinum libro de pœnitentia sic loquentem: *Sciat se culpabiliter durum, qui deflet mortem amici vel damna rei temporalis, & dolorem peccati non ostendit in lachrymis. Non est ergo vt quis se excuset, non habere fontem lachrymarum, qui dolorem temporalem ostendit lachrymis.*

Siccis sumus oculis ad deflenda peccata, at humidis ad deplorandos aduersos casus.

S. August. lib. de pœnitentia.

Dum Moyses cum Hebræorum populo arida ac deserta loca in sua repetisset peregrinatione, & populus ob aquæ defectum grauiter contra eum, ac Dominum murmuraret, atque insurgeret, virgam manu apprehendit, & fortiter durissimum percussit silicem, & ecce de silice exiuerunt flumina aquarum, vt Psalmo 77. legimus: *Percusserunt petram, & fluxerunt aquæ.* Quid hoc sibi vult N. N? Ecce dicam: Vt Moyses accepit virgam manibus, & durum illum percussit silicem, & huius percussionis medio fontes & flumina aquarum de durissima eduxit atque traxit petra, sic & nos per contemplationem, atque attentam considerationem animi manibus, diuinæ Iustitiæ debemus apprehendere virgam: hanc bene inspicere atque considerare, quæ supplicia atque tormenta nostra meruerint crimina, nostris debeantur commissis sceleribus, & quod æternæ condemnationis mala nobis superstent, & earum consideratione exterriti, fortiter durum silicem cordis nostri percutere, atque fontes & flumina educere lachrymarum conemur. Hâc virgâ sæpiùs durum cor peccator percutiat, & videbit erumpentia lachrymarum flumina.

Psal 77.

Dum Deus mundum diluuij decreuisset inundare aquis, dicit sacra Scriptura; illas de cæli cataractis & abyssi fontibus sumpsisse. Sic Genesis capite quinto: *Rupti autem sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt.*

Gen. c. 5.

Sed

Lachrymæ sunt diluuium quo delentur scelera.

Sed quare hoc? Audite. Clauis, quâ cœlum aperire atque introire & Dei mirabilia perlustrare licet, consideratio est. Consideremus ergo bona illa æterna, quanta sit gloria illa futura Sanctorum, quanta sit pulchritudo creatoris, & quam immensum gaudium, illam intueri atque eâ frui Angelorum Sanctorumque contemplemur dulcissimam conuersationem: Angelicam illam, nos audire imaginemur musicam, & dulcisonis eorum vocibus, mentis nostræ præbeamus aures, ac æternam illam bene & accuratè intueamur felicitatem, & consideremus omnia hæc, nos per peccati amisisse commissionem: eâdem arreptâ claui inferni accedamus ianuas, iisdemque apertis, atque reseratis obscuros illos intrare lubeat carceres, & ibi tenebras illas horrendas, ignem illum nunquam deficientem, tormenta inaudita, & nunquam cessatura intueamur, clamores atque angustias vlulantium animarum, atque dæmonum horrendos vlulatus percipere ne negligamus, cateruam draconum atque infernalium serpentium, & horrendarum illarum dæmonum laruarum excercitum nostræ conuersationis futuros contemplemur socios; & hæc omnia mala, nos nostris meruisse peccatis atque criminibus commissis cognoscamus, asseuero omnes, quòd flumina lachrymarum oculi nostri emittent & cataractis cæli ac abyssi fontibus apertis oculi nostri emissuri sint non guttulas lachrymarum, sed diluuium aquarum: non ad mundum; sed ad nostra submergenda atque absorbenda peccata, vt Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 3. dicit: *Lachryma peccati diluuium, & mundi sunt piaculum.* Lachrymæ nostræ felicissimum atque optatissimum diluuium sunt: nam sicut diluuium aquarum Noë arcam secundùm quod crescebat, eleuabat in altum, & quò maior fiebat abundantia, eò vicinior cælo fiebat. Sic nobiscum agitur. Quò magis lachrymarum nostrarum crescit diluuium, & altiores fiunt aquæ cordis dolentis, & in altiorem eleuatur aëris partem arca animæ nostræ, & vicinior cælis constituitur; nam vbi non reperitur diluuium, nulla est spes salutis, & ad alta ascendenda nulla reperitur occasio, sed semper in infimis & abyssis ac profundis peccatorum hærendum est vallibus: nam his aquis medijs cælum versus ascenditur; his aperitur atque æternorum gaudiorum possessio capitur. Audiamus Sanctum Chrysostomum: *Venale fecit Deus caleste regnum; si non habes obolum, eme gemitu.* Vendit Deus cælum atque gloriam eius; sed pretium quo emitur, non aurum, non argentum, aut aliquid aliud pretiosi est, sed lachrymæ cordis pœnitentis sunt.

S. Gregor. Naz. orat. 3.

S. Chrys.

Audite accommodatum satis huic nostræ materiæ Senecæ obseruationem, qui libro de prouidentia docet, particulari diuinâ prouidentiâ ordinatum esse in homine, vt tam visus quàm planctus in oculis suam fixam habeat sedem, & ambo inde trahant originem, vt sic lachrymarum pretio, licentiosæ soluantur circumuagationes, & delicta quæ videndo commissa sunt, plangendo & flendo redimantur. Verba eius sunt: *Ingenti prouidentiâ posuit Deus oculis visum & fletum, vt qui delictum commitunt videndo, pœnas exsoluant plorando.* Inde sanctus & doctissimus Laurentius Nouarræ Episcopus homiliâ primâ de pœnitentia ansam atque occasionem sumpsit illos, qui visu Deum offenderunt, atque suam infecerunt animam, ad ploratum & fletum exhorrandi, dum sic discurrit: *Cecidisti per oculum? contaminasti te aspectu tuo? abluat te aqua tua; induxit te in laqueum? eruat te de laqueo; habet enim in se magnum lachryma auxilium.*

Senec. lib. de prouidentia.

S Laurent. Nouar. Ep. hom. 1. de pœnit.

Cur visus ac fletus originem trahant ex oculis.

lium. Dic illi: Exue quod implicasti: tu me vulnerasti, tu me sana: tu me polluisti, tu me purifica: ablue quod inquinasti: erige quod elisisti: corripe quod euertisti: absolue quod per scandalum obligasti

Sed si quis lachrymarum non possit emittere flumina, & largo lachrymarum imbre sua abluere crimina; guttas aliquas stillare conetur, etsi cor eius ita durum sit atque oculi eius tantâ laborent siccitate, vt nec stillam vnicam emittere valeat, doleat id non posse, lachrymarum flumina emittere optet atque in votis habeat: Ecce tam bonus est Deus, & tanto affectu in lacrymas fertur, vt desideria atque vota ipsi etiam summopere placeant, & lacrymarum loco his gaudeat, atque fruatur. In probationem cuius pulchram vobis enarrabo historiam; ex libro primo Regum, capite septimo. Capitur Dei arca à Philistæis. Quo audito sanctus Samuel propheta populum conuocat atque longâ exhortatione ad conuersionem ad Deum & idololatriæ abominationis odium mouere conatur; & si hoc facerent, securam ipsis à Philistæorum manibus liberationem promittit à Domino, dicens: *Si in toto corde vestro conuertimini ad Dominum; auferte Deos alienos de medio vestri & praparate corde vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philistijm.* Populus audito prophetæ sermone, eius acquieuit consilio, conuertit se ad Dominum atque omnia deiecit atque funditus euertit Idola. Quo facto, dicit sacer textus, *hauserunt aquam & effuderunt in conspectu Domini.* Doctissimus Liranus hunc explicans locum, dicit, Hebræorum populum benè sciuisse, ad magna delicta atque crimina, vt idololatriæ peccata sunt, delenda, flumina requiri lacrymarum; quia verò oculi eorum siccati erant, & sic lacrymas licet desiderarent atque optarent, fundere minus apti essent, in lacrymarum locum, de puteis hauserunt aquas, & cum

1.Reg.c.7.

Si non potest flere, opta flere.

Liran.hîc.

votis lacrymarum obtulerunt: quæ Deo tam acceptæ fuerunt ac si flumina lacrymarum de proprijs emisissent oculis. Verba eius hæc sunt: *Hauserunt aquam & effuderunt in conspectu Domini. Per istas aquas intelliguntur lachrymæ contritionis exeuntes à corde, & per oculos effusæ.* In tantum Deo placuêre hæ aquarum effusiones, & tam acceptabilia in oculis Domini vota hæc populi fuerunt, vt magnam de Philistæis ipsis concesserit victoriam, & de inimicorum liberauerit seruitutis iugo.

O quàm necessaria nobis lachrymarum sunt flumina, si salui esse volumus! quantopere his indigemus, si cœlum attingere desideramus! quantâ harum laboramus necessitate! Amarissimæ aquæ maris rubri apertæ atque diuisæ sunt, & Hebræo populo siccum præbuerunt iter ad promissionis terram: sic si nostrûm quis ad cælorum promissionis terram pertingere cupit, per amarissimas lachrymarum debet transire vndas. Aquæ oculis cæci nati aperuerunt, & visum reddiderunt, vt Ioannes Euangelista capite nono attestatur: sic si nos Deum videre volumus, lachrymarum beneficio mentis nostræ cæcitas debet illuminari. Aquæ & vndæ maris sanctum Petrum vt nauis aut ratis quædam duxerunt atque vexerunt ad Saluatorem Matth. cap. 14. sic & nos nostris adduci lachrymis Deo oportet. Rem verbo saluationis actum & salutis nostræ negotium lachrymarum emittens flumina de purissimis oculis suis Saluator finîre voluit, & sic vitæ suæ atque laboribus vltimam placuit dare manum; vt ad Hebræos capite tertio attestatur Apostolus Paulus, *cum clamore valido & lachrymis.* Sed ad quid ô Christiani! Christus de hoc discedens mundo, atque cursui vitæ suæ vltimam imponere volens manum, clamore atque lacrymarum aquis hoc facere voluit? Ecce dicam vobis. Volebat

Exod.14.

Ioan.c.9.

S.Matth. c.14.

Ad Hebr. cap.3.

lebat nos Christus instruere atque docere hoc facto, nullum nostrûm, ad hoc regnum, quod sibi & nobis crudelissimis passionis tormentis, & acerbissimâ suâ acquisierat morte, peruenire posse, nisi lacrymarum medio; & quod hæ veræ ductrices peccatores esse debeant, & quod per hanc, & non aliam in Christi regnum ingressus pateat portam.

Inter alia inaudita atque mirabilia, quæ sanctus Ioannes Euangelista in sua Apocalypsi capite 21. de cælesti refert Hierosolyma; cuius prototypon Deus ipsi in spiritu exhibuit, fuerunt duodecim illæ portæ, ita diuersæ, vt tres vni parti, & sic duodecim quatuor mundi partibus correspponderent. *Ab oriente portæ tres, ab occidente portæ tres, ab aquilone portæ tres, & ab austro portæ tres.* Forsan in his diuersis mundi portibus, ac diuisis portis volens nobis diuersitatem viarum, quibus ad cælum peruenitur, exhibere. Sed quod considero in his portis duodecim, sunt vniones atque margaritæ singulis impositæ portis: sic enim sacer habet textus: *Duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Admirabile certè hoc erat factum. Forsan non erant alij lapides, atque petræ pretiosæ & magni valoris quàm margaritæ in thesauro Altissimi, vt ex his fabricarentur portæ? cur non ex rubinis aut adamantibus hæ construuntur cælestes ianuæ atque portæ? quis vnquam ex margaritis exstrui vidit aliquod ædificium? Nil refert; ex margaritis atque vnionibus erant fabricatæ portæ. Sed quid his margaritis atque vnionibus duodecim cælestis Ierusalem impositis portis, Dominus ostendere voluit? Pierius Valerianus libro quinto Hierogl. dicit margaritam symbolum esse lachrymarum; & hoc propter similitudinem, quam lachrymarum guttulæ atque stillæ cum margaritis habent. Ideò sanctus Ioannes Chrysostomus Homiliâ 3. in Genesim, non dubitat affirmare lachrymarum guttas atque stillas de pœnitentis cadentes oculis Angelos suscipere, & Deo vt pretiosissimas gemmas atque margaritas offerre. *Quidnam oculis illis* (scilicet diuinis atque Angelicis) *formosius perpetuo lacrymarum imbre & quasi margaritarum decore ornatis?* Sic Maria Magdalena, dum ad Christi prostrata pedes, flumina emitteret lachrymarum & his Dei rigaret pedes, tot pretiosissimæ, quot guttulas atque stillas sparserat, per Angelorum manus æterno fuerunt præsentatæ Patri margaritæ, vt sanctus Basilius Homiliâ de libero arbitrio testatur. *Pretiosas Magdalenæ lacrymas instar margaritarum è beatis illis oculis profluentes.* Dum ergo Deus sancto suo Euangelistæ duodecim portas cælestis Ierusalem ex margaritis fabricatas exhibet, (*Duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas.*) ostendere vult, licèt multæ & plurimæ saluationis sint viæ, & per multas portas introitus ad cælestia pateat gaudia, & omnis conditionis hominibus illa patere certum sit, attamen nullum nisi sua plangendo & deflendo crimina, & lachrymarum beneficio intrare posse: nam lachrymæ, vt sanctus Ambrosius libro de pœnitentia affirmat, paradisi portarum custodes & ductores sunt, & illum sine illis, nec portas quis aperire speret, nec in paradisi gaudia introduci se posse sibi persuadeat. Verba eius hæc sunt: *Ipsa cælum aperit, & in paradisum ducit.* His rationibus atque lachrymarum necessitate, dicit sanctus hic vir, aliquos commotos fuisse, continuis lachrymis in tantum suos defatigare oculos, vt continuo suo fletu sulcos quasi in faciem induxerint, ita vt signa in carnem, per quam continuò defluxerant, impresserint. Verba eius hæc sunt: *Cognoui quosdam in pœnitentia sulcasse vultum lachrymis.* Hoc de sancto legitur Petro, quòd continuis suis lacrymis

Exod. 14.

Lachrymæ pretiosæ sunt margaritæ.

Ioan. 6. 9.

S. Ma. 11. c. 14.

Ad Hebr. cap. 3.

Pierius Valer. l. 5. Hierogl.

S. Chrys. hom. 30. in Genes.

S. Basil. hom. de lib. arbitr.

S. Ambros. l. de pœnit.

S. Ambros. l. de pœnit.

crymis mirum in modum defatigarit oculos, & in facie apertissima continui fletus habuerit signa. *Exiuit foras & fleuit amarè.* Matth.c 26.

Ne ergo, ô peccator! tardes saluberrimis lacrymis tua abluere crimina; nam hoc si non feceris, manifestum æternæ condemnationis tibi superstat atque imminet periculum. Sed dices: Quod modò non facio, faciam posteà. Sed dic mihi, cuius tu authoritatis es, vt de tempore disponere præsumas, cuius dispositio atque ordinatio in solius æterni Patris sinu est? vt Christus Actorum capite primo: *Non est vestrûm nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* suis attestatur discipulis, dum curiositate ducti Iudicij diei aduentum scire satagerent, quibus (vt Glossa hîc intelligit) dicere volebat, ita ipsis viuendum esse, ac si nunc & post horam futurus sit, & quotidie deberent præsentari iudici. *Cùm verò ait: Non est vestrûm nosse; ostendit quòd ipse sciat cuius sunt omnia, quæ Patris, sed eis non expedit nosse, sed ita viuant, quasi quotidie iudicandi.* Dicis, quod tali & tali te conuertere tempore, & tua deflere statueris crimina; sed audi quid Hieronymus his dicat, qui vsque in senectutem vel mortis horam lachrymarum differunt balneum & lauacrum, quo sua abluant crimina. Verba eius pauca, sed horribilia sunt in caput 2. Ioëlis: *Erit aut difficile aut impossibile.* Ac si diceret: Tam difficile erit, vt & difficile illud impossibile includat. Ergo non exspectes, sed quod vis facere, fac citiùs; nam in salutis negotio celeritas tarditatem præ se ferre videtur: nescit salutis negotium dilationem. Hodie incipias tua deflere peccata. Ah miser! non de vna tractatur die, sed de tota æternitate agitur: hæc recogita mente; interim quiesco.

Actor.c.1.

Semper flendum.

Glossa hîc.

S.Hieron.c.2. Ioëlis.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

ERat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Dum Iudæorum populus Dei celebrabat festum atque sabbathum, placuit & Christo suam celebrare festiuitatem; sed non in templo, verùm ad probaticam piscinam, vbi triginta octo annorum infirmo tam corporis quàm animæ pristinam restituit sanitatem & de peccatore fecit iustum: qui veri actus festorum Christi sunt: nam cùm bona CHRISTUS hominibus tribuit, eos de peccatoribus iustos facit, tunc suum sabbathum & suos festiuos agit dies. Sic habet Origenes Homiliâ 23. in Numeros: *Est enim Deo magna festiuitas, humana salus*; imò dicit toties quoties Christus homini dat gratiam atque conuertit, semper magnam agere festiuitatem. *Ego puto quòd per singulos credentium, qui conuertuntur ad Deum, festiuitas oritur Domini.* Et festiuitas illa seu gaudium atque lætitia, quæ in domo Dei ob peccatoris conuersionem habetur, talis est, vt illam, quæ supra nonaginta nouem iustos in cælis habetur, superet atque excedat. Sic ipsemet Christus apud sanctum Lucam capite decimo quinto attestatur: *Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.*

In conuersione peccatoris agitur dies festus Deo ac Christo.

Orig. hom. 23. in. hom.

Sanctus Gregorius Papa Homiliâ trigesimâ quartâ de centum ouibus, simili sat pulchrè hanc veritatem confirmat atque elucidat. Contingit aliquando aut timore, aut alio ad id cogente casu, strenuum militem dum pugnatur, sua deserere signa & inimicis vertere tergum; tandem reuidens suum actum peccaminosum atque vituperosum esse, pœnitentia ductus redit, & vt hanc abluat maculam, multò maiora damna infert hosti, quàm ante fugam fecerat,

fecerat, & fortiùs pugnat. Talis miles multò charior atque acceptior est generoso Capitaneo, quàm ille qui nunquam fugit, & nil generosi agit. Audiamus verba eius: *Dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus, hostem fortiter premit, quàm illum qui nunquam terga vertit, & nunquam aliquid fortiter fecit.* Eodem modo res se habet cum Deo ac peccatore. Gaudium magnum est in cœlis super tantorum Iustorum millia, qui piè & sanctè vixerunt, sed cùm peccator, qui de iustitia ceciderat, redit & conuertitur, ac rubore & verecundiâ plenus, diuinam implorat misericordiam, multò maior lætitia atque excellentius gaudium in cœlis est. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Hac de causa tam longâ oratione doctissimus Tertullianus de pœnitentia capite octauo congratulatur peccatori & ipsum ad conuersionem animat, dicens: *Heus tu peccator, bono animo sis: vides ibi de tuo reditu gaudeatur,*

In conuersione peccatoris agitur dies festus Deo ac Christo. Orig. hom. 23. in. hom.

Tertul. de Pœnit. c. 8.

Imò tam excellens gaudium Christo in peccatoris conuersione est, vt de his sibi à nobis congratulari desideret; imò imperet atque iubeat, vti habemus apud sanctum Lucam cap. 15. *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Nam CHRISTVS lucrum hoc, dum peccator ad suas partes redit, pluris facit quàm multorum iustorum præsentiam, qui nunquam perditi fuerant, & maiori perfunditur lætitiâ, dum errantem atque inter vepres hærentem reperit ouiculam, quam ex intuitu tot millium quæ cœlesti inclusæ caulâ saluæ sunt. Quod simili quodam Augustinus libro octauo confessionum capite tertio exprimere voluit, dum diceret: *Amplius anima delectatur inuentis, aut redditis rebus, quàm si eas semper habuisset.* Et vt clarior hæc esset confirmatio, de naufragio liberati, & longâ infirmitate decumbentis adducit exemplum, quorum lætitiâ videntes se liberos, & extra omne periculum omnem aliam quàm ante hebuerant, quàm longissimè superat; & gaudium multò excellentius est, quàm si in nullo fuissent periculo. Sic cum Deo & peccatore agitur. Ergo toties quoties nostrûm quis, qui omnes peccatores sumus, conuertitur, Deo nouos dies festos in cœlis faciet, & Angelis noua affert gaudia.

Luc. c. 15.

August.

Et vt clarior huius doctrinæ nobis appareat veritas, & scire possitis quantâ obligatione peccator teneatur quantocyùs ad Deum se conuertendi, percipere nobis libeat historiam in vitis Patrum notatam à Surio tomo primo, die decimâ quintâ Ianuarij. Contigit sanctum quendam discipulum sancti Antonij in ecstasim rapi, sub qua inter alia exhibetur illi pretiosissimus quidam lectus, gemmis atque auro vndique ornatus, animæ varijs pœnitentiæ operibus se defatiganti, pro æterna præparatus quiete. Quem videns, omnino iudicabat, pro sancto Antonio suo Magistro illum præparatum esse, illumque austerâ vitâ suâ, atque operum bonorum exercitatione, hunc sibi dispofuisse lectum; sed aliter rei se habebat. Pro meretrice Thaide recenter à sancto Paphnutio conuersa, hunc lectum præparatum, atque vt post tot planctus atque lachrymas, & rigidæ pœnitentiæ opera, quibus suam defatigabat carnem, æternam in illo caperet requiem, diuinam dispofuisse bonitatem, sancto discipulo fuit reuelatum. Ecce quali gaudio, quali lætitiâ, suscipit Deus conuersos peccatores, qualia ipsis præparat bona, & in quanto honore peccator conuersus à Diuina habetur Maiestate. Delicta præterita ac vituperia transacta non respicit, & suâmet ipsum apprehendens manu, æternis introducit gaudijs, & per pœnitentiæ operâ, & tot lachrymarum flumina præparatum illi tradit præmium.

Christus sternit lectum gemmeum peccatoribus conuersis. *Surius tom. I. die 15. Ianuar.*

Nunquid ergo cæci sunt peccatores, qui Christum ad conuersionem ipsos inuitantem & in pœnitentiæ via præcedentem minimè vident? Nunquid stolidi atque ingrati sunt, qui Christo ad alia se vocanti festa, cohabitare tergiuersantur? Sursum corda peccatores, de limo exsurgite terræ, ex oculis vestris peccatorum discutite nebulas, vt Christum vocantem & vos præcedentem & audire, & videre valeatis. Cur tam tardi estis ad hos festos dies celebrandos, cum Christo materiam negatis dies festos instituendi? Ecce expansis manibus te expectat, vt suscipiat, vt te amplectatur, vt dies festos pro tua instituat conuersione, & vt gaudium magnum choris annuntiet Angelorum. Ah! timeo certè qui conuerti differtis, ne id malum vobis contingat, quod in hodierno Evangelio per comminationis fulmen huic sanato proponitur. *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Id est caveas tibi, & sic tua disponas negotia, ne in plura atque peiora reincidas mala, quam vnquam. Doctissimus Liranus hanc explicans locum, scribit: *Ne pœnam æternam incurras*. Ac si diceret: Ah peccator! vide quid agas si: conuersus non fueris, & Deo non egeris in tua conuersione festos dies, ad quos te inuitat, scias te æternas incursurum pœnas, & non triginta octo annis, vt hic languidius, igni illi inextinguibili, sed in æternum cruciandum, tradendum te fore. Hîc non tractabitur de octo annorum, sed de æternitatis languore. Nec ad hanc infernalem positus piscinam, ab Angelo salus tibi speranda est; nam Angelorum Dominus atque Rex, jam te in æternum his malis addixit. Non ibi, de quinque, sed de vna tractatur porta, quæ si semel clauditur, in æternum non aperietur; illinc aquæ salutis non reperiuntur, sed lacrymæ æternæ afflictionis, qua miseri damnati consumuntur. Luc. 16 Vnam desiderauit guttulam consolationis aquarum, & non valuit illam obtinere Epulo. Ibi non datur societas aliorum infirmorum, vt ad probaticam piscinam, sed infinita multitudo dæmonum; non reperiuntur ibi claudi, non cæci corporales, sed infinita multitudo spiritualium reperitur cæcorum, qui non ad tempus, sed vsque in æternum, ad beatificam illam intuendam visionem cæci erunt.

Apostrophe ad crucem.

Iona. c. 15.

Ah pecator! caueas ergo tibi, *ne deterius tibi aliquid contingat*. Peccasti, crimina varia commisisti & omni iniquitate cor tuum atque animam inquinasti; noli differre in futurum, sed dole, defle, & plange illa, & noli amplius peccare. Ad quod omnes, qui veram decreuerunt agere pœnitentiam, sanctus exhortatur Bernardus, libro de anima, capite qnarto, dicens: *Si ergo vis esse verus pœnitens, cessa à peccato, & noli amplius peccare*. Id est, optima conuersio, præstantissima pœnitentia est, iam ampliùs nolle peccare. Voluntas hæc atque propositum hoc summus & excellentissimus pœnitentiæ actus est. Ergo, *tolle grabatum tuum & ambula*. Id est, suscipe onus peccatorum tuorum, atque intolerabile illorum pondus, ante sacerdotis pedes, per dignam proijce confessionem, *& ambula*. Id est salutis vias atque conuersionis & pœnitentiæ atque virtutum semitas, & sic tandem aliquando finem atque terminum illarum, quæ cœlum atque paradisus est, feliciter attinges. Quod mihi & vobis concedere dignetur Deus, Amen.

S. Bern. l. de anima.

DIS-

DISCVRSVS X.

PRO DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

DIscurritur de gloria cælesti & de medijs illam consequendi.

Thema.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannnem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Matth. cap. 17.



Loriosus triumphus N. N. cordi vestro contemplandus, gratiosum spectaculum mentis vestræ oculis intuendum, mysteriosum subiectum linguâ meâ vobis explicandum, hodie à sancta Ecclesia, in sacrosancto proponitur Euangelio. Subiectum transfigurationis spectaculum splendoris & triumphi gloriæ Filij incarnati, qui in summitate montis Thaboris, in medio prophetarum Eliæ & Moysis, in præsentia suorum trium charissimorum discipulorum se transfigurat, splendore solis se cingit, & albedine niuis se vestit. Apostoli admirantur tam gloriosam transfigurationem: Elias & Moyses confunduntur non viso simili splendore; imò ipse æternus Pater, Filij sui incarnati intuens gloriam, iam præ gaudio exclamat: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* (Matth. c. 17.) Si gloriosæ huius transfigurationis causam inuestigare & rationem eius indagare velimus, occurrunt mihi magna illa duo Ecclesiæ sanctæ lumina, sanctus Gregorius Nazianzenus, & Leo Papa, qui Homiliâ de transfiguratione dicunt, ideò CHRISTVM coram Apostolis suis voluisse transfigurari, vt diuinitatem sub humanitatis pallio celatam, ipsis exhiberet, atque ipso facto ostenderet in sua esse potestate, pro libitu suo, & illam abscondere & celare, atque etiam manifestare. (S. Gregor. Nazianz. & S. Leo Papa. Homil. de transfig.) Si S. Ambrosium interrogemus, expressis verbis attestabitur, Christum hac transfiguratione atque discipulorum electione, & trium tantùm assumptione, paucitatem saluandorum demonstrare voluisse; ideò de duodecim Apostolis vnam tantùm assumpsit partem, tres alias ad inferiorem partem montis relinquens. (S. Ambros. in hunc locum.) Si Sanctum Hilarium & Doctissimum Euthymium aggrediamur; dicent nobis duo magni viri, Christum id egisse, vt tres hos discipulos, qui spectatores & testes passionis suæ futuri erant, in fide, spe, & constantia confirmaret, ne tanto vilipendio Christum haberi videntes, de diuinitatis eius opinione aliquid perde- (S. Hilar. & Euth. hic.)

Theophyl. hîc.

perderent. Si excellentissimum Scripturæ sacræ expositorem Theophylactum examinare velimus, quid & ipse de transfigurationis huius sentiat ortu atque motiuo; dicet Christum sic gloriosum transfigurari, & suam discipulis in carne adhuc gloriam exhibere voluisse, vt verbis & promissis staret, & illa quæ pridem promiserat, expleret; nempè Apostolorum aliquos, ipsum ante mortem, & adhuc in hac carne viuentes, in sua viuentem atque regnantem visuros gloria, vt apud Lucam capite nono habemus. *Sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Excellentissimæ atque præstantissimæ hæ allatæ sunt opiniones atque rationes, sed supra modum Iansenij in hunc locum placet. Hic doctissimus vir dicit, Christum Dominum hac suâ transfiguratione, exemplum seu specimen quoddam (quasi per transitum) gloriæ suæ atque beatificæ illius visionis voluisse nobis dare atque relinquere, vt eius contemplatione excitati, feruentiùs ad veram illam assequendam festinaremus. *Voluit Dominus hac suâ transfiguratione, specimen quoddam dare suæ gloriæ.* Hæc ergo Christi atque beatorum gloria scopus discursus mei erit.

Luc. c. 9.

Ians. in c. 17. Matth.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum & transfiguratus est ante eos. Matth. c. 17.

Gloria illa, quâ Beati fratres nostri iam in paradiso habitantes fruuntur, tam ineffabilis atque inexplicabilis est, vt summus esset error & vanus labor, si quis humanâ linguâ aut describi, aut explicari, aut manifestari eam posse sibi persuaderet. Hæc Sanctorum gloria inexplicabile illud bonum est, quod oculorum hominum adhuc in carne degentium intuitu minimè patet Beatorum hæc est gloria, satisfactio illa est quæ omnem carne indutum humanum fugit auditum: gloria Sanctorum, gaudium hoc est, quod huc vsque cor hominus comprehendere non valuit; vt Sanctus Apostolus Paulus attestatur: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt eum.* Et in ecstasim raptus, & in tertium introductus cælum, vbi illa quæ Deus Sanctis suis præparauerat, perlustrauit, dicit talia Sanctorum esse gaudia, tot Electorum esse glorias, & tot beatorum animorum esse delectamenta, vt illa enumerare & describere humana lingua insufficiens foret. *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

1. Corinth. c. 2.

Gloria cælestis ineffabilis.

Sanctus Ioannes in libro Apocalypsis confitetur se vidisse sanctam illam atque cælestem Ierusalem: *Vidi sanctam Ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Quâ benè perlustratâ, ecce Angelus ipsi adest, atque iterum ducit ad beatitudinis illum contemplandum locum: *Veni & ostendam tibi sponsam vxorem agni*, quæ, ciuitas illa cælestis erat Ierusalem. Hic subintrat acutissimus Richardus à Sancto Victore, & mouet dubium; Cur cùm Sanctus Ioannes iam dixerat, se vidisse sanctam illam ciuitatem, & sat benè perlustrasse; rursus Angelus venerit eumque denuò ad videndum inuitarit? Audiamus eius verba: *Quid est ergo quod illi promittit ostendere, quam se dixerat iam vidisse?* Respondet hic doctissimus vir, ideò visionem ciuitatis re-

Apocalyp. 21.

Richardus à S. Victore.

peti

peri, quia insatiabilitatem gaudiorum exprimere, & nobis exhibere eius erat intentio. Nam tanta copia gaudiorum, tantaque gloriæ accumulatio atque diuersitas sanctæ huius est Patriæ, vt non vna visio, non secunda, non tertia, non decima, non centesima, non millesima, non æterna & continua sufficiens sit illam intueri atque comprehendere; nam semper noua exhibentur videnda, semper recentia proponuntur audienda, semper nunquam gustata cordi nostro apponuntur. Dicere ergo volebat Angelus, vt doctissimus hic vir opinatur: *Magna quidem sunt, quæ de futuro Sanctorum statu vidisti; sed eleua & dilata mentem, quia de eodem statu ipsorum visurus es mira, quæ nondum vidisti.*

Talis etiam scopus est illius similitudinis, quâ Psalmista Dauid vtitur, dum beatorum gaudia de limpidissimis fontibus torrenti assimilat. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Vidistine aliquando torrentem decurrentem, quomodo nouæ atque recentes semper subsequantur aquæ? currunt atque defluunt de fontibus exsurgentes aquæ, has subsequuntur aliæ; & has aliæ, & aliæ, & numquam cessat nouarum atque recentium aquarum manatio. Sancti Hieronymi pulcherrimus hic est conceptus, qui hunc explicans Psalmum, sic habet: *Sicut in fluminum perennitate aliæ alijs nouæ aquæ succedunt, ita Dei conspectus idem semper ac constans, nouâ tamen semper beatorum mentes oblectatione detinebit.* Quam continuam non deficientem, & tamen semper nouam gloriam, idem Propheta Psalmo suo octogesimo octauo nobis exhibere voluit, dum beatos illos, qui hac fruuntur gloriâ, prædicat. *Beatus populus qui scit iubilationem.* Sanctus Gregorius Summus Pontifex libro nono moralium intelligit per hunc populum, beatos illos ciues, & cœlestis Ierusalem inhabitatores, qui non solùm in æternum magnâ illâ fruuntur gloriâ, *sed sciunt iubilationem*, id est, tantâ iubilatione mentes eorum replentur, vt ea enarrare atque describere ipsimet beati non sufficiant. *Beatus populus qui scit jubilationem; quia sciri quidem jubilatio potest, sed dictis exprimi non valet.* Id est, homo iubilum atque gaudium, quod cor eius ob amatum ac comprehensum obiectum habet, percipere atque scire potest; sed id nobis, vt ipse sentit atque scit, describere atque intelligendum exhibere, vires eius excedit.

1. Corinth. c. 2.

Gloria cœlestis ineffabilis.

Psal. 35.

Apocalyp. 21.

S. Hier. hîc.

Richardus à S. Victore.

Psal. 88.

S. Gregor. lib 9. moral.

Hinc Sanctus Petrus, cum DEI perspexisset gloriam atque amantissimum Magistrum suum CHRISTVM splendore circumdatum comprehendisset, tanto jubilo cordis implebatur, vt alia descriptionis verba proferre non potuerit quàm hæc, *Bonum est nos hîc esse.* Ac si diceret: Domine, tanta lætitia cor meum replet, tantoque gaudio mens mea afficitur ex hac tua transfigurationis gloriosa visione, vt illud describere non valeam, sed mea hæc est resolutio; sit tibi iubili atque gaudij mei magnitudinis incomprehentibilitatis indicium, quod iam de loco hoc discedere nollem & omnia quæ in mundo sunt, & vxorem & filios, domum ac retia despiciam; & tibi tam glorioso in hoc monte cohabitare desiderem: igitur iube, vt manus operi apponam, & tria hîc faciemus atque erigemus tabernacula. *Faciamus hic tria tabernacula.* Tantus iubilus cordis eius erat (vt S. Matthæus attestatur) vt nesciret quid loqueretur. *Non enim sciebat quid diceret.* Audiamus rogo quid S. Augustinus, hanc S. Petri lætitiæ considerans ecstasin, de paradisi sentiat gaudijs. *Si vnica mellis guttula è paradiso sic omnem vanitatis sitim extinxit, quid faciet inexhaustum voluptatis pelagus?* Ac si diceret; Si hæc transfiguratio, ac tam paruo durans tempore Christi gloria, quæ respectu illius, à qua beati suam hauriunt gloriam atque beatitudinem mel-

S. August. serm. 120.

mellis guttula solum fuit tantum in Petro omnium terrenorum causabat despectum, & tali gaudio cor eius implebat, vt omne id quod in mundo erat, despiceret. Ah! quanta gloria illa erit! quàm inexhaustum illud pelagus beatifica illa in se continet visio! Verè benè dicit Paulus: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*; Audiamus & alium cœlorum incolam Sanctum Cyprianum de laudibus Mart. quid ipse de Sanctorum sentiat gloria. *Videbunt Deum & gaudebunt; lætabuntur, fruentur gloriâ, felicitate, iucundabuntur æternâ: implebuntur Deo, & satiabuntur dulcedine mirificâ: nihil eis deerit, nihil; omne desiderium eorum Christus præsens implebit.*

1. Corint. c. 2.

S. Cyprian. de laudib. Mart.

O quàm magnum præmium! ô quàm magna merces! ô quàm ingens beatitudo visio illa beatifica est! Iam verba illa aurea Chrysostomi intelligo. *Alij gehennam timent, ego verò casum illius gloriæ timeo.* Plurimi sunt qui inferni horrent tormenta; hæc ego non æstimo, nec his moueor; sed ne visionem illam Dei beatificam, fontem omnis gloriæ perdam, valde timeo. Etsi inferni deberem includi flammis, dummodò hac frui possem visione, Dei beatificum cernere valerem vultum; nil æstimarem, nil ibi timerem: nam in medio illorum horrendorum tormentorum & sic beatus essem, & omni fruerer gloriâ. Sed quid dico? dicam plus, & magis fructus atque affectus beatificæ illius visionis exaltabo. Dico ergo cum Sancto Augustino in Manuali capite 2. Dei vultum tantæ esse gloriæ atque pulchritudinis, vt si condemnati cum rebellibus istis Angelis ad æterni carceris pœnas per ictum oculi, aut momentum, illum in sua viderent gloria, & tormenta illa in glorias varias, & obscurissimæ illæ tenebræ in clarissimam lucem, horror ille sempiternus in placidissimam suauitatem; & totus infernus in alterum conuerteretur paradisum. O stulti & insani filij Adam! qui tanto æstuatis desiderio, huius vel illius maledictæ Euæ videre vultum, & Dei faciem illam beatificam repentè intueri minimè curatis! O miseros ac cæcos mortales! qui tantâ auiditate creaturarum insequimini pulchritudinem, & non animaduertitis; aut; animaduertitis, non curatis, propter eas Creatoris vestri pulchritudinem perdendi manifesto vos exponere periculo! Et quid tandem incipies ô miser! si hâc beatificâ prjueris visione? quid si pulchritudinem Dei tibi intueri non licebit, acturus es? quomodo in æternum sine illa viuere & manere poteris?

S. Ioannes Chrysost. homil. 24.

Si dammati vel ad momentum Deum viderent infernus ipsis videretur paradisus.

Probus ille Tobias per tempus aliquod solis vultum atque splendorem videre non poterat; ideò summâ oppressus amaritudine, consolationem non admittebat; iam pro ipso non erat gaudium vllum, ad exhilarandum nulla reperiebatur lætitia; quidquid agebat, quidquid audiebat, in amaritudinem ipsi conuertebatur, & illa quæ aliorum alleuiabant dolores atque cordis oppressiones, eius augmentabant & aggrauabant. Sic ipsemet attestatur: *Quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo & lumen cœli non video?* Quid tu miser ad hæc dicis? quid ages? si in æternum Iustitiæ non eris visurus solem? Dic mihi, quale gaudium, qualis lætitia tibi esse poterit, qui Dei vultus non es visurus splendores? & tamen non curas, hunc videre non desideras, hoc fruendi nullam adhibes diligentiam; imò iam illam, quantum in te est, perdidisti, cùm illam in fœtidæ vnius creaturæ, quæ in æternum tecum arsura est, commutasti. O stultitiam maximam! ô summam fatuitatem mortalium, qui creatoris sanctissimum vultum, cum peritutæ alicuius creaturæ permutant facie! O Sancte Deus! anima mea alium non quætit intueri vultum, quàm tuum,

Tobai. c. 5.

tuum: oculi mei non curant alia frui pulchritudine, quam sanctissimi vultus tui: mens mea, animus meus aliam non desiderat gloriam, aliam non satagit requiem, ad alios non anhelat gustus, quàm ad gloriosissimæ faciei tuæ: hunc cùm videro sanctissimum tuum vultum, cùm meos in eius gloria potero figere oculos, id quod desiderare poterat anima mea, habebit, & omni imaginabili fruar bono, & cum Apostolorum principe subito exclamabo: *Bonum est nos hîc esse.* Et vt veritatem fatear, mundus non includit felicitatem talem, nec in thesauris eius talis reperitur consolatio, qualis in Dei facie: omnes diuitiarum abyssi non continent tale gaudium quale Dei vultus affert intuenti: Dei increati vultus tantâ erat præditus pulchritudine, & illi diuinitatis radij, qui carnis penetrabant vmbraculum, tanti erant splendoris, vt Beatissima Virgo dum illum intueretur, & tacitè consideraret, interno quodam consolationis impetu mirum in modum obrueretur atque in anima internam pateretur liquefactionem, Sic ipsamet apud sanctam Brigittam Lib. citat. reuelat. cap. 70. attestatur. Audi sanctissima atque dulcissima verba eius. *Cum conspicerem & considerarem pulchritudinem eius, anima mea quasi rorem præ gaudio stillabat.* Et non tantum in cœlorum Reginæ animo, verum etiam in omnium intuentium mentibus aspectus eius hos gloriosos producebat effectus; nam tanta erat eius suauitas, tam placida morum compositio, atque pulchritudo, & tales gloriæ radios eius emittebat sanctissima facies, vt nullus qui illam respiceret, etiamsi mille cor eius angustiaretur afflictionibus, inconsolatus recederet, vt eadem cœlorum Regina loco citato S. Brigittæ reuelauit, dicens: *Filius meus tam pulcher facie erat, quòd nullus faciem eius videbat quin consolaretur, etiamsi præcordialiter dolorē haberet.* De hac, quam adhuc mortalis in terra habuit, ad illam quam nunc immortalis ad dextram Dei Patris sedens habet, argumentari mihi liceat. O quanta gloria! o quàm inexplicabilis erat pulchritudo eius! Humana lingua illam exprimere insufficiens est, humana eloquentia illam describere minimè potest. Hoc pro nunc sufficit tantam eius pulchritudinem esse, vt eius intuitu à tot mille annis in hanc vsque horam Angeli sancti non sint satiati, nec in æternum, satiari poterunt, vt S. Petrus suâ primâ Epistolâ. c. 2. attestari non dubitarit: *In quem desiderant Angeli prospicere.*

Matth. 17.

Dei vultus omnia continet in se.

Reuelat. S. Brigit.

Christi viuentis vultus erat consolatio afflictis intuenibus.

Reuelat. S. Brigittæ.

I. Pet. c. 2.

O vultus! ô pulchritudo æterni Dei! ô felices vos dixero cœli habitatores! qui iam sanctissimi huius vultus in omni securitate ac pace fruimini visione! ô infelices non Adami filios! dum adhuc illius forsan perdendi periculo subiacemus. O sanctissimum vultum! qui Angelorum est speculum, *in quem desiderant Angeli prospicere.* O vultus benedictus, cuius oculi solis excedunt luminosos radios! *Oculi eius lucidiores super solem.* O diuina facies, cuius genæ rosarum excedunt pulchritudinem! *Pulchritudo agri mecum est.* O facies decora, cuius os omnium gratiarum fons est! Ex hoc se bibisse Regius attestatur vates Psal. 89. *Diffusa est gratia in labijs tuis.* Vultus cuius comæ valorem auri optimi longè excedunt. *Caput eius aurum optimum.* Vultus qui dum exhibetur, plenitudinem affert salutis. *Ostende faciem tuam & salus erimus.* Qui dum discooperitur, exurgunt consolationes in animabus intuentium: dum resplendet radiorum lumine aspicientium cordibus imprimitur paradisi gloria. *Sit splendor Domini Dei super nos*, dicit Psalmista & lectio Chaldaica, non Angelorum choris, non cœlis, non stellis, non tot diuersis gaudijs, quibus Beati fruuntur in gloria, ad constitutionem indigemus para-

I. Pet. c. 2.
Qualis vultus Dei.

Psal. 49.

Cant. 5.

Psal. 89.

Lectio Chald.

paradisi ; solus intuitus vultûs huius sanctissimi ; sola beatifica illa visio sufficientissima est, perfectissimum constituere paradisum : imò sine hac omnis gloria, omne gaudium, omnis consolatio, omne delectamentum, nihil ; imò vanitas ipsa est & magis affligit.

S. August. in Man.

Audiamus S. Aug. *Quid sunt cœlum & terra & omnia quæ in eis sunt præter Dei faciem; Non saluant quæ non satiant.* Si cælorum gaudia & paradisi deliciæ hominis cor, si Dei non adest facies, satiare non possunt, quomodo infima hæc, quibus omnibus dolor & amaritudo atque spiritus afflictio vnita est, cor hominis satiare valebunt ?

In visione vultus Dei beatitudo summa.

Experientiâ hac edoctus S. Propheta Dauid, in solo Dei vultu vera gaudia & veram requirebat quietem, *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea : faciem tuam Domine requiram.*

Psalm. 16.

Ac si diceret : Regna non inquiro, non desidero diuitias, non opto victorias, non curo coronas, non æstimo sceptra : ecce omnia vilipendo, despicio atque purpurâ me exuens, omnia desero ; solius vultûs tui inquiro visionem. *Faciem tuam requiram.* Audite quàm insigniter S. August, in hoc desiderio & inquisitione hac, sanctum imitetur Regem, libro 13. confess. c. 7. *Currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur donec abscondatur in absconsito vultus tui.* Ac si diceret : Currat (o Deus meus) nunc vita mea velocissimis passibus, nec per punctum aut momenti vnius spatium in regione mortis sistat, & figat pedes suos, vt tantò velociùs tibi occurrere & tuum sanctum possim videre vultum.

S. August.

Non inficior, sub cœlo, in his infimis terræ regionibus multa bona esse ; (*Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*) sed si illis quæ super nos sunt ; æquiparare velimus, non bona, sed pœnæ sunt, In regna diuiditur mundus & illorum aliqui hominum coronantur coronis atque decorantur sceptris. Sed quæ sunt hæc regna, cœlestibus illis comparata, nisi angustus quidam carcer? Regna vocantur, sed aptiùs aranearum telæ : ditiones, quas dum dominia vocamus, meliori modo iniuriæ appellarentur, Imperia intitulantur & summa sunt vituperia, Multi onerati gemmis portant coronas, sed corda illorum implentur spinis : dextrâ tenentes sceptrum, regunt gentes, & in animo desideriorum flagellantur flagellis : vestiuntur purpurâ, & spoliantur consolatione : insident regio throno, & nec momenti spatio fruuntur pace ac quiete.

Gen. 1.

Bona huius mundi mala sunt respectu supernorum.

Hæc & similia Antigonus considerans Rex, vt Plutarchus in suis Apophtegmat. habet, filio suo dicebat, regna mundi huius non regna vera, sed palliatam ac laruatam esse seruitutem ; domini insigniri nomine, fictitium esse splendorem, gloriæ atque excellentiæ. Audire gentilis huius Regis libeat verba : *An ignoras fili regnum nostrum splendidam esse seruitutem?* Regna huius mundi, dominia huius terræ, non regna, non dominia, sed venti sibi oppositi atque contrarij & inter se & contra se pugnantes sunt.

Plut. arch. in Apophte.

Sic illa S. Daniel Propheta c. 7. considerat : *Et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Quatuor numero ponit, vt famosas illas quatuor mundi monarchias in memoriam reuocet, quæ reuerà tempestuosi ac contrarij erant venti ; nam in multis cum ventis conueniebant, & ipsorum gaudebant proprietatibus. Quænam natura ventorum est? Aeris quieti sunt cantrarij, & illam turbant ac inquietant : sic hæ Monarchiæ aliarum gentium quieti contrariæ erant, atque ipsas turbabant. Venti dissipant nubes ; sic & hæ gentium dissipabant excellentiam atque potestatem : venti turbant Maria, & vndas eius inter se agitant ; sic hæ populorum turbabant status, & variis inter se agitabant bellis : venti eradicant syluas, deijciunt turres, atque domos, & integras deturbant ciuita-

Dan. c. 7.

Regna mundi huius sunt venti.

ciuitates; sic hæ eradicabant integras nationes, deturbabant fortissimas turres, & integras demoliebantur vrbes: venti excitant pulueres, & eorum molestiâ excæcant homines: hæ in corde suorum monarcharum magnam excitabant superbiam, & propriæ existimationis, & vanitatis molestiâ proprios etiam excæcabant oculos; ne miserias, infelicitates, & vanitates, quæ mundi regna & dominia apportant, videre possent. Alia regna sunt illa cælestis gloriæ, alia sunt illa superorum dominia, aliud cælestis status imperium est. Regna ac dominia sunt non ventorum, sed infinitorum gaudiorum; non vituperij, sed honoris; & non temporalia, sed æterna; Regna quæ coronâ incorruptibilium gemmarum coronantur. Sic Psalm. 8. Regius attestatur vates: *Gloriâ & honore coronasti eum Domine.* Imperium cuius ac potestatis sceptrum in æternum durat, vt Sapiens c.5. loquitur: *Iusti autem in perpetuum viuent.* Dominum, quod suos purpurato sanguine Agni vestit atque exornat. Sic S. Ioannes ornatos & vestitos incolas eius se vidisse Apocal. c. 21. affirmat: *Lauarunt stolas suas in sanguine Agni.* Imperium cui pax dominatur, quam in illo Isaias se vidisse ait: *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis.*

Psal 8. *Sap. c. 5.* *Apoc. c. 21.* *Isai. c. 32.*

O Paradisus! ô cœlum! ô domus Dei! quanta est tua gloria! hîc omne reperitur gaudium, omne inuenitur delectamentum; hîc habitant vera bona tempora, hîc deprehenduntur veræ deliciæ, hîc mens & animus hominis veris fruitur gustibus, & omne id, quod mens, & animus hominis desiderare potest, apprehendit. O domus & habitatio plena gloriâ & honore! nam tu gloriâ & diuitijs repleta es. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Domus, quæ repleta est gaudijs infinitis, mirabilibus, insolitis, & excellentijs inauditis. O quale erit iubilum! quale gaudium beatorum hanc inhabitantium domum! Beatus ille certè dicendus, qui in mille æternitates hanc inhabitaturus est domum, & fruiturus delicijs. Vbi sunt illi fatui, qui tanto labore atque sudore, tantis iniustitijs, vituperijs, latrocinijs, vsuris, pauperum ac subditorum oppressione, ac alijs infinitis medijs illicitis in fabricandis palatijs ijsque exornandis, suam posuerunt gloriam? adsint, dicant quid sentiant modò, fatuos se fuisse dicent, defraudatos se esse à spe sua, & ipsos in pulueres, & ipsorum magnifica ædificia, & gloriosa palatia in aceruum lapidum conuersa esse attestabuntur. Vbi sunt illi, qui tanto labore, tantâ defatigatione diuitijs inhiant, illasque inquirunt, quas dum per illicitas vias quærunt, per illicita congregant media, Dei sibi thesaurizant iram? Vbi sunt? adsint, stulti & fatui sunt, & decipiuntur; nam vera gloria, veræ diuitiæ, verus honor, verum gaudium in sola Dei reperitur domo, vbi nec gaudium, nec lætitia cessabunt; gloria & diuitiæ non deficient, sed in æternum manebunt, & in tali domo iusti ac beati, vsque in sempiternum viuent; & cum Deo suo atque agno, in summa pace, summâ gloriâ, in sæcula sæculorum regnabunt, atque dominabuntur, vt Ioan. in sua dicit Apoc. c. 21. *Et habitabunt cum eo, & ipsi populus eius erunt.* *Apoc. c. 21.*

Psal. 111.

Habet mundus suas consolationes, non nego, sed si cum æternis componere velimus, non consolationes, sed mœrores ac afflictiones reperiemus esse. Circumeat quisque vestrûm mundi machinam, perlustret occidentis, atque orientis solis loca, discurrat maria, pertranseat syluas, montes atque valles, & inquirat, si quid veræ consolationis, cui & amaritudo non mixta sit, reperire valeat; dico, quòd non; nam omnis creatura insufficiens est nostrum quietare animum, ac cor. Congreget quis omnes thesauros terræ, possideat omnia mundi

di bona, & habeat, quidquid cor humanum & hominis animus desiderare poterit; si Deum non habet, nil habet, & si huius vultum videre non poterit, infelix, imò infelicissimus est. Quid N.N. charius vobis vitâ est? nil certè: nam pro hac conseruanda, quidquid homo habet, atque possidet, exponit, & in eius comparatione nil æstimat; sed hæc insufficiens est, veram homini afferre consolationem, quia breuis & nimis incerta, proxima morti est; magni à nobis fit honor, quo ab aliis afficimur; sed consolationem plenam afferre nequit: nam inconstans & volubilis est. Diuitias amamus, sed mentem nostram verâ quiete replere non valent: nam plenæ sunt curis & solicitudinibus. Omnia hæc & plura alia Rex Dauid possidebat; nam erat potens, sapiens, diues, in honore vixit plurimis annis, & omnia hæc non erant sufficientia vnius horæ animæ eius afferre consolationem. Sic Psalm. 68. conqueritur: *Consolantem me quæsiui, & non inueni.* & in ijs, vbi consolationem inuenire æstimabam, fellis & aceti reperi amaritudinem: *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*; sed statim ac ad æterna transiui bona, & in Deo meas quæsiui consolationes, totum quod anima mea desiderabat, deprehendi. *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Et ne alicui hoc mirum videatur, scire vos vellem, consolationem animi nostri, non in creaturis habere sedem, nec ex his suam trahere originem, sed in Deo habitare, & ab ipso mitti, atque originem ducere; nam ipse salus fons consolationis est. Sic Paulus 2. Corinth. c. 1. *Deus totius consolationis.* Visio vultus eius, intuitus sanctissimæ faciei solus, & nil aliud mentem nostram quietare, animum consolari & cor nostrum satiare sufficiens est.

Omnia mundi bona cor nostrum non possunt satiare, quia incerta, instabilia, peritura.

Psalm. 68.

2. Corinth. c. 1.

Mundi gaudia transitoria, atque instabilia sunt; cælorum verò ac æternæ gloriæ permanentia, stabilia, & in æternum duratura: mundi deliciæ instar fluminum sunt, quæ numquam stant, sed citò decurrunt; cælorum verò gaudia instar magni oceani semper ijsdem inhærentis terminis. Regius Vates, Psalmo centesimo trigesimo sexto adducit Hebræum populum ad ripas Babylonici fluminis sedentem & amaro fletu suam deplorantem infelicitatem. *Super flumina Babylonis, illic in tam notabili loco* (explicat glossa interlinealis hîc) *sedimus & fleuimus, cùm recordaremur tui Sion.* Nusquam in sacra Scriptura reperio tale factum Hebræi populi, quod cæli gloriæ memor, atque cælestis Sion recordetur, atque statum huius consideret, & ex hac consideratione de oculis suis emittat lacrymarum flumina. Glossa interlinealis, & sanctus Augustin. in hunc locum, per hæc flumina Babylonis, terrena bona, & quidquid cor hominis ex inferioribus, atque instabilibus bonis, quæ sicut flumina, fluunt, desiderat atq; amat, intelligunt. *Flumina Babylonis sunt omnia, quæ hic amantur & transeunt.* Dum ergo Hebræus populus ad hæc sederet flumina; id est, transitorijs inhiaret bonis, terrenis oblectaretur gustibus, & mundi immersus esset delicijs illius cælestis & æternæ gloriæ consolationes, bona, gaudia menti eius occurrerunt, quæ cùm stabilia & permanentia; hæc verò instabilia, ac transitoria considerarent, priuationem illorum cælestium bonorum incontinenter deplorarunt, & flumina fundebant lacrymarum. Sic Theophylactus in Psalmum centesimum trigesimum sextum habet: *Multas perfundebant lachrymas fluuiorum cursus imitantes.* Igitur Hebræi, ex cælestium bonorum consideratione, ac eorum stabilitatis ac permanentiæ contemplatione amarissimè flebant, & se adhuc tam longè abesse summopere dolebant, dicentes: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, cùm* recor-

S. August. hic.

recordaremur tui Sion. Ac ſi ſecundum ſancti Auguſtini opinionem dixiſſent: *O ſancta Sion, vbi totum ſtat & nihil fluit?* id eſt, ô quando erit dies illa! quando videbimus feliciſſimam illam horam, quâ iam non ad hæc Babylonis flumina, id eſt, terrena bona ſedebimus, ſed in cœlo, vbi ſtabilia ſunt bona, vbi permanentia ſunt gaudia, pedes noſtros ponemus, & ibi in gaudiis ſedentes æternâ perfruemur requie. O felix Sion! tua bona ſtabilia ac permanentia ſunt, ideò vera bona, vera gaudia, quæ apud te reperiuntur. *O ſancta Sion, vbi totum ſtat. & nihil fluit.*

S. Auguſt. hic.

O N.N. quale erit illud Iubilum beatorum, cum ſupernis ciuibus aſſociatos ſe deprehenderint! quale erit gaudium, quando ſe periculoſiſſimo vitæ huius naufragio liberatos, in ſalutis portu poſitos viderint, & ex infinitis periculis, innumeris ſcopulis, in quibus naufragari potuerant, liberatos ſe deprehenderint! ô qualis lætitia erit illis, dum ſuas viderint animas ſplendere vt ſolis radios! nam animæ & corpora Sanctorum in cœleſti gloria multô excellentiorem, quam ſol ſplendorem de ſe emittent, vt ſanctus Chryſoſtomus: *Vnumquemque ſanctorum plus quàm radios ſolis videbimus refulgentem ex illa gloria, cuius candorem & coruſcationes oculus hominis non poteſt aſpicere.*

S. Chryſ. hom. 6. in Epiſt. ad Heb.

Audiſtis in ſacro Euangelio, quantæ virtutis atque efficaciæ gloria illo inanis Apoſtolorum fuerit, quam ipſis Chriſtus *per modum tranſeuntis* in monte Thabor exhibuit. *Transfiguratus eſt ante eos*, qui ſuperabundanti illo ſplendore excæcati, facies ſuas ob gloriam maieſtatis & ſplendoris de vultu Chriſti prodeuntis in terræ ſolum proiecerunt: non enim poterant, præ gaudio & lætitia continere ſe: incapax enim erat caro adhuc mortalis tanti gloriæ ſplendoris *Ceciderũt in facies ſuas.* Si ergo gloria hæc, *quæ per modum tranſeuntis* ſanctis Apoſtolis fuit exhibita, tantæ efficaciæ fuit in ſanctorum Apoſtolorum animis atque mentibus, quos gloriæ, lætitiæ, iubili, gaudij exceſſus gloria illa, quæ in paradiſo Sanctis, iam nõ *per modum tranſeuntis*, ſed *per modum permanentis*, exhibebitur; in beatorum animis atque mentibus cauſabit; Nam ibi Deus non radios gloriæ de vultu exilientes, ſed totum ſe glorioſum exhibebit: & viſio illo non in monte Thabor, non ad tempus, ſed in Empyreo cœlo & in æternum permanſura Sanctis præſentabitur, quæ tantæ erit virtutis, atque efficaciæ ad intuentes glorioſos efficiendos, vt in quamcunque partem oculos ſuos verterint, beatos ſe ſint reperturi, occaſionem lætandi, gaudendi, atque iubilandi inuenturi, vndique gaudia, vndique iubila, vndique gloria; vertant ſe quocunque voluerint, beatos ſe ſemper aſpicient, intueantur ſe intus & foris, glorioſos ſe deprehendent.

Gloria cœleſtis multò maior gloriâ Christi in monte Thabor.

O quale iubilum hoc ſanctis Dei erit? Qualis gloria, lætitia, & gaudium cordi eorum influet, quam beatus fuerit vitæ illius ſtatus, quam Adam in terrendo paradiſo guſtauit, diuturnis ac continuis lacrymis, quibus hunc ſtatum per inobedientiæ peccatum ſe perdidiſſe deplorauit, argumentari licebit: nam, vt ſanctus Methodius Martyr atteſtatur, ad centum annòrum ſpatiũ has perditas deplorauit lætitias, & tamen non niſi ſex horarum ſpatio, vt multi ſcribunt ex ſanctis Patribus, & opinantur, illas guſtauerat. Si ergo hæc tranſitoria gaudia, quę tã breui tempore fuerunt guſtata, tantum in Adami potuêre mente atque animo, quid non agent, & facient cæleſtes illæ lætitiæ ac gaudia illa æternæ gloriæ & lætitiæ? quos non excitabunt effectus in animis fruentium Viſio illa, quam Iacob habuit Geneſis capite 32. tam admirabiles in ipſo cauſauit effectus, vt quaſi extra ſe in ecſtaſim raptus, gloriabundus totus diceret:

Gen. c. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem.* quale gaudium, non iam somni, sed Dei clarissimi & gloriosissimi vultus realis, atque in æternum duratura beatifica illa visio in beatorum causabit animis? in æternum gloriabuntur; in æternum lætabuntur, dicentes & cantantes: *Video Domine facie ad faciem.*

In vita S. Fulgentij. Audire placeat pulcherrimum factum, quod Romæ contigit, & in vita sancti Fulgentii adducitur. Sanctus hic vir cùm Monachus adhuc esset, & nondum ad Episcopatus Rospensis assumptus honores, Romam, sancta loca visitandi gratia, se contulit. Accidit, dum in Vrbe sua expleret vota, & de vno sancto loco ad alium se cum aliis sociis suis monachis conferret, vt in Theodoricum Regem, qui tunc Romæ regnabat, incideret; qui regiis indutus ornamentis, in comitatu plurimorum principum, ducum, comitum, baronum atque nobilium ad Romanum populum perorabat; considerans splendorem, atque Regis maiestatem, eiusque contemplans gloriosum apparatum, menti eius cælestis Regis gloria atque Beatorum inde eueniens, occurrit gaudium, & ad suos monachos conuersus, qui tunc secum erant, totus in admirationem positus, sic ipsos allocutus est: *Quàm speciosa potest esse Ierusalē cœlestis, si sic fulget Roma terrestris!* Ah! vtinam sic & nos, cum mundi videmus gloriam, illam contemneremus, & mentes atque animos nostros ad futuram inclinaremus! sed prô dolor! pauci sunt, qui contemnunt mundi huius gaudia, & cælestibus totâ mente inhiare student.

PVNCTVM SECVNDVM

NOn vnus, sed mille & milleni cœlæstem perdiderunt gloriam, quia nimium terrenis adhærebant, & mentis oculos, non in cælestibus & stabilibus, sed in transitoriis fixerunt; mundi huius gaudiis oblectati, cœlestium obliti sunt. Ah magna humani generis miseria, sic ad terrena inclinari! cuius infelicissimum statum deplorat Dauid Psalmo decimo sexto: *Oculos suos statuerunt declinare in terram,* id est, mens & animus hominum totaliter terrenis immersus est, & gaudiis atque deliciis huius mundi & transitoriis bonis ita inebriatus est, vt cœlestium non recordentur bonorum, & in comparatione caducarum lætitiarum, illas felicissimas ac æternas nullatenus æstiment. *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem,* Cœlum & gloriam eius non curant, ac æterna illa gaudia despiciunt. O immortalis Deus! quid sibi vult, hominem tantâ laborare fatuitate ac amentiâ, vt æterna despiciat, peritura tanti æstimet bona, & ob tam vilem ac momentaneum gustum beatorum se non curet priuare dulcedine, & per illos, qui non merentur, vocari gustus, veros ac sempiternos illarum deliciarum gustus perdere non cure?

Fatuitas hominum quod oculos non eleuent ad Deum

Psal. 105.

S. Bern. in declam.

Sanctus Bernardus animaduertit Deum in animalium creatione capita ipsorum terram versus direxisse, in hominis verò sursum, & cœlum versus, vt animalia partem illam, vbi ipsorum erat beatitudo (id est, terram) inspicerent: homo verò partem, vbi ipsius esset (id est, cœlum) intueretur, ac fixos haberet oculos in cœlorum gaudia; sed prô dolor! pauci, licet & caput sursum & oculos eleuatos habeant, & quotidie oculos eleuent, ac cœli intueantur machinam, illa tamen æterna ibi reperibilia non desiderant bona, sed his terrenis, ac si bruta & bestiæ essent, inhiant. Sic Italus ille cantat poëta:

Muoue si il cielo, e interno vi s'agira
Mostrando à voi le sue bellere eterne
E d'occhio vostro pur à terra mira.

Id est; cœlum mouetur, atque in suo ordine circumgyratur, suo cursu æternas vobis suas exhibens pulchritudines,

dines, atque lætitias, tamen oculis vestris internis minimè illa intuemini, & beatis præparata gaudia minimè consideratis. Audite quid Ethnicus & profanus ille poëta Ouidius libro primo Metam. de his sentiat, quorum capita à Deo cœlum versus posita sunt, ipsi verò ac bruta & bestiæ ad terrea & caduca intorquent ac deprimunt:

Pronaq; cùm spectent animalia cætera terram
Os homini sublime dedit, cœlumq; videre
Iussit. & erectos ad sydera tollere vultus.

Cur oculi bestiarum deorsum hominum sursum positi & directi à creatore.

Sed ò Christiane! cum tua bona licentia vnicum mihi ad hominem liceat formare argumentum, vt sincerè in eius procedam formatione. Da gloriam Deo & veritatem profer; cogitásne sæpius de cœli gaudiis, eiúsque delicias mente tuâ peruoluis? & futurorum bonorum æstuásne desiderio? Non dubito, quòd mihi dicturus sis, quòd sic, sed tua bonâ licentiâ, minimè id credo: nam quomodo vnquam possibile est, cœli bonorum desiderio ardere animum tuum, si interim ad benè operandum & totus frigidus & tardus sis, nam talis ignis tarda molimina minimè noscit, nec ad malum talem promptitudinem admittit, vt in se cognoscitur, nec inclinationes illas ad libidines, nec vindictæ, & aliorum vitiorum actus amat. Difficile creditu est, hominem vitiis ac sceleribus deditum, qui de vitæ suæ mutatione minimè cogitat, sæpiùs animo cœlestia voluere, atque ipsorum teneri desiderio.

Regius Vates Psalmo quarto tales iactatores grauiter reprehendit, & duritiem cordis ipsis exprobrat, dicendo: *Filij hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem?* Secundùm expositionem doctissimi Dionysij Carthusiani volebat dicere: *Quàm diu habebitis cor deorsum? quamdiu in rebus transitoriis affectum demergetis, non quærentes quæ sursum sunt?* Quasi diceret: O mortales! quamdiu vestræ inhærebitis fatuitati? transitoria atque caduca tantopere amabitis: quo tandem die hora illa erit, quæ corda vestra à tanta solicitudine terrenarum rerum liberabit? vsquequò animi vestri vanitatis erunt habitacula? O stulti! ò graui corde! non legistis, quod Augustinus libro quarto confessionum capite 12. dixerit, & quomodo tales fatuos irriserit; *Vitam beatam quæritis in regione mortis*, ac si diceret: Nunquid stolidi ac stulti sunt, qui apud mortuum vitam quærunt; in regione tenebrarum, vbi mortui habitant, viuos reperire conentur? *Non est requies, vbi quæritis eam: beatam vitam quæritis in regione mortis, non est illic, quomodo enim beata vita, vbi nec vita?* Id est, Quæritis mundani vera bona, vbi non sunt bona, nec nomen alicuius boni personuit, sed bona apparentia tantùm sunt. O stolidi mortales! non ad terrena, corda vestra deprimite, vbi nil bonitatis, nil stabilitatis, ac durabilitatis est, sed illa sursum & ad æterna erigite bona, quæ summæ bonitatis, stabilitatis, ac æternæ sunt durabilitatis, quibus Angeli & beati omnes in æternum fruuntur. Ad hoc nos exhortatur Apostolus, Epistolâ suâ ad Colossenses capite 3. *Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite,* Id est, æterna stabilia bona, quæ Sanctis in cœlis à Deo parata sunt, quærite, & non illa, quæ in terris caduca, & peritura pro bestiarum sunt posita beatitudine. Sic & sancta Romana Ecclesia quotidie vos exhortatur in præfatione Missæ, dū cantat hæc verba: *Sursum corda.*

Carthus.

Psal. 4.

August.

Ad Coloss. c. 3.

Quid non fecêre Sancti Dei, pro paradisi gloria acquirenda? quos non subierunt labores, vt æternis illis annumerarentur ciuibus? quantis periculis se non exposuerunt! qualia tormenta non sustinuerunt? quibus cruciatibus se non subiecerunt? quas angustias? quas ærumnas? quas afflictiones non passi, vt his tandem aliquan-

do frui poſſent ? Sanctus Laurentius
poſitus in craticula exuritur atque aſſa-
tur : Sanctus Sebaſtianus toto ſagittis
confoditur corpore : Sanctus Ignatius
ad dilacerandum proijcitur immaniſſi-
mis feris. Cœleſtium bonorum deſide-
rio ardens, atque inflammatus Sanctus
Tiburtius candentiuum carbonum
non ſentit ardorem, ſed uelut frigidiſſi-
mas roſas nudis calcat pedibus : Gor-
dianus ſuſtinet crudelia plumbatorum
verbera : Polycarpus magnanimiter ar-
dentem intrat rogum & flammis ignis
ob cœleſtium bonorum ardorem cir-
cumcingi non curat. Ianuarius & leo-
num, & aliarum beſtiarum crudelitate
minimè terretur ; & innumerabiles
martyres, quid non egerunt ? qui ſin-
gularem æſtimabant fauorem, & ho-
norem à Deo ſibi miſſum, flammas, ni-
ues, frigora, inſidias, ſitim, famem, op-
probria, ergaſtula, compedes, funes, car-
ceres, catenas, ſpeluncas draconum, ac
ſerpentium lacus : alij inter patibula,
equuleos, torturas, præcipitia, & alia
crudeliſſima tormenta, quæ tyrannica
valuit excogitare crudelitas, gaude-
bant ac lætabantur. Paradiſi deſide-
rio accenſa Barbara, ridet carnificem ;
Cæcilia ignem deſpicit & ſummâ for-
titudine ferrum vincit ; Agatha in ab-
ſciſſione mammillarum ſuarum gloria-
tur ; Pelagia de Phalarico tauro glo-
rioſos ducit triumphos : Catharina ſa-
piens, rotarum acumina amplecti non
dubitat ; Vrſulæ carior fit ſagitta,
quâ cor eius transfigitur, quam regalis
dignitas. Quid paradiſi & bonorum
cœleſtium gloria non effecit in orbe? hæc
ciuitates ſpoliauit, ac deſerta habita-
ri fecit : hæc tot reges, tot princi-
pes, tot nobiliſſimos vtriuſque ſexus
omnibus terrenis ſpoliauit bonis, &
quatuor incluſit muris : hæc tot excel-
lentiſſimos nomines viros & feminas,
& honores, & diuitias, & ſtatum regium
pedibus conculcare, & omnibus quæ
terram ſaperent, valedicere docuit.

Quid martyres fecerint pro gloria cæleſti.

Si ergo Chriſtiane ad horum exem-
plum viuere non cogitas, & mundi
huius inſequeris vanitates, eiuſque
proſperitates cæleſtibus anteponis bo-
nis, & tandem aliquando in hac vita a-
liquid pati detrectas, tibi dico, exiguam
aut nullam omnino ſalutis ſpem tibi
ſupereſſe. Lege, quæſo, mirabilem ſan-
cti Hieronymi ſententiam in caput
decimum ſextum Euangelij ſecun-
dùm Ioannem, quæ me, & omnes, qui
fatui & ſtolidi non ſunt, tremore atque
timore conturbat atque opprimit. *Dif-
ficile, impoſſibile eſt, vt præſentibus quis, &* S. Hier.
*futuris fruatur bonis ; vt hîc ventrem, & ibi
mentem expleat ; vt de delicijs tranſeat ad de-
licias ; vt in vtroque ſæculo primus ſi, & in cœ-
lo, & in terra appareat glorioſus.* Id eſt, quod
hîc quis velit eſſe diues & auarus, omni-
bus frui delicijs, commoditatibus, &
ſalvari velit, *difficile, imò impoſſibile eſt* ; vt
hîc quis velit eſſe glorioſus, ab omnibus
honorari quærat, alios deſpiciat, ac il-
lic talem ſe futurum opinetur, fallitur ;
nam difficile, imò impoſſibile eſt. vt quis ſem-
per bibere, lætari, epulari cogitet, in lu-
xurijs, comeſſationibus, atque feſtiuis
diebus ſuum terere tempus velit, & il-
lic ſimiliter gaudere cupiat, atque æter-
nas guſtare delicias ſperet : errat & fal-
litur. *Dificile, imo impoſſibile eſt*, quod hîc
quis primos amet accubitus, & in au-
ctoritatis laboret ſedere thronis, & in
cœlo quoque triumphare. In conclu-
ſione errat ; *nam difficile eſt, imò & impoſſi-
bile eſt.*

Sanctus Auguſtinus in ſuo Manuali
capite quinto, dicit, quod omnis dolor
& labor huius vitæ, iuſtiſſimo pretio, v-
nius tantum diei paradiſi ſoluatur glo-
riâ : ſed cùm gloria illa, guſtus illi, oble-
ctamenta illa æterna & in mille duratu-
ra ſæcula ſint, miratur, quod tã pauci de
illis cogitent, illa inquirant, deſiderent ea
abſtinere ac illis frui laborẽt. O Chriſtia-
ni ! neſcitis vos creatos eſſe, vt hæc præ-
ſentia

sentia relinquatis, & illa æterna semper duratura accipiatis? quomodo ergo hæc non inquiritis? quomodo oculos ad illa contemplanda non eleuatis, atque ea assequi & obtinere non laboratis? O cæli æternitas! si tu sæpius à mortalibus consideraveris? O æternitas gloriæ! si tuas delicias melius penetrarent homines! O æternitas beatitudinis! si tuas felicitates aliter ac nunc fit, cognoscerent viuentes! Quid homo non agit, quos non subit labores, vt thesauros congreget? Quibus & corporis & animæ non se exponit periculis, vt sua immunda & scandalosa possit complere desideria? Quos sudores non fundit, quot noctes insomnes non ducit, vt honorum fastigia attingere liceat? & tamen omnia hæc caduca, atque transitoria sunt, temporalia & doloribus plena esse comprobantur: æterna verò ac stabilia illa bona infinita & semper permanentia illa gaudia obtinere, assequi, & ijs frui minimè curamus.

In vita S. Nerei. Legimus in vita S. Philippi Nerei, Congregationis clericorum fundatoris, eum post mortem cuidam deuoto suo amico apparuisse, & datis aliquibus salutis monitis à tergo illi, sat longam & varijs spinis atque tribulis insitam, atque perplexam ostendisse viam, quæ cælum versus ducebat, & sequentibus fuisse alloquutum verbis: *Per questa via va al paradiso.* Id est, Hæc via aspera, cruda, ac dura: hæc via tam laboriosa, ac ærumnosa via est, quæ ad æterna ducit gaudia. N. N. Si quis rosas carpere cupit, inter spinas carpere debet; sic si quis cælorum rosas & glorias earum gustare, atque frui desiderat, spinas ac tribulos huius vitæ, sub quibus latent; nec abhorrere, nec timere debet. Hoc rosarum simili vestra excitentur corda, vestri stimulentur animi, pro cælestium bonorum fruitione nullos fugere labores ac sudores, & vt fortiùs animare vos possim, obijcere volo oculis vestris nullitatem laborum ac sudorum vitæ huius, si æternis comparentur bonis atque gaudiis. Sic ipsos Christus depingit apud sanctum Matthæum capite 11. dicens: *Tollite iugum meum super vos.* Labores ac sudores vitæ Christianæ, & virtutum exercitium nolite abijcere, sed magnanimiter illos suscipite; nam respectu præmij non labores, non sudores ardui ac difficiles, sed suauissimi ac leuissimi sunt, & magnum gloriæ pondus afferent. *Iugum enim meum suaue est.* Id est, quidquid homo in hoc mundo agere atque pati potest, sint quicunque labores ac sudores, si æternæ felicitati, quæ per illos acquiritur, comparentur, nihil sunt, sed suauissimi & dulcissimi adhuc nobis erunt. *Iugum enim meum suaue est.* Audiamus doctissimum Theophylactum, quomodo ipse in caput vndecimum Matthæi, hæc verba Christi explicet. *Iugum leue, quoniam propter futuram retributionem leuia, tametsi ad breue tempus grauia videantur.* Id est, labores ac sudores, quibus æternam nitimur acquirere gloriam, non sunt labores, nec sudores; si bonis illis, quæ ijs præparata sunt, & acquiruntur, comparare velimus, & si aliquid difficultatis seu in commodi ipsis inest, summæ breuitatis & nullitatis est; nam his æterna acquiruntur gaudia, atque oblectamenta. Sic & S. Apostolus Paulus suâ Epistolâ ad Roman. c. 8. scribit: *Fratres existimo, quód non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Id est, vt interlinealis explicat, *Passiones temporales momentaneæ ad futuram gloriam promerendam.* ac si diceret; Inter passiones & labores huius vitæ; inter sudores ac fatigationes præsentes, & futuram gloriam, atq; requiem, nulla datur proportio, nec admittitur cōparatio? nam hęc omnia, non solū leuia

Matth. c. 11.

Theophi.

Ad Rom. c. 8.

leuia, verùm etiam momentanea; cæleſtia verò bona ac gaudia æterna ſunt, & nullius momenti & ponderis, ſi cum æternis, quæ ſummum gloriæ pondus habent, conferantur. Quod Regius Vates Pſal. 105. vt S. Bernardinus Senenſis opinatur, dicere voluit, his verbis: *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.* S. Bernadinus habet: *Pro nihilo gloriam æternam adepti ſunt.* Ac ſi diceret: Viliſſimo & nullius momenti: pretio, atque labore, tot guſtus, tot glorias, tot gaudia Dei electi compararunt, lucrati ſunt atque obtinuerunt.

Pſal. 105. S. Bernardi. Senenſ. ſer. 2. art. 1. de proſper.

Hinc concludere liceat ſtultitiam amatorum mundi, qui pro tam vili ac momentaneo guſtu, æterna hæc contemnunt, atque deſpiciunt bona ac gaudia, & pro infamiſſimo actu, vt carnis deſiderijs ſatisfaciant, perpetuas perdunt delicias. Geneſis capite vigeſimo quinto ſcribitur Eſau pro portione lentium à fratre Iacob coactarum allectus & à gula victus, ſuam vendidiſſe primogenituram. Admirantur plurimi hoc factum, & indignantur, vt deuotus Pater Drexelius notat, contra Eſau, quod tam vili pretio theſaurum tam ingentem, vt prima erat genitura, vendiderit, & in ſeipſis intuendis cæci ſunt, & non vident, nec animaduertunt, aut conſiderant, quomodo ipſi pro viliſſimo, imò inhoneſtiſſimo actu & infamiſſimo guſtu, æterna & nunquam peritura vendant, atque ſuæ animæ alienant hæreditaria bona, gaudia, guſtus & oblectamenta. Pulchram & accommodatam noſtro diſcurſui Plutarchus recenſet hiſtoriam; Liſimachum regem, ait, cum à ſuis hoſtibus circumdaretur, & ſummâ cruciaretur ſiti, & iam quaſi ob nimiam ſitim animam reddere cogeretur, inducias petijſſe, & pro hauſtu frigidæ aquæ, & ſe & vxorem & liberos, & regnum, & populos & libertatem, & quidquid habuit, obtuliſſe, atque vendidiſſe. Hoſtes non impigri, pro tam vili pretio tantas quantocyus compararunt diuitias, & frigidam aquam ſitibundo obtulerunt Liſimacho, qui ſummâ auiditate ori ſuo apponens, exhauſit, & cum aliquantulum ex ſummo ſitis tormento recreatus ad ſe redijſſet, & iam ſuo damno ſapientior euaſiſſet, de profundo pectore grauiſſima & plurima traxit ſuſpiria & ſequentia protulit verba: *Heu quàm breuis voluptas me ex Domino fecit ſeruum, & ex Rege captiuum!* Vale regnum, vale ſceptrum, vale libertas, vale corona, vale omnis mea gloria; vos enim vendidi, & pretium quod accepi, villiſſimum eſt, potus aquæ, & fortè calidæ atque putridæ, vt in ſimilibus occaſionibus contingere ſolet. Heu, heu, quàm vilis guſtus, quàm breuis delectatio, Dominum in ſeruum, Regem in mancipium transformauit! Heu libertatem vendidi, coronam perdidi, Regnum amiſi, & omni bono me ipſum ſpoliaui; & quidem pro tam tranſitorio guſtu, vt aquæ potus eſt. Auditores chariſſimi, nos omnes reges ſumus; nam Deo ſeruire regnare eſt, ad æterna, & ſemper duratura poſſidenda regna à Deo creati ſumus, ad æternæ gloriæ portandam coronam, & æterna fruenda gaudia de nihilo facti ſumus, & hanc gloriam, hos guſtus, has hæreditates, hæc gaudia, multo viliori pretio, quam potus aquæ eſt, vendimus. Excuſari poterat, & meritò Liſimachus Rex; nam de vita eius agebatur, & non inhoneſto, ſed honeſto ac licito pretio ſuum vendidit regnum; ſed mundani nullam excuſationem habent; nam nulla ad id agendum inducantur neceſsitate, & quod peiùs eſt, non pro licito, honeſto, ſed illicito, & viliſſimo pretio, gloriam atque hæreditatem ſuam vendunt, & alienant. Nunc hæc non curant, nunc non æſtimant, & nihili faciunt, quia adhuc ſitis durat, & aquæ potu, id eſt, delicijs fruuntur: quãdo verò per mortem aqua, illa, quam nunc

Coſmophili cum Eſau comparantur. Gen. c. 25.

Drexel. in inferno damnato, c. 14.

Plutarch. l. 9.

Cum Liſimacho pro aquæ guſtu regna cælorum vendunt.

nunc tanto guſtu bibunt, abſorpta fuerit, & in inferno ſe poſitos, & æterna gaudia, atque hæreditatem ſe tantillo vendidiſſe pretio deprehenderint, quomodo vlulabunt, quales doloris atque pœnitentiæ dabunt voces, quam profunda de pectoribus trahent ſuſpiria & cùm Liſimacho rege videntes ſe captiuos & æternis addictos cruciatibus, clamabunt dicentes. *Heu quàm breuis voluptas, nos ex dominis fecit ſeruos, & ex regibus captiuos conſtituit.* Paradiſi ciues conſtituti eramus, Ecce catenarum ſumus facti mancipia; Reges æternæ gloriæ coronati eramus, & Ecce diaboli ſerui facti ſumus, ſed vnde talis immutatio? Aquæ potus, id eſt, viliſſima voluptas, inhoneſtus guſtus qui tamen momentaneus fuit, hanc tranſmutationem potus cauſauit; quia mundi guſtus, mundi oblectamenta guſtare voluimus, ideo talis nobis euenit miſeria, ô immortalis Deus! dum condemnatæ animæ miſerum conſidero ſtatum, ſanguis meus horroris frigore totus congelatur. Quid enim aſpectu miſerabilius, atque horribilius eſt, quàm videre animam & cœlum perdidiſſe, & infernis addictam eſſe cruciatibus, & id ob viliſſimum ac veluti ventum tranſuolantem & prætereuntem guſtum atque delectationem.

Stultitia ſumma pro æternis eligere momentumea. S. *Auguſt. de honeſt. Mul. c. 3.*

Ecce auare! quàm pro modico lucro cœlum vendis? Ah laſciue, pro quàm breui guſtu atque delectatione æterna commutas gaudia! O quàm ſtolida hæc eſt fatuitas! proponitur homini delectatio momentanea & gaudia æterna, ad momentanea cor ſuum applicat & æterna deſpicit, momentaneum quod delectat, pro illo, quod in æternum cruciat, eligit. Audite, quæſo, S. Auguſtinum ſic loquentem. *Citò præterit, quod delectat & manet ſine fine quod cruciat.* Non poteſt ſanè maior excogitari fatuitas: nam ſcire momentaneam eſſe delectationem & tamen in æternum cruciare, & hanc digere, illa verò, quæ æterna ſunt gaudia, & in æternum delectabunt reijcere ac contemnere, quid ſtolidius ſub ſole audiri poteſt? ergo taliter agentes ſtoliditate mutationibus Lunæ ſubiectos ſuperanti. Sic S. Auguſtinus vbi ſupra: *Nulla enim maior inſania eſt, quàm pro delectatione momentanea, perdere æterna gaudia, & obligare ſe ad æterna ſupplicia.*

Primam hanc partem doctrinâ S. Hieronymi concludam, quàm Epiſtolâ 24. pro æterna reliquit memoria, digna certè, vt ab omni Chriſtiano ſemper mente recolatur. *Quapropter moneo & flens, gemenſq; conteſtor, vt dum mundi huius viam currimus, non pariter Chriſtum velimus habere & ſæculum, ſed pro breuibus, & caducis æterna ſuccedant, & cum quotidie (ſecundum corpus loquor) præmoriamur, in cæteris non nos perpetuos exiſtimemus, vt poſſimus eſſe perpetui.* Id eſt, Admoneo ſingulos & lachrymarum vndis adiuro, vt dum viuitis, ne ſimul & Chriſto & mundo ſeruire, nec caducis & cœleſtibus vos poſſe frui cogitis, & ne temporalia, & momentanea pro æternis eligatis; Ergo ô Chriſtiani! dum tempus habemus, bonum appetamus, & tempus illud, quod nobis Deus in hac vita concedit, non caducis inhærendo delectationibus, ſed in ſanctis, ac pijs operibus conſumamus, recordando & memoriâ voluendo, vt Ioannes in ſua Apoc. dicit: *Quia tempus non erit amplius.* Id eſt, ſi nunc non agis, quæ agenda ſunt pro æternis obtinendis bonis, poſt mortem nullum tempus ad id agendum dabitur. Ergo reſoluat ſe, quiſquis peccatis obnoxium deprehendit, & ſuam mutet viam; nam ſi hæc non fecerit, æternum Dei vultum minimè aſpiciet. Sancti qui nunc æternæ gloriæ ciues ſunt, & gaudia illa nunquam deficienda poſſident, non peccatis ac ſceleribus onerati per paradiſi intrarunt portas, ſed ſanctis ac bonis operibus, atque vir-

S. Hier.

virtutum pondere; non culpis pleni, non imperfectionibus onerati, sed charitate, & mortificatione æternæ gloriæ & suæ hæreditatis acceperunt possessionem. Ad hoc ipse Sanctus Paulus Apostolus nos exhortatur, *Deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus*; ac si diceret: Si quis saluari desiderat, hic ante omnia grauissimum iniquitatis pondus suis portans humeris deijciat, & animam suam tot sceleribus inquinatam, atque deturpatam, lauet ac mundet quantò citius, vt sic alleuiatus ad cœlum *Per patientiam currere*, vt sic mundatus illud intrare valeat. Quiescamus.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

IN hodierno Euangelio percepistis N. N. quomodo Christus suis dilectis Apostolis aliquid de æternis illis gaudijs, quæ post hanc vitam in æternum duratura sunt, ad gustandum præbuerit; vt viderent quæ Sanctis, ac beatis in cœlis parata sint. Sed considerare & benè examinare conuenit locum, in quo Christo sic transfigurari placuit, & suam faciem sole splendidiorum exhibere. *Et duxit illos in montem excelsum seorsum & transfiguratus est ante eos.* Summitatem & altitudinem excelsi elegit montis, & ibi se gloriosum exhibuit Apostolus, in hoc loco ad quem non dormiendo, non otiando, sed laborando, sudando ascenditur, gloriam suam gustandam Apostolis præbuit, priùs debuerunt Apostoli laborare, & benè se defatigare per rupes & saxa montis reptare, & multa difficillima superare. Quo facto Christus nos docere, voluit, non posse veniri ad cœlum, nisi per labores, & nullum æterna posse possidere gaudia, nisi laborando, sudando & difficillima

Vt ad cœlū ascendere valeamus priùs cum Christo montem ascēdamus oportet.

plurima superando, vt illuc ascendat perueniat: *Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum.* Audiamus doctrinæ huius omni fide dignum Sancti Ioannis Apostoli in sua Apocalypsi capite primo testimonium. *Ego Ioannes particeps in tribulatione & regno*; Ac si dicere voluisse, vt Rupertus Abbas in hunc opinatur locum, nullum æternæ posse possidere gaudia, nec regni hæreditatem, quam nobis Christus suo sanguine, & tot laboribus acquisiuit, nisi & in tribulatione, & in passione cùm Christo sudauerit ac laborauerit in hac vita. Vnde Christus, vt nos doceret, nunquam voluit titulum Regis præsentatum acceptare, nisi in cruce positus, cùm per tot arduos transisset labores; nullus ergo sibi imaginari aut sperare velit æterna gaudia, si non priùs vsque ad sudorem & sanguinis effusionem in transiliendis asperis locis laborauit, & omnes scopulos atque difficultates superauerit, sic enim ad regnum gloriæ peruenitur; Hæc regia via est ad hæreditatis nostræ perueniendi possessionem, vt habemus Actorum capite decimo quarto, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*; Hæc est Christi doctrina, quam nos hodie in monte Thabor docet, vbi facies eius, vt sol resplendet, vestimenta eius vt nix albescunt, & hanc gloriam suam & splendorem vultus eius passionis suæ nigerrimo obtenebrat pallio, *Loquebantur de excessu.* Id est, Elias & Moyses discurrebant cum Christo de passione, ac tormentis, quæ subire debebat & ijs hanc humanitatis suæ gloriam stabilire & obtinere. Sic Sanctus Augustinus Sermone quinquagesimo octauo de tempore opinatur.

Apoc. c. 1. Rupert. hic.

Act. c. 15.

S. August. serm. 58. de temp.

Non deterreant vos labores ac sudores, quibus tam ingens ac inexplicabile obtinetur præmium. Intueamini, dicit Sanctus Ioannes Chrysostomus

sostomus Homilia quinquagesima prima ad populum, laboratores, ac cultores terræ, quomodo nec niues, nec frigora, nec gelu, nec pluuias, nec æstum solis curent; vt pauculum tempore messis colligere valeant fructum, quomodo nec siti, nec fame, nec vigilijs, & vllo alio labore à suo deterreantur fine. Contemplemini militum obstinatum animum in labore, & suo acquirendo præmio sudorem, dies & noctes vigilant, frigus & æstum tolerant omni anni statione, nulla ipsis datur requies. Considerate continuos illos in laboribus, & periculis hærere vitæ. Inspicite mercatores, quomodo sudent, quomodo laborent, currant & obequitent regna mundi, maria transuolent, & latronum & tempestatum, & mille alijs periculis indubitanter suam exponant vitam, & hoc ob momentaneum quidem lucrum; & nos Christiani, ob æterna possidenda gaudia nec lapidem mouere cogitamus, & minores & leuiores fugimus labores, cùm tamen minima hæc, quæ patimur, æternam in nobis operentur gloriam & inexplicabiles obtineant ac acquirant felicitates; Hæc Doctrina Sancti Pauli Apostoli est prima Epistola ad Corinthios capite quarto: *Momentaneum, & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur.* Liranus explicando locum sic scribit. *Quia sunt breuis durationis & parui ponderis, respectu præmij futuri.* Nam momentaneo passionis & tribulationis æterna lucramur gaudia, minimis his quæ hîc patimur, maxima obtinemus atque adipiscimur bona, & æternæ gloriæ pondus.

Quid sancti passi regno cœlorum, & quomodo hunc montem ascenderint. *1. Cor. c. 2. Liran. hic.*

Hunc asperrimum tribulationis montem omnes Sancti & Beati ascenderunt, & omnes illi Sancti, qui nunc beatifica illa visione, & æternis fruuntur gaudijs, per hunc ad istas peruenerunt felicitates. Tyranni eos vsque ad mortem persequebantur, ideo tamen de cursu suo & itinere non desistebant, vt Paulus loquitur: *Alij ludibria & verbera experti sunt.* Aspicite S. Flauiam, quibus ludibrijs, quibus flagellis Tyranni conati sunt illam ab eis feruentissimo impedire cursu, quantum sanguinis & carnis scorpiones, quibus cedebatur, extraxerint; *Insuper & vincula & carceres*, Sanctum Placidum Martyrem examinare poteritis, reperietis horrendos carceres, obscuras & tenebrosas cauernis, tot vinculorum ac catenarum pondera, quibus Sancti vexatum fuit corpus; *Lapidati sunt.* Sanctum Stephanum aspicite, montes ac aceruos saxorum ipsi impositos, illisque corpus eius examine reperietis sepultum. *Secti sunt.* Exemplum habetis in Sancto Adriano, qui in partes sectus & membratim concisus est. *Tentati sunt* minis, promissis occisione filiorum atque filiarum in conspectu eorum. *In occisione gladij mortui sunt*, cuius generis innumerabiles sunt. *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis*, Examinate tot Sanctos, qui suas deposuêre coronas, suas exuêre purpuratas togas, Imperia, Regna, Status deseruêre, & aspero cilicio corpora sua vestiêre. *Egentes angustiati, afflicti*, fame & omnium rerum necessitate *in montibus*, quasi bestiæ expositi frigori, atque calori, & omni inclementiæ cæli. *Et in speluncis & in cauernis terræ*, habitauêre. Ex quibus nonnulli fuerunt, qui quinquaginta annorum spatio nunquam de sua exiuêre cauerna; sed ad quid tot subierunt labores? ad quid tot tantaque passi sunt? *Vt meliorem inuenirent resurrectionem.* Interlinealis hîc loco resurrectionis ponit *vitam æternam*, gaudia illa perpetua, ac nunquam cessatura obtinerent.

Heb. c. 11.

Gloss. interlin. hic.

Titus Liuius refert generosum Hannibalem, cùm suos milites aliquantulum tepidos & frigidos in laboribus cerneret, ac quasi pusillanimes ob longitudinem itineris, quod ex

Tit. Liu. Dec. 2. Hannibal quomodo lassos recreauit milites.

ex Africa iu Italiam susceperunt iucunditatem, diuitas, gaudia & alia bona ac commoda regionis descripsisse & sic ipsos alloquutum fuisse: Vidistis ô Generosi milites! nobilissimum præmium, quo vestri soluentur, ac recompensabuntur labores: Similibus, vt ego vos hodie, ô Christiani, & genereosi milites Christi alloquar verbis, si aliquando labores ac sudores, quos in cælesti acquirenda gloria habetis, fastidio sint, & magni videantur, & præsentis vitæ militia dura & laboriosa repræsentetur, cœlum aspicite, oculis mentis vestræ beatorum gaudia ac fœlicitates contemplari ne pigeat, & considerate quòd ad hæc obtinenda, acquirenda & possidenda omnes vestri dirigantur labores: nam vt Apostolus ad Romanos docet, nulli labores ac sudores momenti alicuius sunt, si præmio, quod his acquiritur, conferre velimus, *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis*, quem locum explicando Sanctus Theodoretus ait: *Superant certamina corona, non comparantur cum laboribus remunerationes: labor enim paruus est, sed magnum lucrum speratur*, Idem Sanctus Ioannes Chrysostomus dicere vult, dum ad labores suos exhortatur auditores Homilia quadragesima nona ad populum dicendo. *Momento laboremus, vt perenniter coronemur*, Quæ bona, quantæ felicitatis ac gaudii sint, Sanctus Petrus dum pro se & aliis loquitur, ac tabernaculum in monte exstruere cupit, satis indicauit. *Bonum est nos hic esse*. Proferat ergo quisquis nostrûm cum Regio Propheta Psalmi trigesimi octaui verba: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

Ad Rom. c. 8.

S. Theodor. hic.

S. Chrys.

Psalm. 38.

Apostrophe ad crucifixum

O Sancte Deus! ô benedicte Christe! ad hæc gloriosa tabernacula nos digneris ducere, vt in tuo regno tecum gaudere & lætari valeamus, & in illa die dulcem illam vocem tuam audire mereamur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*. Ad quod possidendum ipsemet Christus qui in cœlis ad dextram Dei sedet, nos ducere dignetur. Ite in pace; Amen.

DISCVRSVS XI.

PRO DIE LVNÆ POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Tractatur in Prima parte de triplici morte, quam peccatori affert peccatum, nimirum de morte corporis, morte animæ, ac morte æterna. Secunda parte explicatur modus, quo quæri debeat Deus, vt inueniatur.

Thema.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.

Ioan. cap. 8.



SAt enormiter errauit, qui terminos vitæ nostræ mortis infaustissimo insigniuit titulo, nam non hi, sed infelicissimi illi termini mortalis culpæ, qui animam à Deo separant, atque occidunt, hunc titulum merentur. Non mors transitus carnis non mors transmigratio de hac vita ad aliam dicenda est, sed gratiæ transitus &

& transmigratio à lethali culpa in anima causata, mors vera dicenda atque appellanda est; & sic vitæ nostræ finis minimè obscuro atque infausto hoc debebatur insigniri titulo, sed infelicissimus ille status animæ in lethali culpa constitutæ, hoc infaustissimum requirebat nomen, & malum illud, quod mortale peccatum in anima operatur mors ipsa dicendum est, cùm illam non ad tempus sed vsque in æternum occidat. Hoc malum solum mors dicendum, in cuius comparatione corporalis mors vita potius quàm mors dicenda est, nam per lethalem culpam, pulcherrima illa vita, quæ gratiæ dicitur, perditur atque consumitur, Lux illa & splendor animæ qui solis superat radios obscuratur & eclypsatur; vera pulchritudo, quæ virtutum exercitio in anima formatur, deficit, & vt finiam, qui reipsa viuit, reipsa moritur miserrimè. *Et in peccato vestro moriemini.* O peccatum mortalissima animarum pestis! O culpa crudelissima! mors spiritùs, & nihilominus tam communiter quasi ab omnibus summa delectatione gustus teneritudine recipitur & admittitur, & admissum, ac si animarum esset Deus, in totius cœli despectum, colitur atque adoratur. Quanta autem hæc fatuitas, atque stoliditas hominis peccatoris sit, vobis breuiter ostendam. Genesis capite tertio legimus, Deum hominem ad suam imaginem atque similitudinem creasse, & sic creatum atque formatum in delitiarum constituisse paradiso, placuit Deo hominem sic formatum immortalitatis ornare dono, ideo duplici illum dotauit vitâ, vna spirituali, quæ in vnione originalis consistebat gratiæ, quâ homo velut alter constituebatur Deus in terra. Alia temporali, quæ in perpetua illa vnione animæ cum corpore consistebat. Nec his contentus, vt perfecta similitudinis eius esset imago, voluit ipsum gloriæ exornare vita illa beatissima, quâ in cœlis & Angeli & beati in perpetuum fruuntur; Sed ô miseros! vix peccauit homo, & infaustissimam mortalem culpam in suam intromisit animam, non vnam, sed omnes has tres pretiosissimas perdidit vitas, & tres infaustissimas animæ suæ adduxit mortes. Prima fuit corporis, nam eodem illo momento, quo peccauit, huic subiectus est, & mori incepit. *In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Secunda fuit animæ, qua eodem illo momento originalem perdidit gratiam, & omnia animæ dona atque ornamenta, quæ hominem gratum atque amicum Deo constituebant. Sic Ezechiel Propheta capite decimo octauo attestatur. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Tertia fuit quod eodem tempore æternæ gloriæ hæreditatis ius quod habebat, perdidit, & æternæ condemnationis, quod non habebat, acquisiuit, ac sic triplici malo atque morte fuit castigatus, & æternæ condemnationis & tenebrarum mortis effectus est hæres. Hæc est illa mors quam Regius vates Psalmo trigesimo tertio pessimam vocauit. *Mors peccatorum pessima.* Horsum easdem has mortes atque enormia hæc mala, quæ originale peccatum in hominis anima causauit & nunc actuale causat, atque adducit, quando committitur. Primò corporis inducit mortem, quia vitæ cursum præscindit atque abbreuiat. Secundò animæ, quia inimicam constituit Deo. Tertiò, inferni, quia æternis ipsam addicit pœnis, atque tormentis. Hæc primâ tractabimus atque probabimus parte. Secundâ verò modos, quibus Deus à peccatore inquirendus, atque reperiendus est, examinabimus, incipiamus.

Triplex vita ac mors hominis.

Ioan, c.8.

Gen, c.3.

Gen. c.3.

Ezech. c.18.

Psalm. 33.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini, &c. Ioan. c. 8.

Dixi per peccatum commissum corporalem abbreuiari vitam, & mortem temporalem afferri, quæ doctrina sole clarior est: quot enim in Aprili iuuentutis suæ atque florida ætate mortui sunt, quia peccatores fuerunt, qui aliàs si fructuosè vixissent ad summam peruenissent ætatem? Intellexit hoc Ecclesiastes, hinc tam seriò monuit: *ne impiè agas multum, ne moriaris in tempore non tuo.* Id est, caueat sibi quisquis à peccatis, ne illa committat, nam hæc quasi crudelissima Parca, filum ac cursum vitæ hominis præscindunt, & accelerando à Deo præfixum tempus, eiusque terminos abbreuiando mortem adducunt; Sic doctissimus Dionysius Carthusianus hæc explicat verba, hoc aliquibus sceleratis euenisse apud Sanctum Iob capite vigesimo secundo reperietis, verba eius hæc sunt. *Nunquid semitam sæculorum custodire cupis, quam conculcauerunt viri iniqui, qui sublati sunt ante tempus suum.* Doctissimus Liranus in hunc locum docet, Hominem peccantem & quasi indomitum Iuuenculum, sine fræno post sua desideria currentem, à Deo iusto iudicio, tempore præfixo, atque constituto priuari, & ob commissa peccata plurimos annos de vita ipsius demi: verba eius hæc sunt: *Viri iniqui vitijs expositi, & assueti, qui sublati sunt ante tempus, de præsenti vita iusto Dei iudicio ante tempus mortis naturalis;* Et Glossa moralis hîc habet. *Qui sublati sunt ante tempus, id est, mortui ante terminum naturalem, propter suam malitiam.* Nam peccatis deditus non videbit à Deo positum numerum dierum suorum, nec assignatos sibi attinget annos. Hoc idem attestatur Sanctus capite decimo quinto; *Antequam dies eius impleantur, peribit.* Glossa Interlinealis huius abbreuiationis vitæ dat rationem, & dicit: *Quia nequitia eius vitam intercidit.* Doctissimus Liranus sic habet; *Quia mors eius accelerabitur, ante cursum naturæ.* Hugo Cardinalis hîc sic scribit: *Id est, ante terminum, quem sibi promittit, morietur, vel quem haberet, nisi propter malitiam abbreuiaretur vita eius.* Volunt omnes hi dicere, Peccatorem, Deo sic permittente, ante tempus sibi à Deo præfixum, moriturum.

Peccatum affert mortem corporalem atque accelerat.
Eccles. c. 7.
Iob. c. 22.
Liran. hic.
Gloss. moral. hic.
Iob. 15.
Interl. hic.
Liran. hic.
Hugo Card. in c. 15. Iob.

Regius vates, Psalmo suo octuagesimo nono, talem deplorat peccatoris vitæ breuitatem, his verbis: *Quoniam omnes dies nostri defecerunt;* Interlinealis traducit. *Quia ad paucitatem reduct.:* Hugo Cardin. *Quia omnes dies nostri defecerunt, id est, abbreuiati sunt propter peccatum.* Volebat dicere Dauid iusto DEI iudicio ob nostra commissa scelera, vita nostra breuior facta est, quam aliàs fuisset, si illa non commissa fuissent. Clariùs idem Regius Vates psalmo septuagesimo septimo peccatorum describens statum, hanc attestatur veritatem. *Defecerunt in vanitate dies eorum & anni eorum cum festinatione.* Ac si Dicere voluisset, vt Cassiodorus opinatur, dies peccatorum pauciores facti sunt, & anni illorum summa celeritate transierunt. Verba eius formalia porro sunt: *Dies enim peccatorum cum festinatione transeunt, iuxta illud, viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Primo libro Regum capite quarto in huius veritatis confirmationem filios Heli sacerdotis vobis aspicere libeat, qui quia pessimæ vitæ erant, violenta & non naturali morte perierunt, & maxima violentia crudelis pœna filum vitæ eorum præscidit, vt scriptura attestatur. Sic secundo Regum capite decimo octauo Absaloni contigit, quem scelera atque

Psal. 89.
Interl. hic.
Hugo Card. hic.

2. Reg. c. 18. que peccata proprijs crinibus arbori appenderunt, atque tribus lanceis corpori eius infixis vitam ademerunt. Idem Regi Ezechiæ contigisset, vt *Isai. c. 38.* Isaias propheta capite trigesimo octauo attestatur, cùm ei dicta atque annunciata fuissent hæc verba: *Morieris tu & non viues*, nisi lachrymarum medio vitam prolongasset, & mortem remisisset, & quid multa adducam exempla? nunquid mundus totus & omnes viuentes, paucis exceptis, qui in arca saluati sunt, ob scelera & peccata commissa diluuij aquis extincti sunt? quot millia infantium, iuuenum, virginum, virorum & qui plurimis adhuc viuere debuerant annis tunc mortui sunt? Sanctus Hie- *Gen. c. 7.* ronymus capitis quinti Danielis explicans verba illa: *Appensus est in statera & inuentus est minus habens*, expressè docet, verbo hæc de abbreuiatione vitæ Balthasaris Regis intelligi debere, cui ob sceleratam vitam dies vitæ, iusto Dei iudicio abbreuiati sunt, nam morte violenta in gladij occisione vitam suam ante deputatum tempus finiuit.

Legistis absque dubio propheticam illam verborum contradictionem, Isaiæ capite sexagesimo quinto, vbi dicitur? *Puer centum annorum morietur.* Mirabilis loquendi hic modus est, puer erat, & tamen centum annorum est, certè fat senex puer, qui centesimum iam attigit annum; sic puer & tamen senex centum annorum simul moritur, & non duo, sed vnus in vno subiecto, & puer & senex simul perit! Optimè ad rem sacer loquitur propheta, nam si peccator, qui puer & iuuenis moritur, à peccatis abstinuisset, & iuuenilem suam ætatem non mundi, carni, & criminibus dedicasset, non fuisset in florida iuuentute mortuus, sed vsque ad centum vixisset annos.

Irenæus Plurimi sunt, atque reperiuntur, vt *Psal. 33.* sanctus attestatur Irenæus, qui singulis diebus præseruatiuis vtuntur medicamentis, & his vitam suam prolongari putant, & non animaduertunt miseri suis peccatis illam abbreuiari, & dura crimina committunt, cursum eius accelerari. Audite, quæso, qui longos dies vitæ vestræ desideratis, quid Dauid *Optimum antidotum præseruatiuum.* Propheta doceat, & quæ facienda vobis præscribat Psalmo trigesimo tertio. *Quis est homo qui vult vitam?* Sanctus Irenæus hunc locum de vita intelligit præsenti, quæ vt prolongetur, quidnam agendum sit, mox addit: *Prohibe linguam tuam à* *Psalm. 33.* *malo, & labia tua ne loquantur dolum, inquire pacem & persequere eam.* Conuersationes illas minus honestas derelinque, blasphemare noli, de tuo proximo ne murmures. Sic frequens in Sacramentorum vsu, & sic operando atque agendo, longam habebis vitam.

Sanctus Bernardinus Senensis mira- *S. Bernardinus Senens. serm. 17. quadrag.* bilem casum, qui suo tempore in Catalonia in ciuitate Sui dicta Congit, enarrat, Iuuenem aut decem aut octo annorum parentibus inobedientissimum, discolum, criminosum, ac vitiosum nimis ob scelera & crimina commissa, à iudice mortis accepisse sententiam, & cùm in patibulo suspensus mortuus fuisset in momento & capitis & barbæ capillos, non tantùm extra modum excreuisse, verùm etiam canitiem decrepiti induisse viri, quo facto Deus indicare voluit (vt S. Episcopo fuit reuelatum) vitam huius iuuenis, ad hos annos, quibus capilli hominis sic canescunt, durare debuisse, nisi per crimina abbreuiata fuisset, & hunc iuuenem decrepitam debuisse attingere ætatem, si parentibus suis obediens fuisset.

Et vt veritatem fatear, indignus est vita, qui Deum & Creatorem suum tam horrendis sceleribus offendit, & sine vllo respectu tot criminibus lædit. Dicite, legistisne Psalmi octuagesimi octaui verba? *Minorasti dies tempo-* *Psal. 88.* *ris eius, perfudisti eum confusione*, in quem *Bellarm. hic.* locum Cardinalis Bellarminus duas versio-

Lect. Heb. Septuag. duo interp.

versiones considerat, & pro eius addu- citintelligentia. Prima est Hebraica, quæ sic habet *Minorasti dies adolescentiæ eius.* Secunda est septuaginta duorum interpretum quæ sic habet: *Minorasti dies sæculorum eius.* volebat dicere Dauid, peccatoris & ingrati viri, cuius vitam in summam protrahi debuerat senectutem, in florida abbreuiauit iuuentute, *Minorasti dies, adolescentiæ eius Minorasti dies sæculorum eius*, & ipsa experientia, singulis docet diebus, peccatis hominum abbreuiari vitas. Quot gladio ante huius vel huius suspectæ personæ limina trucidantur, & in floridâ ætate violentam subeunt mortem? Quot viri robusti, qui adhuc quadraginta, sexaginta potuissent viuere annis, vino obruuntur, atque enecantur, & violentissima morte suos claudunt ante tempus, dies? Quot Iustitiæ deuorat gladius, quot laqueus, quot ignis, quot violentæ mortes intempestiuè sepeliunt? qui plurimis adhuc superviuere potuissent annis. Et hæc de prima sufficiant morte, nunc accedamus ad secundam, & videamus quàm crudelem mortem peccatum in anima peccatoris causare soleat.

PVNCTVM SECVNDVM.

Peccatum affert mortem animæ.

SEcunda ergo mors, quam peccatum causat, est animæ, quæ tantò miserabilior atque abominabilior habenda est, quanto anima corpore superior est, atque in suis qualitatibus, atque vitæ actibus excellentior. Interroget quis Theologum, quænam vita sit animæ? Respondebit Deum esse à quo & vitam & omnem recipit motum, & sicut inter corpus & animam non potest fieri diuisio, nisi per corporalem, mortem sic inter animam & Deum, cùm per culpam miserrabilis ac deploranda illa fit diuisio, æterna ac multo miserabiliori morte afficitur anima, mors per se non guttulis vt corporalis; sed integris fluminibus lacrymarum non vnâ horâ, non vna die, non anno, non centum annis, sed in æternitatem deploranda est, nam huic morti, vt perpetuæ, perpetua quoque debentur funeralia. Huius sententiæ est Ecclesiasticus capite vigesimo secundo: *Luctus mortui septem dies; fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum.* Si homo moritur, qui benè aliàs vixit septem diebus luctus durare debet, si autem impius quispiam ac fatuus, qui peccatis suis occidit animam, moriatur, hæc mors in æternum deploranda est, & semper debet durare luctus: nam corporalis mors licèt temporalis vitæ iacturam adducat, tamen non vera mors sed tantùm vmbra atque imago veræ mortis, quàm culpa in animam inducit, dicenda est. Sic docet sanctus Gregorius Papa moralium tertio capite decimo. *Ista mors in qua corpus separatur ab anima, vmbra illius mortis est, in qua anima separatur à Deo.* Nam quomodò potest inesse vita animæ, in qua peccatum occidit gratiam, à qua vitam habebat, quæ eam sustentabat, vt enim Ezechiel dicit: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*

Eccles. c. 22.

S. Greg. moral. 3. cap. 10.

Ezech.

O miseros peccatores! qui viuere videntur, & tamen verè mortui sunt, nam ambulant, loquuntur, manducant, bibunt, discurrunt, ac intelligunt, & alios vitales exercent actus; attamen vt sanctus dicit Augustinus, *funera sua secum portant.* Audiamus eum in suo libro de vera & falsa pœnitentia, & quid de peccatoris sentiat vita, viuere quidem videntur in corpore, sed viuentes portant funera sua.

S. August. lib. de vera & falsa pœn. c. 8.

Humana lingua insufficiens est mala quæ peccatum animæ adfert, enarrare. Scimus omnes, malorum omnium maximum in mundo illud esse, quod mors, dum animam à corpore separat, causat; nam præter malum illud, quod in corpore per separationem animæ ac vitæ priuationem procurat, in vno momento

mento ita miserabile & infelix illud reddit (vt experientia quotidiana docet) vt quod prius, dum vitam haberet, ad omnibus amaretur, ac honoraretur, omnique debito respectu coleretur, vitâ amissâ ac mortuum, & in putridum, atque hnmidum redactum cadauer, à cunctis vilipendatur, fugiatur; imò & odio habeatur: sic & peccatum agit in anima & tales producit in ea effectus, vt sanctus Augustinus attestatur, ideò vt ipse opinatur, in Scriptura sacra mors animæ nominatur. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Quem locum sanctus Augustinus explicat: *Quomodo caro cùm moritur, exspirat animam vitam suam; sic & anima quando moritur, exspirat Deum vitam suam. Vita corporis anima est, vita animæ Deus est.* Id est, dum caro moritur, discedit de corpore anima, & ibi amplius morari non potest; nam ipsa vita corporis est, & cum mortuo corpore manere non potest; sic anima, quando peccatum intrat, occiditur atque moritur, & eius vita, per quam viuit, similiter discedit; nam cum mora tua minimè sistere potest; sed sicut vita corporis anima est, ita vita animæ Deus & gratia est, quæ subitò ac peccatum intrat, anima moritur, & Deus & gratia protinus fugiunt atque discedunt, adeoque vt corpus per mortem horridum, atque abominabile omni fit inspicienti, sic anima, quæ priùs Deo & Angelis grata erat, abominabilis atque odibilis fit. Consideret nunc peccator, in quem miserum statum per vilissimum gustum, per phantasticam imaginationem suam inducat animam.

Mors animæ pessima.

Ezech. c. 18.

S. Aug serm. 18. de verb. Apost.

Recordari vos velim factum illud, quod Susannæ castissimæ Matronæ, vt Propheta Daniel attestatur, euenit. Scelerati duo senes furtiuè hortum eius, vbi corpus secundùm legem Hebræorum, lauare solita erat, subintrant, & inter floridas se abscondunt arbuscu- las, & cùm solam intus cernunt, horti occlusis portis, castam priùs precibus atque amatorijs aggrediuntur verbis; sed cùm fortem, atque constantem deprehenderent, alio vtuntur, in suam trahendi sententiam, medio; minantur mortem, & quidem lapidationis turpissimæ apud Hebræos pœnæ. Quid rogo, ad horum respondit minas? *Si hoc egero mors mihi est.* Id est, si consensero, mori debeo. Erras Susanna, imò si non feceris, mors tibi à scelestis intentatur senibus; si autem consenseris, & inhonestis eorum satisfeceris desideriis, viues, & ab ipsis, cùm iudices sint, defendéris, & benè habebis. Non, dicit Susanna, non de corporali loquor morte, sed de animæ, quam in momento illo, cùm consensero, incurrere necesse est; non curo mortem corporis, imò hanc eligo, ne miserabilem & infelicem illam animæ incurram; nam hæc mors, quæ lapidibus mihi inferenda est, non mors est, sed hæc quæ per peccatum incurrenda mihi proponitur, vera mors est, & *si hoc egero, mors mihi est,* si peccarem & vestræ cupiditati consentirem, vitâ quidem corporali non privarer, & vt viuam hominibus spectandam me exhiberem, sed reverà mortua essem, & si lapidibus obruta perirem, hominibus atq; inspectantibus mortua viderer, & tamen tunc reverà, optimâ ac præstantissimâ viverem vitâ. Audiamus sanctum Hieronymum in caput decimum tertium Danielis Prophetæ, quàm pulchris verbis hanc nobis exhibeat doctrinam. *Peccatum mortem vocat; sicut enim ei, qui facit adulterium, mors est adulterium, sic omne peccatum, quod ducit ad mortem, mors appellandum est, & toties mori credimur, quoties peccamus ad mortem.* Eandem huius loci explicationem Origenes homiliâ decimâ quintâ affert: *Si hoc egero,* id est, *si peccauero, mihi est mors. Vides ergo mortem in peccato posuisse.*

Dan c. 13.

Qualem mortem timuerit casta Susanna.

S. Hier. in cap. 13. Dan.

Orig. hom. 15. in Gen.

Videtis ergo N. N. quàm acûta & sapiens fuerit responsio huius castissi- mæ,

mæ matronæ; nam mors illa à duobus illis senibus comminata, non erat vera mors, sed vmbra & somnium veræ mortis, quam absque dubio incurrisset, si peccando aliam vitare atque fugere voluisset. Sic S. Gregorius libro quarto moralium capite vndecimo docere videtur, vbi dicit *austera mors est, quâ anima separatur à Deo.* Hæc vita, quæ à natura originem trahit, non veræ vitæ meretur nomen, nec hoc titulo digna est. Ad sensum & appetitum viuere, non de essentia hominis ratione præditi est, nec hæc & talis vita verum constituit hominem, nec bona & prærogatiuas hominis veræ vitæ adfert, vt Seneca de tranquillitate c. 3. docet: *Non viuere bonum est, sed bene viuere.* ac si diceret: Corporalis vita nihil boni habet, at verò vita animæ, quæ Deus & gratia eius est, omne bonum habet, & qui non bene ac tali viuit vitâ, viuus mortuus est; imò infeliciorem ducit statum his, quorum iam corpora de animabus soluta, in puluerem redacta sunt. *Nam in peccatis miseram vitam agentes*, vt S. Augustinus dicit, *nil à mortuis differunt, cùm sint illis multò deteriores.* Ideò corporalis mors dum animæ comparatur, non mors, sed vmbra & somnium dici debet.

S. Greg. 4. mor. c. 11.

Mors corporis vmbratilis est respectu mortis animæ.

Seneca de tranq. c. 3.

S. Aug. hom. 78. in S. Matth.

Id certè est, quod sanctus Ioannes in sua Apocalypsi ad quendam peccatorem scribens, dicere voluit: *Nomen habes, quòd viuis, & mortuus es.* Putas miser te viuere, sed erras viuus ab hominibus appellaris, sed coram Deo iam verè mortuus ac putribus es. Supra quæ verba S. Augustin. sic habet: *Multi in corporibus viuis, animas mortuas portare noscuntur.* Id est, omnes peccatores, quorum pro dolor! sat multi sunt, viuere quidem & vitales exercere actus videntur, at verè mortui, & corpora ipsorum aliud non sunt, quam feretra, quibus animæ ipsorum iam per peccatum mortuæ ac iugulatæ, ad inferni deferuntur tumulum. O miseri peccatores! ô fatui, & stolidi mortales! qui animas vestras sine vlla occiditis misericordia, & occisas in vestris corporibus ac feretris ad sepeliendum in inferno dæmonibus affertis! Non mea hæc est sententia, sed S. Ioannis Chrysostomi, vbi suprà: *Fœtentem animam peccator quasi sepulchro circumagit.* Videtur mihi tam Sanctus Augustinus, quàm Chrysostomus hunc loquendi modum in Christi Domini verbis apud Sanctum Matthæum cap. 23. vbi Pharisæos *sepulchra dealbata* vocat, atque intitulat, fundasse; nam in his fœtidæ ipsorum animæ occlusæ, & quasi sepultæ circumferebantur à Pharisæis. Vultis habere intolerabilis huius putredinis ac fœtoris experientiam? considerate aliquem famosum peccatorem & mentis oculis ipsius obijcite actus, intolerabiles deprehendetis de anima eius exire fœtores. Os eius sepulchrum patens est, insupportabiles blasphemiæ, lasciuiæ, detractionis, mendacij, periurij emittens fœtores. Si aures acuit, erigit, ac præbet; detractionum, murmurationum, blasphemiarum, lasciuiarum, colloquiorum, complacentiæ videbitis stillare putredines. Si oculos aperit, fœtidissimos lasciuiæ, ac inhonestatis emittit fumos atque vapores. Si ambulat, quot passus facit, tot vindictæ prodit fœtores. Si cor eius in desiderijs suis operatur, vt fœtidissima sentina omnium vitiorum pessimos emittit odores, quià Domino enarrantur. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.*

Apocal. c. 3

S. Aug. hîc.

Cadauer fœtidum peccator.

Matth. c. 15.

Eiusdem omnino opinionis est S. Petrus Chrysologus sermone 19. vbi expressis docet verbis, homines peccatores esse viua sepulchra, & corpora eorum feretra, in quibus animas mortuas circumferunt, & à verme conscientiæ sine intermissione morsos ac vulneratos intolerabilem de se scandali dare fœtorem. Verba eius hæc sunt: *Hominis*

S Petrus Chrysologus serm. 19.

minis flagitiosi corpus viuum est sepulchrum.

Isaiæ c. 34. Isaias Propheta cap. 34. considerans miserabilem statum peccatorum in iudicij die, & fœtorem contemplans, quem illorum corpora ac sepulchra viua reddent, sequentia dixit verba: *De cadaueribus eorum ascendet fœtor: tabescent montes à sanguine eorum.* Sanctus Propheta secundùm Glossæ opinionem vult dicere: Tam horribilis, ac pestilens fœtor ille erit, qui tunc de peccatorum exibit corporibus, quem animæ illorum mortuæ exhalabunt, vt etiam montes & scopuli, sensum & vitam aliàs non habentes, illo inficientur. Et si in illa die ignis de cælo descensurus, & totùm mundum crematurus est, iustissimo fiet Dei iudicio, & fœtor, qui de his fœtidis exurgit sepulchris, causa eius erit. Solemus nos, cùm pestis grassatur, suspectas & infectas res igni tradere ne illarum pestifero veneno intus latente alij inficiantur; sic illâ die, per ignem Deus purgabit mundum, & quidquid est in mundo & sub cælo, igni tradet, & purificabit. Neque Deus prius de cælo in vallem Iosaphat descendet, nisi sic primo per ignem à pestilentissimo peccati fœtore purgauerit, & omnia, quæ sunt, purificauerit. Nam, vt S. Anselmus *S. Anselm. lib. de simil. 54.* dicit, non reddit de se tam pestilentem fœtorem canis putridus & vermibus scatens, nec corpus quodcumque iam putredine corruptæ, vt anima peccatoris. Verba eius hæc sunt: *Tolerabilius fœtet canis putridus, quàm anima peccatrix Deo.* Non sic horrent, & abominantur homines campos integros plenos putridorum corporum tam canum, quam aliarum bestiarum, neque ita pestilens illorum fœtor transeuntium offendit nares, vt vnius peccatricis animæ fœtore Deus offenditur. Sic videmus contigisse in cælis cum Lucifero, qui in momento illo, quo superbiæ infectus fuit peste & lue, talem de se reddidit fœtorem, vt intolerabilis esset Deo, & in momento illo tanquam putridus ac fœtidus de cælo eiectus est. Minimè, non Deus pestilentissimum eius poterat perferre fœtorem. Legimus in vita S. Catharinæ Senensis, *In vita S. Catharinæ Senensis.* toties, quoties peccatorem accessisset, subitò præ intolerabili fœtore, quem sentiebat de eius exire corpore, protinus & nares obturasse, & faciem auertisse; & millies naribus suis putridum canem uoluisset admouere, quam intolerabilem peccati perferre fœtorem.

Sed dicet quispiam: Quomodo poterit stare hæc doctrina, quòd Deus tantopere abominetur peccatores, & peccata tam execrabilem in eius mente causent fœtorem, cùm videamus mundum plenum esse peccatorum? Ecce tot regna, tot imperia, quæ infideles possident, tot quæ hæretici, tot in quibus tot millia Catholicorum sceleratorum reperiuntur; tot regna, tot status, tot respublicæ, tot ciuitates, in quibus apertè sine vllo discrimine tam bona quàm mala exercentur; tot publicæ Sodomitæ, tot lupanaria publica, tot vsurarij publici, tot latrones, tot falsarij, tot magi, ac veneficijs dediti, iam vt tales cogniti permittuntur & tolerantur: qui omnes execrabiles, & fœtidissimas cælum versus mittunt exhalationes, & tamen Deus ipsos tolerat, & nequaquam ostendit se talem de ipsorum vita habere displicentiam. Benè dubitas amice & dignum admiratione hoc in Deo est. Idem & eius admiratur sanctissima Sponsa Ecclesia, dum in Paschali hymno sequentia cantat verba: *Quæ te vicit clementia, vt ferres nostra crimina?* *Ecclesia in hym. Pasf.* Qualis in te pietas, qualis misericordia, ò sanctissime Sponse! quòd tantâ patientiâ intolerabilem peccatorum ferre possis fœtorem? Et hæc causa est, cur Dei thronus, vt Apocalyp. c. 5. *Apocal. c. 5.* S. Ioannes se vidisse attestatur, à tot circumdetur sanctis, ac aulicis Dei, qui in manibus tenent vasa aurea plena suauissimis odoribus, qui sunt orationes Sanctorum; hi adstant continuò Dei throno,

throno, & mouendo sua vasa, in quibus Sanctorum sunt orationes, quæ suauissimo odore Dei afficiunt, atque recreant mentem, impediuntque ne illæ fœtidissimæ peccatorum exhalationes de terra ante Dei ascendant conspectum. *Seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Quòd autem vniuersaliter omnes alij iusti tum execrabilem peccatorum non sentiant fœtorem, vt S. Catharina de Senis sentiebat, particularis gratia ac Dei prouidentia id operatur; nam fœtor hic intolerabile foret illis tormentum, atque plurimos enecaret, & ante tempus de viuis tolleret. Quòd autem alij peccatores illum non sentiamt, non est mirum; nam eiusdem conditionis sunt, & omnes, vt Ioel propheta attestatur, *computruerunt in stercore suo.* Et statuæ illæ sunt, quas Dauid Psalmo 113. describit, quæ licet nares habeant, tamen fortissimis obstaculis obduratæ sunt, nec fœtorem peccatorum percipere valent: nam & sic plurimi in peccatis suis ex nimio horrore & fœtore morerentur, qui adhuc fortasis conuerterentur. Igitur *nares habent & non odorabunt.* Et vtinam diuinæ bonitati placeret, vt peccatores omnes per transitum tantum horribilem fœtorem, quem animæ ipsorum mortuæ emittunt, perciperent! Certissimum est, quòd pauci forent, qui non in momento conuerterentur, & animas suas ab intolerabili hoc odore liberare conarentur, & sic spem salutis denuò, quam iam de facto perdiderunt, recuperarent.

Ioel. cap. 2.

Psal. 113.

S. Ambros. Hinc sanctus Ambrosius in Psalmum tertium pœnitentialem considerans verba illa, *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, sequentem euidentissimam elicere voluit conclusionem: *Est ergo sancto Dauid spes & remedium sanitatis, quia non vnguentum redolent, sed fœtorem suorum vulnera peccatorum.* Vult dicere: Bonum signum conuersionis, & salutis in Dauid apparet, dum non pretiosos se sentire odores, sed execrabilem fœtorem animæ suæ à peccatis causatum percipere confitetur. Sed notate peccatores hæc verba, *Non vnguentum redolent, sed fœtorem*: hic enim execrabilis fœtor, tam naturalis animæ mortuæ est, vt nullus etiamsi pretiosissimus odor illum corrigere valeat, & sic in propria carne sepulta putrefit & fœtet, & non est qui compassione moueatur, & vnicam lachrymam in funere animæ sic in putredine sepultæ spargat, & miserum statum eius deploret.

S. August. serm. 11. ad fratres in Eremo. O quàm bene & ad rem S. Augustinus sermone 11. ad fratres in eremo loquitur; dum peccatoribus crudelitatem & duritiam in animas suas exprobrat, *Nõ sunt in te viscera pietatis, dum plangis corpus, à quo recessit anima, & non plangis animam, à quo recessit Deus.* Leo, dum moritur leæna, tristis est, & super eius mortem affligitur; crudelis tygris suæ sociæ diuisionem atque absentiam sentit ac deplorat; crocodilus ferocissimum animal, cùm hominem ante se mactatum cernit, dolet occisionem, & homicidium amaris deflet lachrymis; solus homo tam durus ac crudelis est, solus peccator tam ferox est vt animæ mortem atque eius occisionem per peccatum factam non deploret: amicorum deplorat mortem, & propter turpis amicæ per mortem separationem consolari non potest: diuisionem inter Deum & animam suam non deplorat, & cùm mortuam sciat, ridet, ac lætos ducit dies. *Non sunt in te viscera pietatis* Ah miseri peccatores! qui tam crudeles in animas vestras estis, & nec mortuas deploratis, nec in peccatis defunctas resuscitare curatis; videte & attendite, ne vobis contingat id, quod sanctum Euangelium vobis comminatur. *Et in peccato moriemine*, id est, æternâ moriemini mor-

te,

te, quæ in æternum vos tristes & afflictos reddet, semper flere ac mœstos esse faciet. Hæc mors illa erit, quæ te viuere, & semper mori faciet: mors non tantùm mala & infelix; verùm pessima ac infelicissima, vt Psalmista eam appellat. *Mors peccatorum pessima.* Audire libeat S. Bernardi opinionem de peccatoris morte: *Mala in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari.* Id est, dura, crudelis fit mors peccatori, quia inordinato affectu adhæret mundo, & terrenis, de quibus per mortem velit aut nolit separatur. *Peior in difficultate carnis, à qua eorum animæ auelluntur à spiritibus malignis.* Sic securi ac certi æternæ condem nationis moriuntur, vt secundum multorum opinionem non mors naturalis, sed diabolus violentâ manu animam de corpore eorum separet, ita vt miserorum mors, verè pessima sit in tormentis inferni.

Psalm. 33. *S. Bern. serm. 41. inter paru.* *S. August. serm. 11. ad fratres in Eremo.*

PVNCTVM TERTIVM.

Peccatum affert mortem æternam.

Horsum, peccatores! quid vultis, vt vobis de peccatorum prædicem morte? & quo titulo illam à me insigniri desideratis? Dico quòd sit mala, peior, pessima; & tam mala, ut nil pejus illâ reperiatur; nam pœnæ eius sunt inenarrabiles, dolores immensi; & tormenta eius non habent finem. Audiamus Sanctum Augustinum, quomodo hanc miseram describat mortem. *Illa autem mors est grauior, & omnium malorum pessima, quæ non fit separatione animæ & corporis tantùm, sed in æternum pœnam potius vtriusque complexa. Ibi enim erunt homines semper in morte at per hoc nunquam viuentes nunquam mortui, sed sine fine morientes.* Quòd autem mors peccatorum pessima sit, tantisque pœnis atque tormentis plena, iusto Dei iudicio fit, vt Sanctus Gregorius dicit, *vt cuius vita mortua fuerit in culpa, eius mors semper viuere debeat in pœna.* Peccet ergo nunc alacriter homo, non æstimet, nec curet Dei legem, pro viribus delicijs se totum det, & Deum offendere nil curet; venient dies illi, quibus experietur, quanti emerit has delicias, veniet hora illa, quâ eius aperientur oculi, & videbit, atque cognoscet, quisnam sit ille Deus, quem despexit, & cuius legem vilipendit: & erit tempus illud quum amaritudinem peccati cognoscet, & deprehendet, ad quem miserum statum ipsum perduxerint peccata; sed quod summum malum omnium est, remedium tot malorum reperiri non poterit, cùm iam tempus illius pertransierit, & pœnarum, malorum, ac tormentorum adsit, & sic Christi verificabuntur verba, aqud Ioannem: *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini.*

S. August. lib. 13 de ciuit. c. 11. *S. Gregor. lib. 7. mor. 6.* *Ioan. c 8.*

Inde ad rem quidam sat prudens ac sapiens peccatoris statum homini lethargo oppresso assimilauit, qui morbus in homine, vt Fernelius docet, meatus ac vitales obstruit motus corporis; ita vt homo & discursu priuetur, ac memoriam perdat, ex quo sequitur, vt profundissimo obruatur somno, & veluti mortuus, qui nec discurrit, nec aliquid recordetur, iaceat; at quis nostrûm non ad viuum expressum videt hac similitudine peccatorem obstinatum? nam talis omni priuatus est memoriâ, cùm nec recordetur infernum esse, nec cælum pro beatis, nec Deum, qui omnia iudicaturus, recognoscat. Sic Isaias dicit: *Oblitus est Domini factoris sui, qui tetendit cælum & fundauit terram.* Illius benefactoris, illius Dei, ô ingrate peccator! dicit Isaias, non recordaris & eius oblitus es, qui pro te cæli machinam fecit, & terræ pondus fundauit, & tot ad tuum bonum, bonis ac delitijs repleuit.

Fernel. lib. 1. c. 4. Patheol. *Peccator Lethargico similis.* *Isa c. 51.*

Sed dicite mihi peccatores, quousque terminos obstinationis vestræ protrahetis? quot annis peccaminosa vestra durabit vita? quanto tempore, profundissimo hoc lethargo sopi-

ti iacebitis? & tandem, quando finem tot illicitis voluptatibus, ac perniciosis vanitabus imponetis! Legite sanctum Bonauenturam, & videbitis, quæ sint vota eius, & quid optet tali obstinato peccatori. Vtinam, dicit, cor eius lapideum esset! tunc enim spes adhuc illud contundendi ac emolliendi foret; sed dum carneum & durum in obstinatione manet, spes emolliendi nulla est. O peccatores! quàm intolerabilis durities cordis vestri est! Percipite, quæso, Psalmistam, quàm duris verbis hanc vestram vobis exprobret obstinationem, & tantæ duritiei causam ac rationem à vobis exigat. *Filii hominum vsquequò graui corde?* Et audite, cùm confusi, quid respondere debeatis, nescitis & taceris, quid Isaias Propheta pro vobis respondet: *Non est qui recogitet in corde suo.* Doctissimus Hugo Cardinalis hunc explicans locum, sic habet: *In quanto sit ipse periculo.* Id est, omnis obstinationis causa atque origo est in peccatore, quòd non sit qui reuerà & corde syncero, damna, quæ peccatum operetur, cogitet, ruinam imminentem consideret, & periculum tam euidentissimum æternæ condemnationis æstimet. *Non est qui recogitet in corde suo, in quanto sit ipse periculo.* Et reuerà ad rem doctus hic vir loquitur. & meliorem, atque certiorem non potuisset assignare causam, atque originem in homine tantæ obstinationis, quàm memoriæ perditionem, & Dei obliuionem: nam si vos omnes peccatores, qui iam tot annis in vestris vixistis peccatis, & sine omni pudore, post turpissima vestra ambulastis desideria, considerationis aperiretis oculos, & contemplaremini, quomodo, Deus ille, quem omni respectu toties ac toties, & tam grauiter offendistis, ob vestrùm amorem, supremas illas deseruerit habitationes, & multis annis, vt vos saluos faceret, laborârit, sudârit sitim & famem, frigora & solis æstus, derisiones, ac opprobria, plurimas persecutiones atque oblocutiones sustinuerit, ac demum intolerabilia tormenta & crudelissimam mortem passus sit; si recogitaretis, quod potuerit permittere, vt nati infidelium patribus fuissetis; ipse tamen inter Catholicos vos nasci voluerit, & si meditaremini quòd hic Deus, quem toties offendistis, pro omni peccato eximprouiso subitaneâ morte vos dignè & iustè punire, & in infernum præcipitare potuisset, & tamen non fecerit, sed huc vsque ad pœnitentiam vos expectarit, & vt Propheta Isaias dicit, adhuc expectat, & paratus est vobis omnem exhibere misericordiam. *Expectat Dominus vt misereatur vestri.* quomodo possibile esset dura ac obstinata corda vestra non emolliri, & tanquam ceram ad faciem ignis liquefieri, & veluti gelu ad ignem diffluere præ dolore ac contritione? quomodo non mille fierent à vobis proposita Deum talem amplius non offendendi? Ah! quomodo de oculis vestris flumina lachrymarum non fluerent, ac scelera commissa deplorarent? Quis vestrûm hæc considerans, non sexcenta faceret proposita, talem Deum, qui tot bona fecit, tot beneficia concessit, & adhuc de die in diem concedit; qui vos præseruauit, & præseruat à tot malis; qui vobis tot paternos exhibuit affectus, & actualiter exhibet, & qui promptissimus est omnia vobis condonare peccata, & vos in suam recipere gratiam, dummodo velitis, semper amare, semper laudare, semper honorare, & nunquam offendere? Sed N. N. non est qui ad hæc intuenda oculos mentis applicet; non est qui hæc consideret & tacito voluat corde: nam lethargus ille per peccatum in animam introductus, omni illos priuauit memoriâ, & discursu; ideo præ nimio somno

Bonau. in stim. Diu. amor. 2. pa. c. 2.

Psal. 4.

Isai. c. 57.

Hugo Card. hic.

Isaia c. 30.

somno sopiti, suis inhærent vitiorum stratis, & veluti iam mortui ac desperati iacent, & nisi aliquo violento medio de hoc obstinationis somno, particulari Dei gratiâ excitentur, fiet eis quod Dominus comminatur: *Et in peccato vestro moriemini.* Aperite ergo peccatores oculos mentis vestræ; nam si *humanum est cadere, lapideum est iacere*, dicit Glossa in caput vigesimum octauum Matthæi. *Glossa.* Et quomodo possibile est, tantam vobis obstinationis atque turpis vitæ inesse perseuerantiam? Et qui fieri potest, vt ad tot inspirationes à Deo vobis immissas, ad tot confessariorum vestrorum admonitiones, ad tot comminationes corda adhuc indurata ac obstinata maneant? quomodo possibile est, vos post tot inflicta flagella, post tot dispendia rerum, post tot grauissimas à Deo vobis immissas aduersitates adhuc pertinaces in solitis vestris manere erroribus? O quanta stultitia! ô quanta stoliditas hæc peccatorum est!

Isaiæ c. 30. Duritia cordis peccatorum.

Quòd infidelis peccet & Deum offendat; quòd legem eius non suscipiat & obseruet; quòd Christum non confiteatur vt Saluatorem, & vt talem honoret, & non conuertatur ad eum, res magna, admiranda, lachrymosa & deploratione digna est: nam Deus dedit ipsi sufficientia media & modos ad posse facere; sed casus multò maiori dignus est compassione, & infinitis deplorandus lachrymis, tot videre fideles, qui in Dei viuunt Ecclesia, & catholicam profitentur fidem, vbi tot admonentium audiuntur voces, vbi tot sunt Sacerdotes, tot sancti ac Dei serui viuunt, ubi tot fiunt orationes, vbi tot audiuntur conciones, atque exhortationes, vbi tot celebrantur sacrificia, vbi tot administrantur Sacraméta, vbi tot recipiuntur diuinæ gratiæ, & inter hos tantum obstinatorum peccatorum, & tot durissimorum cordium esse numerum, qui ad tam potentes voces surdi facti sint, & illas minimè audiant, ac perdere valeant; ad lumina sic splendida cæci facti sint, vt ipsorum splendorem videre non possint, & ad tot fortissimos atque acutissimos tactus sensum perdiderint, vt tam potentes ictus sentire nequeant. Hi sunt certé illi, quos Sanctus Propheta Ezechiel rubiginoso, imò rubigine consumpto ferro, quod mundari non potest, comparauit, *Multo sudore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius*, id est, Concionatores, Confessarij laborauerunt, ac sudarunt, vt conuerterent obstinatum; Deus tot immisit inspirationes, tot contulit gratias, tot flagellis adegit, vt de peccatis desisteret, tot bona exempla habuit, quibus ad bonum fuit incitatus; & tamen non conuersus est. Sic Doctissimus Hugo Cardinalis in hunc locum habet: *Multum laboraui, vt conuerterentur, nec conuersi sunt minis! nec flagellis, nec beneficiis:* semper duri, semper obstinati, semper peruersi, semper scelerati, ac criminosi permanentes.

Ezech. c. 24.

Hugo Card. hic.

Quod dum Christus in cruce moreretur, & Deo patri suum redderet spiritum, sol obscuraretur, terra terrore ac tremore percuteretur, montes rumperentur, atque petræ scinderentur, monumenta aperirentur, & alia signa apud insensatas viderentur creaturas, fuit summæ pietatis ac compassionis signum; quod insensata corpora, quæ nec oculos habent, nec cor possident, nihilominus suo modo Saluatoris deplorarent mortem. Sed multo maiori admiratione dignum est, videre homines, pro quorum amore hæc patitur, & qui omnium horum, quæ Christus passus est, causa, atque origo sunt, & pro quibus mortuus est, duros ac obstinatos manere, nec compungi, nec conuerti, nec sua deflere peccata, non contra se ipsos irasci,

non contrahi, non dolere, & non conuerti, sed semper sceleratos, semper criminosos esse, atque in plurimis viuere peccatis. *Multo sudore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius.*

Rem verbo: Peccator (in pœnam suæ obstinationis & ad despectum Dei & Angelorum, & hominum) vult ire ad infernum, & ibi, vt in proprio domicilio habitare. Scitis, & plures experti erunt, quanto desiderio homo æstuet, qui per externa peregrinatur, regna, ad proprios redeundi lares quantoque ab illo dulcis desideretur patria, Actorum capite primo legimus Iudam laqueo se suspendisse, & crepuisse per medium ac mortuum esse, & in suum abijsse locum. *Vt abiret in locum suum.* Sed dicite, quis locus hic erat, vt suus diceretur, ac veluti propria eius domus ad habitandum ibi intituletur? Doctissimus Hugo Cardinalis, hic sic explicat *suum, id est, infernum.* hæc domus Iudæ, hoc domicilium eius proprium erat, ac nunc omnium peccatorum est; ideò tantâ festinatione ad possidendum hunc locum currunt, tantâ acceleratione, vt veluti cursorijs equis ad illum festinent, & omni commoditate, quasi in lectica à dæmonibus portarentur, approximant. Quam stolidam peccatorum fatuitatem Beatus Petrus Damianus sequentibus deplorat verbis: *O quam miserum est, in huius sæculi prosperitate modico tempore viuere, & ad æterni ignis incendium clausis oculis veluti in lectica positum properare!* Nunquid deplorandus hic miserrimus peccatorum status? Portantur à dæmonibus in lectica, & ad inferni ducuntur tormenta, & ipsi iucundantur, lætantur, iubilant, ac si in lectica aliqua de longinquis regionibus ad proprias veherentur domos.

Quæ domus peccatorum.

Actor.

Hugo. Card. hic.

B. Dam. l. 4. Epist. 13.

Aperite, ô peccatores! oculos vestros; denuò vos exhortor, attendite negotijs vestris. Nunc tempus remedio, rum, & salutis est, nunc occasionem habetis animas vestras mortuas, ac iam fœtentes vitæ restituendi, & æternæ condemnationis euadendi mortem; videre quàm pius sit Dominus noster: ipsemet læsus remedium proponit, modum resuscitandi, & animas vestras mortuas vitæ restituendi præbet; verè pius Dominus, qui suæ non potest obliuisci clementiæ ac pietatis. Ecce quam claris verbis per sancti Ezechielis Prophetæ os id agit: *Cùm auerterit se impius ab iniquitate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit,* ac si diceret, Cùm peccator resolutionem ceperit, & peccatis abstinere incipiet, & sceleratæ vitæ suæ valedicens, tergum vertet, & iudicem sui ipsius seuerissimum aget, per pœnitentiæ opera de seipso sumens vindictam, & imposterum sanctè ac virtuosè viuet, & iam vitam suam non in peccatis, sed bonis operibus consumere laborabit, tunc *animam suam viuificabit.* Id est, de morte æternæ damnationis resuscitabit animam suam, & vitæ gratiæ restituet, & consequenter horribilia illa inferni euitabit tormenta. *Ipse animam suam viuificabit.* Placeat Deo, N.N. vt verissima hæc doctrina, sicut à Pharisæis refutata fuit, à vobis acceptetur, & obseruetur ac tempore opportuno in actum ponatur. Quiesco.

Ezech. c. 18.

PARS II.

PVNCTVM QVARTVM.

Magni momenti certè negotium est, de quo Christus Salvator noster in sacro nos admonet Euangelio, *Quæretis me, & non inuenietis.* Admirabile certè est, quod idem Deus, qui nos tanto sudore, tot laboribus, & tot pœnis per desertum mundi huius transiens in quisiuit, vt Sancta Ecclesia Catholica in Sequentia mortuorum cantat

tat

Ecclesia in Seq.mort. tati *Quærens me sedisti lassus.* & tanto desiderio salutem hominis ac peccatoris anhelauerit, nunc cùm nos illum quæramus, ipsum insequamur, & vitam ab ipso habere desideremus, nos fugiat, tergum vertat, & se abscondat, ac sic miseros, miserè in peccatis pessimâ morte mori permittat. *Et in peccato vestro moriemini.* Quod hic Deus insequentem se peccatorem fugiat, quem relinquere atque deserere summos ipsi aliàs causat dolores, vt Sanctus Chrysostomus attestatur sequentibus verbis: *O quàm torquet Deum peccatoris discessio, quando ab eo deseritur.* Dolet Deus quando à peccatore deseritur; sed affligitur, quando per peccatum compellitur eum deserere & eius derelinquere conuersationem; & tamen nunc volentem secum conuersari, volentem secum manere fugit, atque ab eo faciem suam abscondit. Quòd hic Deus, qui, vt Sanctus Hieronymus in primum caput Isaiæ docet, quodammodo obstinationem illorum peccatorum, qui ad Deum conuerti nolunt, deplorat, nunc ipse ostinatus fiat, & exaudire nolit, & quærentem se fugiat. Verba eius audite: *Plangit clementissimus Pater, quòd delinquentes peccent, nolintque agere pœnitentiam.* Quæ, rogo, tantæ cholere, tantæ indignationis causa est? vt dum quæritur, & vita ab ipso demandetur, *Quæretis me*, se abscondat & inueniri nolit? *& non inuenietis*: Vultis scire causam; Ecce dicam: Quærunt, & non quærunt: insequuntur ipsum & non insequuntur; hoc est, malè quærunt, non recto modo, ex consuetudine tantùm, & non corde faciunt, quæ agunt; ideo meritò Deus tergum vertit, meritò fugit, & se abscondit, nec vult reperiri. Templum accedunt, concionem audiunt, quia sic moris est, vel quia quadragesimale tempus est, quo omnes audire solent; Missæ intersunt, quia alij idem faciunt, & à socijs ad id faciendum inuitantur; confraternitates accedunt, quia & alij socij illas frequentant, & ab ipsis trahuntur: si confitentur, faciunt, quia constringuntur per paschale præceptum: si communicant, fit ne appareant hæretici vel Atheistæ. In summa quidquid pro vita æterna operantur, & quidquid agunt, vt Christum inueniant, aut externâ fit specie, aut quia sic in vsu est, & ab alijs prædicatur. Sic Sanctus Augustinus libro Soliloquiorum capite trigesimo primo sibi contigisse attestatur, dicens; *Circumiui vicos & plateas ciuitatis huius mundi, quærens te, & non inueni,* & aliam non dat rationem, quàm quòd non recto, ac vero modo, & in ijs quæreret, vbi non erat reperibilis Deus; quia malè quærebat foris, quod erat intus; *Erraui sicut ouis quæ perierat, quærens te exteriùs, qui es interiùs.* Ergo qui Deum reperire desiderat, & in peccatis suis mori non vult, non in externis apparentibus deuotionibus atque operibus tantùm Deum quærere debet, sed multò magis in internis, id est, solidis virtutibus, ac cordis compunctione, & peccatorum contritione. Sic Deus per Isaiam capite vigesimo primo se inquirendum atque inueniendum docet, *Si quæritis quærite.* Et vt signum atque opinionem suam sub his duobus latentem verbis nobis ostenderet & aperiret, sequentia subiunxit verba: *Conuertimini, venite.* Glossa hunc explicans locum sic habet: *Si quæritis veraciter euadere pœnam gehennæ, conuertimini per veritatem pœnitentiæ, & venite per opera misericordiæ,* quod idem est ac dicere. Verus modus inquirendi ac inueniendi me, est conuerti, malæ vitæ terga dare, & faciem ad bonam & virtuosam vertere, peccatis valedicere, & bona ac virtuosa apprehendere opera. *Si quæritis quærite, conuertimini, venite.* Lepidus certè inquirendi ac inueniendi modus est, concionem accedere, audire admonen-

Margin notes (left column): Cur Deus fugiat peccatores se quærentes. — *S. Chrysost. in cap. 51. Isaiæ.* — *S. Hieron.*

Margin notes (right column): *S. August. l. Solil. c. 31.* — *Isai c. 21.* — *Glossa hic.* — Quomodo Deus inueniatur.

monentem; & percipere offendentem Deum, & nolle eum audire, nec illi obedire, & sua relinquere peccata. Ridiculus certè modus se conuertendi, & Christum inueniendi est, Christum velle quærere, ac reperire, & tamen meretricem illam infamem, quam tantò scandalo ciuitatis in tua retines & alis, domo nolle dimitere: bona illa malè acquisita nolle reddere. Deus verbis non pascitur, neque his reperitur, sed bonis ac sanctis operibus atque virtutibus; non vult vanas promissiones, sed reales executiones. *Si quæritis quærite, conuertimini, venite.* Audite quid Sanctus Gregorius in caput Isaiæ vigesimum primum dicat, & qualem modum Deum quærendi ac inueniendi ipse nobis exhibeat: *Si me verè quæritis dicit Dominus, opere ostendite, quòd me quæritis.*

S.Greg. in ca.21.Isai.

Sursum ergo corda, ô peccatores! non sit, qui iam suam conuersionem vltrà differre velit, non iam tempus procrastinandi est. Ecce periculum æternæ mortis, quam vobis in hodierno Euangelio Christus comminatur, imminet atque ante fores est. *Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* O quàm potens admonitio hæc omni peccatori pro sua emendatione est! O quàm fortis & acutus stimulus ad vitæ emendationem! O quàm fortis vocatio ad pœnitentiam & conuersionem hæc Christi sunt verba! Si hoc non excitatur stimulo si hæc vocantis non audiat verba; affirmare minimè dubito talem obstinatum non hominem ampliùs agere, non vitam non habere, nec vitales ipsi inesse actus, sed potiùs mortuum ac putridum cadauer esse, & optimè illa Apocalypsis verba ipsi quadrare, *Nomen habes quod viuas & mortuus es.*

Ioann. c.8.

Apoc. c.3.

Secundò plurimi Deum non reperiunt, quia in sua propria domo quærunt. Sic sponsa Canticorum tertio quæsiuit, ideo non inuenit. *In lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui & non inueni.* Sanctus Bernardus Sermone septuagesimo septimo in Cantico Canticorum respondet Sponsæ, & verum inquirendi & inueniendi modum ostendit, dicens: *Inuenisses ô Sponsa! si in lectulo suo quæsiuisses.* ac si diceret: Vis scire Sponsa, vbi tuus tibi inquirendus atque reperiendus sponsus est? non in tuo iacet lecto, non inter delitias, gustus, consolationes mundi, sed in Crucis lecto; si ibi illum quæsiuisses, absque dubio reperijsses, *Inuenisses si in lectulo suo quæsiuisses.* Charissime frater, non reperitur Christus in lecto tuo, non inter tuas delitias, commoditates, gustus, & illicita gaudia Christus habitat atque moratur, sed in durissimo crucis latet thalamo; inter spinas, flagella, opprobria moratur; hîc & inter hæc illum quærere opus est. Si ergo hunc quæris, per mortificationis viam ambules oportet: si hunc reperire desideras, per ieiunia, vigilias, & alia pœnitentiæ opera, inuenias, necesse est; caro tua gustet quæ minimè arrident, oculi tui non aspiciant illicita delectamenta; lingua tua non murmuret, nec obloquatur, non mentiatur, non blasphemet; aures tuæ detrahentium vocibus non accommodentur, & corpori tuo nullo modo deliciarum frænum relaxetur, & post carnis desideria ne currere permittas. Hic verus modus, atque regula Christum quærendi, & inueniendi est; omnis alius Christo contrarius est, ipsumque perdendi modus est, & qui per alias vias & modos Christum quærit, non reperiet, nec ad ipsum perueniet, sed æternam inueniet mortem, & in suis peccatis miserrimè peribit, ac morietur, vt Euangelico illi diuiti contigit, cuius casum Sanctus Lucas describit; qui Deum inter delicias, ac commoditates carnis inquirebat, & ibi omnino se reperturum sperabat; sed infelix deceptus est, non Christum, nec vitam, sed æternam reperit atque invenit mortem: *Mortuus*

Cant. 3.

S.Bern.

Luc. 17.

Conuersio non differenda, alias Deus non inuenitur. *Mortuus est Diues, & sepultus est in inferno.* Si ergo N.N. tam miserum ac infelicem fugere atque euitare velitis sortem, non inter delicias, ac carnis commoditates Christum quæratis; nec inter has illum reperire nobis imaginemur, sed in cruce, ubi reperitur & inueniri amat. Nunc cùm iuuenis es, dum vires habes adhuc robustas ac vegetas, Deum inquiras: nunc cùm commoditas illum reperiendi tibi præbetur, post illum curras, & non in senectam, quando & tempus & vires & commoditas simul te deserent, differas. Ad hoc omnes peccatores Isaias exhortatur: *Quærite Dominum, dum inueniri potest.* Interlinealis hîc sic habet: *Dum tempus habetis.* Isa. c. 55.

Et quis scit ô peccator! aut quis arrham tibi dedit, quod tuus pessimus ac vitiosimus viuendi modus tuam non abbreuiabit vitam, vt in prima dixi parte, & ad senium à Deo tibi aliàs deputatum peruenire sinat? Audite quomodo Sanctus Cæsarius homiliá vigesimâ nonâ in peccatoris persona loquens, discurrat: *Quare cùm ad senectam venero, tunc ad pœnitentiæ medicamenta confugiam, quare hoc de se fragilitas humana præsumat, cùm diem vnum, in vita sua in potestate non habeat?* Vult hac suâ doctrinâ Christianum instruere, quales secum ipse discursus formare debeat, dicendo ad seipsum: In senectute & bona commoditate faciam pœnitentiam? Sed in quo fundamento fundo hanc meam resolutionem, & supra quam firmam petram? quare potiùs non contemplor incertitudinem vitæ meæ? quare potiùs non cogito, & animaduerto, nec horam; nec momentum certum mihi in mea esse potestate. *Cùm diem vnum in vita sua in potestate non habeat.* Sis securus Christiane, si semel vel bis hunc vel similem in te & animam tuam formares discursum, non tam temerariam, ac periculosam caperes resolutionem, & non in senium conuersionem tuam differres, sed nunc & momento hoc, toto corde, totâ animâ, totis viribus mentis tuæ, Deum inquireres; non tam stultus ac fatuus esses in dicendi modo, Faciam, dicam; sed nunc faceres, nunc diceres, nunc & statim ageres pœnitentiam, vt in mortis hora dicere posses: Dixi, feci. S. Cæs. hom. 29.

Nec quispiam N.N. præsumptioni det locum, & dicere audeat: Misericors est Dominus semper; quando noluero, me recipiet, & mihi currenti extensis occurret brachijs. Erras Christiane! si angustiarum tempore, dum mortis affligeris doloribus, pœnitentiam agere intendas; nam tunc iusto Dei iudicio hæc tibi negabitur, & Deus tibi petenti surdus erit, & tergum vertens se abscondet, adeoque miser & infelix in tuo morieris peccato. Non mea, sed Christi Domini verba sunt, *In peccato vestro moriemini.* Non nego vltimum momentum vitæ nostræ sufficientissimum saluationis tempus esse, si vera adsit contritio, aut cordis sincerus dolor, & quòd solus vnus gemitus contritus misericordiæ possit aperire portas; sed non iustum est, quòd peccator, qui totâ suâ vitâ diuinas admonitiones despexit, oblatam misericordiam toties vilipendit, aque reiecit, nunc cùm mori debeat, & dignas huius malitiæ suæ luere pœnas, vnico momento vnico actu, & Deum placeat, & misericordiam obtineat & vitam æternam. Ioan. c. 8.

Vis ergo Christiane! vt spes tua non te fallat? Nunc doleas de præteritis peccatis, nunc contrito corde cum rege pœnitente ad tuum clamo Saluatorem: *Erraui sicut ouis quæ periit: quære seruum tuum.* Ecce Domine ac Redemptor meus, ô dulcissime animarum pastor, vt ouis errans sine pastore circumiui; quære me & introduc me in caulam tuam, & fac me iterum ser- Psal. 119.

tuum tuum. Non curo, nec desidero inter filios tuos, ac supremos illos principes locum habere, nec vt illi, qui nunquam peccarunt, tractari desidero. *Fac me vnum de mercenarijs tuis.* Mercenarius pro certa laborat mercede; sic & ego vsque ad finem vitæ meæ pro æternæ gloriæ mercede laborare ac defatigari decreui. Prodigum videns Pater à longè, misericordiâ mouetur, filio perdito occurrit, brachijs amplectitur, atque exosculatur, & in filium recipit. Hæc non peto misericordissime Domine, sed tantùm oculos indignationis tuæ in beneuolos transmutare velis & de longè me venientem in benignitate tua aspicere digneris. Mea scelera non merentur, vt pius erga me sis, sed tua benignitas digna est mihi exhibere misericordiam. Porrige ergo mi Domine volenti se erigere, manum; præbe surgenti auxilium diuinæ tuæ gratiæ, vt mercenarius tuus esse valeam, & bonis operibus in putando ac laborando cælum lucrari queam. Hæc fac Christiane, & quæ Deo promittis, fideliter exequere, & ipse in reddenda mercede, fidelissimum se exhibebit. Ite in pace, Amen.

Apostrophe ad crucifixum.

Lucæ 15.

DISCVRSVS XII.

PRO DIE MARTIS POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Prima parte, puncto primo adducuntur quatuor conditiones, quas Iudex bonus ac rectus habere debet, Secundo puncto tractatur quomodo se erga subditos gerere debeat. Secunda parte & puncto tertio sacerdotalis describitur dignitas, & qualis à laicis eis debeatur honor, & ipsi laicis bonum teneantur dare exemplum, docetur.

Thema.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite. Matth. cap. 23.



SI iucundum est aspicere in spatioso campo castrorum aciem bene ordinatam, id totum Generali debetur, qui illam disposuit, atque in talem ordinem redegit; sine illo enim nec ordo, nec dispositio, nec vlla iucunditas recreans oculos reperiri potest. Musica absque moderatore dissonantia est: Schola sine magistro, ignorantia: mundus deficiente gubernatore atque monarchâ, summa confusio ac Babylonia est. Vnde ad rem & bene dixit ille: *Ordo est vita rerum.* Et hoc certum, atque in-

infallibile est: nam sicut absque vitæ spiritu nec homo, nec quodcunque aliud animal viuere potest; sic nec res creatæ in suo possent conseruari esse, sine ordine. Ideo creator omnium rerum, cùm in creatione ad conseruationem earum oculum extendit, prudentissimè ordinauit mirabilem & perpulchram vnius ab altero dependentiam. Inter angelicos spiritus Hierarchiarum dispoluit subordinationem, quam & Aristoteles naturali suo lumine penetrauit, & intelligentiam appellauit, quæ alias regeret, ac commendaret, atque ordinaret. In cælis primum posuit mobile, virtute cuius omnes alij regerentur atque mouerentur orbes. Inter planetas posuit Solem, quem vt principem & caput eorum, diei præfecit. Sic Psalmo centesimo trigesimo quinto, *Solem in potestatem diei.* Vel vt Origenes hic legit, *in principatu diei.* Volatilibus cæli atque auibus Reginæ loco Aquilam præfecit. Animalibus terræ leonem creauit in regem, & vniuersis sublunaribus corporibus hominem præpositum atque dominum constituit, vt regius attestatur Vates Psalmo octauo. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Hac ergo suppositâ veritate, nullo modo conueniebat, vt homines, qui omnium sublunarium corporum ornamentum, imò reges erant, hoc priuarentur beneficio, sed valde rationabile erat, vt & intra ipsos aliqua subordinatio, & dependentia inueniretur, alij superiores, alij inferiores & subditi essent, alij in cathedra sederent, leges atque ordinationes darent, alij verò illas susciperent, eisque obedirent. Quæ dependentia hodierno Euangelio sub Moysis cathedræ vmbra, nobis à Christo exhibetur, his verbis: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Vnde conuenit, quòd alij, qui in hac non sedent cathedra, humiliter obediant, atque gubernari se sinant. Hinc subiungit: *Quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Nam hæc subordinatio à Deo sic posita est, vt Paulus Apostolus attestatur: *Non est enim potestas, nisi à Deo.* Ac si diceret: Læti estote, ô homines, quoniam hoc pretiosum regiminis donum à Deo omnium bonorum datore deriuatur, atque vobis datum est. Examinabimus ergo primâ parte conditiones ac qualitates, quæ in Superiorbus aut Rectoribus requiruntur. Secundo puncto videbimus quomodo se erga populum, quem regunt, gerere debeant, vt ipsorum regimen secundùm Dei, qui ipsos posuit, ordinetur voluntatem. Secundâ parte & puncto tertio, de sacerdotali dignitate, quæ secundùm multorum opinionem per cathedram Moysis figuratur, discuremus.

Psal. 135. *Orig. hic.* *Psalm. 8.* *Matth. c. 23.* *Ad Rom. c. 13.*

PVNCTVM PRIMVM.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, &c.
Matth. cap. 23.

SEnex Iethro cùm Moysi cognato suo consilium dedisset, vt in regendo populo sibi aliquos socios eligeret, ac iudices constitueret, sequenti eum instruxit doctrinâ, Exodi capite decimo octauo. *Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Id est, viros eligere debes, & in socios tibi assumere, qui tecum populum iudicent; sed hi viri non debent esse vulgares de plebe, non sutores, non sartores, non rustici, sed nobiliores; non mendici, sed *potentes*; non ignorantes, stupidi, idiotæ, sed sapientes & docti, qui iuri bene studuerunt ac intelligunt. Non debent esse dyscoli, leues moribus, malæ famæ, criminosi, impij, crudeles, immisericordes, superbi, sed *timentes Deum*; non lo-

Exod. c. 18. *Qualitates Superior.*

quaces, non murmuratores, non blasphemi, nec ad mendacia proferenda leues, nec qui nigrum pro albo vendant, sed recti, & *in quibus sit veritas*. Non fures, non latrones, non mercatores, qui publici vsurarij, & illicitis contractibus diuitias quærunt: non qui erga rusticos & subditos tyrannidem exercent, & vi pecunias exprimunt. Rem verbo, qui non sint amatores diuitiarum, sed *qui oderint auaritiam*. Glossa interlinealis dicit optimum hoc fuisse consilium; nam *formam boni iudicis præscribit*, idest, Protorypon habent electores & populus, qui sibi suos eligunt rectores, quales eligere debeant rectores, exemplar viuum ac normam habent hi qui ad regendum nati sunt, secundùm quam vitam suam regulare debent. Est ergo prima qualitas & conditio, quam quicunque regere ac præesse vult, habere debet, quòd sit potens ac prudens. *Prouide autem de omni plebe viros potentes*. Glossa interlinealis explicat & dicit, *sapientes*. Nam ignorantia & stupiditas iudicis ac rectoris ordinariè ruinam ac desolationem causat populorum. Sic docet sanctus Augustinus libro decimo nono de ciuitate Dei capite decimo sexto: *Ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis*. nam quasi impossibile est, iudicem, qui leges nescit, iura ignorat & causas non intelligit, iustam posse dare sententiam.

Glossa interlin. hîc.

S. Aug. lib. 19. de ciuit. Dei cap. 6.

Exemplum capiant omnes Rectores ac Iudices à Deo, de quo Genesis capite tertio legitur primus iudicis actus cum homine; descendit Deus de cælo, intrat paradisum, obambulat, & altis vocibus post Adamum clamat, *Adam, Adam vbi es?* Sed ad quid Deus vocat Adamum? quid agere cum ipso intendit? Dicam vobis: Adam fuerat inobediens, transgressus erat præceptum diuinum, & reus supplicij ac mortis erat, & dignas pro culpæ modo, quæ grauissima erat, pœnas debebat. Sciebat Deus, quòd Adam peccauerat, & alio non indigebat examine; nihilominus in persona adest, pro tribunali sedet, examinat causam, inquirit rationes, quæ mouerint ad tam enorme delictum committendum, & eius vult audire rationes, atque excusationes. Sancti Chrysostomi homiliâ dacimâ sextâ in Genesim hæc doctrina est; audite verba eius: *Mox assistit, & quasi mansuetus & misericors iudex in tribunali, tremore, horrore plenus sedet & examinat diligenter*. Sed ad quid Deus examinat Adamum, cùm sat notus & casus, & clara Adami esset inobedientia? Idem sanctus dat rationem, *per hoc nos docendo, ne fratrem nostrum condemnemus, nisi causâ ante diligenter cognitâ*. Exemplum voluit dare Rectoribus, atque ijs, qui præsunt, quomodo in sententiæ prolatione debent esse cauti, & nunquam condemnare proximum suum, nisi re & causâ priùs bene examinatâ & parte auditâ, etiamsi præsentes fuerint.

Genes. 3.

Quomodo in puniendo se gerere debeant.

S. Chrys.

Eundem modum Deus obseruauit & exemplum dare iudicibus & præsidentibus, populum iudicandi placuit, cùm in Sodomam & alias sceleratas ciuitates animaduertere vellet & digno castigare supplicio. Quâcunque horâ, imò omni momento turpissimorum incolarum actus in cælum clamabant ac vindictam petebant; non latebant ipsorum crimina, clamor eorum turpitudinum sat Dei penetrauerat aures; nihilominus quia suppliciorum sententiam ferre debebat Deus, voluit priùs descendere in persona, & videre ac perlustrare, num ita sit, & an omnes tales sint, & an excusationis aliquid inter ipsos reperiri possit: & si ita in omnibus res se haberet, vt ad eius peruenerat aures. Sic habemus Genesis capite decimo octauo. *Descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint; an non est ita vt sciam.* Omnes sacri interpretes confitentur Deum optimè malitiam Sodomitarum nouisse

Genes. c. 18.

nouisse, & omnia clarè ipsi præsentata fuisse eorum vitia; sed ad instructionem superiorum, quibus incumbit flagitia castigare & punire, ne excessus aliquis committatur, & cum quadam circumspectione condemnationis sententia proferanda sit contra delinquentes, sic Scripturam loqui voluisse. Sic docent Angelicus Doctor, sanctus Chrysostomus, Liranus, Oleaster, & Abulensis in hunc locum. *Factum fuit ad instruendum iudices, qui licèt dictum cognoscant per formam, velut singulares personæ, donec eis perfectè constiterit peccatum esse commissum, sententiare non debent, sed primò rei gestæ inquirere veritatem.* Id est, dato casu quòd delictum aliquod contigerit, ita vt præsentia iudicis & hoc ipsi satis constet; tamen vt particularis persona non debet dare sententiam, quia cùm vidit & adstitit, non iudicem, sed particularem personam repræsentauit. Debet ergo prius pro tribunali sedere, & testes audire, & causam examinare, & rationes, quibus ad committendum tale delictum inductus fuerit, benè perpendere, & sic omnibus examinatis atque perspectis demum dare sententiam, vt sciant in sententia proferenda, maximè si casus alicuius momenti est, & de vita aut rerum dispendio delinquentis agitur, longa discussione, atque maxima circumspectione opus esse, & cum summa maturitate sententiam proferendam.

Gen. c. 11. Doctissimus Liranus ponderat illud factum Genesis capite vndecimo, vbi sacer textus relatâ temeritate, ac præsumptione filiorum hominum, quam in Babylonicæ turris ædificatione ostenderant, quam vsque in cælum erigere decreuerant; sequentia habet verba, *Descendit autem Dominus, vt videret ciuitatem & turrim.* Liranus summopere hunc Dei descensum admiratur; & non absque ratione. Fortè opus habebat Deus de cælo se demittere, & huic turris structuræ approximari, vt opera quæ faciebant, perlustraret, & ipsorum præsumptionis ac temeritatis in propria persona oculatam perciperet informationem. Nunquid idem ille Deus, cui, vt Dauid scribit, omnia nuda atque aperta sunt, quæ supra & subtus terram fiunt? *De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum.* Respondet Liranus, *Psal. 32.* hoc facto Deum voluisse reprehendere feruorem aliquorum rectorum, ac iudicum, & ipsorum indiscretum, ac præcipitem modum in proferenda sententia palpare, ac refrænare furorem aliquorum, qui vt cæci sine sufficienti discussione & matura examinatione sibi oblatas condemnant partes. Audiamus Doctoris verba: *Hoc autem dicitur, non quòd Deus indigeat descensu ad videndum ea, quæ fiunt in terra, sed vt per hoc instruantur fideles iudices ne procedant ad sententiam, donec causam examinauerint oculatim.* *Liran. hic.* Eiusdem sententiæ ac opinionis Rupertus Abbas est, in hunc locum: *Si is qui omnia scit, descendere dicitur, vt videat, quantò magis homo qui falli potest, antequam sententiam proferat, rem diligenter inuestigare debet?* *Rupert. in c. 11. Gen.*

Olim mos erat Romanis, castigare delicta, virgis & securi cædendo delinquentes, & Magistratui, cui executio iustitiæ incumbebat, dum ciuitatem obambularet, per lictores aliquos virgarum fasciculi & secures præferebantur; sed virgæ illæ securibus alligatæ erant. Plutarchus problem. 76. horum instrumentorum colligationem vel alligationem animaduertit & significationem inquirit, dicens: *Quid est quod prætorum virga securibus alligata proferuntur?* *Cur secures virgis colligatæ ante Magistratum præferebantur.* *Plutarchus probl. 76.*

Quam significationem hæc cæremonia habere potest, quòd virgæ & secures simul funibus colligentur; Nam si hæc instrumenta erant, quibus delicta castigabantur, aptiùs & magis ad rem fuisset, si virgæ solæ, & secures solæ ac separatim & non colligatæ ante prætores fuissent portatæ; nam si ali-

quid

quid castigandum occurrisset, expedita, & statim ad manum fuissent instrumenta. Respondet Plutarchus & dicit ad rem, virgas securibus alligatas & funibus constrictas, ante iudices latas, vt scirent in proferenda sententia non currendum, sed maturis & lentis ambulandum esse passibus, & priùs funes dissolui debere, antequam instrumentum castigationis vindictam capiat; id est, benè examinari delicta, antequam sententia proferatur; ideo ligantur, ne prompta sint seueritatis instrumenta. Audite verba eius: *Signum est non oportere Magistratûs iracundiam promptam ac dissolutam esse*, id est, oportet suas moderari passiones & ascendentem deprimere choleram: nam in rebus magni momenti lento passu, & summâ maturitate procedendum.

Hos maturos & lentos passus omninò necessarios Iudici ac Rectori esse, sanctus Iob capite vigesimo nono attestatur, qui mala ac damna, quæ præproperæ sententiæ ac immatura, & non benè deliberata iudicia causare solent, considerans, seipsum sequentibus alloquitur verbis: *Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.* Iob, Rex atque princeps Orientis, qui sibi subditos regebat, ad suos populos loquitur, & dicit causam ignotam & sibi non satis cognitam antequam scientiam dedisset, summâ se inuestigasse atque examinasse diligentiâ, ne in sententiæ prolatione peccaret, & iniustitiam in causæ resolutione committeret. S. Gregor Papa hunc explicat locum: *Quia in re notandum video, ne ad proferendam sententiam iniquam præcipites esse debeamus, ne temerè indiscussa iudicemus.* Id est, capiant iudices ac Rectores aliorum à S. Iob normam atque exemplum in sententia proferenda, ac condemnationis assignandis supplicijs, in quibus summâ maturitate ac lentissimo incedendum pedeest.

Iob c. 29.

S. Gregor. lib. 9. moral. cap. 12.

Superiores non sint præcipites in puniendo.

Fingebant antiqui gentiles poëtæ duo genera emissorum fulminum à Ioue: alia proprio instinctu & incitatus cholerâ in homines sceleratos eiaculatur: alia ex consilio ac consensu deorum explodit. Prima nullius efficaciæ ac damni; secunda verò summæ efficaciæ ac damni esse attestabantur. Sapientissimus Seneca lib. 2. c. 43. naturalium quæstionum rationem huius diuersitatis inquirit. *Quare ergo id fulmen quod solus Iupiter mittit, placabile est: perniciosum id, de quo deliberauit, & quod alijs quoque dijs auctoribus misit?* Mirabile quod quando Iupiter solus suâ suadente voluntate, & secundùm suum libitum in homines fulmina iaculatur, non nocent; & licèt terreant, tamen damna nulla inferunt, Cùm autem aliorum deorum adest consensus, tunc perniciosa sunt & plurima causant detrimenta. Sed cur hoc? fortè solus Iupiter ad id præstandum insufficiens, & brachia ad vibranda fulmina non satis potentia habet? Audite, quæso, quàm pulchrum responsum prudentissimus hic vir adferat. *Quia Iouem, id est Regem prodesse etiam solum oportet, nocere nisi cùm pluribus visum est.* Id est cùm Rex aut Magistratus beneficijs suos volunt consolari subditos, non indigent aliorum consilio; cùm gratias elargiri decernunt, non est vt suos inquirant consiliarios: nam in hoc peccare non possunt; cùm verò supplicia determinare, delinquentes castigare conuenit, id non sine plurimorum debet fieri consilio atque consensu; nam faciliter hîc grauissimè peccari & iustitia lædi potest. Ideò Iupiter, vt fingebant Poëtæ, benefaciendi mortalibus solus habebat potestatem; de malefaciendo autem ac damna inferendo, deorum debebat vti consilio. *Ergo*, dicit Seneca, *discant hoc ij, qui eam magnam potentiam inter homines adepti sunt sine consilio nec fulmen quidem mitti, aduocent, considerent multorũ sententias, placida temperent, & hoc sibi proponant, vbi aliquis percuti debet,* nec

Fulminum duo genera, & quare?

Seneca. lib. 2. c. 43.

net Ioui quidem suum satis esse consilium. Audistis qui populis præestis à Deo fratres vestros regere constituti, qualiter dum pœnas infligitis, vos gerere debea is Intellexistis Principes, Ma   a es, Nobiles, qui subditos habetis & à Domino super ipsos potestatem acceptam exercetis, dum gratias elargiri vultis, facite sine consilio aliorum ; cùm autem supplicij fulmen emittere conuenit, sententiam plurimorum ante executionem inquirite; conuocentur senes, prudentes, docti, practici, & non interessati; & secundùm eorum & vestram longam et maturam causæ examinationem, suppliciorum fulminetur sententia , specialiter cum causa magni momenti, & de vita ac honore familiarum agitur. Nam & cæca gentilitas hunc procedendi modum in ipso Ioue fingebat, & nocendi absque aliorum deorum consilio potestate priuauit. *Nec Ioui quidem suum satis esse consilium.* Si ergo Ioui, vt Seneca dicit, sine aliorum deorum consilio suppliciorum fulmina vibrare minimè licebat, quis hominum tantæ esse velit præsumptionis, vt in suppliciorum deputatione ac sententiæ latione, suo soli consilus consilio, aliorum despicere velit.

Psalm. 88 Ad hæc sciendum est, vt Regius vates Psalmo octuagesimo octauo in Deo supremo judice ac omnium aliorum norma & exemplo aduertit, judicibus ac regentibus & pietatem & iustitiam inesse debere: his enim Dei solium cùm pro tribunali sedet, instructum esse attestatur. *Iustitia & iudicium præparatio sedis tua.* Per iudicium intelligatur pietas, quæ exercetur, cùm recto iudicatur modo delinquens. Sic qui gubernat, duos debet habere assistentes : Rigorem & Pietatem & his suum debet stabilire imperium. Cuius symbolum tertio libro Regum capite decimo Rex Salomon in suo mysterioso ac pretioso expressit solio, quæ inter alia

Iustitia ac pietate opus habent iudices vti duabus manibus.

3. *Reg.* c. 10.

ornamenta duas habebat manus , vnam à sinistris, alteram, à dextris, vt sacer dicit textus, *hinc atque inde tenentes sedile.* Per quas ostendere volebat , solium iudicis & clementiâ & rigore, & pietate, & iustitiâ firmari debere, & his in socias adiunctis felicissimum fore imperium & regimen, vt ipsemet clariùs Proverb. cap. 16. & capite vigesimo attestatur, *Iustitiâ firmatur solium , & roboratur clementiâ thronus eius.* His enim & vita & auctoritas , & fortunæ , & quidquid Rex aut Iudex habere potest, custodiuntur, atque ab omni malo & aduerso præseruantur casu, vt idem sapientissimus Rex clarissimis attestatur verbis. *Misericordia & veritas custodiunt Regem.* Nam, vt Liranus in hunc dicit locum, *Iustitia misericordiâ temperata custodiunt Regem & Regnum.*

Prouerb. c 16. & 20.

Liran hic.

O pretiosissimas, ò charissimas manus! quam verum, per vos firmari regna, à vobis omnem iudici ac principi venire gloriam atque honorem! O miserum ac infelicissimum regnum! cuius Rex ac moderator his priuatur manibus. Infortunatos subditos, quorum gubernatores in his non dextri sunt. O infausta Respublica! quæ has perdidit manus & in qua nec vmbra iustitiæ, nec imago pietatis atque clementiæ apparet. Quomodo qui truncus est manibus, contra suos se non potest defendere hostes, neq ; vti armis, quam linguâ, & obmurmurando, obiurgando, vociferando, detrahendo, blasphemando; sic infelici contigit regno, vbi hæ duæ desunt manus : nil aliud auditur, quàm blasphemiæ, murmurationes, detractiones, mendacia, periuria, vndiq; clamor & vociferatio atque contentio, ita vt iam non regni, sed veræ confusionis ac Babyloniæ imaginem præseferat, & Respublica, cui cælum permittit aut iniustum aut crudelem Principem, nil aliud quam extremam debet sperare ruinam: nam sine pietate & absque clementia, & quando afflicti

afflicti non ſubleuantur, ex quo veræ releuationes exurgunt ſine iuſtitia, quando rei non caſtigantur, ex quo variæ naſcuntur inſolentiæ, vbi iuſtitia non eſt, delictorum vulnera non curantur, vnde creſcit eorum fœtor atque putredo; vbi clementia non eſt, exacerbantur & ferrum ſanguine madet. Abſque iuſtitia Regnum eſt confuſio Babylonica; & ecce tumultus exurgentes. Abſque pietate Regnum eſt verè Tyrannis, & ecce coniurationes. Vbi iuſtitia non eſt, omnis virtus proſcribitur, & ecce abundant vitia. Vbi non eſt pietas, omnis gratia atque bonum euaneſcit, & ecce omnis infelicitas atque miſeria ſuperueuit. Habeant ergo Principes atque Rectores has duas nobiliſſimas manus: ſtet à dextris ſolij eorum pietas, & à ſiniſtris iuſtitia. His duabus firmetur, & ſic ſtabile atque firmum erit Regnum & principatus eorum.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt Matth. cap. 5. legitur, in monte ſuos congregat diſcipulos, & de iuſtitia ad ipſos habet Sermonem, plurimi laudibus illam effert eiſque commendat, & qui verè eam ſectantur, beatificat. *Beati qui eſuriunt atque ſitiunt iuſtitiam.* Sed quod animaduerito, eſt, quòd immediatè miſericordiæ ſubiungat laudes, & huius amatores atque ſectatores etiam beatos deprædicet, dicens: *Beati miſericordes,* volens hac ſubiunctione & immediatâ ſocietate ſuos diſcipulos, & nos omnes docere, Rectores atque Superiores præ manibus debere habere iuſtitiam, & aſſociare illi miſericordiam: nam alias, ſicuti iuſtitia abſque miſericordia, non iuſtitia, ſed crudelitas eſt; ſic miſericordia abſque iuſtitiæ rigore, non miſericordia, ſed relaxatio eſt. Audire vobis lubeat Sanctum Antoninum Florenticum. *Recti poſt iuſtitiam ponitur miſericordia, quia ita coniunctæ ſunt, vt vna alterâ debeat temperari. Nam iuſtitia ſine miſericordia eſt crudelitas, & miſericordia ſine iuſtitia eſt remiſſio & diſſolutio.* Ergo Rector atque Superior ita iuſtitiæ rigorem, miſericordiâ temperare debet, vt nec miſericordia ſola dominetur, nec iuſtitiæ ſolius appareat imperium.

Matt. c. 5.

Anton. Ep. Flor. tom. 4 tit. 7. cap. 6.

Dato ergo caſu, quòd hæ duæ virtutes Iudicis atque Rectoris manus ſint, pariter omnino agere atque operari debeant; attamen miſericordia dextra ſit, & in iuſtitiæ actu primas habeat partes, omnino neceſſarium eſt; & hac magis gubernator atque ſuperior gaudere debet, ac iuſtitiâ. Pro cuius virtutis confirmatione cauſam indagare libeat. Cur, quęſo, Hebraicus populus Chriſtum hominum Regem proclamauit, & corona reuoluit, quando eis in monte tantùm præbuit conuiuium, & tot millia hominum piſcibus & panibus ſatiauit, cum tamen alias multò prodigioſiora feciſſet miracula? cur putatis hoc factum? aut quæ cauſa huius reſolutionis fuit? Legite Ioannem & reperietis ſuperabundantem miſericordiam, pietatem atque clementiam, quam in Chriſto Saluatore deprehenderant, hanc in eis excitaſſe mentem atque cauſaſſe reſolutionem, *Miſereor ſuper turbam.* Certè Venerabilis Beda à Sancto Thoma citatus in Cant. opinatur, ſolam miſericordiam eſſe conſtitutiuam Imperij, atque hanc conſtituere Reges atque Imperatores. Verba eius hæc ſunt: *Homines volunt Regem pium ad regendum.* Inde volens Xenophon lib. 8. de præceptis (Cyri) inſtruere principes in modo gubernandi, & cum perfectione hunc actum docere, vult ipſos Deum imitari, & huius gubernandi modum ipſis vt normam ac regulam præſcribit, qui hanc magnam atque vaſtiſſimam mundi machinam ſummâ gubernet miſericordiâ, pietate, atque clementia. Audite eius verba: *Clementiâ autem Princeps Deo maximè ſimilis efficitur, cui pro-*

Miſericordia ac Clementia dextera regentis eſſe debet.

Ioan. c. 6.

Beda citat. à S. Thom. in Cant. hîc.

Xenophon.

prium

prium est benefacere omnibus & parcere delinquentibus. Ecce N. N. quàm propria, essentialis atque connaturalis clementia atque piatas est Principi atque Superiori; nam vt bene Democritus apud Laërtium in viris Philosophorum docet, huius intuitu creatur Princeps Populi, Superiores constituuntur homines, non vt rigorosos, sed pios ac clementes se exhibeant, & subditorum subueniant necessitatibus, & eos in miserijs subleuent, *Princeps non ideo creatus est vt lædat, sed ut juuet.* *Democrit.*

Sanctus Ioannes Apocalypsis capite quinto rapitur in ecstasim, & ecce ostenditur ipsi Agnus occisus, *Agnum stantem, tanquam occisum.* Vlteriùs videt quomodo solus hic Agnus occisus, inter omnes creaturas dignus repertus fuerit, mirabilem quendam aperire librum, qui septem magnis fuerat clausus ac signatus sigillis: quod cùm vidissent viginti quatuor adstantes senes, ilicò in terram ceciderunt, & adorantes Agnum, infinitum ei reddebant honorem atque gloriam. Verba sacra hæc sunt: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem & gloriam, & benedictionem.* Beatus Thomas de Villa-noua inquirit rationem cur hi senes huic Agno occiso tantum tribuerint honorem, & cur priùs quàm librum aperiret, gratias egerint? Respondit dicens: *Mox vt cæli cultores Agnum tamquam occisum, conspexerunt, dixerunt voce magnâ clamantes: Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Id est, quando cæli incolæ, & spiritus illi beati Iudicem vniuersorum in forma Agni, & quidem occisi, viderunt, & sic mansuetum ac pium aspexerunt; non expectarunt vt sigilla frangeret, sed incontinenti vt Regem, Iudicem & Deum proclamarunt.

Apoc. 5.

B. Thomas de Villa-noua Serm Dom. 3. Ad.

Superiores Agni esse debent, secundùm clementiã.

In hunc finem credo Sanctos antiqui testamenti Patres, dum salutarem Gubenatorem populorum in suis peterent orationibus, hunc in forma Agni desiderabant, vt apud Isaiam capite decimo quinto habemus: *Mitte Agnum Domine, dominatorem terræ.* Et non abs re sic orabant, vt Sanctus Antoninus de Padua animaduertit, qui Sermone de Dominica Septuagesimæ sic horum Sanctorum formatorationem: *O Domine Pater emitte Agnum, non Leonem; Dominatorem, non vastatorem terræ.* Percepistis Gubernatores & Præsides populorum: Agni debetis esse, non Leones: Dominatores, non vastatores. Pietas, misericordia, atque clementia præ omnibus alijs virtutibus vobis colenda est, vt subditi vestri vos ament & libenter obediant. Attamen nec Iustitiæ rigorem debetis ad partem ponere, vt byscoli, ac insolentes vos timeant, & sic à malis abstideant.

Isai. c. 15.

S. Ant. de Pad. serm. de Domin. Septuag.

Secunda conditio atque qualitas Rectorum atque Gubernatorum est, vt sint homines boni, qui Deum timeant, atque continuò ante oculos habeant. Tales vult esse Iethro, qui post verba hæc, *Prouide autem de omni plebe viros potentes;* subiungit *& timentes Deum,* id est, Gubernatores ac Præsides aliorum bonæ ac honestæ debent esse vitæ; alijs in omni opere honesto, & virtute bonum præbere exemplum, & nullus in moribus aut operibus quantum possibile est, debet esse defectus, nec procedendi ipsorum modus aliquâ signari notâ aut turbari maculâ. Nam si Superiores atque Præsides tales fuerint, & populi quibus præsunt, tales erunt. Cùm Romanus Senatus de Censoris ageret electione, ac quisquis sua daret vota, ait Trebonius Pollio, Valerianum magnæ authoritatis virum sequentibus verbis suum protulisse votum. *Ille de Senatu indicet qui nullum habet crimen: cui nil potest*

Exodi. cap. 18.

Regentes sint timentes Deum.

Trebon. Poll. in vita Valer.

potest obijci. & prudenter dixit; nam magis Rectorum mouent exempla, quàm doctrinæ, atque leges: semper enim subditi suis quærunt se conformare Superioribus. Vnde Claudianus *Claud.* in suo Panegyrico ad Honorium cantauit:

Non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita Regentis.

Ideo ad rem Bethsabea libri tertij Regum capite primo loquitur, cùm dicit, oculos omnium in Dauidem fixos *3. Reg. c. 1.* esse, & solum eius inspicere agendi modum: *Domine mi Rex, in te oculi respiciant totius Israël.* Itaque sine macula & absque omni defectu sint, & ita vitam suam gubernent vt subditorum nullus in ijs taxatione quid dignum reperiat, vt omnes tam ad diuinarum, quàm humanarum legum excitentur obseruationem. *Exod. c. 28.* Libro Exodi instruit Deus Moysem, & dat formam habitus, quo summus debebat indui Sacerdos Aaron, cum in publicum procederet, & inde omnes posteri sumerent normam atque exemplum. Inter alia obseruanda iubet vt rationale collo eius appendeat, atque in illo sculpat *Doctrinam & Veritatem*; *Lect. Septuag.* Septuaginta interpretes habent, *Illuminationes & perfectiones.* quibus insinuare voluit Dominus de pectore Rectoris radios doctrinæ & suauitatis exire debere, vt his subditorum affectus ad operandum excitentur: nam vt lux de nocte lucens debent subditis præire, & vt dux per incognita loca illos tenentur ducere sanctitate, & ad Dei legum obseruantiam inducere. Tales vult eos Christus esse Matth. c. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

Huius veritatis clarissimum habemus in Scirptura sacra exemplum; libro secundo Paralipomenon capite trigesimo tertio, vbi sacer textus Regis Manassis describens vitam, ac eius plurima scelera enarrans, dicit: *Fecit malum coram Domino, iuxta abominationes gentium.* *2. Paral. 33.* Sed quid mala hæc eius vita operata sit, quales produxerit in populo effectus, sequentibus verbis declarat. *Igitur Manasses seduxit populum, habitatores Ierusalem, vt facerent malum super omnes gentes.* Malo exemplo & pessimâ illâ vitâ talia peccata in populo causauit Manasses, qualia inter gentes non audiebantur. Quòd autem eius pessimæ vitæ exemplum, tantæ efficaciæ fuerit, probat contextus Scripturæ: nam ne verbum quidem reperitur, ex quo probari possit, aut verbis, aut præceptis, aut promissis, aut minis, aut quocunque alio modo atque artificio populum & incolas Ierusalem ad Idololatriæ incitasse & commouisse cultum, aut in alios induxisse errores; sed solo suo pessimo exemplo ad tot abominationes eos allexit. Sic Hugo Cardinalis in hunc habet locum: *Seduxit exemplo.* *Hugo Card. hîc.* Sufficientissima atque efficacissima causa tot malorum in populo erat Manassis vita, & peruersus eius viuendi modus, qui populo ob oculos versabatur: nam talis vita non indiget aliâ arte ad seducendos subditos. Quod Dei spiritus sequentibus dicere voluit verbis: *Qualis Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea.* *Eccles. 10.* Vult ergo quispiam vestrûm vitæ normam alicuius populi, alicuius congregationis, aut domus penetrare, is Gubernantis ac Rectoris consideret vitam; si hic bonus ac sanctus & timens Deum est, vniuersi se illi conformare studebunt; si malæ ac peruersæ vitæ est, vniuersi laxis frænis post ipsum current. Ergo cùm exemplum in Gubernatore tantæ efficaciæ sit, debent Christiani Rectores præ omnibus laborare hoc suis præire subditis. *Timentes Deum.*

Superiores leones sint secundùm virtutem. Ex hac bona vita atque Dei timore velut quodam limpidissimo fonte clarissimi erumpunt riuuli, qui impediunt ne iudices tam facilè à suis gubernentur passionibus & secundum illas

illas suos instituant actus, & ad hanc vel illam partem passionatos aut præcipites in ferenda sententia se exhibeant; sed firmiter stent, & semper vt purissimi ac imperturbati riuuli iustitiæ præbeant limpidissimas aquas. Audite quàm ad rem sapientissimus Rex Salomon, Superiorem, Rectorem, Magistratum, & Iudicem describat atque depingat. Verba eius hæc sunt: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Prou. 30. Expositores Scripturæ communiter dicunt Salomonem ad litteram per hunc Leonem voluisse describere boni Rectoris ac Præsidis naturam ac vitæ constitutionem, & qualitates ac conditiones eius depingere; qui leo esse debet, qui fortissimum est animal. Sic omnis quisquis sit si in Cathedra regiminis sedet, fortissimus esse debet, nec passionibus, nec sanguine parentum, nec precibus amicorum, nec proprijs emolumentis vinci, nec magistratuum respectu, nec potentum minis, ad iniustam proferendam sententiam inclinari; contra omnes affectus intrepidus sit oportet, nullo respectu nec ad sinistram, nec ad dextram moueatur. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Qui contrarium facit, non est Leo nec Iudicis nomine dignus, sed crudelissimus vrsus est. Hoc ipsum Ecclesiastes capite septimo insinuat sequentibus verbis: *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates,* Eccles. c. 7. volebat dicere: Minimè pro iudice vales, minimè subditos regere dignus es, si contrariæ parti aures præbes, & ad iniquam proferendam sententiam eius induceris potentiâ. Si bonus vis esse, superior, debes *irrumpere iniquitates;* sint potentes, magnates, sint Principes, sint Reges, sit imperatores, sit in periculo vita tua, debes *irrumpere iniquitates, ad nullius pauere occursum,* & dignam atque iustam proferre sententiam. Glossæ verba super hunc locum, vobis percipere lubeat. *Debet quisque proprias virtutes perpendere, & pro quantitate virium curam aliorum suscipere, ne dum delectatur, loco gloriæ fiat à subditis auctor ruinæ, & qui grauatur pondere suarum velit fieri Iudex alienarum culparum.* Glossa hic. Ergo Iudex nullo debet laborare respectu, nec precibus potentum, nec magistratuum minis, aut proprio commodo, à iusta sententia proferenda impediri; aliàs non erit Leo, & consequenter Iudicis officio, & alijs præesse indignus. Ideo in Prouerbijs capite vigesimo quarto scriptum est: *Cognoscere personam in iudicio non est bonum.* Prouerb. 24. Non est fortis Leo, qui dum in iudicio sedet, personas respicit ac statum iudicandi considerat. Hac de causa Athenis mos erat, de nocte, & in tenebris audire litigantes, proferre sententias, ne Iudex ex facie amicum vel inimicum cognoscere, & respectu eius ad falsam ac iniustam ferendam sententiam moueri posset. Nam, vt Salomon dicit in Prou c. 28. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit.* Prou c. 28. Cæcus debet esse Iudex, fortissimus Leo debet esse gubernator, qui nullorum mouetur respectu. Audite quid doctissimus Liranus in hunc locum de his superioribus dicat, Liran. hic. qui ex affectu iustitiam administrant. *Condescendens alicui plus debito ex aliqua praua familiaritate, non bene facit iste, quia declinat à rectitudine iustitiæ.* Qui hoc facit, non est bonus Iudex, non est Leo fortis, qui amicorum precibus motus, sententiam aut prolongat & differt, aut iniquam pronuntiat. Debet esse Leo qui est *fortissimus bestiarum & ad nullius pauebit occursum.*

Tertia conditio ac qualitas, quæ in Iudice ac Rectore requiritur, est veritas. *In quibus sit veritas.* Id est, debet esse amicus veritatis, amare veritatem, non falsum bonum, & bonum falsum pronuntiare. Nam si Iudex & Rector veritatem non diligit, & leges secundum suum trahit placitum, sic tra- [Regentes sunt amantes veritatis]

ctat, veritatem contra suam conscientiam impugnat, nil boni, sed omnia mala expectanda sunt in Republica vel congregatione cui talis præest. Et ad rem Dauidicum illud Psalmi quinti ipsi conuenit, *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Die ac nocte meditatur quomodò aliquam deprauatum & iam corruptam possit reperire legem, vi cuius in amici vel consanguineorum fauorem falsam ac iniustam possit proferre sententiam; ex hac iniquæ meditatione ac iniquissima radice, tot iniquæ in viduarum ac pupillorum damna pullulant prolatæ sententiæ. Vnde bene illis exprobrando obijci potest illud eiusdem

Psalm.81. Prophetæ, *Vsquequò iudicatis iniquitatem?* Interlinealis hunc locum explicans

Interlin. sic habet: *Iniqua iustitia proferendo.* Do-

Liran.hic. ctissimus Liranus sic scribit: *Iudicatis iniquitatem, Iustificando propter fauorem.* Volebat Regius dicere vates: Quousque Iudices, & Rectores vestræ durabunt iniustitiæ; quando desistetis leges pro vestro beneplacito sicut cereum nasum trahere quaquauersum? quoadusque tam enormi iniuriâ proximum vestrum afficietis? non estis Iudices, non estis Leones, *qui ad nullius pauet occursum.* Et in quibus *sit veritas.* Ve-

Iudices iniqui sunt fratres Pilati. races ergo Iudices esse debent, & non Pilati fratres, qui nesciebat quid veritas esset, vt apud Ioannem cap. 18. legimus & propterea à Christo petebat, quid hoc sibi verbum vellet *Veritas*; rarum & admirabile ipsi aliquid videbatur; ignota ipsi erat lingua. Igitur petit: *Quid est veritas?* Ideo aptus ad gubernandum non erat, fortis leo non erat; nam ad quemcumque Hebræorum occursum terrebatur & iniquissimus erat Rector, vt effectus sententiarum prolatarum demonstrarunt; inter quas principem locum tenuit, quam contra innocentissimum Christum, ne Hebræum populum & Cæsarem offenderet, pronuntiauit, & sanctum, ac iustum ad crudelissimam condemnauit mortem crucis.

Sit vltima conditio atque qualitas Iudicis, quòd non sit auarus, lucri cupidus atque munerum amator, ne his excæcetur, vt quæ iusta sunt minimè videre possit. Hanc qualitatem senex Iethro etiam in iudice requirit, *Et qui oderint auaritiam.* Qui vult esse Iudex, Superior, vel Rector, non debet esse amator pecuniarum, non debent ipsi arridere munera, non sit homo qui aliquorum illicitorum negotiorum famâ laborat, non vsurarius, sed omnium horum cordialis osor; *quia* (vt doctissimus Liranus hîc dicit) *homines cupidi propter munera de facili deflectuntur à iustitia.* Plutarchus apud Pierium lib. 10. Hieroglyphicorum, refert Ægyptios & incolas Thebensis ciuitatis suis iudicibus statuas consecrasse quæ truncis manibus erant, quibus significare volebant, iudicem ad munera accipienda, ad diuitias congregandas truncis manibus esse debere; nam si ad munera oblata manus extendere possit, in summo erit periculo iustitiam corrumpendi, quæ nullo modo, etiamsi totus offerretur mundus, corrumpi aut violari debet.

Iudex non sit auarus aut munerum amator.

Exod c.18

Liran.hic.

Plutarch. apud Pior. lib. 10. Hierog.

Sanctus propheta Ezechiel cap. 17. suarum Prophetiarum describit Nabuchodonosoris vitam & sub illa ac symbolo omnium Gubernatorum atque iudicum deprauatorum qui intuitu munerum iustitiam violant, ad litteram reprimit, dicens: *Aquila grandis magnarum alarum plena plumis plena vnguium?* Secundùm interpretum explicationem vult dicere Propheta, Rex hic potentissimus generosissima fuit Aquila, latas ac longas habuit alas, & plenus erat plumis, id est, per longa spatia suum dilatauerat Regnum, & potentiæ suæ extenderat alas, & thesauros innumerabiles habebat. Sed dic mihi Propheta, Quomodo & vnde

Ezech.c. 17. Lect. Septuag.

Aquila pel- na vnguiũ symbolum auarorum Iudicum.

de hæc omnia habuit? Formam Aquilæ ac corporis dispositionem inspicere lubeat, facilè deprehendes. *Plena vnguium* erat hæc Aquila, à capite vsque ad pedes nil aliud videbatur quàm varij & acutissimi vngues, quibus per fas & nefas quæcunque obuia sibi arripiebat, & congregabat, ac sanguinem & sudorem pauperum subditorum colligebat. Tales omnes Iudices Aquilæ sunt, qui muneribus seducuntur, & auaritiam non odiunt. Quid ergo boni de tali Iudice expectandum est? qualem iustitiam administrare potest qui munera respicit, quæ etiam cæcorum excæcarent oculos? Tales, destructio & ruina Rerumpublicarum, Regnorum atque imperiorum sunt.

Quid aliud, innocentes subditi, afflicti & oppressi à talibus expectare possunt, quàm summas afflictiones & calamitates? Væ vobis ô Iudices! veniet tempus, quando deplorabitis sempiternis lachrymis vestras iniustitias. Væ vobis! *qui conuertitis in absinthium iudicium.* Amos Propheta c. 5. dicit, ac talibus improperat. Ah quot pupilli, quot viduæ, quot innocentes à talibus plenis absinthio tristes discedere coguntur! væ væ, væ vobis, *qui conuertitis in absinthium iudicium.* Audistis N. N. qualitates boni Iudicis & quas conditiones qui regere ac præesse vult, habere debeat. Et hæc pro primo sufficiunt puncto.

Amos c. 5.

PVNCTVM SECVNDVM.

ET *Iustitiam in terra relinquitis.* Id est, vt Gloss. moralis hîc explicat; *iustitiam propter munera diuitum omittendo.* Non fit nec administratur iustitia, ob diuitiarum cupiditatem, ob munerum acceptionem, & quia diuites plenis accedunt manibus ad iudicium, & iudicum implent marsupia. N. N. quis hominum est qui hæc audiat, & præ dolore cor eius non scinditur! ô misera ciuitas! ô desolata Respublica! ô ruinæ proximæ congregatio! cui tales præsunt Rectores. Quomodo pauperum panis à talibus absinthio miscetur, quomodo contra omnem iustitiam potus eorum amarissimo miscetur felle, quot miseri & afflicti in desperationis cadunt barathrum! Et hæc & infinita alia mala horum Rectorum insatiabilis auaritia, auri, ac argenti cupiditas causat. *Grandis culpa* (exclamat in hunc locum Rupertus Abbas) *magnæ damnationis causa, conuertere dulcedinem iudicij in amaritudinem iniquitatis, & pulchritudinem Iustitiæ in horrorem clamoris.* Aurea certè verba, quæ omnis Iudex, aut Rector suo deberet insculpta portare cordi. Audiamus Prophetam Dauid, quid de talibus sentiat Psalmo quinquagesimo quarto: *Labor in medio eius & iniustitia.* Glossa interlinealis addit, *in iudicijs faciendis.* Id est, in tribulationibus vbi iustitiæ locus est, & iustitia administranda esset, & subditi ac afflicti angustiati & oppressi subleuationem reperire deberent, summos reperiunt dolores. Ah quot pauperes & miseri negotiatores post plurimos annos litis, plurimis factis expensis, oblatis muneribus, etiamsi in fauorem putent recipere sententiam, & iustissimam causam habeant, & ab omnibus ob hoc iam ipsis congratulatur, contrariam experiuntur ab iniquissimo iudice. *Labor in medio eius & iustitia in iudicijs ferendis.* Et omnia hæc mala insatiabilis causat cupiditas; hoc tamen Iudices ac Rectores scire debent se non absolutos esse Dominos, & Iudices, sed tantum vices gerentes ac vicarios Dei supremi Iudicis. Sic attestatur Iosaphat Rex lib. 2. Paralipomenon c. 19. *Non enim hominis, sed Dei exercetis iudicium.* Ideo liber esse debet ab omni auri cupiditate & purus ab omni interesse, & mercedem suam non ab hominibus, sed à Deo expectare, quoniam Deus qui ipsum iudicem & suum locum tenentem

Rupertus Abbas hîc

2. Paralip. c. 19.

tem constituit superabundè omnem laborem ipsi soluet atque retribuet.

Pro fine huius primæ partis vnicum addam consilium. Audistis quanta mala populis immineant, quibus iniusti, auari, non timentes Deum, imprudentes præsunt Iudices ac Rectores, & bona quæ speranda sunt cum sapientes, prudentes, fortes animo, Deum timentes, & auaritiæ osores à Deo donantur. Vt ergo ex vltimis & non primis habeamus, & in nostris eligamus congregationibus, Deum inuocemus vt mentes nostras illuminare dignetur & tales nobis proponere Iudices placeat, qui & suæ se voluntati conformare sciant, & iustitiam in veritate administrare didicerint; sic perpetuâ fruemur pace & quiete. Interim quiesco.

Pars II.

PVNCTVM TERTIVM.

EXaminauimus primâ parte conditiones ac qualitates, quas Iudex habere debet, si in cathedra Moysis, id est, superioritatis sedere velit, vt dignè suum exequi valeat officium: Nunc breuitate quâ possibile est sacerdotalem examinabimus dignitatem secundùm communem opinionem Doctorum, per Moysis Cathedram symbolizatam, & quale laicis exemplum dare teneantur, inuestigabimus.

Nullum dubium est, quin maximum fauorem Diuina Maiestas suo exhibuerit populo, & summo ornauerit priuilegio, cùm suum charissimum seruum Moysen in ipsius pastorem, ductorem, gubernatorem atque iudicem constituerit, supra cuius cathedram Scribæ & Pharisæi ac eius Successores, & populi Rectores sedebant. *Super cathedram Moysa sederunt Scribæ & Pharisæi.* Sed etiam verissimum est, multò maiorem gratiam, multò excellentiorem fauorem, Christum Saluatorem nostrum suo populo Christiano exhibuisse atque præstitisse, cùm Principem Apostolorum Sanctum Petrum suum Vicarium, ac locum tenentem, Rectorem, Iudicem, Superiorem ac caput Eccesiæ præfecit, & in Sacerdotali constituit gradu, atque hac excellentissimâ sublimitate exornauit.

Matth. c. 23.

Dignitas Sacerdotalis maior quam Angeli.

Certum est N. N. si humana lingua excellentiam sacerdotis exprimere atque describere vellet, obmutesceret: Angelica, si dignitatem quam puro homini Deus tribuit, cùm sacerdotali eum ornat honore, exprimere conaretur, insufficiens esset. Hæc enim tam alta, tam sublimis, atque excellens est, vt omnem aliam, etiam Regum atque Imperatorum superet dignitatem. Vnde meritò S. Augustinus in spalmum septimum exclamat: O *veneranda sacerdotum dignitas! in quorum manibus velut in vtero Virginis Filius Dei incarnatur. O sacrũ & celeste mysteriũ! quod per vos Pater & Filius, & Spiritus sanctus operatur Vno eodemq; modo idem Deus, qui præsidet in cælis, in manibus vestris est in Sacramento Altaris.* O inexplicabilis sacerdotalis dignitas! quæ longè lateque omnis Monarchiæ excedit splendorem atque excellentiam. Non mea hæc est sententia, ô Reges ac Domini; sed sancti Ioannis Chrysostomi. *Sacerdotium Principatus est, imò etiam regno venerabilius, ac maius.* Et tanta eius excellentia atque dignitas est, vt non solùm omnem huius mundi excedat dignitatem, verùm etiam dicere audeo Angelicam superare excellentiam. Verum est extremum amorem Deum Angelis in ipsorum creatione exhibuisse, & in summa constituisse excellentia, cùm tot præclaris ornasset donis, & incorporeos suos esse liberos in voluntate potentes in potestate, nobiles ex origine, veloces in motu constituisset, Maxima certè dignitas atque excellentia Angelorum est, Sed cui Angelorum,

S. August. in Psal. 7.

S. Chrysost. Homi. 5. de ver. Is.

rum vmquam cœli tradidit claues, & custodem suorum fecit Thesaurorum? *Cuinam Angelorum* (sanctus Ambrosius libro tertio de sacerdot.) *dixit Deus: Tibi dabo claues regni cœlorum?* Et nihilominus has claues, quas Angelicis spiritibus confidere non placuit, hominibus in sacerdotes electis atque creatis tradidit; nam his, & non Angelis hæc verba dicta fuerunt: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum.* Veritatem huius doctrinæ ex Apostolorum probabo Actibus. Capite decimo mittitur à Deo Angelus ad Centurionem, vt ipsum in fide illuminet atque instruat; sed tamen opus perficere non potuit, neque ausus fuit ipsum baptizare, sed ad sanctum Petrum mittit. Cur autem? non habebat claues paradisi. Poterat ipsi bene viam paradisi ostendere, ad portas eius perducere; sed aperire non potuit. *Cuinam Angelorum dixit Deus: Tibi dabo claues regni cœlorum?*

S. Ambros.

Matt. c. 16.

Actor. 10.

Summa ergo sacerdotalis est dignitas, vnde meritò sanctus Augustinus libro de Dogm. Ecclesiæ, sequentia protulit verba: *Nulla maior dignitas sub cœlo, quàm Sacerdos Dei, ad cœlestia Sacramenta pertractanda consecratus.* Et sanctus Bernadus: *O praclara & veneranda sacerdotis potestas! cui nihil in cælo, nihil in terra valeat comparari.* Sanctus Ioannes Chrysostomus magis laudes eius exaggerat. *Quod cum hoc honore conferri potest, à terra iudicandi principalem auctoritatem sumit cœlum: seruus sedet iudex in terra, & Dominus sequitur eius sententiam, atque confirmat; vt quidquid in inferioribus iudicauerit, hoc ille superius comprobat.*

S. Aug. lib. de dogm. Eccles.

S. Bern. serm. 1. in fest. SS. Petri & Pauli.

S. Chrys. hic.

Audistis sacerdotes & venerabiles presbyteri atque clerici, in quam alto & honorabili nos posuit statu diuina Clementia. Igitur dignum atque iustum est, vt considerationis oculis hunc consideremus, & gratiam ac fauorem quem vobis Deus fecit, cùm te præ omnibus alijs ad hanc elegerit excellentiam, examinemus, & de modo hunc conseruandi & nostram authoritatem quam à Deo habemus stabiliendi, & tam altam gratiam atque excellentem fauorem conseruandi congitemus. Ad quod faciendum atque præstandum S. Ephrem sermone primo de sacerdotibus deuotis nos exhortatur verbis his: *Genu posito, lacrymis, atque suspiriis oro, vt hunc sacerdotij Thesaurum inspiciamus: Thesaurum, inquam, his, qui eum dignè & sanctè custodiunt.* Genibus flexis hic sanctus vir sacerdotalem gratiam nobis commendat, sacerdotij Thesaurum, quem à Deo recepimus lacrymis orat, vt curæ habeamus atque diligenter custodiamus; nam summus Thesaurus sacerdotium est, qui illud dignè portat atque in sanctitate custodit.

S. Ephrem serm. 1. de sacer.

Vim ergo nobis, & carni nostræ atque passionibus inferamus, vt tantum Thesaurum custodire & sic viuere valeamus, vt proximi splendoribus boni exempli instruantur, ac ad virtutem sectandam excitentur. Ideo S. Paulus Apostolus primâ suâ Epist. ad Timoth. capite quarto, dicit sacerdotem purissimum speculum absq; vlla macula esse debere, secundum quod laici suam possint dirigere vitam. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in fide, in castitate.* Et S. Chrysostomus dum hoc Apostoli verbum, *Exemplum.* ponderat, sic dicit? *Speculum vitæ quod omnibus ad imitandum proponitur.* Id est, sacerdos debet esse speculum, quod cùm laicus intueatur, in illo videat *doctrinam sanam, integritatem, vitæ grauitatem, humilem atq; externam Angelicam compositionem.* Similia S. Bern. sermone vigesimo nono in Paralip. habet, vbi sic loquitur ad sacerdotes: *Sic debet conuersari vt ex moribus exterioris hominis qui videntur, existimetur compositio interioris animi, quæ non videtur.* Idem Epistolâ ducentesimâ primâ dicit pulcherrimum ordinem & diuinam esse inuentionem, vt qui alijs onera imponere à Deo constituti sunt

1. Timot. cap. 4.

S. Chrysost. hic.

Sacerdotes alijs bono præluceant exemplo. *S. Bern.*

S. Bern. Epist. 201.

sunt, ipsi priùs portent & grauitatem, pondus, ac molestiam eorum probent, antequam alijs imponant. *Pulcherrimus ordo & saluberrimus; ut onus quod portandum imponis tu portes prior.* Sic ô Sacerdotes, atque Deo sacræ personæ, vobis viuendum est; non vt Pharisæi faciebant, quia grauia onera subditis imponebant; ipsi autem digito attingere ea detrectabant: magnam in populo requirebant sanctitatem; ipsi autem illam minimè curabant: plurima facere docebant, ipsi autem nil horum in actum ponere cogitabant. *Dicunt & non faciunt.* Insupportabilia onera nouorum præceptorum, atque ordinationum excogitabant, atque subditorum imponebant humeris, ipsi autem nec minimum portare volunt. *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum; digito autem suo ea mouere nolunt.* Sed decipiebantur atque semetipsos fallebant: nam verba sine operibus nullius efficaciæ sunt. Aliter docere, & aliter facere scenicæ nugæ sunt, quibus audientium aut delectantur aut exacerbantur animi; nam si verba atque doctrinæ socium non habent Bonum exemplum, nullius sunt valoris. Et hæc est causa cur Christus tanto tardauerit tempore suâ instruere homines doctrinâ; volebat enim priùs in seipso illis doctrinæ suæ exhibere exemplum, & demum docere. Sic habemus Act. Apostol. c. 1. *Cœpit Iesus facere & docere.*

Si autem contrarium fecerimus, continget vt malo exemplo nostro causa peccatorum simus, & sic in bona consequentia non tantùm de nostris, verùm etiam alienis reddenda à nobis erit ratio. Hæc peccata illa sunt pro quorum remissione tantas fundit preces sanctus Dauid Propheta Psalm. 18. vt Nicephorus opinatur in hunc locum. *Et ab alienis parce seruo tuo.* quia fortè animaduertebat se suo malo exemplo alijs occasionem peccandi præbuisse & peccatorum à suis subditis commissis causam fuisse. *Psal. 18. Niceph. hic.* Concludo ergo hunc meum discursum, quòd si volumus vt doctrina nostra, & illa quæ docemus, vim atque efficaciam habeant, & laici illa amplectantur, vitâ nostrâ ac moribus bonis præcedamns, & vt sol luceamus: hoc facientes hîc habebimus gratiam, & posteà gloriam & præmium sempiternum, quod mihi & vobis concedet Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus. Ite in pace. Amen.

DIS-

DISCVRSVS XIII.

PRO DIE MERCVRII POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Tractatur de vana cupiditate bonorum, & prima parte puncto primo, vanitas eorum demonstratur. Puncto secundo exhibentur pericula, quibus se exponunt, qui anxiè & auidè illos desiderant ac inquirunt. Secunda parte puncto tertio tractatur de obligatione, quam parentes habent ad filias & filios in virtutum via ac Dei timore educandos.

Thema.

Accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi, cum filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Matth. cap. 20.



Deò in humano pectore ardet desiderium, & feruet cupiditas aliis dominandi, vt nullam prætereat occasionem, nil intentatum prætermittat, nec tam arduum quid sit, quo terreatur, quo minus per quascunque vias, honores inquirat, excellentias affecter, & dominia desideret. Christus noster Saluator hodie, vt in sacro habemus Euangelio, cum suis discipulis conuersatur, & de pœnosa ac dolorosa sua passione miscet sermones. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis; & condemnabunt eum morte.* Et ecce mulier quædam huiuscemodi desiderijs inflammata, Apostolorum penetrat agmen & Christum aggreditur. *Accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filijs suis.* Importuna sanè importuno tempore, dum Christus de opprobrijs, flagellis, tormentis, quæ Hierosolymæ passurus erat, illa pro filijs regna, coronas, dominia, præcedentias atque excellentias supra omnes alios, & in præsentia omnium petit atque postulat. *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram, & vnus ad sinistram in regno.* Sed dulcis Christus ac mundi Saluator, auidos terrenorum honorum atque caducarum excellentiarum, & apparentium bonorum filios Zebedæi depræhendens, occulta atque sub his latentia pericula discooperuit atque patefecit. *Nescitis quid petatis.* Hæc non minus nociua, quam fallax, vanarum excellentiarum atque terrenorum honorum cupiditas, scopus mei erit discursus. Videbimus ergo primâ parte, puncto primo, quanta ipsis insit vanitas, Secundo puncto pericula ac mala quibus se illi exponunt, qui anxiè illos desiderant, examinabimus. Secundâ parte, puncto tertio, de obligatione parentum tractabimus ad filios atque filias in virrutum via & Dei timore educandos.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. Matth. Cap. 20.

TAmetsi in hoc misero exilio ac proscriptionis termino, cor humanum plurimorum cupiditate & desiderio ardeat, illaque possidere omnibus modis adlaboret, atque in his deceptam suam felicitatem ponat; nihilominus tria supra omnia alia appetit ac desiderat: Vitam, Sapientiam, & Imperium. Et nil mirum. Vitæ desiderium ac appetitus est ipsi connaturalis, in quo Philosophus suum fundauit axioma libro secundo Physicorum, *Omnia appetunt esse.* Inde à cunctis, licèt miseram aliqui ducant vitam, desideratur & auidè procuratur eius duratio ac prolongatio. Quis hominum non miserrimam dixisset vitam illius Rodiani, de quo Plutarchus libro secundo, cuius membrorum crudelissimi carnificis ferro vnum post aliud abscindebatur, & corpus in omnibus mutilabatur, ita vt in proprio sanguine balnearet, & tandem aluiario inclusus, ad Tyranni recreationem miseram cogebatur ducere vitam. Quis non dixisset, inquam, miserum hunc millies & millies desiderasse mori quàm sic viuere? nihilominus adueniente carnifice qui mortem per ictum offerret, pro vita deprecatus est, dicens; *Sat est viuere.* Id est, noli occidere me; nam liceat miserrimus omnium mortalium sim, in hac tamen parte quòd viuo, me aliquando felicem æstimo. Sic bene: capite quadragesimo septimo legimus sanctum illum Patriarcham Iacob, cùm centum triginta traduxisset annos, & hos

Arist. lib. 2. Phys. Tria sunt quæ homines in hoc mundo maximè desiderant: Primum est vita.

Plutarch. lib. 2.

plenos miserijs, laboribus, sudoribus, hinc inde per hoc exilium vagando transegisset, nihilominus præ vitæ desiderio eius dies paucos, imò quasi nullos æstimasse. *Dies peregrinationi vitæ meæ centum triginta annorum sunt parui & mali.* In laboribus, periculis, sudoribus, ac continuis aduersitatibus S. Iacob hos centum triginta consumpserat annos; & tamen & vitæ appetitu ac viuendi desiderio pauci videbantur. Sed malè homo desiderat præsentem vitam, & contra omnem rationem, tam auidè ipsius desiderat prolongationem: nam vita præsens non est vera vita, sed nomen tantùm veræ retinuit vitæ. Non est vita, sed vna pœnosissima ac continua mors: vita quæ miserias & pœnas nimium prolongat, gaudia verò ac recreationes nimium abbreuiat: vita cuius calamitates ac miseriæ veræ, gaudia verò & delectationes falsæ & imaginariæ sunt: cuius dolores immensi, consolationes paucæ ac breuissimæ sunt. Vita plures habet dolorosas cogitationes, angustias ac dolores cordis, quam annos, menses, dies ac horas habeat.

Genes. c. 47.

At non minus est desiderium atque appetitus Sapientiæ, hincque homini æquè connaturalis est. Dico, vt Arist. Princeps Philosophorum, libro primo Metaphysicorum docet, *Omnis homo naturâ scire desiderat.* Ideo tot videmus, qui nullo alio quàm sciendi desiderio ducti, patriam deserunt, parentum ac amicorum dulcissimâ conuersatione se priuant, mille periculis vitam suam exponunt, annos multos in studijs consumunt, sanitatem lædunt, oculos libris continuò inuigilantes destruunt, visum debilitant, & cùm mors illis imminet, non se morituros, sed tempus plura scribendi ipsi adimi dolent. Clarissimum in Solone Philosopho huius insatiabilis appetitus habemus exemplum, quem cùm mori contigisset & iam sibi instantem & omnino imminere cerne-

Secundum est Sapientia. *Arist. lib. 1 Metaphys.*

Laërt. in vita Philos. cerneret mortem, vt Laërtius in eius refert vita, profundissimum ex pectore suo emisit suspirium. O mors! non mihi amarus & ingratus es hospes quia vitam mihi demis, sed ideò quòd tempus vltrà philosophandi ac sciendi plura mihi abbreuias. Tales sunt qui nullas delitias mundi, nulla terrena gaudia, præ acquisitione scientiæ ac doctrinæ æstimant. Omnia præter scire & cognoscere despiciunt & nil æstimant. Horum hortus sunt libri; delitiæ & gaudia, dubia, & quò obscuriora eò iucundiora; difficultates gemmæ atque thesauri; resolutiones ipsorum gustus, consolationes, delectamenta. Sed quid Philosophorum vobis adduxi exemplum? inspicite primum hominem, considerate sciendi ac cognoscendi eius desiderium & appetitum; pro certo præ hoc nec sibi mortem imminentem curauit, nec tot mala quæ sibi & toti suæ posteritati comminata erant, æstimauit, & omnibus his, se, suosque posteros audacter exposuit, vt sciret bonum, ac cognosceret malum quod ignorabat. Sic habemus Genes. cap. 3. *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum* O quàm magnum ac æstuans in homine sciendi est desiderium! quàm effrænata cognoscendi ipsi inest voluntas! quàm immenso sapientiæ appetitu animus eius ardet!

Tertium est honor & regnandi gloria. Magna quidem hæc duo enarrata humani cordis sunt desideria feruentissimi appetitus, sed in illius comparatione quo animus & cor hominis regnare desiderat, parui & minimi, imò nihil æstimendi sunt. Hominem dixi pro omnibus desiderare vitam & ad prolongandam illius summo ferri appetitu; iterum dico & non nego, sed tamen hanc vt regnare possit non æstimat, vt alijs præesse valeat, mille illam euidentissimis, exponit periculis. Vnde S. Augustinus ad propositum sat bene in *S. August. in psal. 5.* primum Psalmum sequentia scripsit verba: *Num verè quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam?* Magnus atque excellens in suo palatio, infimus in suo tugurio, diues inter suas diuitias atque thesauros, pauper inter necessitates, artifex in sua officina & pastor in suo tentoriolo etiam hoc ardet desiderio, & dominandi tenetur cupiditate. Et quid homines non tentarunt, & quid non egerunt; vt regnare ac præesse possent? qualia non excogitarunt media atque vias? quas inventiones non inuenerunt? quas vias non transierunt? quàm horrenda scelera atque inaudita crimina non commiserunt; Ille violauit leges, hic despexit atque vilipendit patriæ commodum atque vtilitatem: ille occidit patrem, hic fratri ademit vitam, hic destruxit & demolitus est ciuitates, hic desolata reddidit regna: ille sanguine madefecit atque irrigauit terram, hic ab hominum cruore rubescere fecit maria. *Quidnam agat regnandi cupido.* Quot valles cadaueribus hominum impleti in montes conuersi sunt? O æterne Deus! quid tandem execrabilis illa dominandi auiditas in hoc mundo intactum reliquit? Circumagite curiosi oculos vestros in quamcunque mundi partem, legite & relegite historiarum annales, rememoremini sæculorum, vndique recentissima signa auiditatis regnandi atque dominandi cupiditatis recentissima ac crudelissima deprehendetis indicia. Ipsa est monstruosa illa mater, quæ tot suspicionum generat filias atque amicas, tot interesse inter cognatos atque consanguineos, infidelitatem inter confœderatos, & crudelissima ac iniustissima bella inter Principes ac magnates. Hoc regnandi desiderium, infamis ille latro atque fur est, qui regna, prouincias & ciuitates, dulcissimâ & charissimâ spoliauit pace, & ad tam enormem peruenit audaciam, vt etiam in sacratissimo collegio Apostolico discordias seminare, & indignationes excitare volue-

rit, vt in hodierno Euangelio videre liquet. *Indignati sunt de duobus fratribus,* Ecce discordiæ & indignationes. *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dextram, & alius ad sinistram in regno tuo.* Ecce ambitio & vana auiditas & inordinata dominandi cupiditas; quæ tantum potuit, vt non solùm discordes faceret Apostolos & ad indignationem excitaret, verùm etiam ipsum Christum; qui tamen patientia ipsa erat, commoueret; ideo respondit, & duris verbis ipsorum depressit regnandi cupiditatem: *Nescitis quid petatis* Ac si diceret: Stulti ac fatui, nescitis quid petatis: hæ vestræ supplicationes superbæ, vanæ, ambitiosæ, ac inutiles sunt: hæ sufficientes sunt Apostolicum conturbare collegium & plurima excitare & causare mala. *Nescitis quid petatis.* Et meritò commouetur Christus, & his duris verbis ipsorum excipit petitionem; reuerà enim nesciebant, quid quærerent, cùm vnus ad dextram, alter ad sinistram Christi in mundi regno sedere prætenderet, cùm mundi regna aliud non sint quàm vanissimæ ac falsissimæ prosperitates, & deceptoriæ consolationes; ut ad rem
Eccles. c. 1. Salomon Eccles. cap. 1. illa depinxit, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Obueniat memoriæ vestræ, N.N. famosum illud miraculum, quod in monte sterili inter saxa & vepres, inter spinas & lapides Hebræo populo à Christo fuit exhibitum, cùm non solum quinque millia hominum quinque panibus, & duobus satiauit piscibus, verùm etiam tanta superfuit copia fragmentorum, vt illis duodecim impleti sint cophini. Miraculum hoc certè erat, quod mille modis eius diuinorum attributorum dispersit splendores, vt prouidentiam, sapientiam, omnipotentiam, clementiam, iustitiam, maiestatem, sanctitatem & immensitatem Christi filij Dei & hominis, quibus populus ille commotus Regem Christum constituere decreuerat, & Iudaici populi coronam capiti eius imponere & Israëlis sceptrum eius tradere manibus. Quod cùm Christus Ioan. c. 6. præuidisset, & iam sibi turbas approximare deprehendisset, in alium altiorem & magis solitarium; vepribus ac satis spinis ac scopulis repletum montem fugit, & ibidem se abscondit. *Cùm cognouisset Iesus quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem.* Et quis nouus atque extraordinarius modus hic procedendi est? Quanta Alexander passus est, vt imperij attingeret culmen? & Cæsar in Hispania? Pompeius in Armenia? Scipio in Africa? & marcus Antonius in Oriente? & Ecce Christo Redemptori nostro absque labore & sudore offertur regnum, & ipse fugit in montem. Hæc fuga Christi, dicit Glossa, fuit nobis instructio, mundi regna, imperia, atque dominia minimè appetenda, nec auidè desideranda aut inquirenda esse; & felicitates atque excellentias huius vitæ nullo modo æstimandas: imò abominandas, abhorrendas ac fugiendas esse, quia stabilitatem in ijs homo reperire non potest, cùm naturâ suâ instabiles, transitoriæ, inconstantes ac mutabiles sint, & nihil firmitatis aut stabilitatis habeant. Glossam percipere libeat, quàm claris Glossa hîc. dicat verbis. *In hoc dans exemplum nobis fugiendi honoris.* In confirmationem huius sanctus Chrysostomus ab Hugo- S. Chrys. ne Cardinale hîc citatus sequentia scripsit verba: *Quid vtique fugit? erudiens nos mundanas contemnere dignitates.* Rationabiliter autem hodie Christus duris alloquitur verbis Iacobum & Ioannem, & ad rem valde, pro quibus mater regnum petebat, sequentibus alloquitur verbis: *Nescitis quid petatis.* Nam in veritate vani sunt fumi, & vt Sapiens dixit, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Nec transeundus hîc est alius pulcherrimus Scripturæ locus Marci c. 9.

valde ad rem & propositum nostrum seruiens enarrat Euangelista, quomodo sancti Apostoli quæstionem quadam vice inter se agitauerint, quis ipsorum primus, supremus, ac maior esset. Et Euangelista notat hanc quæstionem motam ac agitatam fuisse, dum Apostoli itinerantes ambularent. *Siquidem in via disputauerunt, quis eorum maior esset.* Subintrat hîc Sanctus Hieronymus, & causam atque originem huius quæstionis inquirit; specialiter autem huius, quod dum itinerantes ambularent, & nondum sederent, de maioritate, atque præeminentia inter se altercati sunt; & valde ad rem, vt doctissimè mouit dubium, sapientissimè respondet, dicens: *Rectè in via tractabant de principatu, similis tractatio loco. Principatus enim vt ingreditur, sic deseritur, & dum tenetur, labitur, & incertum est, in qua die finiatur.* Volebat dicere sanctus vir: Ad rem & rationabiliter Apostoli dum itinerarent, de honoribus, dignitatibus ac præeminentijs miscebant sermones, quia similes sunt loco quem transibant & in quo firmi non persistebant, quem si quis transit, subitò derelinquit, ô! Qui maria transmeant, dum terram non cernunt & in medio vndarum feruntur, firmos se stare opinantur, & tamen velocissimè currunt, nec sic currentes securi sunt vbi firmiter mansuri sunt. Tales sunt honores, ac dignitates mundi; vix acquiruntur, & ecce iam transierunt, & dum tenentur, amittuntur, nec scimus quo tempore, quo die, quâ horâ cursum absoluturæ sint.

Mar. c. 9.

S. Hieron. citatus à Glossa.

Audite quæso Sanctum Iob; quàm appositis verbis hominem ad honores & dignitates eleuatum depingat. *Eleuasti me* (dicit) *& quasi super ventum ponens, illi sisti me validè,* ac si diceret: O Deus meus! in tantum me eleuasti, vt altitudinem loci vbi venti habitant superarem. Sed quid? Subitò in momento, maximâ meâ verecundiâ in terram me cecidisse deprehendi. Horsum, dicit Sanctus Gregorius pontifex, nemini videatur mirum, dignitates, excellentias, honores, atque præeminentias huius mundi, per ventum designari: nam sicuti hic cùm in superiore regione aëris flatu suo dominatur, mundum deijcere ac vniuersam eius machinam inuertere velle videtur, in vno momento sistit, gradum figit, vires perdit, & omnino euanescit; sic & honores, cum supra stellas hominem exaltare & veluti ventus omnes alios de sedibus suis deturbare videntur, in vno momento, cùm fortunæ mutatur rota, sistunt cursus, & vix habiti ac possessi, vento citius fugiunt atque euanescunt, infelicissimum habent exitum, quia nulla ipsis inest stabilitas, constantia atque firmitas. Audiamus verba Sancti Doctoris, quæ quidem pauca, sed valde grauia; *Præsentis vitæ gloria quasi in alto cernitur, sed nullâ stabilitate solidatur.*

[H]onores ...nti. [Io]b c. 30.

S. Gregor. lib. 20. moral. c. 27.

Inuitat te mundus ad vanos eius appetendos honores; sed scis tu quinam vel quales sint? Attende ad Sancti Regis Dauid verba, & illa bene perpende, & subitò capies qui & quales sint, *Mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient.* Id est, cùm in culmine gloriæ ac honorum sistitur atque deprehenditur cosmophilus, tunc casui proximus est & in momento veluti fumus tota eius fugit atque euanescit gloria. Et non abs ratione mundi gloria atque honores fumo comparantur; nam, vt Liranus hîc dicit, *quantò plus fumus exaltatur, deficit; sic impij quantò plus fuerint exaltati, in præsenti vita, tantò magis deprimentur in futura.* Fumus quò altiùs eleuatur & sursum se erigit, eò magis euanescit; sic cum impijs in hac agitur vita, quantò maiores delitiæ in hoc mundo, tantò maiores miseriæ in altero: quantò maiora gaudia in hac vita, tantò maiora tormenta in altera: quantò

Euang.

Psalm. 36

Liran hîc.

quantò maiores sunt dignitates, honores atque præeminentiæ in terra, ad quas eleuantur, tantò maiores infamiæ atque vituperia erunt in inferno, ad quas deprimentur. Ergo ô Christiane! cùm fallax mundus suas tibi offert dignitates atque honores, ad illas acceptandas te inuitat; scire te velim nil aliud quàm ad leuissimum acceptandum te inuitare vaporem, ad parum fumi, ad vmbram fugacem & quantocyus in nihilum reducendam; nam verissimum est, huius mundi honores fumum esse, qui vix ortus euanescit vt Eccles. attestatur. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Eccles. c. 1.

Admirabilis fuit visio illa Sancti Zachariæ Prophetæ capite sexto. Iubetur ab Angelo oculos suos versus montes levare. Quod cùm fecit, deprehendit quatuor currus siue quadrigas inter duos montes egredientes, qui summo ferebantur impetu. *Leuans oculos meos, & Ecce quadrigæ egredientes de medio duorum montium.* Stupefactus atque attonitus Propheta & eorum celerem admirans cursum, Angelum sibi adstantem alloquitur: Quid hæc Domine mi? qualis est hæc visio? quid equi sunt isti? quisnam his insidet quadrigis? quid sibi volunt, & quò tendunt suo velocissimo cursu? Respondit Angelus dicens: *Isti sunt quatuor venti cæli qui egrediuntur.* Quo audito tacet Propheta, & sicco hoc responso est contentus, nec quomodo vocentur, nec quò tendant & quorsum suum dirigant cursum, aut quid acturi sint, & quænam eorum sit commissio vel expeditio; sed, ac si in omnibus his sufficienter informatus fuisset, tacet.

Zach. c. 6.

Sed ego non contentus nec satisfactus, hoc Angeli responso, quæro: Si quadrigæ & currus erant, quæro: Si venti ab Angelo nuncupantur? *Isti sunt quatuor venti.* quæ connexio inter quadrigas & ventos esse potest? aut quæ similitudo in rebus sibi tam contrarijs? Quadrigæ ponderosæ sunt, venti leuissimi: quadrigæ stabiles, venti instabiles: quadrigæ currunt atque ducuntur per complanatas vias, & sui transitus notas atque signa post se relinquunt; venti per aëra volant, & transitûs nullum relinquunt signum, & volando atque flando euanescunt. Ecce mysterium latet, dicit Liranus. Hæ quatuor quadrigæ quatuor monarchias mundi adumbrant, atque dignitates & honores mundi significant: quæ cùm instabiles & inconstantes sint, non immeritò nec irrationabiliter ventis assimulantur. *Isti sunt quatuor venti.* Id est, dicit Liranus, *quatuor Regna ad modum ventorum per terras discurrentia.* Dicam ergo ventos esse regna mundi? Ita Venti sunt Regna ac imperia: venti dominia, & excellentiæ: venti præeminentiæ omnes venti dignitates: venti felicitates: venti prosperitates: venti omnes honores mundi. Prosperi atque felices in hoc mundo fuerunt Pharaones, Saules, Salomones, Nabuchodonosores, Cæsares, Darij, & tot alij Reges atque Monarchæ veteris legis atque testamenti; sed vbi nunc tot & tantæ ipsorum prospiritates? vbi tot honores, præeminentiæ ac dignitates? Quasi fumus transierunt, & velut vmbra transierunt; atque vt venti euanuerunt. *Ad modum ventorum per terras discurrentia.* In cuius confirmationem Philon doctissimus Hebræus, libro quòd Deus sit immutabilis, sic loquitur: *Nil est in humanis rebus præter vmbram, auramque leuissimam sine mora præteruolantem.* Ergo meritò dico falsas esse dignitates, falsas præeminentias omnes, vanos omnes honores. In summa, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Liran. hic.

Philon. lib. quod Deus sit immutab.

Iterum dico felicem mundanum in suis prosperitatibus atque felicitatibus vento flanti similem esse, qui dum flat per aëra & impetuoso suo fertur cursu, præsefert ac si cuncta sibi obuia, atque

que

que obstantia terræ mundare vellet; sic prosperi atque felices huius mundi, nullum æstimant, omnes vilipendunt, cunctos despiciunt, & omnes sibi obstantes annihilare velle videntur; & Ecce in vno momento & prosperitas deficit, felicitas abscedit, dignitates ac honores euanescunt, præeminentiæ vel, ut fumus atque vmbra fugiunt ac euanescunt & totum mutatur in propriam ruinam. Sic illis eueniſſe Regius attestatur vates: *Vidi impium superexaltatum & eleuatum; sicut cedros Libani, & transiui, & Ecce non erat.* Eodem modo Sanctus Gregorius Papa loquitur: *Præsentis vitæ gloria quasi in alio cernitur, sed nullâ stabilitate solidatur.*

Psal. 36.

S. Greg. lib. 20 moral. c. 24.

Et forsan figuræ sacris desunt litteris; quibus ostendere & manibus quasi palpandum exhibere poterimus, dignitates, honores, excellentias atque prosperitates huius mundi instabiles & inconstantes esse; Somnium illud à Sancto Ioseppho patriacha habitum ac visum Genes. c. 37. cùm se à sole, luna cerneret adorari, symbolum atque figura instabilitatis atque inconstantiæ terrenarum excellentiarum fuit; nam si quis solem atque lunam respicit & contemplatur, firma & immobilia dicet corpora esse, cùm tamen vento velociùs currant & non stant fixa in cælo, sed velocissimo cursu spatio viginti quatuor horarum totam mundi machinam obambulant; ad vnguem sic se negotium cum mundi habet prosperitatibus. Oculis nostris honores, dignitates præeminentiæ mundi vt stabiles ac constantes præsentantur atque exhibentur, cùm tamen in veritate rei inconstantissimæ, vanæ, ac instabiles sunt, & veluti fumus & vmbra transeunt. Sic Philo Hebræus loquitur: *Videtur enim & ipse mundus stare, hæreredę, quantumuis vtatur motu ocyssimo, nullam non prævalente creaturam. Nam interdiu solem, noctu lunam stare imaginantur oculi corporis, cùm nemo sciat, horum siderum cursum esse concitatissimum quæ totum cælum intra vnum diem obeant: sic & vniuersum cælum quod stare videtur, in orbem circumuoluitur.*

Honores ad instar solis ac lunæ instabiles.

Philo lib. de conf. ling.

Sanctus propheta Ezechiel stabat quadam die ad ripam fluuij Chobar & decurrentes contemplabatur aquas; & Ecce ex improuiso maximus ventus à partibus Aquilonaribus exurgit, atque vehementissimo flatu resonare incipit, Vertit se Propheta, & versus illas partes indagat quid sibi tam inopinata velit commotio, & Ecce videt sibi obuiam venire per aëra monstrosissima animalia. Sic textus sacer habet: *Cùm essem iuxta fluuium Chobar, & Ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, & in medio eius similitudo quatuor animalium.* Non terretur Propheta hac visione, nec ad horum animalium pauet, aduentum, sed pedem figit, oculos acuit, atque summâ diligentiâ cuncta perlustrat, & Ecce mirabiles quasdam notas vicinas animalibus deprehendit. *Cumq; aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram iuxta animalia, habens quatuor facies, & aspectus rotarum.* Admirabilis certè visio? Qualia vel quæ hæc erant animalia? quales vel quæ erant rotæ? Doctissimus Hugo Cardinalis mysterium nobis reuelauit, docens; quatuor illa animalia significasse quatuor monarchias mundi, vt Nabuchodonasoris, Cyri, Alexandri, & Cæsaris, & rotas ipsorum denotasse imperia atque dominia. *Per rotas autem volubilia regna eorum, per quatuor mundi partes dilatata significantur.* Sed ô immortalis Deus! quam connexionem inter se Regna, Imperia atque rotæ habent? quid regnis cum rotis, & rotis cum regnis? Hoc est mysterium; rotæ imperio connectuntur, Regnis associantur, vt eorum inconstantia, ac dignitatum atque excellentiarum, instabilitas demonstretur quæ sicut rotæ inconstantes, nunquam stant, sed semper currunt ac mouentur

Regna sunt rotæ quadrigarum.

Ezech. c. 1.

Card. hic. Hugo

tur. Audire vobis libeat Sanctum Gre-
Gregor. Nazianz. Orat. 27. gorum Nazianzenum, quàm eleganti-
bus verbis eorum describit instabilita-
tem oratione vigesimâ septimâ: *Naturâ*
quippe nihil est in rebus humanis firmum, &
æquabile ac durabile, atque eodem statu con-
stanter manens: verum res nostræ velùt orbe
quodam voluuntur, alias alio tempore, sæpè
etiam vno eodemq; die, atque etiam interdum
horâ mutationes aduehente. Quam insta-
bilitatem pulcherrimis descripsit ver-
sibus materna lingua deuotissimus Aloy-
sius Nouar. de risu Sacerdotum.

Altra stabilita non; vè nel mondo
Chel' instabilita, chemai non manca.

Vult dicere, terrenis bonis aliam stabi-
litatem non inesse, quam ipsam instabi-
litatem, quæ semper ipsis adest, & nun-
quam deficit. Quis est qui Christum in
Regiam ciuitatem Hierosolymam in
die Palmarum intrantem conspiciens,
eius considerans triumphum; non stu-
pore plenus & attonitus tantam admi-
retur gloriam, & tam pomposum atque
gloriosum introitum? tam ex parte
Christi, qui Rex Regum erat, & ipse
Instabilitas honorum patet exemplo Christi. Deus, quàm ex parte cæremoniarum
accedentium, vt erat societas Aposto-
lorum, comitatus totius populi, applau-
sus turbarum, laudes gentium, viæ coo-
pertæ frondibus oliuarum; terra atque
solum exornatum pretiosis vestibus,
gratiarum actiones Deo exhibitæ, illa
lætitia vniuersalis, & tot tituli honori-
fici quibus Christum afficiebant & post
Matt. c. 20. ipsum clamabant, vt habent Euangeli-
Marc. c. 11. stæ. *Ascendit Iesus Hierusalem*, Ecce Rex
Lucæ c. 10. regum & Altissimi filius, *assumpsit duo-*
decim discipulos. Ecce congregatio Apo-
stolorum. *& qui præibant, & qui sequeban-*
tur, Ecce comitatus populi. *clamabant*
dicentes: Hosanna, benedictus, qui venit in
nomine Domini. Ecce populi & turbarum
applausus. *Populi dicebant: Hic est Iesus*
Propheta à Nazareth Galilææ. Ecce genti-
um laudes. *Alij cædebant ramos de arboribus*
& sternebant in via. Ecce viæ, copertæ
frondibus. *strauerunt vestimenta sua in via.*
Ecce solum ciuitatis exornatum pretio-
sis vestibus. *Cœperunt omnes turba gauden-*
tes laudare Deum. Ecce lætitia vniuersalis
populi & gratiarum actiones Deo exhi-
bitæ. *Benedictus qui venit in nomine Domi-*
ni. Ecce tituli dati. Gloriosus certè ex
omni parte triumphus, & omni admira-
tione dignus, sed attendite, quæso, quàm
instabilis omnis hæc fuerit gloria & quam
citò in miserias sit commutata, & quæ-
nam ærumnæ tam gloriosum sint sub-
secutæ triumphum. Audite, S. Bernar-
dum sermone primo in Dominica Pal-
marum, quàm eleganter hanc vicissi- *S. Bern.*
tudinem atque instabilitatem mundi *serm. 1. in*
gloriæ describat: *Quis sperare iam debeat* *Dom. Pal.*
in incerto gloriæ temporalis, cùm videat in ipso
quoque, qui peccatum non fecit, creatore tem-
porum, & conditore vniuersitatis, post exalta-
tionem tantam, nihilominus humiliationem
sequi; & mox subiungit: *Hic est transito-*
riæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis.
Ideo bene & meritò Saluator ac Chri-
stus in hodierno Euangelio S. Ioannem
& Iacobum, qui à dextris & à sinistris in
suo sedere regno appetebant, ignorantiæ
coronat titulis, & ut fatuos, & nescien-
tes à se reijcit. *Nescitis quid petatis.* Nam
si bene consideraremus substantiam dig-
nitatum mundi, nil aliud quàm falsi-
tatem, instabilitatem & vanitatem re-
periremus. *Vanitas vanitatum, & omnia*
vanitas.

Adducam vobis ex prophanis hi-
storijs viuum huius veritatis exem-
plum in Augusto Imperatore; qui *Eccles. v*
cùm summa pace gubernasset & im- *suprà.*
perium Romanum in summa quiete
possedisset, & summo gustu mundum
quinquaginta annorum spatio gu-
bernasset, tandem experientiâ ipsâ e-
doctus, mundi dignitates ac hono- Agnoui
res instabiles, inconstantes, ac vanos hoc Au
esse, mundum appellauit fabulam, & stus Cæ
seipsum personam laruatam, & va- 33.
riæ ac ridiculosæ comœdiæ actorem,
& vt

& vt omnibus hanc opinionem & conceptum suum, quem de mundo conceperat demonstraret, & quòd in tali moretur opinione, scribit Suetonius, cùm iam vicinus esset morti ad circumstantes Principes, Barones, ac Nobiles, qui conona circumdabant moribundi Imperatoris lectum, suum vertisse vultum; ac ijsdem verbis, vltimum illis dedisse vale, quibus comœdiarum actores suos spectatores dimittere solent, dicens: *Ego quidem in hac mundi fabula satis commodè personam meam egi, valete ergo & plaudite.*

Suet. in Cæs.

PVNCTVM SECVNDVM.

NEque satis est mali, nihil stabilitatis esse honoribus ac dignitatibus huius mundi; hoc pessimum, quod possessores suos euidentissimo exponant periculo æternæ gloriæ perdendæ. Huius veritatis probationem apud Regium Psaltem inuenio Psalmo septuagesimo secundo, vbi considerato statu in dignitate positorum conuersus ad Deum sic loquitur: *Dejecisti eos dum alleuarentur.* Ac si diceret: Quid hoc sibi vult Domine mi? Ambitiosos eodem momento, illo puncto, quo ab honoribus, dignitatibus in solium gloriæ fuerunt positi, fecisti cadere de solio & altitudine, ad quam mundus illos euexerat, eosque deiecisti ac in terram elisisti? Sanctus Gregorius Papa huius tam subitaneæ mutationis pulcherrimam adducit rationem: *Eleuatio ipsa ruina est, qui dum gloriæ falsæ subnixi sunt, à gloria vera euacuantur.* Et hæc veritas tam infallibilis est, quòd regnandi ambitio ad tam periculosos perueniat terminos, vt ambitiosus Deum iam non curet, millies malit grauissima committere crimina, & horrendis Deum offendere sceleribus, quam suas amittere dignitates, atque dominandi potestatem deserere. Legite librum Exodi capite trigesimo secundo, & reperietis Moysem montem ascendisse, ibique vltra tempus de quo conuenerat cum populo, remansisse. Quod cùm populus vidisset, & Moysem iam mortuum, vel à Domino ablatum credidisset, ad Aaron Sacerdotem conuenit, & vt ad Idololatriæ peccatum inclinatus erat, Deos sibi fieri atque præponi à summo Sacerdote & Moysis vicario petit. *Fac nobis Deos qui nos præcedant.* Aaron videns furiosam ac rabidam populi resolutionem, consensit ipsius petitioni, & auri iubet congregare massam, ex qua vitulum formare fecit, & populo pro Deo honorando exhibuit, quod summo feruore populus adorauit, & Dei loco coluit, & Deo vero debitum negauit honorem. Subintrat hîc doctissimus Cardinalis Caietanus & hunc insanum Aaronis considerat actum, & dicit: *Vnde hæc insania orta est?* Quæ causa fuit tanti delicti ab Aaron commissi? Quid summum Sacerdotem induxit tanti sceleris populo se exhibere coadiutorem & tanti criminis se facere participem? Legite sacram Scripturam, reperietis in principio aliquam fuisse resistentiam, & in re tam mala se opposuisse aliquantulum populo, sed populus totus rebellis ac furiosus nouas faciebat instantias ac resolutè Deos petijt, & per fas & nefas Deos habere voluit. *Congregatus aduersus Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Quam furiosam resolutionem cùm Aaron inspexisset, timuit ne sinistri aliquid ipsi contingeret, & in temporalibus dispendium aliquod eueniret, & dominium ac imperium supra populum perderet, adeoque consensit, atque populum scelus hoc maximum patrare permisit. *Videtis vnde hæc insania Aaron orta est?* dicit Caietanus, *profectò ex affectu rerum temporalium, quas diuinis antepo-suit.* Obseruate N. N. respicite ambitionem & videte ad quos perueniat ter-

S. Greg. lib. 1 Reg. Epist. 5.

Honores exponunt periculo æternæ salutis.

Exod. c. 32

Caiet. hîc.

terminos, videris quomodo Deum non curat, & mavult grauissimo crimine eum offendere, quam dominandi perdere potestatem; & excellentiæ dimittere gradum. Ideo S. Augustinus in Psalmum centesimum tertium, ambitionem, periculosam, plenum scopulis ac saxis, semper turbatum ac inquietum, refertum piratis ac infinitis alijs periculis mare appellat. *Ambitionis mare periculosum est.* & addit rationem: *Mare hoc vorare magis suos nauigantes quàm portare consueuit.* Non fidas, ambitiose, nautico instrumento tui intellectus, non sagacitati tuæ chartæ, non credas Aquiloni flanti prosperarum fortunarum, dum minimè putas, navis tuæ prosperitatis scopulo illidetur, naufragium patieris & submergeris atque peribis. Non decipiaris inani & vanâ illâ spe te semper felicem mansurum; nam hoc mare naturâ suâ inclinatum est suos deuorare, absorbere, & ad infimas abducere abyssos; quia semper tempestuosum est, semper turbidum, semper inquietum: nunquam sedum, semper nauigantium semper inhiat ruinæ. Sanctus Iob capite vigesimo sexto dicit: *Gigantes gemunt sub aquis.* Sanctus Gregorius Papa libro vigesimo septimo moralium cap. duodecimo per has aquas intelligit populos, per Gigantes verò Superiores ac Prælatos, quibus licèt sub hoc onere flere atque gemere, & plurima pati omnino necesse ac conveniens sit; tamen hæc non curanti dummodo gubernandi ac dominand, habeant authoritatem atque regnandi gaudeant potestate. Verba eius sunt: *Gigantes gemunt sub aquis, quia elati omnes dum in hac vita assequi honorum celsitudinem incipiunt, sub ponderibus populorum gemunt.* Ergo cùm ambitio atque cupiditas gubernandi tam perniciosa sit ac possessi honores, & dignitates tot inferant & adducant homini pericula; atque felicitatis ac præeminentiæ amatores atque fruitores tot subijciant oneribus ac laboribus, ab omnibus qui cœlum inhabitare cogitant, & æternos honores amittere ac perdere nolunt, proscribendi sunt & vt pestiferi & mortem æternam afferentes ruinam fugiendi.

Ambitio mare.

S. August. in Psalm. 103.

Iob c. 26.

S. Greg. lib. 27. mor. c. 12.

Hinc N.N. tam innumerabiles Dei serui ac Sancti, non solùm hæc non inquirebant, oblata non acceptabant, sed angue peius fugerunt. Horum periculorum cognitio in Sanctis tam admirabiles causauit effectus: Imperatores, Reges suis spoliauit sceptris atque coronis; tot Principes atque Magnates sua fecit deserere dominia: tot excellentes atque insignes variarum dignitatum gradibus ornatos viros, humiles atque abiectos fieri fecit, & voluntariè pauperculo inclusit tuguriolo atque pro viribus omnes fugere ac execrari mundi fecit honores. Ideo Sanctus Ioannes Chrysostomus, vt Metaphrastes die vigesimâ septimâ Ianuarij refert, syluas atque nemora petijt, cùm ipsi offerrentur honores, & ibidem se abscondit. Sic Sanctus Ambrosius fecit, qui in solitudinem atq; densissimas fugit siluas, cùm ad dignitates quæreretur. Et Sanctus Cæsarius, vt Sanctus Cyprianus Martyr in vita eius attestatur, in cauernis ac mortuorum sepulchris se abscondit, dum ad Arelaten sis Episcopatus inquireretur infulam, & ibidem quasi viuus sepultus latuit, donec diuinâ reuelatione inuentus, & contra suam voluntatem ad Episcoparum assumptus fuit. Malachias Monachus, vt Sanctus Bernardus in ipsius attestatur vita, nunquam Archiepiscopatum acceptasset, nisi Ecclesiæ minis ac censuris id facere coactus fuisset. Venerabilis ille Paphnutius Abbas, vt Cassianus vitam eius describens attestatur, cùm cognouisset ex modo suo gubernandi se opinionem apud homines magni talenti ad regendum

Quomodo Sancti fugerint honores.

Metaph. die 27. Ian. in vita S. Ambros.

S. Cyprian. Mart. in vita S. Cæsar.

S. Bern. in vita Malach.

Cassian. in vita Paphnut.

dum habere, fugit & suum reliquit Prioratum atque Superioratum, & Tabenitarum accessit congregationem & apud illos hortulani egit infimum servum. Sanctus Thomas de Aquino recusauit hanc ob causam Archiepiscopatum Neapolitanum: Sanctus Bernardus Mediolanensem, & ne à Pontifice acceptare cogeretur, humilibus à Deo impetrauit precibus.

Et ne prolixitate meâ in vestris animis fastidij alicuius causa sim, finio hanc primam partem atque dico quantâ ratione conueniat omnibus tanto ardore non desiderare dignitates, nec tantâ auiditate currere post honores, & appetere Prælaturas ac Superioratus huius mundi, cùm Sancti à Deo illuminati quàm periculosi sunt, bene cognouerunt; ideo tantoperè fugerunt & abominati sunt illos. vnde & vos ad ipsorum exemplum non permittatis dominari ambitionem in vestro corde: sed illam deprimere & relegare conemini, quæ tot, tantisque laboribus, ac sudoribus vexatos, periculo exponit æternæ salutis. Audite sanctum Chrysostomum homiliâ trigesimâ tertiâ in caput duodecimum ad Hebræos, vbi sequentia habet verba: *Miror an fieri possit, vt aliquis ex Rectoribus sit saluus.* Et rationem reddit tanti periculi, quia non de suis peccatis tantùm, verùm etiam subditorum reddituri sunt ratio nem. Si ergo omninò honores ambire atque appetere vultis, mentes vestras eleuate & veros desiderate, qui alibi nunquam nisi in paradiso reperiuntur. Consilium hoc Sancti Gregorij Papæ est homiliâ decimâ quintâ in Euangelia. *Si culmen veri honoris quæritis, ad cœleste regnum tendite: si gloriam, dignitatem diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate,* Quiescamus.

S. Chrys. hom. 33. 12. ad Heb.

S. Chrys.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

Vidimus primâ parte huius discursus, quàm vanæ sint mundi dignitates atque gloriæ, & mala maxima quæ illis, qui anxiè & auidè illas ambiunt, adducant, examinauimus; ideo Christus, vt in hodierno Euangelio percepistis, sanctum Ioannem & Iacobum per matris supplicationem auidiùs eas ambientes, his alloquitur verbis: *Nescitis quid petatis.* Nunc breuiter examinabimus, ad quæ procuranda filiis parentes obligentur. In principio mihi occurrit Origenis admonitio ad parentes, qui ipsos Iob imitari exhortatur, & ad illum quasi prototypon mittit, vt discant in quibus pro filiis soliciti esse teneantur. Qui non in diuitiis congregandis pro filiis laborabat, non in honoribus & dignitatibus procurandis, sed vt Dei essent amici, cunctis agebat modis: ad id totum suum studium, omnes suos actus dirigebat: in hunc finem suas fundebat orationes & Deo sacrificabat, *Ne fortè peccent filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Ideò Origenes in laudem sancti viri sequentibus exclamat verbis: *O sinceritas patris! ô dilectio parentis! studium genitoris!*

Iob c. 1. Origenes in c. 1. Iob.

Quid de Tobia dicam, & summa eius solicitudine ac cura erga filium; qui semper & verbis & exemplo optimus ac perfectissimus ipsi extitit magister virtutum? Cum bonus & sanctus senex terminum suorum dierum attigisset, non in testamento faciendo; non quæ dominia, quos thesauros filio relinqueret, anxius erat; sed benè, quibus salutis verbis, pro vltimo vale eum instrueret, & salutarem doctrinam cordi eius imprimeret; ideò ipsum aduocat & lectulo adstare iubet ac senex hisce salutis verbis (quæ quicunque parentes semper in promptu habere, & filiis inculcare deberent)

alloquitur. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum; & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac Eleëmosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere.* Dicite mihi vos parentes mundani; dabitisne talia monita filijs vestris? instituitisne illos talibus præceptis? Suntnè eiusmodi vestri ad filios sermones? taliàne ipsis præbetis consilia? & tam salubribus monitis ipsos imbuitis? Dicetis: Pater, non. Quomodo ergo patres æstimari, & vocari vultis? Scio benè quales sunt doctrinæ vestræ, quibus filios atque filias instruitis; superbiæ sunt doctinæ, vindicandi modum docetis, & quomodo ad puncta honoris & vanitatis attendere debeant; ipsos exhortamini blasphemare, mentiri, & multa, prò dolor! alia maiora docetis. Si tu pater & mater filios atque filias tuas à teneris (vt aiunt) vnguiculis, diuinis imbuisses doctrinis, meliorem curam honestæ eorum habuisses educationis: iam non tam dyscolus ac insolens ipse filius, non tam effrons ac inhonestis moribus filia totum scandalizaret populum. Ideo vos parentes, si filios habetis, qui adhuc in teneris sunt, salutaribus imbuite doctrinis, virtutem amare instruite, Sacramentorum frequentem vsum ipsos docete, & in omni Dei educate timore. Si obedire, & bona quæ iubetis facere noluerint, in virga & disciplina pacis, ipsos instruite & docete Sapientis hoc consilium, Prouerb. cap. 23. *Noli subtraher à puero disciplinam.* Id est filius aut filia tua si in virtutum exercitio non sit diligens, tu in virga castigationis ne sis negligens, & ne cogites quòd forsan infirmetur aut moriatur, sponsorem pro hoc spiritum Dei habes. *Si enim percusseris eum virgâ, non morietur.* Sed cave ne castigationis virgâ moderationis atque discretionis terminos excedas, & ne cum illis agas ac si non filij, sed mancipia tua essent. Optimus autem educandi

Tob. c. 4.
Quid parentes debeant filiis.

Prouerb. 23.

modus bonum exemplum est, præbe ipsis tuâ bonâ vitâ manus, & induc in viam salutis; non dubium est, quin sponte te sequantur. Si tu bonus eris, filius & filia melior erit; nam difficile valde opus est, filium habere velle sanctum, cum tu ipse malus ac peruersus sis; filium velle habere sobrium, cùm tu ipse quotidie ebrius sis: filiam velle habere honestam moribus, cùm tu tuis deprauatis cunctos scandalizes: filium velle habere librorum amatorem, cùm tu ipse chartifoliorum sis: filium velle habere honestum atque pium, cùm tu ipse lasciuus sis, & maximè (notate quæ dico) cùm mater domi sit, quæ commoditatem peccandi dat filio, & quæ videt, se non videre simulat; & ita se gerit ac si nil de vitiis eius sciret, & malitias non cognosceret. Interroget quispiam, cùm paupercula aliqua vestrarum ancillarum suum perdidit honorem, quisnam prædo & latro hic fuerit? Respondebit atque in faciem tibi dicet tuum fuisse filium: ipse est hic latro, & fur qui meâ me spoliauit honestate, & pretiosissimam gemmam virginitatis mihi abstulit, quam super omnia animus honestæ æstimat mulieris. Fingite matres vos filiorum atque filiarum non penetrare actus, dissimulate cùm eorum peruerso agendi ac viuendi modo. Deus benè vidit atque annotauit, & quantocyus strictissimam à vobis petet rationem. Melius multò faceres, si tu in his occasionibus erga tuum filium, tuam filiam serpentis induceres naturam, & non talpæ; & vigilares & mille aperires oculos, nec duos, quos habes, volens clauderes.

O quàm bona mater! quàm sancta mulier fuit Sara illa, Genesis capite vigesimo primo, quæ cùm vidisset vnicum ac delictum suum filium Isaac jocis atque puerilibus ludis, cùm filio ancillæ tempus terere, subitò cucurrit ad maritum & factum enarrauit,

& vt

& vt opportunum poneret remedium anxiè sollicitauit, *Eijce ancillam & filium eius.* Nolo ipsum nec matrem ampliùs in mea pati domo, nec oculis meis intueri: nam meum seducit filium, ideò eijce ipsum & matrem eius quantocyus. O quot matres! ô quot patres ad infernum descendunt, eò quòd non habeant curam filiorum atque filiarum, quam habere deberent. Matres, quia defectus filiorum atque filiarum non reuelarunt maritis & patribus, sed cooperuerunt; patres, quia reuelatos vel cognitos non curarunt nec castigarunt; matres, quia errores filiorum atque filiarum non enarrarunt: patres, quia illos scire atque inuestigare neglexerunt; matres, quia dum viderunt, clauserunt oculos, ac si non viderent: patres, quia non aperuerunt, vt viderent. Ergo patres & matres, si ob filiorum atque filiarum inordinatum amorem non vultis in æternum condemnari, & beatificâ illâ Dei visione ac cælesti gloriâ in æternum vos ipsos priuare, illorum curam solicitam gerite; stulti & stolidi, priuati intellectu atque ratione, fatui & insipientes estis, si hoc non faciatis. Nam hi filij atque filiæ vestræ à vobis tam inordinato amore amati, sæpiùs pessimi omnium, maximi sunt vestri inimici atque inimicæ; hi & hæ sunt qui & quæ vestram desiderant mortem, vt ipsi & ipsæ dominari & bonis frui, & domini ac dominæ esse possint.

Glossa in c. 4. Isaia. Percipere ergo libeat vobis N. N. pro conclusione huius secundæ partis id quod Glossa ordinaria in caput decimum quartum Isaiæ Prophetæ enarrat. *Tu autem proiectus es de tuo sepulchro*, dicit filium Nabuchodonosoris Regis, cum mortuum suum videret patrem, & iam sepulchro tradidisset, dubitare & timere cœpisse, ne pater eius Nabuchodonosor, vt per Dei iustitiam in bestiam fuerat conuersus, & per eius misericordiam iterum ad hominis rediuit statum, nunc iterum à mortuis resurgeret & regnum recuperaret. Ne ergo huic subiaceret periculo & vt suum stabiliret regnum, atque imperium, iam sepultum cadauer patris sui, de sepultura extrahi, & in minutissimas concidi partes curasse, sic concisas trecentis auibus rapinæ deditis ad deuorandum exposuisse. Audistisne crudelius quid? posśitne esse maior inimicus patris sui, quàm hic erat perfidus filius? Quis vnquam mortalium etiamsi inimicorum maximo tam crudelem carnificinam parare potuisset, vt hic fecit ex regnandi cupidine male educatus filius. Videte ergo quomodo educetis ac ametis filios vestros. Eos amare non prohibeo, sed sic, ne ob ipsorum inordinatum amorem cælum perdatis: nam si sic amatis, iusto Dei iudicio inordinatum vestrum amorem extraodinariâ soluent inimicitiâ atque odio. Amate ergo filios & filias, sed sancto & puro amore, ne vos ac filij atque filiæ vestræ cælum ac paradisum perdatis, sed potiùs lucremini & simul possideatis æternam gloriam, ad quam me & vos omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus conducere dignetur, cui sit gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Crudelitàs filij Nabuchodonosoris in patrem mortuum.

DISCVRSVS XIV.

PRO DIE IOVIS POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

PRima parte inferni cruciatus describuntur, quibus miseri peccatores vsque in æternum torquebuntur. Secunda parte modus euadendi tam inaudita supplicia exhibetur, qui eleëmosyna ac pietas in pauperes est.

Thema.

Mortuus est diues & sepultus est in inferno. Luc. 16.



PAtientissimus Iob quadam vice, stultos & insensatos considerans peccatores; qui ad suum placitum, Deum totum benignum clementem, pium, ac misericordem fingunt; atque ideo bonos agere dies, mille & millenis criminibus ac sceleribus diuinam offendere Maiestatem nec curant, nec æstimant, nec vnquam recordantur quòd aliquando hora illa ventura sit (quæ forsan citiùs aderit quàm sibi imaginantur,) quâ de omnibus commissis peccatis reddituri sint rationem; & iustus iudex commissa scelera vlturus ac castigaturus, & contra ipsos in pœnam eorum condemnationis sententiam prolaturus, eosque in infernum detrusurus sit, in sequentia prorumpit verba: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* (Iob. 21.) Huius veritatis clarissimum exemplum, hodiernum exhibet Euangelium in Epulone diuite, de quo sanctus Lucas scribit: *Induebatur purpurâ, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Vestes erant pretiosæ, vti & cibus ac potus abundantissimi, & singulis diebus nulla alia illi erat cura quam epulari & comessari. Sed quid epulas has & tam licentiosum modum subsecutum est? & quem finem tot delitiæ & scelera commissa habuerunt? *Mortuus est diues, & sepultus in inferno.* Hoc tremendum iudicium huius Epulonis, occasionem mihi tribuit, pœnas ac supplicia, quæ condemnati in æternum patiuntur, pro scopo assumere discursus, vt sic aliorum damno ac exemplo addiscamus peccata euitare, & iam commissa per pœnitentiam, & vitæ mutationem abolere, & vt efficaciùs cordibus ac mentibus nostris horribilia hæc imprimantur tormenta, consilio sancti prophetæ pareamus, cogitationis pedibus ad inferni descendamus claustra, dum vitâ fungimur, ne fortè dum illam amisimus, præcipitemur ac detrudamur in illa. *Descendant in infernum viuentes.* (Psal 34.) Vbi sanctus Bernardus libro de vita solitaria subiungit, *ne descendant morientes.* (S. Bernar.) Secundâ autem parte modum liberandi nos de pœnis inferni, exhibebo, qui eleëmosyna & pietas erga afflictos

flictos ac pauperes est. Attendite ergo; nam spero discursum hunc ad Dei futurum gloriam & animabus nostris salutarem ac proficuum.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Mortuus est diues & sepultus est in inferno. Luc. c. 16.

INfernus N. N. vt de situ loci incipiam, in medio stat terræ & in ipsomet eius centro fundatus est, horroris timoris ac tormentorum locus, vbi damnati omnis generis cruciatus ac tormenta sustinent. Situs ex quo damnati & pœnis addicti omnia experiuntur tormenta, & nullius consolationis participes esse possunt; nec spem aliquam liberationis de tormentorum igne concipere, sed variis modis vsque in æternum illo se cruciandos clarè perspiciunt. Inde benè & summa cum veritate dici potest, omnes dolores, pœnas, tormenta, cruciatus, & mala omnia totius mundi, & quidquid humana mens excogitare tormentorum possit, si his comparentur, omni exceptione minora; imò vmbram ac somnium respectu illorum esse, & in infinitum acerbitate, amaritudine, & crudelitate ab his separari. Sic sanctus Ioannes Chrysostomus Homiliâ quadragesimâ nonâ ad populum attestatur. *Pone si licet ignem, ferrum, bestias, & si quid his difficilius; attamen nec vmbra quidem sunt hæc ad illa tormenta comparata.* (Chrys.)

Et ecce sic se res habet: nam si angustiæ & afflictiones huius vitæ aliquid amari in se habent, breues tamen & transitoriæ sunt; at inferni summam in se habent amaritudinem, & quod peius est, sempiternæ sunt: hæ leues sunt, dum vita nostra finitur, cessant, & illæ quoque finem habent; illæ verò acerbissimæ ac grauissimæ sunt, & dum vita finitur, modò incipiunt & in æternum durabunt. Vnde S. Isaias Propheta capite trigesimo tertio, vbi exaggerat inferni tormenta, ea insupportabilia prædicat, *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Quis vestrûm, in tali poterit habitare igne, qui carnes deuorat & de nouo deuoratas reddit, & easdem deuorat, & iterum reddit & vsque in æternum sic deuorabit ac reddet? Quis ex vobis stare poterit & habitare in igne, qui semper arbedit & vsque in æteruum durabit? Ideò benedictus Christus cùm illâ horâ iudicij in reprobos condemnationis proferet sententiam, sequentibus eos alloquetur verbis: *Ite maledicti in ignem æternum,* vt sciremus omnium maximum sensus tormentum in inferno ignem illum nunquam deficientem futurum. Sic doctissimus habet Tostatus quæst. 143. in caput 25. Matthæi, dicens: *Pœna ignis est præcipua pœna, ideò solam illam nominavit Christus.* Addit Sanctus Augustinus: *Ignis illius potentiam nulla vox exprimere, nullius poterit sermo explicare.* Optimè ac doctissimè hic Doctor dicit; nam huius ignis actiuitas, ex tribus nascitur capitibus, ratione quorum incomparabiliter superat atque excedit nostri ignis actiuitatem. (Isai. cap. 33. — Matt. c. 25 — S. August. serm. 181. de Temp.)

Primum caput, ex quo nostri ignis longè lateque ab huius actiuitate superatur, est materia eius, quæ licèt pix & sulphur sit, vt in plurimis locis sacræ testantur litteræ, nihilominus particularem quandam naturam ac singularem habet actiuitatum, quia simul & æqualiter suum producit ardorem tam ad externas quàm internas partes condemnatorum excruciandas; ita vt vnâ eâdemque vi ac actiuitate, in pellem, carnem, ossa, atque medullam condemnatorum agat, illaque simul, eodemque tempore ac instanti cruciet: noster au- (Triplici ex capite infernalis ignis superat nostrũ.)

tem ignis non sic vno eodemque tempore in corpora quæ tormentat, agit, sed gradatim suam introducit actiuitatem, ita vt primò aërem circa pellem, post aërem pellem, post pellem carnem post carnem ossa, post ossa medullam calefaciat, & paulatim calorem introducat, & per excessiui caloris introductionem cruciet. In huius doctrinæ veritate sanctissimi illi duo viri antiquæ legis conueniunt, Iob & Dauid, Prophetæ ambo; ille capite 20. vbi dicit, miseros damnatos in medio habitare ignis. *Deuorabit eos ignis qui non succenditur.* hic Psalm. 20. vbi asserit condemnatos quasi fornacem esse ignis. *Pones eos vt clibanum ignis* S. Gregorius Papa diuersitatem harum sententiarum considerans dicit, si benè ac rectè perpendantur concordare, & actiuitatem & acerbitatem ignis illis demonstrant. *Vt ostendant exterius interiusq; reprobos ardere.*

Iob c. 20.

Psal. 20.

S. Gregor. lib. 15. moral.

Secundum caput, ex quo ignis illius infernalis actiuitas nostri actiuitatem excedit, est, quòd ignis ille infernalis ardore suo carnem condemnatorum non mortificet, sicut noster agit ignis, sed miseri ac infelices condemnati semper eandem percipient ardoris & ignis actiuitatem, & post mille millenos annos huius ardoris viuacitatem in eodem percipient gradu, ac momento illo, quam cùm in abyssum flammarum detruderentur, sentiebant. Sic Iudith c. 16. habemus: *Dabit ignem & vermes, in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant in sempiternum.* Damnati & miseri illi infernorum ciues ac incolæ, non possunt ardoris illius acquirere habitum, vt cum tempore eius dolorem & acerbam minus sentiant actiuitatem, sed ignem quàm viuacissimè sentient, non vnâ vel alterâ horâ, die, aut anno, non & in centum millia, & centena millia annorum; sed *vsque in sempiternum.* Ideo bene & ad rem S. Cyprianus Epistolâ ad Demetr. dicit: *Cremabit addictos ardens semper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna: nec erit vnde haberepossint tormenta vel requiem vel finem.* Id est, inferni ignis condemnatos nunquam quiescere permittet, nunquam liberos à dolore; nam actiuitas eius ac cruciatus non tantùs sempiternus, recens renouatur ac sine intermissione. Sic S. Bonauentura in suis soliloquijs c. 3. docet. Sic damnati veterá tormenta patientur, vt semper innouentur; sic sine spe misericordiæ semper viuent, vt quotidie moriantur; sic moriuntur vt nunquam consumantur.

Iudith c. 16.

S. Cyprian.

S. Bonau. in soliloq. cap. 3.

Tertium caput, ex quo infernalis ignis actiuitas, nostri longè latéque superat, est, quia ignis ille infernalis non suâ virtute agit, sed sicut instrumentum obedientiale supremi Creatoris, qui actiuitatem eius vltra naturalem eleuat vigorem atque virtutem; ideo multò maiorem calorem corporibus imprimere potest ac maiori viuacitate cruciare, quàm sic solâ suâ ageret virtute, & secundùm quantitatem, ac qualitatem peccatorum suum extenderet cruciatum, atque tormentum. Sic sanctus Augustinus de ciuitate Dei cap. 16. docuit. *Negandum non est ignem æternum pro diuersitate malorum, alijs leuiorem, alijs futurum esse grauiorem.* Ac si dixisset: Ignis infernalis non tantùm agit suâ virtute, sed vt obedientiale operatur instrumentum; ideo non æqualiter omnes cruciat atque tormentat, sed pœnas auget atque minuit secundùm diuersitatem criminum. Qui plurima commiserunt, plurimis afficit tormentis: qui minora, minoribus cruciat doloribus. Ex quo effectu fat clarè cognoscitur, vt ipsemet dicit Sanctus, quòd ignis noster, quem hîc accendimus, in comparatione illus infernalis, pictus videretur. O miserrime mortalium Epulo! nunc percipis internum eius ardorem, deprehendis corpus tuum factum esse fornacem ardentem, &

S. Aug. de ciuit. Dei cap. 16

nunc

nunc ad modum clibani accensi ardere; ideo tantopere vociferaris & quod guttulam petis aquæ pro ardentissima refrigeranda lingua? *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma.*

Luc c 16.

Vt autem tormenta hæc grauiora sint damnatis, & cruciatus insupportabiliores, in maxima illius ignis massa nec scintilla vnica lucis erit, nec radius alicuius splendoris, sed vndique horrendæ ac palpabiles deprehendentur tenebræ, Sic S. Gregor. attestatur. *Vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Similia sanctus habet Basilius in illa verba vigesimi octaui Psalmi, *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Habet, dicit Sanctus, ille ignis infernalis quidem ardorem & splendorem simul, sed Domini voce ac acutissimo gladio, lux ab ardore separabitur & ardor ad cruciandum solus remanebit, & lux ac splendor omnis auferetur. Verba Sancti hæc sunt: *Dissecatur ignis voce Domini, vt punitoria vis permaneat apud eos qui digni sunt vt vrantur.* Et si aliquando contingeret vt infernalis ille ignis splendoris radios, ac lucis aliquid daret ad maiorem damnatorum pœnam singulari hoc fieret Dei ordinatione, vt lumine ille medianto, in tormentis aliqua deprehendere possint, quæ maiora ipsis causarent tormenta. Huius opinionis sanctus Gregorius Papa est, qui libro nono moralium capite trigesimo nono sic loquitur: *Nam gehenna flamma reprobis nequaquam lucet ad consolationis gratiam, & tamen lucet ad pœnam.* Lucet ergo damnatis nonnunquam infernalis flamma, vt horrendos dæmonum intueantur vultus, qui sunt tam terribiles, vt vnius visio sufficientissima sit, hominem sempiternum reddere infelicissimum. Vnde S. Augustinus ad rem dixit: *Videbunt ibi monstra teterrima & laruatas facies eorum, cuius visio posset illos occidere.* O infelicissima lux!

Greg c.10. in Iob.
Ignis inferni non lucet.
Basilius in Psal. 28.
Greg. l. 9. mor. 39.
Aug lib. spirit. & ... c. 56.

quæ cùm loco consolationis ac confortationis seruire deberet, tormenta magis ac cruciatus auget! O lux digna maiori odio ac abominatione quàm ipsæmet densissimæ Tartari tenebræ.

Accedit, quòd hic ignis secum trahat omnes pœnas, tormenta & cruciatus, quoscunque humana mens excogitare potest. Vnde cùm libro Deuter. cap. 32. huius ignis sacer textus mentionem fecisset, verbis his: *Ignis succensus est in furore meo & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Glossa interlinealis sic explicat: *Vsque in æternum puniendo*, subiungit statim & scribit; *Congregabo super eos mala.* ac si hic ignis infernalis epilogus esset omnium tormentorum, congregatio pœnarum, & compendium omnium malorum, quæ Deus in suo iustitiæ tribunali ad castiganda ac punienda damnatorum delicta, reseruata habet. Et hoc certum est, nullam pœnam, nullum dolorem, nullam afflictionem, nullum cruciatum, nullum tormentum aut malum vllum humanæ menti imaginabile esse, quod in inferno, in supremo gradu non reperiatur. Hoc puto Regium Vatem suo Psal. 10. dicere voluisse, vbi habet: *Ignis & sulphur & spiritu procellarum pars calicis eorum.* In quem locum aptè valde notat Hugo Cardinalis, non dixisse prophetam sulphur, picem & spiritum procellarum calicem damnatorum esse, ac si alia mala ibi non essent, sed partem dixisse, vt indicet, quod in damnatorum calice, quem bibere debent, infinita alia mala ac tormenta lateant, respectu quorum enumerata, minima tantùm pars sint. Verba eius hæc sunt: *Vt notet plures pœnas esse, non dicit, quod hæc sint calix, sed, pars calicis.* Et sanctus Gregorius Papa libro quinto moralium capite nono. *Partem calicis dixit, quia scilicet eorum pars hic quidem par dolorem incipitur, sed in vltione perpetua terminatur.* Ergo ad rem valde dicit sacer texus, *Congregabo super eos mala.*

Ignis infernalis trahit secum omnia mala.
Deut. c. 32.
Psal. 10.
Hugo hic.
S. Greg. l. 5. mor. c. 9.

Tormenta inferni sine fine

Pœna ac tormenta omnia vitæ præsentis, habent aliquando aliquid subleuaminis, vel ad minus, cum tempore & vsu fiunt aliquando tolerabiliores, vel ad summum per mortem finem sortiuntur sed in inferno nunquam habebunt finem, non dabitur remissio pœnæ, non adest remedium pœnitentiæ, nulla superest spes misericordiæ, sed semper eadem pœna, eadem calamitas in eodem perseuerabit gradu, in vna eademque intensione durabit, & eodem illo doloris sensu, quo incepit, in æternum manebit. Audiamus Sanctum Gregorium. *Fiet ergo miseris mors sine morte, & finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit.* Erit ergo in inferno mors quæ occidit, sed non extinguit hominem suo dolore; quæ cruciat, sed non consumit: flamma quæ comburit, sed non absumit. Non erit tormentum in inferno quo damnatus non cruciabitur, vt Iob cap. vigesimo attestatur. *Irruet super eum omnis dolor.* Quem locum S. Bernardinus Senensis, Tomo secundo, sermone vigesimo secundo explicans, sic habet: *Habebit enim in oculis continuas lacrymas, & mœrorem: in auribus timorem, & terrorem: in manibus insupportabilem fœtorem, in dentibus terribilem stridorem, in ore horribilem clamorem, & in corde inconsummatum dolorem.*

S. Greg. mor. lib. 5. cap 49.

Iob c. 20.

S. Bern. Senens. T. 2. serm. 22.

Adiungamus omnibus his malis ac tormentis conscientiæ remorsum, qui miseris damnatis indicibile adfert tormentum; vt Isaias Propheta capite sexagesimo sexto habet: *Vermis eorum non morietur.* Continuum flagellum est synderesis, quo miseri damnati in summis illis doloribus flagellabuntur; ideo millies & millies mortem inuocabunt, annihilationem inclamabunt, & non exaudientur, quia in æternum debent sic pati. Sic Sanctus Ioannes Euangelista capite nono suæ Apocalypseos dicit: *Desiderabunt mortem, & mors fugiet ab eis.* Omnibus nobis qui viuimus nil amarius morte: solis damnatis quibus in hac vita odio erat, tunc chara ac dulcis esset, si mori possent; vt Sanctus Augustinus dicit: *O mors quàm dulcis esses, quibus amara fuisti, te solum desiderant, qui vehementer oderunt.* Et tantò maior est eorum afflictio, qui clariùs norunt, & certiùs sciunt inania eorum esse vota, & ad voces eorum semper surdam futuram diuinam clementiam: nam Dei iustitia in æternum illos in tormentis illis vult viuere & cruciari. Ideo Sanctus Ioannes Euangelista subiungit: *Et mors fugiet ab eis.* Imò hoc ipsum maximum causabit cruciatum, semper ardere desiderio illorum, quæ sciunt nunquam obtinere se posse. Audite, rogo, quid S. Gregorius Papa de hoc miserabili ipsorum dicat desiderio. *Quid igitur acerbius, quàm mortem semper desiderare & non obtinere! imò quid tam pœnale, quàm semper velle quod nunquam erit?* Nunquam ad tantam perueniet felicitatem miserorum damnatorum voluntas, vt punctum aliquod eorum quæ desiderat, obtineat. Omnia quæ appetunt, & quidquid desiderare poterunt, ipsis negabitur. Desiderabunt pacem, & obtinebunt crudelissimum bellum: optabunt quietem, & inuenient labores: suspirabunt ad consolationes, & dabitur ipsis omne tormentum: minimum aliquod petent refrigerium, & obtinebunt omnis generis afflictiones; nam vt S. Bernardus sermone actauo in Psalmum nonagesimum dicit, *In gehennâ nulla penitus consolatio, sed perpetuum væ, vlulatus & fletus, & stridor dentium.* Et regius vates Psalmo centesimo vndecimo omnem hanc illorum miseriam sequentibus concludit verbis: *Et desiderium eorum peribit.* O quàm intolerabilis afflictio! ô quàm summa hæc erit miseria! Et ecce omnium horum, quæ dixi in hodierno Euangelio, viuacissimum

Isa c. 66.

Maximum tormentum Vermis conscientiæ.

Apoc. c. 9.

S. Aug. lib. de Trip. Heb. c. 6.

Apoc c. 9.

S. Greg. Papa lib. mor. 4. cap. 49.

S. Bern. serm. 8. in Psalm. 90

Psal. 111

mum habetis exemplum. Hic diues epulo in medio consistens flammarum, intimis desideriorum flammis exurebatur; summopere aliquid aquæ appetebat, vt intolerabilem sitim, quâ cruciabatur, extinguere, vel ex parte sedare posset, & negabatur illi, nec per tot clamores obtinere quidquam potuit; quia, vt S. Bernardus dicit, *in gehennâ nulla erit consolatio, vbi guttam aquæ diues postulat, & accipere non meretur.*

S. Bern. serm. 4. de Quadr.

Et vt plurimas alias pœnas & infinita tormenta, quæ miseri damnati in inferno patiuntur, omittam; dico illam pœnam omnium maximam ac grauissimam damnatis esse, quam ob priuationem beatificæ visionis & cœlestis gloriæ amissionem sentiunt, quæ à Theologis pœna damni appellatur. Enimuerò, si tanto dolore cruciamur, cùm in hac vita temporale aliquod bonum, quod possidebamus, aut quod sperabamus, perdimus; miseri damnati summo afficientur tormento, cùm viderint, summum se amisisse bonum, & æternam amisisse gloriam; quam tam facilè obtinere poterant, si sanctè ac piè vixissent. Sic omnes determinarunt Theologi. Et hanc doctrinam affirmat Sanctus Ioannes Chrysostomus homiliâ vigesimâ quartâ in Matth. vbi comparationem inter duas inferni pœnas, id est, sensus & damni, facit. *Duæ pœnæ sunt: ignis gehennæ, & casus gloriæ, nouimus autem, quia multi gehennam solam abhorrent, ego autem casum illius gloriæ multum amariorem esse dico.* Et deinde concludit: *Tolerabilius est, gehenna & ille ignis, sed si mille gehennas pœnas, nihil tale est, quale ab illâ beatâ vitâ excidere.*

Pœna damni.

S. Ioan. Chrys. ho. 24. in Matth.

Ex eo quòd miseri damnati priuatos se videant beatissimâ & gloriosissimâ illâ Dei visione, nascitur atque exurgit in ipsorum animabus tristitia quædam tam afflictiua, vt comprehendi ab homine non possit; cùm & illud quod perditur & amittitur, incomprehensibile sit. O animæ infelicissimæ! quomodo sufferre poteritis, nunquam pulcherrimum intueri vultum illius, qui vos creauit, & suo proprio redemit sanguine & totis visceribus amauit! O dolor inexplicabilis! ô pœna insupportabilis! Vnde Sanctus Bernardus sermone octauo in Psalmum nonagesimum dicit ideo in die Iudicij Christum prolaturum esse sententiam Iustorum sequentibus verbis: *Venite benedicti.* & postea damnatoru his: *Ite maledicti*, vt acriùs doleant, videntes quid amiserint. Considerate, quæso, qualis afflictio, in æternum beatificam illam visionem perdidisse: qualis dolor, priuari illo Deo, qui eos ex nihilo ad tam nobile, vt homo est, reduxit esse: illo Deo, qui tot annis summâ longanimitate ac patientiâ ad pœnitentiam expectauit: illo Deo, qui pretiosi sui sanguinis pretio eos de tyrannica Dæmonis seruitute redemit: illo Deo, qui ad æterna fruenda gaudia illos creauit. Ergo vera & verissima doctrina est, miseris damnatis mille infernos tolerabiliores fore, quàm videre se à Dei fruitione in æternum esse exclusos.

S. Bern. serm. 8. in Psalm 90.

PVNCTVM SECVNDVM.

TAndem omnium à me relatarum pœnarum & tormentorum compendium ipsa erit æternitas; certum enim est, dignum esse æternâ pœnâ, qui mortale committit peccatum; quia æternum bonum, qualis est gloria paradisi, despicit, ac vilipendit. Sic docet Sanctus Augustinus libro secundo de ciuitate Dei, capite nono. Et Sanctus Gregorius causam dat, inquiens meritò damnatos æternâ puniri pœnâ, quia Deus, cùm iustus sit Iudex, cùm peccatores iudicat, non tantùm opera mala quæ fecerunt, punit ac castigat verùm etiam voluntatem illorum. Quia er-

Æternitas extremum malorum.

S. Aug de Ciuit. Dei lib. 2. c. 9.

go impiorum voluntas æterna fuit, id est, in æternum viuere voluissent & semper peccare; ideo in æternum puniuntur & semper eorum tormenta durant. Temporale fuit ipsorum peccatum, quia in tempore vixerunt, & temporalis fuit ipsorum vita, sed si in æternum ipsorum durasset vita, in æternum quoque in peccato perseuerassent. Audiamus ipsius verba: *Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt: voluissent quippè sine fine viuere, vt sine fine voluissent in iniquitatibus permanere.* Et ideo subiungit hic in æternum punire impios, diuinæ conuenire iustitiæ, *Ad districti ergo Iudicis iustitiam pertinet, vt nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vitâ nunquam voluit carere peccato; & nullus detur iniquo terminus vltionis qui quamdiu voluit, habere noluit terminum criminis.*

S. Greg. lib. 34. moral. c. 12.

O tormenta æterna! ô æternitas dolorum! ô dolorosa Dei priuatio! ô ignis æternus! ô væ! Per momentum temporis non possumus extremitatem digiti nostri in flamma vnius paruulæ candelæ accensæ tenere, & non timemus detrudi in illas extinguibiles inferni flammas, quæ in æternum & animas & corpora inauditis cruciabunt tormentis. *Væ illis*, dicit Sanctus Augustinus, *qui cum Diabolo mansionem habebunt, ex qua ascendit fumus tormentorum in sæcula: væ illis, væ illis.* Væ tibi superbe, væ tibi iracunde, væ tibi sensualis; nam tu vnus ex illis eris, qui cum Diabolo in inferni lacum & flammas æternales à Deo præcipitabuntur, & non iam per mille annos, nec mille millenos, sed per integram æternitatem, tot millemillenis annis, quot aquarum guttas vastus continet oceanus; quot stellis cælum adornatur, quot arenæ granula ad oceani iacent littus, in inferno manebis & cruciaberis; & cùm hi anni transierint, putásne te liberum ac saluum de his fore tormentis? ah quàm felicem te existimares, & præ lætitia in tormentis illis saltares! sed miserrime mortalium, cùm totus hic annorum numerus erit finitus, & tot sæculorum circulus circumiuerit, de nouo incipient tua tormenta ac infelicissimus status, & à capite omnium fiet repetitio, ac si numquam antè incepissent. Hoc est, quod Isaias capite trigesimo dixit: *Præparatus est ab heri Tophet*, id est, *gehennæ pœna*, vt explicat Liran. Quis loquendi hic modus est? Sanctus Hieronymus & Glossa hunc explicant locum, & dicunt, infernum ab heri in hodie damnatis præparatum esse, dicere Prophetam, vt nos intelligeremus, quòd inferni pœnæ ac supplicia etiam si mille & millenis annis durarint, æternitatis respectu idem esse, ac si heri incepissent, & nunquam fuissent; & cùm illæ animæ per milliones annorum in pœnis fuerint, & omnia inferni passæ sint tormenta, attamen æternitatis nondum posuêre verum principium; semper erunt miseræ, semper patientur, & tamen æternitas semper intacta manebit.

S. August. de verbis Domini.

Isai. c. 30. Liran. hic.

Si de profundo abysso inferni, ô Christiane! perfidus extraheretur Iudas, & Dei permissione tuis præsentaretur oculis, infinitarum catenarum ignitarum pondere oppressus ac ligatus tibi exhiberetur: & cùm id tibi non liceat, imaginare illum tibi adstantem, interroga illum: Dic mihi, Iuda, quales sunt illi dolores, quales pœnæ, & quæ tu nunc in inferno toleras? quot annis iam in inferno fuiste? & per quot sæcula cum alijs damnatis in miseriarum barathro sepultus manebis? Respondebit: Pœnæ nostræ sunt cōtinuæ & indeficientes, grauissimæ & intolerabiles, & quod pessimum, æternæ sunt. Si temporales & finem aliquando habituræ essent, licet grauissimæ & inauditæ sunt, attamen rosæ bonis viderentur. De facto sumus desperati, & post millena sæcula de maximis his

mis his tormentis exeundi nullam spem habemus : nec per vnicam horam, nec per vnicum momentum liberi sumus à tormentis, sed sine intermissione & intus & extra plurimos patimur cruciatus. Vos quiescitis, & nos in medijs stamus flammis : vos ridetis, & nos in igne flemus : vos cibamini cibis delicatis, & nos ignem deuoramus : vos ambulatis per hortos & per prata, & nos per flammas ignis : vos cantatis & læti estis, nos in igne lacrymamur & tristes sumus : vos gaudetis in bona sociorum conuersatione, nos in flammis tristamur & Dæmonum societate torquemur; aures vestræ dulcisonâ mulcentur musicâ, nos inter ignes horrendis Dæmonum vlulatibus cruciamur. Sed quid multis ? sufficiat, quòd pœnæ nostræ æternæ sint. Ecce miserrimus ego mortalium vltra mille sexcentos annos inter hæc sum supplicia, & in his sedeo flammis. Cain vltra quinque millia annorum in suis numerauit supplicijs, & ecce nondum finis. Quid dico finis ? necdum verum apparet principium, sed quamdiu Deus erit Deus, Iudas permanebit damnatus, & cruciabitur varijs tormentis, & Cain inferni flammis tormentabitur.

Hæc consideratio tantæ efficaciæ est, vt si durissimæ petræ huius capaces essent, vt cera à facie ignis defluerent. Hæc est illa meditatio, quæ tot tantorumque fortissimorum virorum ac intrepidarum matronarum capillos capitis erexit, canitiemque induxit. Hæc est illa contemplatio, quæ tot Sanctos sudare, pallescere, tremere, palpitare fecit. Et si in meis esset votis, hoc à vobis, N. N. peterem, vt hos inferni dolores, æternitatem hanc horrendam sæpiùs animis vestris voluatis : hanc metam ac scopum omnium vestrorum operam ac laborum ponatis. Optarem, vt hoc verbum *Æternitas* in omnibus locis habitationum vestrarum scriptum habeatis, imò in parietibus cordis vestri firmissimè inclusum portetis ; non dubito, quin plurimum ad veram salutem acquirendam & æternos fugiendos labores vobis conduceret.

Huius æternitatis consideratio depopulatas ac desertas fecit vrbes, & innumerabilibus habitatoribus repleuit deserta, & huius meditatione tot virgines se incluserunt quatuor muris, & claustra intrarunt; tot Domini iugo obedientiæ se subiecerunt & mancipia facti sunt : tot magnates & proceres mundi deposuerunt purpuram, & carnē suam duro ac rigido sacco & cilicio vestierunt & cooperuerunt. Imperatores ac Reges de manibus ponentes sceptra, cruda apprehenderunt flagella, & ad sanguinem vsque sua delicata lacerarunt corpora. Sanctus Cyprianus Martyr dicit, Sanctos Martyres certasse totum suum effundere sanguinem, vt illas flammas, quas æternas fore per fidem didicerant, extinguere possent. *S. Cypr. de vnit. Eccl.* Dic mihi nunc, ô peccator vindicatiue, quis est sanguis ille, quem tu sparsisti, vt æternitatis flammas extingueret ? Scis qualis ? ille est, quem effudisti, cùm de proximo ac fratre tuo, ob tam leuem illatam iniuriam tam grauem sumeres vindictam. Dic mihi auare, quem tu sparsisti sanguinem ? illum, quem per tot vsuras & iniquos contractus vt sanguisuga de viduarum, pauperum, & pupillorum extraxisti visceribus ; ah miseri ! hic sanguis flammas illas magis accendit, erit sicut adeps accensis carbonibus iniectus, non minuet tormentorum acerbitatem, non cruciatuum rabiem, sed augebit & crescere faciet, & magis acerbas inferni causabit pœnas. Quid facis miser & quid agis ? quando tandem resolutionem capies deprauatam tuam mutandi vitam, vt æternas has flammas effugias ? quomodo tam securus viuis ? & si vitam mutare non

vis,

S. Cypr. vbi suprà. vis, saltem hæc tibi omnia futura esse non times? Audite Sanctum Cyprianum, quid de his miseris dicat, & qualem huius facti rationem reddat: *Metueret conscientia nostra si credere: quia non credit, omnimo non metuit.* Si mihi fidem adhibere negatis, Epuloni præbete, qui multo plura patitur, quàm enarrare possum. Nunquid clamat: *Crucior in hac flamma: crucior in hac flamma*? O Auditores quot sunt in hac vrbe, qui si vitam non mutauerint, socij Epulonis erunt certissimi, & cum ipso clamabunt: Crucior in hac flamma, & in æternum cruciabuntur.

Luc. c. 16.

Ecce ex omni cordis affectu, interrogo vos omnes, & quemcunque separatim: Putatisne vos in æternum in hoc victuros mundo? an ignoratis, quòd hora illa ventura sit, quâ strictissimam reddetis rationem, & omnia quæ feceritis siue bona, siue mala, ante tremendum Iudicis tribunal defendetis? Liceat ergo mihi ijsdem verbis, & faxit Deus vt eodem cordis affectu, quo Isaias Iudaicum alloquebatur populum, vos alloqui: *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Quid dicitis? quis ex vobis tam insensibilem habet carnem, vt has sustinere flammas sibi persuadeat? Eritne humanum cor aliquod, quod absque intolerabili cruciatu, Deo suo in æternum priuari possit? Estnè inter vos reperibile tam durum pectus, quod ictibus illius vocis ad Epulonem factæ resistere possit? *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua. Recordare*, quòd ob vilissimum & momentaneum breuis voluptatis gustum ad inferni toleranda tormenta relegatus sis. *Recordare*, quòd ob momentaneam delectationem culmen attigeris cruciatuum & ad miserrimum perueneris statum. *Recordare*, quòd aliquando fueris Altissimi dilectissimus filius, & Dei charissimus amicus ac familiaris. Ah quale tormentum erit horum recordatio! quàm insupportabilem cruciatum ac dolorem hæc reminiscentia in animabus damnatorum causabit? Creditisne quæ vobis dico? si non creditis, expectate donec Iudas, Cain, Nero, Holofernes, vel alius damnatorum ex flammis illis ad vos ascendat, & acerbitatem earum vobis prædicet, inferni dolores ac tormentorum genera vobis enarret; vt infelix ille Epulo ad suos fratres mitti postulabat ab Abrahamo Lazarum, qui suos conuerteret fratres; sed credite mihi: Si sacro non creditis Euangelio, nec credetis, si Cain, Iudas, & ipse Lucifer ascenderet, & longâ latâque concione vobis inferni describeret dolores, & omnia, quæ damnati patiuntur, enarraret tormenta, & fortissimâ clamaret voce: *Crucior in hac flamma, neque si quis ex mortuis surrexerit, credent.*

Is. c. 33.

Luc. c. 16.

O infernus! ô infernus adhuc supportabilis, si æternus non esses! quot millia hominum sponte se in tuam præcipitant abyssum! ah pejores tales ipso sunt Dæmone; nam hic, vt Sanctus Cyprianus Epistolâ ad Demetr. attestatur, horret ac terretur, cùm hoc nomen, infernus, audit: *Quem ipse quoque Diabolus pertimescit*, & homo non timet nec terretur eius tormentis atque supplicijs. S. Cypr.

Dicite mihi Christiani, inquit Sanctus Chrysost. Homiliâ nonâ in Matt. quot manus habetis? Respondebitis: Duas. Sed quare duæ sunt & non vna? si casu vnam perderetis, alteram adhuc retineretis. Et quot vobis pedes sunt; Duo. Sed cur duo & non vnus? si aduersa fortuna vnum auferret, alter remaneret. Et quot oculos habetis? Duos Quam ob causam? vt si vnus extingueretur, alter adhuc ad vsum persisteret. Sed dicite mihi, quot animæ vobi sunt? Ah vna & non plures, & hæc est æterna si illam semel perdatis, in æternum perdita S. Chrys. homil. 19. in Matth.

perdita erit: attamen dicit hic Sanctus: Etsi ignis ille ardeat, nihilominus nos ridemus & delicijs fruimur, & liberrimè peccando Deum offendimus. Verba eius hæc sunt: *Quamuis ignis ille exæstuet, nos tamen ridemus, & delicias amplectimur, & licentiosè peccamus.* Occasionem verò & radicem huius esse dicit Sanctus Augustinus, quòd nimiùm terrenis inhiemus atque auidè appetamus per quod à consideratione harum pœnarum auertimur. O Christiani! quanta hæc nostra est fatuitas? iam tempus à peccatis abstinendi; valedicant iam sensus nostri tot illicitis delicijs, & sinceræ illorum æternorum suppliciorum considerationi nos addicamus; sic absque dubio & mentes nostræ illuminabuntur, vt quæ inquirenda sunt, cognoscant, & quæ fugienda, odio habeant, ne ad illa veniamus loca. Verba Sancti hæc sunt: *Pœna nos terreant, si præmia non inuitant, vt resipiscamus à peccatis.* Id est, Si mala & peccata ex amore cœlestis gloriæ & excellentissimi præparati præmij vitare nolumus, ad minus ob extremorum suppliciorum crudelitatem atque timorem fugiamus. Capere non possum, quomodo homo, qui hæc sciat, non viuat in continuo timore & tremore, & angue peius, quidquid deliciarum in mundo est, quidquid hominem ad peccandum incitare potest, non fugiat, & totum se considerationi salutis tradat, & quomodo illam obtinere possit, semper speculetur: nam si semel perditur, nunquam poterit recuperari, & per totam æternitatem perdita erit.

S. Chrys. homil. 55. ad populũ. S. August. in serm.

Quid ergo aliud salutare magis de hoc pulpito ad vos clamare potero, nisi id quod Propheta Hieremias cap. 51. ad Hebraicum dixit populum: *Saluet vnusquisque animam suam*, quilibet curet ac studeat, laboret ac sudet, quomodo in hoc mundo, vbi tot perditionis sunt laquei, tot damnationis pericula, piè & sanctè viuere, & consequenter animam suam saluare possit. Dum tempus habes, tua age negotia, resolutionem tuam mutando vitam capias; nam vt in Apocal. c. 10. scribitur, tempus non erit amplius. Post præsentis vitæ tempus benè agendi atque operandi minimè tibi venia dabitur. Ergo ô Christiane! per viscera IESV Christi, per amorem; quem erga animam tuam habes, recogita hæc, quæ dixi, & tu à me audisti: interim quiesco.

Ier. 6. 51.

Apoc. c. 10.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

VIdimus primâ parte pœnas ac tormenta, quæ miseri damnari in inferno in æternum patiuntur: nunc modum examinabimus, quo diuinâ adiuuante gratiâ, dum in hac sumus vita, euadere illa valeamus; & media, quibus illa euitare, & nos liberos ac securos ab illis reddere possimus. Et hæc sunt eleëmosynæ, charitatis & pietatis erga pauperes opera. Legere vobis libeat N. N. hodiernum Euangelium, & reperietis, diuitem Epulonem, dum mensæ assideret, lautè ac in omni abundantia tractaretur, erga miserum Lazarum toto corpore plagatum ante domus suæ portas iacentem & eleëmosynam petentem, nullam habuisse compassionem; imò micas & ossa, quæ de mensa cadebant, & canes reijciebant, quibus pauper satiari cupiebat, illi negasse *Et erat mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ante ianuam eius vlceribus plenus cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* Ideo iusto DEI iudicio in auaritiæ suæ pœnam ad inferni supplicia condemnatus est. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.*

Ergo non opulentâ opus est eleëmosynâ, vt æternæ fiat quis particeps

Modus optimus euadendi inferni tormenta est elargitio eleemosynæ.

ceps gloriæ, sed paruula modica, panis micæ quæ supersunt, bono corde & sincero affectu pauperi traditæ, sufficientes sunt ab inferni supplicijs liberos pronuntiare, & æternæ gloriæ hæredes constituere. Sanctus Petrus Chrysologus sermone centesimo vigesimo secundo, considerando diuitem Epulonem in medijs flammis constitutum & vndique ardentem, notat præ alijs tormentis summopere ipsum siti cruciatum fuisse, in cuius remedium guttulam aquæ ab Abrahamo petebat: *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quid sibi hoc vult, dicit Sanctus, *Sitis extremi digiti guttam?* Tu qui tam lautè viuebas, tam delicatè accommodatis vescebaris cibis, & in abundantia pretiosissima bibebas vina, nunc reductus es ad tam miserum statum, vt guttulam aquæ non habeas, & pro illa supplicare debeas? *Ah,* subiungit Sanctus & dicit, *quam si vel solam dedisses pauperi, non sitires!* Id est, si tu pauperi vel guttulam aquæ, dum sitiret, dedisses, iam liber esses ab ardentissimâ illâ siti & intolerabili tormento; nam omnis etiam modica eleemosyna sufficientissima est, peccatorem de omnibus inferni tormentis præseruare. Sic idem expressis docet verbis sermone quadragesimo secundo: *Misericordiam nescit diuinus ignis exurere: faciat ergo misericordiam, qui vult gehennæ incendia non timere.* Inde Sanctus Bernardinus Senensis supra illa Psalmi centesimi quinti verba, *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*, de eleemosynis loquendo sic habet: *Pro nihilo gloriam sempiternam adepti sunt.* Pro nihilo, aut quod vix aliquid fuit: pro paucula & vilissima eleemosyna acquiritur paradisus: pro frustulo panis, pro vno haustu aquæ bono corde pauperi porrecto, æterna emitur gloria. Sic omni Christiano

S. Chrys. serm. 122.

Psal. 105.
S. Bernardin. Senens. de paup. serm. 2. art. 2. c. 2.

sanctus Ioan. Chrysostomus suadet: *Da panem & suscipe paradisum: parua da, & maxima suscipe.* O eleemosynæ magnificentia! quæ pro tam vili pretio cælorum regnum emit! *Amore pauperis* (ad rem dicit sanctus Petrus Chrysologus vbi supra) *Deus suum regnum vendit, & vt emere illud omnis homo possit, fragmentum panis ponit in pretium, quia vult habere omnes, qui tantum vult pretij, quantum hominem scit habere.* Et subiungit: *Deus regnum suum fragmento panis vendit: quis excusare poterit non ementem? quem tanta vilitas venditionis excusat?* & pro conclusione dicit: *Da ergo homini pauperi terram, vt accipias cælum: da nummum, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum.*

S. Ioannes Chrysost. serm. 41. & 8.

S. Chrysolog. vbi suprà

Imò sanctus Augustinus in soliloquijs suis capite vndecimo expressis dicit verbis, tantæ excellentiæ ac valoris esse eleemosynam, vt eo ipso quòd quis eleemosynis deditus sit, Deus quoque ipsi & paradisum dare obligatus sit: & hoc, quia Deus sic eleemosynarijs promisit, & contractum cum ipsis talem iniuit, vt apud sanctum Matthæum capite vigesimo quinto habemus. *Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere. Percipite regnum.* Ideo sanctus hic vir, quia eleemosynarius erat, cælorum regnum vt suum ac proprium & iam à Deo ereptum postulabat in suis soliloquijs vbi supra, dicens: *Domine, redde quod promisisti; quia fecimus, quod iussisti.* Et sanctus Cæsarius Arelatensis de eleemosyna discurrendo & eius excellentiam atque valorem describendo, ad tam altam peruenit exaggerationem, vt dixerit; Dato casu (quod tamen impossibile est) quòd Christus regnum cælorum pro eleemosynis hîc pauperibus datis negare vellet, ad tribunal diuinæ iustitiæ à nobis citari posset, & coram omnibus sanctis & angelis accusari, quod nobis negaret, quæ propria essent, & nostrum regnum no-

S. August. in soliloq. cap. 11.

bis dare recusaret, & iustissimo titulo illud petere possumus, ut iam proprium nostrum regnum. Audire, quæso, libeat verba eius, quia pulcherrima & valde consolatoria sunt homiliâ trigesimâ sextâ. *Da ergo in terrâ, vt accipias in vita æterna; vt cum veneris in conspectum Angelorum ante tribunal æterni iudicis, securâ & liberâ conscientiâ dicere possit: Da Domine, quia dedi: fac misericordiam quia feci. Ego impleui quod iussisti, tu redde quod promisisti.*

S. Cæsarius Arelatens. hom. 36.

Apud sanctum Matthæum capite vigesimo quinto, vbi strictissimum finale illud iudicium describitur, & enarratis, quæ euentura sunt in illo, tandem concluditur, illos tantùm homines, qui in pietatis, charitatis, & clementiæ operibus se exercitarunt, saluos fieri: ideo Christus iustissimus Iudex hæc sola opera ab illis requiret, & circa hæc rigorosum suum instituet examen, & dicet: *Esuriui, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere.* Nunc inquiro, cur potiùs circa hanc quàm aliam virtutem Christus tam rigidum instituet examen? cur non ipsis etiam dicet: quia fuistis pacifici, casti, mites, deuoti, humiles, sed tantùm, quia fuistis eleemosynarij? S. Petrus Chrysologus sermone quadragesimo secundo respondet, quod examen huius virtutis solùm sit necessarium: & non opus est petere & inquirere de alijs virtutibus; nam dum iusto iudici constabit hominem huic dedicum fuisse virtuti, & eleemosynarium fuisse, facilè inde colliget, etiam alias eum habuisse perfectiones, & fuisse hominem rectum. Audiamus verba eius: *De crimine non postulabit causas, cui de misericordia causa constabit.* Et S. Ioannes Chrysostomus homiliâ vigesimâ secundâ, tam admirabilia in hoc materia habet verba, vt mihi, dum legerem, terrorem quondam causarent, cùm sic dicit: *Impossibile enim, impossibile, inquam, est, etsi innumera facias bena, sine eleemosyna cœlestis regni vel vestibulum quidem attingere.* Vultisnè clariora verba habere? impossibile est, hominem, qui misericors non est, & eleemosynas non dat, saluari; impossibile enim, impossibile, inquam, est.

Chrysolog.

Chrysost. hom. 22. in Ioann.

Quisquis igitur, N. N. vestrûm est, qui saluari desiderat, & hæres cœlestis cupit esse regni, sit eleemosynarius, sit pius, clemens, mesericors erga pauperes. Sed dicet quis: Pater, sum pauper, nihil ad dandum habeo. Repeto & idem iterum dico: De pauculo hoc quod habes, & tibi Deus dedit, obligatus es eleemosynam pauperi tribuere, si alias saluus fieri cupis. Attendite ad scripturæ verba apud Isaiam cap. 58. quibus meam probabo doctrinam. *Frange esurienti panem tuum.* dicit tibi Deus; quem loquendi modum Sanctus Ambrosius sermone vigesimo sexto considerat feriâ quintâ post diem cinerum, & notat Deum non dixisse: *Da*, sed *Frange*; ad demonstrandum ab eleemosyna danda nullum excusatum esse, sed omnes ad illam obligari, siue quis pauper, siue diues sit, omnis quicunque sit, debet pauperi tribuere, siue parum, siue multùm, pro suo quisque posse; si panem habes non petit Deus integrum, sed partem. *Frange.* si mille florenos annui tui portant reditus, non vult Deus vt totam summam tribuas pauperi, tertiam partẽ *Frange.* si non per medium, tertiam partem; si non tertiam, quartam; si non quartam, saltem decimam vel vigesimam aut centesimam, aliquid dare debes, si cœlum cupis. *Frange*, Audiamus sancti verba: *Frange esurienti panem tuum, non dixit, vt integrum daret, cùm pauper ille alium fortè non haberet, sed, frange, inquit: hoc est dicere: Etiam si tibi tanta paupertas sit, vt non habeas nisi vnum panem, ex ipso tamen & pauperi tribue.* Et doctissimus Hugo Cardinalis eundum Isaiæ explicando locum, sic habet: *Frange esurienti panem tuum: hoc dicit, ne excuseris non habere te panem integrum, excusando te.* Et S. Hierony-

Isa. c. 58.

S. Ambr.

Etiam pauperes eleemosynam dare tenentur.

S. Ambr serm. 26. feria 5. post diem Cin.

S. Hugo hic.

ronymus in hunc locum obseruat Deum *panem*, & non *panes* dixisse, *ne de* Tob. c.4. *paupertate excuseris*. Et hoc saluberrimum fuit consilium à Tobia suo datum filio. *Quomodo potueris ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si autem exiguum tibi fuerit, etiam exiguum* Eccli.c.14. *libenter impertiri stude*. Et Ecclesiasticus cap. 14 dicit: *Secundùm vires tuas exporrigens da pauperi*. Hoc saluberrimum consilium S. Martinus Episcopus executioni mandauit, qui cùm adhuc cathecumenus esset, & quidam pauper obuius eleëmonysam ab eo peteret, & aliud quam chamydem, quâ contra cœli inclementias defenderetur, non haberet, *fregit*, & mediam tribuit partem, vt habetur apud Seuerum Sulpitium in eius vitâ.

Vnicam adhuc considerationem, quæ S. Petri Chrysologi est adijciam, & hac finem imponam. Digna certè est, vt omni pio recondatur cordi, & sculpta semper ante mentis circumferatur oculos. Considerat Sanctus illud Euangelij: *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*. hoc est; Vitam finiuit quidam pauper Lazarus: quod cùm vidisset Pater Abraham, misit Angelos suos, qui animam eius susciperent & ad se portarent; quam susceptam in suo sinu fouit & refocillauit. Admirabile certè hoc factum est, inquit, quod Abraham, cùm Chrysolog. serm. 121. adhuc in viuis & incola mundi & huius patriæ esset, in misericordiæ, clementiæ & pietatis operibus præclarus esse studuerit, & in eleëmosynæ ac hospitalitatis virtute se exercuerit. Bene est: ad hoc faciendum obligatus erat, & si cœlum possidere voluit in his, quia diues erat, præclarum se erga pauperes, peregrinos & indigentes exhibere debebat, & conueniens erat in hisce se occupare: sed cùm iã beatus sit, & reipsâ cœlorum possideat regnum, & iam præmium tot bonorum operum, quibus pauperibus subuenerat, possideat, & mereri ampliùs non possit, adhuc tamen misericordiæ, pietatis, clementiæ opera exercere velit. Hoc mysteriosum & dignum est consideratione. Respondet Sanctus ad dubium: *Parum se beatum credidit, si in supernâ gloriâ ab hospitalitatis pio cessaret officio*, vt demonstraret, si ibi maior per hospitalitatis ac misericordiæ opera acquiri posset gloria, nil intermittendum, quin super omnia in hac se exerceant Sancti: nam tanta gloria eleëmosynæ ac misericordiæ est, vt Sancti, si illâ accidentali non fulgeant, non se beatos existiment.

Sitis ergo N.N. liberales erga pauperes, benigni atque clementes erga miseros: subueniat quisque pro suo posse proximo suo, atque quantum poterit, indigentis studeat subleuare miserias. Quod si feceritis, spondeo, vos ab igne interni liberos fore, & eius tormenta minimè vobis timenda, sed hæredes æternæ gloriæ vos futuros. Hoc Regius Vates Psalmo suo quadragesimo mecum attestatur. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem in die mala liberabit eum Dominus*. Ite in pace. Amen. Psal.40.

DISCVR-

DISCVRSVS XV.

PRO DIE VENERIS POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ

ARGVMENTVM.

TRactatur prima parte de Angelorum custodia: puncto primo, quanta gratia & quàm magnus fauor nobis à diuina Maiestate exhibeatur per angelicam custodiam. Secundo puncto, quanta vtilitas homini ex hac aduenit. Tertio puncto docemur, quid in gratiarum actionem Angelis ob tam fidelem custodiam exhibere & reddere teneamur. Secunda parte discursus, cùm festum sancti Iosephi sit, eius prærogatiuæ, quas in hac & alia vita præ aliis Sanctis habuit, explicantur.

Thema.

Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei. Matth. 21.



OMMVNIS sanctorum Patrum ac sanctæ Romanæ Ecelesiæ Doctorum sententia est, vineam hanc electam & à Domino Agricultore tot priuilegiis ornatam nil aliud symbolizare, quàm animam nostram, & sepem illam tam pulchram atque fortem, quâ circumdatur ac munitur, Angelorum custodiam significare, quæ à Deo destinata est, vt hanc electam vineam suam contra dæmonum insidias custodiat, *& sepem circumdedit ei.* Explicat Glossa interlin. *Angelorum custodiam*, & sanctus Ambrosius, *sepem circumdedit*, hoc est, *custodia Angelica munitionis vallauit, ne facilè spiritualium patere incursibus bestiarum.* Idem dicit S. Ioan. Chrysostomus homiliâ 40. in Matthæum. *Quid est seps, nisi Angeli incircuitu custodientes populum Dei?* Muniuit Deus animam fortissimâ sepe & vallo intransibili, & fortissimos, robustissimos, potentissimos custodes cœlestes spiritus circumposuit, qui ipsam contra omnes insultus ac insolentias infernalium spirituum defenderent. Quis ergo nostrûm est, qui dum tam manifestè deprehendat, cœlestes illos principes à Deo hominum & animarum nostrarum custodes deputatos esse, non dicat sanctum Iob valde ad rem locutum esse, & meritò hanc hominis excellentiam admiratum, exclamasse ad Deum: *Quid est homo, quia magnificas eum?* ac si dicere voluisset; O Domine! priuilegia & fauores, quibus hominem decorasti, nimis grandia sunt, & gratiæ prærogatiuæ ipsi concessæ, mentis meæ captum excedunt; præsertim cum videam pro necessitatibus ipsius ministros tam sublimes, custodesque tam nobiles & excellentes, vt Angeli paradisi sunt, deputatos esse. Videbimus ergo breuiter, quantus hic fauor, & quam sublimis

Matt c, 21.
Glossa interlin.
S. Ambros. l. 9 in c. 10 Luc.
S. Ioannes Chrys. hom. 40. in Matth.
Vinea anima, sepes Angelorum custodia.

hæc sit gratia, quam Deus homini exhibuit, cùm Angelorum ei destinaret custodiam, & animam nostram hâc fortissimâ & potentissimâ sepe circumdaret atque muniret, vt Angelicorum spirituum continua assistentia, vigilantia atque custodia est. Secundo puncto vtilitatem huius sepis, id est, angelicæ custodiæ diligentiam, vigilantiam, & solicitudinem & curam in continuam custodiendo animam ipsis à Deo commissam examinabimus. Tertio puncto docebo, quomodo grato animo tanto fauori à nobis correspondendum sit. Et occasione hac, quòd hodie sancta Romana Ecclesia solenniter celebret festum sancti Iosephi Sponsi Beatissimæ Virginis, nonnihil de eius excellentijs ac priuilegijs secundâ parte referam, & de plurimis, quæ de ipso dici possunt, ob temporis breuitatem, paucula delibabo.

PARS I. PVNCTVM PRIMVM.

Homo erat pater-familiàs, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei. Matthæi cap. 21.

CUriosum ac periucundum mihi semper visum est dubium illud à sancto Theodoreto quæstione secundâ in Genesim propositum. Quis negare poterit, dicit Sanctus, inter omnes creaturas, quas omnipotentis formauit mens, angelicos spiritus & nobilitate & pulchritudine longè alias omnes excedere, & pulcherrimas ac nobilissimas esse creaturas? Cur ergo Moyses sacer Chronologista primo suo libro Genesis capite secundo & tertio, dum describit creationem mundi, in principio cælorum ac firmamenti enarrat formationem, dispositionem solis & lunæ ac stellarum vt ornamentum ipsorum prædicat? Cœlorum narratâ creatione, ac ipsorum formatione nobis exhibitâ ad sublunares descendit creaturas, vnam post alterâ mirabili ordine describit, & nullâ de Angelicis spiritibus facit mentionem? Respondet Sanctus hic vir ad indicandum illud dubium, & dicit, sacrum Chronologistam studio & ex professo Angelicorum spirituum nullã fecisse mentionem, quia timebat, ne Hebræus populus vt Deos ipsos adoraret, qui naturâ suâ ad omne idololatriæ genus inclinatus erat, & tanta facilitate etiam bestias terræ vt Deos suos coleret. Si ergo de Angelicis spiritibus aliquid intellexisset, & ipsorum nobilitatem ac subtilitatem cognouisset, absque dubio honorem, qui soli debebatur Deo, ipsis deputasset. Audiamus verba eius: *Si tam facile sibi Deos finxerunt è jumentorum simulachris, quid non perpetraturi essent i[n]uisibilis natura notitiam assecuti?* Similiter & doctissimus opinatur Liranus: *Si Moyses fecisset mentionẽ de creaturis spiritualibus & in visibilibus, coluisset eos populus tanqum Deos.* Idem dicit S. Ioannes Chrysostomus homiliâ secundâ in Genesim,

Magnus ille Dionysius Areopagita libro quarto de diuinis nominibus contemplans Angelorum naturã, dicit Angelum imaginem, Dei esse, occulti luminis manifestationem, speculũ purũ, splendidum & incontaminatum (in quantum ipsi cõuenire potest) Dei pulchritudinem in se exhibens, & quantum possibile est, purè & perfectè reconditam Dei bonitatem declarans atq; demonstrans: Et beatus ille Thomas de Villa-noua concione de S. Michaële Archangelo affirmat Angelum tam excellentem, pulchrã ac nobilem esse creaturam, vt S. Ioannes Evangelista etiamsi intimus ac familiarissimus fuit Christo Domino, nihilominus cum Angelum in sua pulchritudine, gloria, maiestate ac splendore vidisset, illum non Angelum æstimare potuerit

Excellentia naturæ angelicæ.

Liran. in c. 10. Gen.

S. Ioannes Chrysost. hom. 2. in Genes.

S. Dionys. lib. 6. de diu. nom.

B. Tho. de Villa noua conc. de Sancto Michaele.

tuerit, sed Deum ipsum, (cui soli conuenit adorationis gloria) fuisse omnino sibi persuaserit, vt ipsemet libro suo Apocal. c.19. attestatur. *Cecidi ante pedes eius vt adorarem.* Et omnino vt Deum Angelum adorasset, & summum hunc commisisset errorem, nisi ad Angelo monitus fuisset sequentibus verbis: *Vide ne feceris; conseruus tuus sum.* Sed, quæso, verba S. Archiepiscopi Valentiæ vobis, quæ pulcherrima sunt, libeat percipere: *Ioannes viso Angelo, cum illo loquebatur, & pulchritudinem eius admiratus sic vehementer expauit, vt nisi prohiberetur solo prostratus illum adorasset, Deum procul dubio suspicatus, quia nihil in orbe eâ pulchritudine, quã videbat, maius aut speciosius reperiri posse putabat.* Doctissimus Hugo Cardinalis in hunc locum quasi eadem habet verba: *Talis enim apparuerat qui pro Deo adorari poterat.* Ergo ex his satis constat quàm excellens & nobilis creatura sit Angelus. Et hic à Deo ad hominis destinatur custodiam; ideo & meritò quidem totus admirabundus S. Hieronymus in cap. 18. Matth. prorupit in sequentia verba: *Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis suæ Angelum deputatum.* Hi tam nobiles, pulchri, potentes principes cæli & æternæ gloriæ spiritus sepes ac vallum animarum nostrarum sunt, vt dixit, *Et sepem circumdedit ei.*

Apoc. c.19.

Hugo in c.19. Apoc.

S. Hieron. in c.18. Matth.

PVNCTVM SECVNDVM.

TRanseamus nunc de Angelica pulchritudine & nobilitate ad beneuolentiam & affectum, quo erga nos feruntur, quem nobis exhibent atque demonstrant, & consilia, auxilia, quibus nobis in omni necessitate tam spirituali quàm corporali fidelissimè succurrunt, examinemus. Tantum Angelorum desiderium, est hominibus seruire, & tam anxiè nostram optant custodiam, vt cùm creatura aliqua de obscuritate tenebrarum in hoc pucherrimo nascitur lumine, à Deo ad custodiendam illam destinetur Angelus, non solùm vento citius Dei executiuus mandatum aduolet, & summâ solicitudine commissũ sibi impleat officium, verùm etiam pro singulari gratia ac fauore à Deo sibi munus hoc collatum existimet, vt pro tali genibus flexis & debitâ reuerentiâ sequentibus verbis singulares agat gratias, vt S. Vincent. serm. de S. Michaele Archangelo opinatur: *Domine reputo mihi ad magnam gloriam & honorem, quòd committis mihi creaturam ad imaginem & similitudinem tuam factam, tuo sanguine redemptam.* Et quomodo dicit S. Bernardus sermone in Psalmum nonagesimum, *Demorari apud nos non grauantur*, & ob creatoris amorem alas suas de altitudine cæli ad nostram infimam partem, vbi nihil est, demittunt? Et idem ille amor, qui mentes illorum ad Dei eleuat amorem in cælis, ad nostrum demittit in terram, & sic inter duos istos ignes Dei amoris ac hominis ardent & flagrant, & plurima nobis adferunt bona, & sic nos felices vt plurimum ab his principibus manemus.

Magna gratia homini Angelorum custodia est.

S. Vincent. serm. de S. Michaele Archan.

Apud sanctum Iob capite primo reperio, quòd quadam vice Deus dæmonem ad se citauerit, & cùm aduenisset, sequentibus verbis ipsum allocutus fuerit: *Nunquid considerasti seruum meum Iob?* Dic mihi, cùm terram obambulares, & meus seruus Iob tibi occurreret, nunquid considerasti & circumspexisti eum vndiq; & ex omni parte? quid tibi videtur de illo? nunquid sũmã eius patiẽtiam, constantiã, fortitudinem, quã in tot tantisque infirmitatibus tolerandis demonstrauit, admiratus es? numquid mirũ tibi videtur, eius te vincere & deijcere non potuisse cõstantiã & tot flagellis, quibus eum tormentasti, nec ad impatientiæ verbum vel motum aliquem murmurationis contra te inducere potuisse? Quid malignus spiritus respondit Altissimo? *Nonne tu vallasti*

laſti eum? ac ſi diceret: Exprobrare mihi benè potes meam inſufficientiam ac debilitatem, ſi tu tam forti eum circumdediſti cuſtodiâ: ſi tu non ita defendiſſes, & tot cuſtodijs muniuiſſes eum, ô quàm facilè de eo obtinuiſſem victoriam! & adhuc ſi recedere illam iuberes, ſine vllo labore victoriam obtinebo. Sed qualiſnam hæc munitio & cuſtodiâ eſt, quod Deus ſanctum cuſtodiebat Iob? Origenem libro primo in Iob citatum à Gloſſa hîc legite. Ille vobis illos cuſtodes deſcribit, qui in dæmonis perſona ſequentibus verbis Deum alloquitur: *Quoties volui appropinquare & non inueni acceſſum te muniente omnia eius Angelorum cuſtodiâ?* Volebat dicere dæmon: Quid mirum ſi Iob à me ſuperari & vinci non potuit? nam tu ipſi pro cuſtode fortiſſimum Angelorum & Principem cæleſtis gloriæ deſtinaſti, qui in omnibus ipſum ita munit, & tam vigilanti ſepit cuſtodiâ, vt minimè in actum redigere potuerim quæ mea erat intentio. *Nónne tu vallaſti eum?*

Orig. lib. 1, in Iob cit. à Gloſſ. hic.

Inde Dauid Rex, cùm de Angelorum cuſtodia faceret mentionem, inquit: *Immittet Angelos Domini in circuitu timentium eum.* Sanctus Hieronymus hîc ſic habet: *Circumdat in gyro Angelus Domini timentes eum*, id eſt, Angelus Dei & noſter cuſtos ab omni parte & latere nos circumdat, tuetur ac protegit, ne dæmon aditum inuenire ad nos poſſit & nocere valeat, qui ſemper vt leo rugiens & lupus famelicus circuit, & ad deuorandum nos aditum quærit, vt Sanctus Petrus Apoſtolus primâ ſuâ Epiſtolâ cap. 5. dicit: *Circuit quærens quem deuoret.* Septuaginta interpretes magis ad propoſitum noſtrum loquuntur: *Caſtra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum* Id eſt, Angelus Dei formabit exercitum & in circuitu timentium Deum illum diſponet. Euthymius ſic legit: *Caſtra ponit Deus circa vnumquemque hominem*, Id eſt, non vnum tamûm Angelum Deus ad noſtram deſtinat cuſtodiam, ſed caſtra Angelorum mittit, qui nos tueantur cùm neceſſitas id requirit, vt ſancto Eliſæo Prophetæ contigiſſe legimus, ad cuius cuſtodiam tantam multitudinem cœleſtis exercitus Deus miſerat, vt montes ac colles in circuitu eius eorum turmis ac ordinibus replerentur. O pulcherrimam ergo vineam animæ noſtræ, quæ tam diligenter cuſtodita eſt & defenſa à tot tantiſque generoſiſſimis cœleſtis exercitus ordinibus, qui Dei ſunt Angeli. Veniat ergo omnis ſathanæ potentia, aſſurgant principes tenebrarum, adſit potentiſſima illa tartarorum cohors, in nullo vineæ huic nocere poterit. Hoc ipſum quoque Regius atteſtatur Vates, dum ſubiungit ſequentia verba, *Et eripiet eos.* Dicat ergo ſanctus Euangeliſta in hodierno Euangelio: *Et ſepem circumdedit ei.* quia ſancti Angeli ſunt nobis fortiſſimus murus & ſeps munitiſſima contra omnes dæmonum inſultus.

Pſalm. 33.

Euthymius hic.

Sed firmemus hîc aliquantum diſcurſum noctrum, & videamus, an Angeli Dei cum recreatione hanc erga nos cuſtodiam exhibeant, an verò cum faſtidio & contra voluntatem ſuam id præſtent & nobis ſeruiant, vt nonunquam in ſeruitute, quam homo alteri homini exhibet, euenire ſolet. Sciat quiſque noſtrûm, N. N. tanto guſtu, tam promptâ voluntate accurataque diligentiâ Dei Angelos nobis ſeruire, vt inter ipſos iucunda quædam contentio ſit, quis meliori modo & maiori vtilitate homini ſubuenire & ſeruire poſſit, & preces eius immortali Deo valeat præſentare. Conſideratio hæc S. Hilarij comm. in ſanctum Matth. capite decimo octauo eſt, vbi ſic habet: *Periculosè ille contemnitur, cuius deſideria & poſtulationes ad æternũ ac inuiſibilem Deum ambitioſo Angelorum famulatu, ac miniſterio peruehuntur.* O immortalis Deus! quod creatura tam nobilis, tam excellens,

S. Hilar. comm in S. Matth. c. 18.

tam

tam pulchra honoris sibi ducat seruire tam vili creaturæ vt homo est! O quam summa dignitas hæc est! Dicat ergo S. Hieronnymus vbi suprà: *Magna dignitas animarũ, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis suæ in custodiam sui Angelũ deputatũ.*

S. Hier. vbi suprà

Angeli sunt ad instar venti, vt vobis celeciter succurrant.

Et vt clariùs vobis exhibeam Angelorum seruiendi desiderium, & in omni nobis succurrendi periculo ac necessitate summam solicitudinem, vento illos velocissimo, quo nihil sub luna velocius est, assimilabo. Sic eos, dum in nostris negotijs occupantur, Regius Vates depingit: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* Quid velocius vento, dum flando per aëra currit? quid celerius igne vrente in sua actiuitate? nil certè sub sole. Tale ergo desiderium Angelorum nobis seruiendi est. Cùm mittuntur, vento celeriùs adsunt, & cùm succurrunt, vt ignis agunt, neminem curant, ad nullius pauent occursum, & fortissimè agunt. Quòd verò res ita se habeat, præceptum illud apud Isaiam à Domino Angelis datum satis demonstrat. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulsum & dilaceratum,* Id est, Citissimè currite Angeli & ministri mei, & auxilium præbete, & defendite homines, qui in laboribus ac afflictionibus sunt, & sub iugo curruptibilis ac mortalis vitæ sudant. Et hæc est ratio, cur Angelis Dei alas fingàmus, quas non habent, & alatos depingamus, vt celeritatem & festinationem & auida eorum desideria homini seruiendi ac succurrendi denotemus. Sic habet Sanctus Dionysius Areopagita de cœlesti hierarchia, & Tertull. in Apol. cap. 22.

Psal. 103

Isai. c. 78.

S. Dion. de cœlest. Hierarch. c. 15. Tertull. in Apol. c. 22.

Figura fat manifesta huius veritatis fuit visio illa Genesis capite vigesimo octauo, sancto Patriarchæ Iacob exhibita: qui cùm dormiret, vidit scalam à terra in cœlum tendentem, cuius summitas cœlos penetrabat, per quam Angeli plurimi velocissimo cursu, & ascendebant & descendebant. *Vidit que Iacob in somnis scalam stantem super terram & cacumen illius tangens cœlum Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Aliqui Angeli (vt doctissimus Caietanus hîc dicit) ascendebant per illam scalam, & nostras preces ac orationes ad Deum ferebant; alij descendebant & gratias, fauores, dona & misericordias, quas à Deo nostris precibus impetraueramus, afferebant & in continuo hoc motu sistebant, quo desiderium & auiditatem nobis seruiendi, velocitatem & festinationem ipsorum in nostris nobis necessitatibus succurrendi exhibebant & demonstrabant. Verba Caietani hæc sunt: *In ea nempe scala continuò Angeli ascendunt à nobis referendo nostra ad Deum, & descendunt ad nos deferendo diuina nobis.*

Gen. c. 28.

Caiet. hîc. Continuò ascendunt & descendunt de cœlis ad nostra obsequia.

Et Sanctus Bernardus serm. decimo nono in Cant. obseruat, in tanto numero Angelorum, qui scalam illam replebant, nullum fixum aut quietum stetisse aut sedisse, sed omnes vsque ad vnum in velocissimo ac continuo fuisse motu. *Ascendentes & descendentes.* Alij ascendunt, alij descendunt per scalam, ad significandum nobis assiduam Angelorum solicitudinem in ministerio circa homines & quòd in hoc vigilantissimi sint. *Vidit ascendentes & descendentes, nullum eorum stantem aut sedentem, sed semper vigilant in opere salutis nostræ.* Et idem mellifluus Doctor sermone 20. de Natiuit. sequentia habet verba: *Discurrunt medij inter nos & Deum, fidelissimè portantes gemitus nostros & ipsius gratiam.* Id est Angeli sancti semper nobiscum sunt, & summâ attentione expectant, an nostrûm aliquis gemitum ad Deum mittat, & verbis aut corde aliquid petat, aut desideret, quod cùm perceperint, tanquam mediatores ad Deum ascendunt, & gemitus illos ac suspiria nostra præsentant, gratiam solicitant, & obtentam ad nos fidelissimè deferunt.

S. Bern. serm. 19. in Cant.

Idem ser. 20. de Natiuit.

Sed vt cognoscas, Christiane, quanta sit custodia Angeloru m, quantaque diligentia te diu noctuque custodiant, legere libeat cap. 1. Prophetæ S. Ezechielis, & reperies admirabilia quædam animalia plena oculis, quibus secundum S. Hieronymum hîc Angeli, qui hominum custodiæ à Deo deputati sunt, significantur. Inter alia quæ S. Ezechiel de illis animalibus enarrat, est facies leonis, quam vnum præferebat; quæ facies, vt S. Gregorius Papa homil. 2. in Ezechielem docet, symbolum Angelorum, qui nostræ custodiæ sunt deputati, erat. Aspicitẽ, quæ Plinius de leonis refert naturâ, quòd nunquàm dormiat, sed semper vigilet, semper paratus sit suos catulos custodire. Ausim maiori cum ratione de nostris Angelis illud asserere, qui veluti fortissimi leones nunquã dormiunt, sed semper pro nostra custodia diligentissimè vigilant, atque ad nos, ne mali quid nobis contingat, attendunt. Et verò quid pro nobis Angeli non faciunt, & quid ad nostram non præstant defensionem? Legite librum Exodi c. 13. reperietis columnam illam nubis, quæ populum Dei præcedebat de die quasi nubes densissima, de nocte ac lucidissimus ignis, Dei Angelum fuisse qui in hac latebat nube, & pro custodia populi à Deo destinatus. *Dominus præcedebat vos in columna nubis.* Dicit Liranus explicans illa verba: *Scilicet per Angelum.* Idem Philo doctissimus Hebræus de vita Moysis dicit.

Ezech. c. 1. *S. Hier. hîc.* *Plin. lib. 9. hist natur.* *Exod. 13.* *Lir in c. 13. Exod.* *Phi. de vita Moysis.*

Nunc vos, ô docti, locum illum intelligetis Danielis cap. 4. vbi sequentia reperietis verba: *In sententia vigilum decretum est.* Hi qui sic vigilantes Deo adstabant, erant Angeli nostri custodes, dicit S. Hieronymus hîc. Vigiles dicuntur Angeli. Hi Dei Angeli & nostri custodes sunt illi, dicit Hugo Cardinalis, vigiles quorum in Canticis Canticorum mentio fit, quæ sponsam ciuitatem obambulantem deprehenderunt. *Inuenerunt me vigiles*, id est. *Sancti Angeli quibus totus mundus custodiendus deputatus est.* Nam hi suas obseruant vigilias & nobis occurrunt, dum in obscura nocte vitæ nostræ obambulamus; & væ nobis, si Deus summus vigiliarum præfectus tam diligentes ac vigilantes custodes per vicos ac plateas huius vitæ nostræ non disposuisset. *Qui custodiunt te, non dormitant neq; dormiunt*, dicit S. Bernard. sunt leones, qui diligentissimâ custodiâ suas obseruant sibi commissas animas; nunquam claudunt oculos, nec faciem vnquam auertunt ab homine sibi commisso.

Dan c. 4. *Vigilias agunt pro nobis.* *S. Hier. hîc.* *Cant. c. 3.* *Hugo. Card. hîc.* *S. Bern. serm. 77. in Cant.*

Idem S. Iob c 35. dicere vult, vbi gratiam hanc hominibus à Deo præstitam summopere admiratur, dicens: *Vbi est Deus qui facit me? qui dedit carmina in nocte?* Septuaginta interpretes sic habent: *Qui distribuit custodias nocturnas.* Origenes hîc: *Qui distribuit nocturnos vigiles* Eiusdem opinionis S. Augustinus est lib. ann. in Iob, vbi per vigiles Angelos custodes, & per noctem vitam nostram intelligit, qui à Deo destinati sunt vt in obscuritate nostræ vitæ passus & egressus nostros dirigant, & ab omnibus incursibus custodiant. Verba eius hæc sunt: *Tempora enim huius sæculi sub rectis sunt potestatibus ordinata, nec in ista erroris nocte Deus hominem absque custodia relinquit.* Ergo Deus vt vigiliarum supremus præfectus, custodiæ hominum Angelos deputat, & inter ipsos summâ prouidentia horas diuidit atque vigilias ordinat.

Iob. c. 35. *Septua. hîc* *Origen. hîc.* *S. Aug. lib. ann. in Iob.*

Sic reperio factum esse in libro Genesis c. 19. & clarissimum huius custodiæ deprehendo exemplum. Angeli missi fuerant à Deo vt Lot cum vxore suâ & filiabus de sceleratâ illâ educerent vrbe, qui cùm illum exhortati fuissent, & tergiuersantem deprehendissent, & iam iam ignis de cœlo cadere deberet, minati sunt ipsi, & clamore valido insurrexerũt contra ipsum, & manibus ipsius apprehensis extra ciuitatẽ duxerunt. S. Ioannes

Gen. c. 19.

nes Chrysost. in hunc locum sic habet: *Attoniti fuerunt, & in nimium pauorem inciderunt, & propter minas anxij fuerunt.* Horsum peccator, erige aures & percipe quæ tibi dico. Dic mihi, quoties tu de obscurâ nocte exis domo tuâ, vt per hanc vel illam fenestram vel secretam portam vt fur & latro intres tuis libidinosis desiderijs satis facturus? & Ecce dum portam aperis & intrare vis, vel adhuc in platea es, nescio quem audis rumorem ac clamorem; quo exterritus reuocas gradum & tedis domum. Quos putas esse hos tumultuosos, qui tuam intentionem inuerrerunt? Angelus tuus custos est: qui, ne tuam malam intentionem in effectum poneres, & fortè ibi perires, impedire voluit. Quoties in tuo corde Angeli sancti te exhortantur vitiorum mutare flammas atque ardores, & in quantum moramur & differimus conuersionem? Et ecce terrent nos, dum æterni ignis flammas, quibus si non conuertamur, cruciabimur, oculis nostris ex ponunt.

S. Ioann. Chrys. in hũc locum.

Imò dico tanto affectu sanctos Angelos in nostrum ferri ministerium, vt si possibilis in ipsorum mente passio aut aliqua mutatio esset, ex nimio affectu succurrendi nostris necessitatibus affligerentur, contristarentur ac melancholici fierent. De S. Petro legimus Act. cap. 12. quòd dum carcere per Angelum fuisset eductus & in libertate constitutus, rectà iuerit ad domum Mariæ Sancti Ioannis matris, quæ ex illis tribus vna erat, quæ ad sepulchrum, Dominum vngendi gratiâ, venerant. Et Ecce dum ad portam domus de nocte pulsasset, ancillula quædam occurrit, & cùm Petrum esse deprehendisset, non aperit, sed præ nimio gaudio currit ad congregatos in hac domo, & clamat: *Petrus ad fores est.* Sed illi ridebant ipsam, dicentes: *Insanis Angelus eius est, nescis quid dicis.* Petrus in carcere fortissimis vincitur catenis, clausus custoditur, cras producendus ad mortem, & tu dicis: Est ante portas. Si illi similis quis adest, Angelus in ipsius forma est. Sed quomodo (dicit S. Ioannes Chrysostomus) hoc tam repentè ibi in oratione congregatis in mentem venit, Angelum Petri esse, qui foris staret, & pulsando introitum peteret? Verba eius hæc sunt: *Vnde illis in menten venit, adesse Angelum Dei?* & excellentissimè respondet: *A tempore illud coniectabant.* Ex tempore occurrente argumentabantur Angelum Dei & Petri custodem esse. Sed quale erat illud tempus? Persecutionis, afflictionis, & tribulationis pro Sancto Petro erat; ac si dixissent: Petrus nunc in summâ necessitate constitutus est, auxilio opus habet, ac operâ nostrâ indiget, ideo Angelus eius in forma ipsius nostræ adest portæ & pulsat, & totus solicitus circumit nunc nos, nunc alios solicitando, vt in oratione pro Petro feruentes simus, ne quid mali Petro eueniat. O quàm diligens hæc custodia nostrorum Angelorum est! quàm anxij sunt in nostro ministerio! quam in vigilijs strenui sunt!

Act. c. 12.

S. Chrys. in cap. 12. Act. Apost.

Adiungo his Angelorum officium esse, nos illuminare: videntur enim cum vnoquoque nostrûm se gerere, vt cum Sancto Daniele Propheta cap. 10. ad quem missus Angelus, vt eum in afflictione suâ consolaretur, dixit se missum esse, vt ipsum instrueret. *Veni vt te docerem.* Scias me venisse, vt te doceam & instruam, quæ facere & agere debeas in posterum. Hoc ipsum nobis præstare Angelos S. Augustinus in soliloq. c. 27. asserit: Semper nobis adstant, & obscuras mentes nostras salutaribus inspirationibus illuminant, ac instruunt, & omni solicitudine bonum nostrum inquirunt, & diligentias summas adhibent, vt odium mali in nobis excitent, & si aliquando (vt contingere solet) homo aut ex ignorantia aut, fragilitate humanâ vel vehementi obrutus passio-

Angeli nos illuminãt.

Dan. 10.

ne aut etiam merâ malitiâ in graue aliquod cadat crimen, ne putetis ideo Angelum custodem, hominem derelinquere, & discedere, & prædam dæmoni relinquere: non N.N. sed fidus permanet socius, adstat semper, vigilat continuò, instruit ac docet & exhortatur mutare vitam & de peccato commisso agere pœnitentiam. Veritatis huius verissimum testimonium habemus lib. Exod. cap. 22. vbi expressis verbis hæc eius constantia, fidelitas ac sedulitas in custodiendo & assistendo nobis exhibetur. *Et cùm peccaueris, non dimittet te.* O miseros nos! Deus nos liberet ab hoc malo, ne Angeli custodes, cùm peccamus, nos deserent. Quis tot tantisque dæmonum tentationibus resisteret? & quis nos ab euidentissimo mortis periculo & vitæ, & animæ defenderet, si Angeli Dei nobis non assisterent, & hoc non præstarent ministerium? Audite Petri Damiani libro primo Epist. cap. 17. ad Alexandrum Secundum. *Neque enim versutia tam callidi, tam exercitati hostis posset frigiditas humana resistere, nisi eos à tentationibus electorum virtus angelica propulsaret.* Et licet, dicit idem Damianus, nil sub sole tanti fœtoris atque abominationis sit, quo nares atque oculi (ad nostrum loquendi modum) sanctorum Angelorum offendantur, ac animæ mortuæ in peccatis putredo & sanies; nihilominus hominem non derelinquunt, sed firmiter ipsi adhærent, fidelissimè custodiunt, & omnibus modis laborant in viam salutis reducere ad instar boni alicuius medici, qui quò plus fœtent vulnera, & fœtida fluunt sanie, eò maiori curâ satagit ea curare, & pristinæ restituere sanitati; ita illi vulnera peccatorum. Sic habet sermone de Sancto Michaële Archangelo: *Ipsi autem licèt à nobis frequenter iniurias patiantur, sustinent tamen & compatiuntur peccantibus, nec minor illorum circa nos custodia, imò maior solicitudo, cùm boni custodis sit, infirmis magis quàm sanis opem exhibere.*

Exod. c. 22.

Pet. Dam. lib. 1. Epist. 17. ad Alexand. II.

Idem serm. de S. Mich.

Stupendum illud est, quod lib. Genesis capite decimo nono refertur. Ibant duo Angeli versus Pentapolim, vt diuinæ iustitiæ executores ignem de cælo traherent, ciuitates illas cum suis incolis consumerent & in cineres redigerent. *Venerunt duo Angeli Sodomam vesperi.* Sed quomodo tam tardus est illorum aduentus, & cur introitus illorum sub vesperum fit? nunquid Angeli erant? ergo breuissimo tempore iter hoc conficere poterant, & opus non erat totam diem vsque ad vesperum in hoc itinere consumere. Respondet doctissimus Liranus, & dicit Abrahamum Deum rogasse & deprecatum fuisse pro illo populo, vt parceret. Quod cùm Angeli animaduertissent, lento processerunt pede: nam habebant compassionem cùm tanto populo, quem ignis consumere debebat; sic vsque ad vesperum expectabant sperando sanctum Abrahamum interim veniam ac indulgentiam à Domino obtenturum. Verba eius hæc sunt: *Tantum enim tardauerunt, vt viderent, si parceret terræ propter preces Abrahami, quia erant Angeli boni.* Væ nobis, si Angeli in nostrum non essent designati ministerium, & tam diligenti curâ nostra agerent negotia & custodirent.

Gen. c. 19.

Liran hic.

Quòd Dei Angeli semper nostri fidelissimi sint socij, & summâ curâ in nostra custodia excubias agant, sat audistis: sed hæc omnia repectu illius quã in mortis hora habent, quasi nihil sunt; hîc vt leones fortissimi in custodiam suorum incessanter vigilant, & pleni oculis sunt, vndique circumspicientes ne damnum ipsis cõmissi patiantur, aut sinistri aliquid animabus ipsorum contingat: & dum à parentibus, amicis, familiaribus, hæredibus, famulis aut famulabus deserimur, tunc ipsi vt fidelissi-

Maximè defendunt nos in articulo mortis.

mi

mi custodes minimè nos deserunt, sed tunc magis quàm vnquam & multo maiori curâ & diligentiâ, vt antè fecerunt custodiunt, & contra omnes dæmonum impugnationes defendent. Hoc sanctus Panthaleon Diaconus in dedicatione Basilicæ attestatur his verbis: *Hi etiam cùm ex hac vitâ migramus, assistunt nobis* & Sanctus Iob capite trigesimo tertio de morientibus sic loquitur: *Si fuerit pro eo Angelus loquens, vt annunciet hominis æquitatem.* Hebræus textus sic habet: *Si fuerit Angelus interpres, mediator & intercessor* Et doctissimus Caietanus legit: *Si fuerit pro eo Angelus loquens in fauorem hominis,* Ac si diceret; O felix illa anima! quæ in separationis tempore Angelum habebit qui pro illa loquitur. Tria, N.N. officia nobis exhibet atque præstat Dei Angelus agoniæ tempore, & cùm homo moriens omni humano auxilio priuatur, & ad talem peruenit statum, vt nec signis quidem circumstantibus suas possit aperire necessitates & ipsorum petere auxilium, tunc tribus modis Angeli nobis succurrunt. Primum officium aut ministerium est interpretis officium, quia cùm ægrotus suas necessitates per gestus Sacerdotibus aut alijs circumstantibus aperire non valeat, ipse Angelus per internas inspirationes agonizantis necessitates & intentionem aperiet. *Si fuerit Angelus interpres.* Secundo agit mediatorem, inter Deum & agonizantē se interponens, *vt annuntiet hominis æquitatem.* Id est, omnia bona opera, quæ moribundus in hac vita præstitit, intentionem & voluntatem bonam, quam habuit Deo seruiendi, Deo præsentabit, & omnes deuotiones & pietates exhibebit, & pro eius causa vt eloquentissimus aduocatus allegabit, & in præmium æternam postulabit gloriam, *in fauorem hominis.* Vbi doctissimus Caietanus sic habet: *Officium siquidem Angeli describitur annunciare Deo in fauorem hominis ægri rectitudinem vitæ ipsius.* Et si aliquando contingat, moribundi animam pœnæ commissarum culparum non sufficienter satisfecisse in hac vita, dicit sanctus Panthaleon vbi suprà, tunc Angelum custodem animam iam mortui apprehendere, & ad purgatorium ferre, ibidemque illam sæpiùs visitare, & dulcissimis verbis consolari, & spem dare, dicendo, satcitò de flammis illis liberandam, breui summo suo bono fruituram. Verba Sancti hæc sunt: *Animas nostras comitantur, si in purgatorium tendant, easque ibi sæpè visitant ac consolantur.*

S. Panth. in dedic. Basilicæ S. Mich.

Iob. c. 33.

S. Panth. vbi sup.

Nec existimet quisquam vestrûm, Auditores, hic Angelorum erga nos charitatem & affectum sistere, sed plus vltrà progreditur; nam cùm anima ad satisfactionem diuinæ iustitiæ pro omnibus commissis culpis satisfacit, & maculas omnes animæ abluit, summâ festinatione adsunt, dulciter amplectuntur, atque exosculantur, & suis brachijs amplexas Dei Creatoris præsentant conspectui, & merita illis in paradiso loca assignant. Quæ omnia à diuina Maiestate nobis promissa videntur in libro Exodi capite vigesimo tertio, vbi sic loquitur Deus: *Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem paraui,* Angelicus Doctor opusculo octogesimo sexto capite octauo explicat atque enarrat officij siue ministerij angelorum actus, vbi inter cetera hæc habet: *Lumen virtutem ostendendo vt custodiat in via, in igne purgatorij, & introducat ad sidera cælestis regni.* Non deserunt nos, neque à nobis discedunt, donec in locum nobis à Deo assignatum collocent. In cuius veritatis testimonium legite, quod Lucæ cap. 16 de Lazaro scribitur, cuius anima separatione factâ per Angelos in sinum Abrahæ, vt à Deo deputatum locum, transportata fuit. Et S. Ioannes Chrysostomus homil-

Perducunt ad purgatorium & in paradisum.

Exod. c. 23.

S. Thomas opusc. 86. c. 4.

in

in Euang. de diu. dicit iucundam inter ſanctos Angelos fuiſſe concertationem, quiſnam illorum tam beatus eſſe poſſit, vt Lazari animam in Abrahæ ſinum deportaret; & quod hîc præſtiterunt, idem in cuiuſcunque Beati morte facere. Verba eius hæc ſunt: *Gaudet enim vnuſquiſque Angelorum tantum onus tangere; & libenter talibus honoribus grauantur, vt adducant homines ad regna cœlorum.*

S. Chryſ.

Sed quis hominum, N. N. tantâ pollet eloquentiâ, vt dolorem & afflictionem, quam Angeli percipiunt, cùm animam ſibi commiſſam condemnari & à dæmonibus de ipſorum eripi manibus & æternis tradi tormentis cernunt, deſcribere valeat? Poſuit Deus in cuſtodiam Paradiſi terreſtris, vt legimus libro Geneſeos cap. tertio, Angelum Cherubim: *Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim.* Fueramus caſtigati in Adamo omnes, & de delicioſiſſima habitatione paradiſi eiecti, & Angeli videntes nos eiectos, & cœli aditum nobis eſſe præcluſum, triſtes & afflicti condoluerunt. Sic Sanctus Ioannes Chryſoſtomus habet ſerm. de Aſcenſ. Domini: *Quando puniebamur, ipſi quoque nimiâ triſtitiâ tenebantur, & Cherubim licet Paradiſum cuſtodiebant, tamen noſtris ſupplicijs triſtabantur.* Quid ergo non erit, & quali dolore & triſtitiâ ſanctos Angelos non afficiemus, cùm nobis ipſis cœlum, quod Chriſtus nobis ſuo ſanguine reſerauerat, per noſtra peccata denuò obſeramus ac claudimus; & cùm deprehenderint tot eorum labores & curas in noſtram gratiam adhibitas eſſe inanes & irritas. Hoc eſt, quod docet Theodoretus in Epiſtola ad Romanos capite octauo. *Si gaudent propter peccatores, qui agunt pœnitentiam, etiam triſtitiâ afficiuntur dum vident noſtra delicta.* Et Origenes conſiderando verba illa, quæ benedictus Chriſtus noſter apud Sanctum Lucam capite decimo quinto protulit: *Gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* pulcherrimam deducit conſequentiam & dicit: Ergo ſi gaudent pro conuerſo, neceſſe eſt vt lugeant pro peccante, id eſt: Si Angeli Dei dies feſtiuos agunt & lætitiam vniuerſalem in cœlo celebrant, cum peccatorum quis conuertitur; ſic cùm contingit hominem in peccatum cadere & Deum graui aliquo crimine offendere, dolent, triſtantur, & vniuerſalis triſtitiæ celebrant dies, & miſerum hominis caſum deplorant. O quàm inconſolabiles erunt ſancti Angeli! dicit Sanctus Auguſtinus de vanitate ſæculi, cùm nos culpis immerſos, & in tot delictis viuos ſepultos iacere deprehenderint, & omnes ipſorum labores ac ſudores ad noſtrum bonum atque profectum adhibitos, vanos & irritos eſſe, & nos ob propriam culpam damnari deprehenderint. Verba Sancti hæc ſunt: *In exitu noſtro triſtitiam facimus Angelis & gaudium inimicis.* Inde Sanctus Vincentius Ferrarienſis ſerm. de S. Mich. Archang. Sanctus Antoninus tertiâ parte, titulo trigeſimo; capite ſexto; Petrus Damianus ſerm. de S. Mich. Archang. locum illum Iſaiæ cap. 33. explicando, *Angeli pacis amarè flebant*, intelligunt per hos Angelos pacis, noſtros cuſtodes, qui quando videbunt animam, quam ipſi tantâ diligentiâ, curâ ac ſolicitudine in hac vita cuſtodierunt, quia ſe conuertere & vitam mutare noluit, â dæmonibus rapi, & in infernum in æternum cruciandam portari amariſſimè flebunt. Verba Sancti Antonini ponam: *Quando egreditur anima, quòd eam dæmones ducunt & rapiunt ad infernum cum multis contumelijs & tormentis, verificatur illud Iſaiæ: Angeli pacis amarè flebant, dimittentes eam dæmonibus,* vt amantes matres dum vident filios ſuos de ſinu ſuo per inimicorum violentas rapi manus; & illis, quos tam tenerè & tanto amoris affectu educarunt, non ſe poſſe ſuccur-

rere

Dolent de noſtro interitu.

S. Chryſ.

S. Theod. in Epiſt. ad Rom. c. 8.

Luc. c. 15.

S. Auguſt. de van ſæc.

Vinc. Fer. ſerm. de S. Mich. Arc.

S. Anton. 3. p. tit. 33. c. 6.

Pet. Dam. ſer. de S. Mich.

rere, amarissimè flent, plangunt ac dolent.

Intellexisti Christiane, quæ & quanta sint, quæ Dei Angeli pro te tuaque præstant salute? percepisti quanto amoris affectu te tuaque tractent negotia, te gubernent, ac æstiment beati illi spiritus? Rogemus ergo Deum ne nos Angelico hoc auxilio priuet, nec ob culpas nostras hanc munitissimam sepem à nobis tollat, & cum Regio Propheta dicamus Psalmo centesimo decimo octauo, *Fiat manus vt saluet me.* Per quam manum S. Ambros. hîc Angelicam custodiam intelligit. *Hæc est manus Dei, de qua scriptum est: Nonnè omnes ministri spiritus sunt qui mittuntur in ministerium propter eos qui futuri sunt hæredes salutis?* Angeli à Deo in nostrum mittuntur succursum, vt auxilium contra inferni insidias præbeant & nostra desideria ad Deum ferant, ac necessitates repræsentent.

Psal. 118.

S. Ambrs. hîc.

Ad Heb. c. 1.

Rem paucis. Angelorum custodia circa nos semper est, & hoc ab ipsis summâ peragitur curâ ac solicitudine. *Nunquam anima est sine Angelorum custodia,* dicit S. Bernardus serm. 39. in Cant. Et ne dixeris in corde tuo: Vbi sunt? Vidit eos Propheta Elisæus, & fecit orando, vt videret Geizi: tu non vides, quia non es Propheta, nec filius Prophetæ. Quomodo maximus peccator Angelos videre præsumis? quomodo tu vana mulier, & lasciua castissimos Angelos intueri poteris? Sancta Francisca Romana, vt in eius legitur vitâ, semper Angelum suum custodem in forma pulcherrimi iuuenis cernebat. Sic Sanctus Stanislaus continuò cum suo ambulabat Angelo, qui in transitu portarum visi sunt ab alijs, sibi inuicem deferre honores, vt in eius legitur vita. Et plurimi alij Sanctorum suos Angelos custodes & alios continuò sibi præsentes cernebant atque intuebantur, sed nos, cùm peccatores simus, videre minimè possumus, attamen per Dei misericordiam videmus & experientiâ manibus palpamus gratias ac fauores quos per singulas horas per ipsorum assistentiam & præsentiam recipimus.

In vita S. Franc. Rom.

In vita S. Stanisl.

Quoties, ô Christiane, qui sceleratam agis vitam in medio concupiscentiæ flammarum, ac libidinis igne circumdatum te reperis, magis quam qui in fornace inclusi materiali circumdabantur igne? & Ecce Angelus, tuus custos tibi adest, & in medijs illis flammis alas protectionis suæ mouer, & suauissimam excitat auram, quâ flammas has à te repellit, & tentationes superare docet, vt sic in medio ignis constituto flammæ non noceant. Quoties vt alter Daniel in lacu à leonibus, id est, à passionibus tuis circumdatum te reperis? & Ecce Angelus tuus adest ora ipsarum occludens, sua protectione illos mitigat vt victor euadas. Quoties, dum altissimum æternæ gloriæ montem ascendere conaris, ob difficultates itineris defatigatus & quasi pusillanimis sub arbore, vt Elias, desperabundus te proiicis, & mortem optas? & Ecce ipse somnolentum ac tepidum excitat, per internam inspirationem confortat poculum & panem præbens, & ad altius progrediendum animat. Quoties dum ad ripam huius vitæ periculosissimi maris ambulat, & infernalis ille piscis, cete magnum, deuorare te intendit, ille suo auxilio tibi adest, de periculo liberat, ac in patriam tuam vt Tobiam alterum, quæ cœlestis Hierusalem est, reducit? Quoties ô Christiani, animæ nostræ vt Petrus alter inter catenas, inter varias negligentias ac tepiditates grauissimo somno oppressæ jacent, & Angeli nostri custodes excitant illas, & de grauissimo illo periculo liberant? Væ nobis, si Angeli à Deo ad nostram custodiam non essent ordinati; væ omnibus filijs Adæ, si beatos spiritus in coadiutores

Dan. c. 14.

3. Reg. c. 19.

Tob c. 12.

Officia ac ministeria varia angelorum.

Actor. c. 12.

S. Bernar. in Psalm. Qui habitat. *Idem ser. 19. in Cant.* tores non haberent. *Si boni spiritus elongarent*, (dicit S. Bernardus in Psalm. *Qui habitat*) *malorum impetum, quis sustineret?* Idem serm 19. in Cantica talem de Angelorum custodia protulit sententiam, quæ digna est vt ab omni Christiano in intimo recondatur corde. *Nunquam quiescunt Angeli in opere salutis nostræ: nimirum quia optimè norunt quanta res sit, in æternum damnari vel saluari nos.* Sciunt benè sancti Angeli quantæ miseriæ damnatorum & facilitates beatorum sint; ideo indesinenter laborant, sine intermissione soliciti sunt, quomodo nos ab inferni pœnis liberare & ad cælestia gaudia perducere valeant.

PVNCTVM TERTIVM.

Quid debeamus Angelis pro gratiarum actione. CVm hac enarrata ac mille alia præstent nobis sancti Angeli seruitia, reliquum est, vt videamus, quid nos ipsis præstare, & quid in tantorum beneficiorum gratiarum actionem agere debeamus. Lib. Tob. c. 12. legimus sanctum Tobiam iuuenem, cùm se sanum & incolumen reductum & à tot alijs periculis liberatum per suum ducem, qui Angelus erat, cerneret, valde solicitum fuisse de mercede Angelo danda, & patrem suum seniorem sequentibus allocutum verbis: *Me duxit & reduxit sanum: quam mercedem dabimus ei?* Si ego de Angelo vt nostro custode dicam, à quo tanta, vt audistis, recipimus beneficia, gratias ac fauores, & per totam vitam nostram *duxit & reduxit*: *duxit*, ad operandum bonum; *reduxit à* malo *duxit*, ad exercitium virtutum; *reduxit* à periculis vitæ & damnationis: ergo *quam mercedem dabimus ei?* Quid retribuemus tanto amico atque benefactori? quem honorem, quam gratiarum actionem deferemus fidelissimo & assiduo nostro socio? Quando To- *Tob. c. 12.* bias ille junior cum patre suo seniore intellexit socium atque ductorem itineris eius non hominem, sed Archangelum Rephaëlem fuisse; *Ego sum Angelus Raphaël*, dicit Scriptura, quòd *turbati sunt & trementes ceciderunt in terram super faciem suam*; & tamen beneficium præstitum paucis durauerat diebus, tantum vnius itineris fuerat socius atque ductor. Et nos quid facimus Angelo nostro Custodi, qui ex momento illo, quo anima nostra creata atque infusa fuit corpori nostro, dux & socius noster fidelissimus est, & manu suâ quasi paruulum ducens, hucusque ad cœlum duxit, & de innumerabilibus liberauit periculis, & adhuc nobiscum est, & laborat vt nos sanos, viuos & incolumes ad domum Patris nostri, quæ est æterna gloria, de qua peccatum committendo discesseramus, reducat? Certè dum hæc consideramus, & hunc præsentem nobis credimus, tremere & nos deberemus, & trementes faciem nostram in terram prosternere; imò in abyssum terræ, si possibile esset, & præ verecundiâ nos abscondere, ne tanta ingratitudo & durities cordis nostri appareat.

Gratitudinem ergo & nil aliud petit Angelus noster. Capiamus ergo N. N. resolutionem tanto nostro socio ac fidelissimo ductori in gratiarum actionem ob tot recepta beneficia omnem honorem, reuerentiam, & deuotionem, & seruitutem, quantum licet, deferendi. Ad hoc faciendum & præstandum S. Bernard. sermone duodecimo in Psal. *S. Bernar. serm. 12. in Psalm. 90.* 90. sequentibus exhortatur verbis: *In quouis diuersorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe, nec audeas illo præsente, quod vidente me non auderes.* Reuerentiam, honestatem à te vult Angelus in gratiarum actionem; illa quæ coram tuo superiore, parente, aut aliquo familiari vel personâ in dignitate constitutâ facere verecundaris, hæc nec coram Angelo tuo facere debes, siue in cubili sis, siue in obscurissima spelunca, siue in densis-

densissima sylua siue in platea publica, in omni loco sis honestis ac compositis moribus, & tuo angelo exhibe debitam reuerentiam. Pro conclusione ergo singulis diebus mane & vespere deuotâ oratione Sanctorum Angelorum inuocate auxilia, & vos ipsorum feruentissimâ oratione commendare custodiæ & ipsorum apud Deum intercessioni, vt medijs his & illorum auxilio omnes diabolicas possitis superare tentationes in hac vita, & cum ipsis postea triumphare & Deum laudare in altera & æterna vita. Interim quiescamus.

PARS II.

PVNCTVM QVARTVM.

HOdie N. N. sancta Romana Ecclesia celebrat solemnissimam festiuitatem sancti Iosephi Sponsi Beatissimæ Virginis ac cælorum Reginæ & patris nutritij Iesu Christi Filij Altissimi & Redemptoris nostri; ideo breuiter aliquid de priuilegijs, gratijs, prærogatiuis atq; fauoribus, quibus à Deo exornatus fuit tam in corpore quàm in anima ad consolationem eius deuotorum vobis recitabo. Mellifluus Bernardus post plurimas laudes atq; præconia, quibus hunc sanctum Homil. 2 super Miss. extulit, & postquam ipsum cum sancto illo antiqui testamenti Patriarcha Iosepho, vt in nomine, innocētia, sic etiam in sanctitate contulit, in sequentia verba prorumpit: *Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium & denique in terris magni consilij coadiutorem.* Quæ verba licèt pauca sint, attamen tam grauida ac plena laudis ac honoris sunt, vt multò plus, quàm humana lingua prædicare valeat, in laudem huius Sancti contineant.

S. Bern. serm. sup. Miss.

Prima prærogatiua Iosephi.

Prima ergo prærogatiua huius Sancti est quòd Deus eum ab æterno in solatium suæ Matris elegerit, quod factum fuit, cum ipsum ab æterno in legitimum sponsum, cuius officium principale est, suam consolari sponsam, deputauit *Suæ Matris solatium.* Verum quidem est, N N Beatissimam Virginem fuisse semper potentissimam omnium afflictorum consolatricem, sed ad eleuandam & magnificandam sancti Iosephi excellentiam voluit Deus & ipsam in hac vita aliqua indigere consolatione, & hanc à nemine alio, quàm à suo charissimo sponso Iosepho recipere. Fugit à facie crudelissimi persecutoris Herodis Benedicta Virgo in Ægyptum, vt vitam sui charissimi Filij Pueruli Iesu saluaret, & cum hoc potentissimo Principe ac Rege tam periculoso ac longo se committit itineri, & per vastissimas illas inter Ægyptum & Iudæam sitas solitudines peregrinatur; Quis in his syluis, in hac solitudine tam vasta dux eius? Sanctus Iosephus. Quis eius fidelissimus socius? Sanctus Iosephus. Quis eius adiutor in his tantis ærumnis ac laboribus? Sanctus Josephus. Quis illius consolator in tot afflictionibus ac angustijs? Sanctus Iosephus. Dicam ergo cum S. Hier. comm. in cap. 1. Matt. particulari prouidentiâ ab æterno Deum dispofuisse vt hic sanctus vir, sponsus Beatissimæ esset Virginis, vt ab illo ipsa in hoc itinere necessariam acciperet consolationem atque auxilium. *Vt in Ægyptum fugiens haberet solatium.*

S. Hieron. in c. 1. Matth.

Secunda excellentia atque prærogatiua huius Sancti est, quòd fuerit pater Christi Saluatoris ac Redemptoris nostri. Inde illi euenit, quòd cùm adhuc in hac miseriarum valle nobiscum moraretur, iam beatitudine frueretur. Dicite mihi, quæso, in quo consistit paradisi gloria? forsan in multitudine Angelorū? non certè. Forsan in societate Sanctorum? hoc minus. Forsan quod muri eius sint è gemmis fabricati, & plateæ eius auro pretiosissimo stratæ? minimè: in nulla

Secunda.

nulla harum rerum consistit, sed in sola visione Dei; vultum illum gloriosum & pulcherrimum Altissimi videre hominem beatum facit, & totam paradisi beatitudinem constituit. Dum Moyses lib. Exod. c. 23. paradisi desideraret gloriam, non dixit, Fac me dignum videre Angelos tuos, gloriosos sanctos, muros ex gemmis ædificatos, plateas purissimo stratas auro, portas ex pretiosis factas lapidibus; sed faciem Dei videre petijt, & vt hanc sibi ostenderet, rogauit: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Idem petit Dauid propheta, dum beatum ac saluum se cupit Psalm. 79. *Ostende faciem tuam & salui erimus.* Semel tantùm exhibe nobis faciem tuam sanctissime Deus, & sic salui & beati erimus; nam cùm Dei videmus faciem, quidquid pulchri, quidquid iucundi paradiso est, etiam videmus; omnis eius gloria, gaudia, oblectamenta cùm illa nobis exhibentur, quid ergo his inferre volo, nisi quod beatissimus Iosephus, cùm adhuc in hac vita esset, instar beatorum suâ iam frueretur beatitudine? nam semper præsentem sibi Dei incarnati habebat vultum, illum inspiciebat, illum intuebatur, eius pulchritudinem & gloriam contemplabatur, & quoties placebat, summâ reuerentiâ suis stringebat purissimis brachijs, & summâ exosculabatur deuotione ac affectu; sic in hac vita beatitudinem iam assecutum fuisse non immeritò dici potest.

Exodi c. 23.

Psalm. 79.

Et non oculis tantum, verùm etiam auribus suis sanctissimus Ioseph paradisi beatitudine absque intermissione fruebatur in terra. Percipite, quæso, modum, quo Regius vates suauitatem verborum Dei describere conatur Psal. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Ac si diceret: Domine mi, cùm verba tua percipio, tantam sentio dulcedinem, tantam suauitatem, tantum gaudium, tantas delicias, vt ad explicanda hæc omnia lingua mea insufficiens reperiatur. Ideò non sine ratione S. Petrus Apostolus nolebat à Christo discedere, ex cuius verborum auditu summos gustus & inexplicabilia capiebat gaudia, vt Ioan. c. 6. habetur: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes* ac si diceret: Quò vellem ire aut me diuertere vt recreationem aliquam vel consolationem extra te quærerem? in ore tuo habes paradisum; homines, quos alloqueris, beatificas. Quis ergo à te recedere vellet? quis tot gaudia amittere, tot delicijs se priuare vellet? certè ego non. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

Psal. 118.

Ioan. c. 6.

Huius sum opinionis; quod cùm sanctissimus puerulus Iesus in sinu S. Iosephi sedens, amabilibus illum aspiceret oculis, & suauissimis verbis illum demulceret, præ summo gaudio ac gustu, quo sanctus vir fruebatur, in ecstasin sæpius raptus sit. Et dum sanctissimus hic infans pulcherrimus filius hominum sua niue nitidiora & candidiora brachia Sancti humeris imponeret, & dulcissimum præberet osculum, & suauissimis verbis illum alloqueretur, & Patrem vocaret, quale gaudium sanctus ille Iosephus habuerit, humana mens capere non potest, multò minus hominis lingua describere valet. Quæ & quanta illa fuerint, solus ille qui gustauit, dicere nobis poterit. Sanctus Bernardinus Senensis serm. de S. Iosepho art. 2. cap. 2. sic habet: *O quantâ dulcedine audiebat balbutientem puerum se vocare Patrem!*

S. Bernar. Senen. ser. de S. Iosep. art. 2. c. 2.

Sed quale putatis gaudium Iosephi fuisse, quando puerulus hic tam blandus ac rubicundus, tam sanctus ac diuinus ori eius abhærebat, & oscula osculis superaddebat, & inde auelli non poterat? Sponsa in Canticis Canticorum post multas preces ac supplicationes, quas pro vno osculo ad suum miserat sponsum, *Osculetur me osculo oris sui,*

sui, tandem digna inuenta est vt vnicum reciperet. Quid dicit Sponsa hoc accepto? *Mel & lac sub lingua eius*, labia eius, os, lingua, guttur, venter, cor & omnia viscera eius summâ dulcedine, inexplicabili suauitate repleta erant. *Mel & lac sub lingua eius.* Tanta inest dulcedo ori eius, vt si quis ei approximet, summâ repleatur dulcedine ac gaudio, quasi perfecto fruatur paradiso. Sic S. Iosephus, qui continuus erat in his osculis, continuo etiam paradiso & delicijs eius fruebatur, & sic vndique erat beatus sanctus noster Iosephus, dum adhuc in terra esset. Talem ipsum describit Ioannes Gerson 3. parte tract. in Mag. & ipsum sic alloquitur: *Felix exstitisti vir Mariæ, caste Ioseph, cui toties concessa fuerunt oscula blanda pueri Iesu.*

Cant. c. 4.

Gerson. 3. p. tract. in Mag.

Hæ Sancti sunt prærogatiuæ, quibus præ alijs fulgebat in terris, nunc videbimus, quæ gloria eius sit, quâ alijs Sanctis præfulgeat in cælis. Et quam putatis hanc esse? Audite, quæso, verba doctissimi Gersonis, qui vnico actu totam hanc gloriam concludit & talem definit, quæ omnium aliorum Sanctorum, ipsâ Virgine sanctissimâ exceptâ, longè lateque superat. Verba eius hæc sunt vbi suprà: *Collocatus est à dextris Iesu, hoc est, in potioribus bonis suis.* Et deuotissimus Bernardinus de Bustis expressis scribit verbis, Beatissimâ exceptâ Virgine, maioris gloriæ non esse Sanctum in cælis. Verba eius hæc sunt, quartâ parte serm. 52. *Nullus Sanctus in cælis est maior sancto Iosepho post Beatam Virginem benedictam.*

Bernardin. de Bust. 4. p. serm. 52.

Quis ergo nostrûm hîc præsens est, cuius cor in deuotione huius Sancti non accendatur? Quis ille erit, qui ob lucrum propriæ salutis hunc nunc & hodie non eligat pro suo singulari Patrono? Christus qui ipsum tanto honore affecit in terra, sine dubio honorabit in cælis, & quidquid pro nobis petierit, concedet. Inde sancta illa & seraphica virgo Theresa, quæ resonantissima tuba meritorum atque excellentiarum huius Sancti exstitit, mirabiles effectus deuotionis erga hunc Sanctum prædicat; & expressis testatur verbis, nunquam se gratiam aliquam à Domino petijsse, quam non meritis & intercessione huius Sancti obtinuerit. Et tandem concludit: Si quis fidem mihi præbere detrectet, ipsemet probet, & experientiâ docebitur, quàm potens sit Sanctus hic in suâ intercessione apud Deum, & quanta bona per eius intercessionem & deuotionem obtineantur.

Quæ gloria S. Iosephi in cælis.

S. Theresa in sua vita

Desideratis scire, N. N. ad quem terminum in cælis Sancti huius se extendat auctoritas atque potentia? vnum tantùm vobis dicam, Alij sancti dum ipsos rogamus, preces nostras, vt Sancti angeli faciunt, capiunt & Deo præsentant, & simul nobiscum orant & petunt gratias; sed hic noster Sanctus, dum nostras offert preces, non orat, sed iubet, & imperat Christo, vt gratias concedat. Non meus hic conceptus, sed doctissimi Gersonis vbi supra est, *Non impetrat, sed imperat: non orat, sed ordinat.* Sanctus enim Ioseph non vt aulicus, non vt alij Sancti, qui famuli & serui sunt, alloquitur Christum, sed vt Pater. Pater non rogat filium, sed iubet ac mandat. Vult dicere, intercessiones huius Sancti nil aliud quàm tot iussa esse.

Maior omnibus sanctis excepta Virgine.

Gerson vbi suprà.

Conuersi ergo ad hunc Sanctum toto cordis affectu supplicemus illi, vt apud Deum & Filium suum pro nobis intercedere velit, & contritionem ac verum dolorem de nostris peccatis obtinere dignetur, dicendo mecum sequentia verba:

Gloriose sancte Patriarcha Iosephe, cuius Filius Angelorum & Saraphinorum Rex est, accipe nos omnes & hanc vrbem sub tua protectione, vt mediante

tuâ interceſſione gratias ac fauores ab illo Domino, qui non dedignatus fuit vocari Filius tuus, accipere valemus Glorioſiſſime Ioſephe quia Benedictus Chriſtus in tantum te amauit, vt quaſi filius voluerit tuæ in hoc mundo ſubiacere obedientiæ:(*Et erat ſubditus illis.*)obtine nobis à Filio diuinam gratiam, vt per illam ad feliciſſimam illam patriam & nos peruenire poſſimus, vbi nunc triumphas, & Pater regnat cum Filio tuo & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

DISCVRSVS XVI.

PRO DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Primâ parte deſcribitur miſerabilis peccatoris ſtatus, in quem per peccatum inducitur, & cur illum non cognoſcat? Secundâ parte exhibetur efficaciſſimum remedium de tam miſero ſtatu euadendi, quod ſacramentalis Confeſſio eſt.

Thema.

Erat Ieſus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus. Luc. c. 11.



Reator omnium Deus quâdam vice conuerſus ad Prophetam Hieremiam his eum percontabatur verbis: *Quare ergo auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem auerſione contentioſa*

Hier. c. 8. Quaſi diceret: Reſponde mihi ad dubium hoc tibi à me propoſitum: Cur populus meus tot peccatis & abominationibus tantis illectus peruerſiſſimâ, pertinaciſſimâ ac obſtinatiſſimâ auerſione elongatus eſt à me? Videtur quòd meam omnipotentiam oppugnare ac cum ea concertare velit, quòd populus hic, cui tot feci beneficia, tot bona præſtiti, quem creaui, quem ex nihilo produxi, ex omnibus gentibus pro meo dilecto elegi populo, cui vitam dedi, & quidquid boni ac pulchri habet, tribui; ſic me auerſetur, ac à me elongetur. Quid ſibi hoc vult? S. Propheta totus attonitus ſuper hoc tam graui & improuiſo dubio, obmuteſcit, tacet, & ne verbum quidem reſpondere poteſt. Quod cùm diuina deprehendiſſet maieſtas, & prophetam tam confuſum vidiſſet, de nouo alloquitur: *Attende & auſculta.* Audi Hieremia, & percipe benè verba quæ tibi dicturus ſum; tum cauſam intelliges, & propoſitum à me dubium ſoluere poteris. *Nemo, quod bonum eſt loquitur; nemo eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci?* Hic populus meus tam audacter, tam petulanter ac feroci- *Hier vbi ſuprà.*

rociter à me auersus est, vt etiam mecum contendere præsumpserit, quia non est qui sincero cogitet corde, quàm graue sit peccatum, & quàm enorme malum, elongare se à me atque me fugere, & meum esse inimicum. De hoc genere hominum præbet mihi sancta Ecclesia in hoc Euangelio occasionem meum formandi discursum, & dum dæmonium mutum, quod symbolum obstinati peccatoris est, vt communiter expositores docent, & hominem ab illo obsessum proponit, causam mihi dat de misero peccatoris statu aliqua enarrandi. *Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum.* Ergo primæ partis discursus mei scopus erit miserabilis ac deplorandus status, in quem peccatum mortale hominem ducit. Secundâ verò parte modum vobis proponam, quo de tam misero statu euadere valeatis, qui modus vera & formalis sacramentalis Confessio est. Attendite,

PARS II.

PVNCTVM PRIMVM.

Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus. Luc. c. 11.

CErtissimum est, imò ipsa veritas, nil in mundo ex sublunaribus corporibus reperiri, quod hominem excellentiâ superet; nil à Deo sub cælo creatum esse, quod nobilitate hominem excedat; nil inueniri, quod simile ipsi in perfectione esse possit. Quam veritatem etiam ipsi infideles ac Pagani cognouerunt. Aristoteles 1. Phys. c. 3. text. 24 appellat hominum finem omnium creaturarum. Trismegist. Asclep. *Miraculum magnum naturæ* vocat. Plat. in Thim. *Animal diuinissimum* intitulat. Anastasius Synata lib. 1. anag. contemp. *Omnium animatorum præstantissimum*

Arist. 1. phys. cap. 3. text. 24. Trismeg. Asclep. Plato in Thim. Anast. Syn. lib. 1. con temp.

ac si dicere voluissent: Animal quidem homo est, sed non vt alia animalia & bestiæ terræ, sed magis nobile, perfectum & excellens, quod humana mens imaginari ac fingere possit. *Omnium animatorum præstantissimum.* Animal denique quod aliorum comparatione magis diuinum quam terrestre dici possit. *Animal diuinissimum;* & vt tale honorat Ouidius hominem 1. Metamorph.

Hominis excellentia describitur.

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ.

Ab eodem supra memorato Anastalio Synaita appellatur homo *decor & ornamentum terræ.* Et Sanctus Macarius Ægyptius homil. 15. post longam enarrationem creaturarum tam cæli ac terræ, quæ nostris apparent oculis; super omnes hominem extollit, atque nobilitate & dignitate cunctis visibilibus præfert creaturis, & factâ longâ comparatione cum sole, luna, & stellis, tandem concludit: *Antecellit igitur homo cunctis creaturis*, id est, visibilibus, de quibus loquebatur. Et sanctissimus ille Abbas Dorotheus doctr. 22. super omnia quæ creata sunt, cælum, stellas, solem, lunam & cuncta visibilia alia eleuat hominem, & dicit, super omnia hæc hominem pretiosissimum esse. Verba eius hæc sunt: *Verè rerum omnium quæ videntur, pretiosissimus homo est,*

S. Mich. homil. 15.

S. Doroth. doct. c. 2.

Hanc prærogatiuam, dignitatem, excellentiam ac nobilitatem hominis super omnes alias creaturas iam pridem & ante omnes lib. Gen. c. 1. sanctus Moyses describit, dicens, ex concionis modum describit, dicens, ex consilio Sanctissimæ Trinitatis hominem creatum fuisse; id est, Patrem, Filium & Spiritum sanctum vnam æternitatē consumpsisse in considerando de homine creando in tempore, & in hoc consilio de eius creatione & quibus priuilegijs ac excellentijs vt imago Dei alijs præferendus & super omnes alias nobilitate, excellentiâ ac dignitate eleuandus esset, consulatum; *Faciamus hominem*

ad similitudinem & imaginem nostram. Plurima alia creauit Deus, & in creatione eorum nil simile dixit. Quod Sanctus Augustinus, Sanctus Ambrosius & Sanctus Basilius animaduerterunt. S. Augustinus de Genesi ad litteram sic habet: *Considerandum & illud est, quod inter cætera non dixit Deus: Faciamus vt hoc quoque modo voluerit Spiritus sanctus humanæ naturæ insinuare præstantiam*. Et S. Ambrosius in lib. quem de humana dignitate composuit, sic dicit: *Tanta itaque dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, vt non solo iubentis sermone sicut alia sex dierum opera, sed consilio Sanctæ Trinitatis & opere Maiestatis diuinæ creatus sit homo, vt ex primæ conditionis honore intelligeret quantum debeat suo Conditori*. Similiter S. Basilius homil. decimâ in Hexa. considerat hominis excellentiam atque nobilitatem, eamque altissimis tanto Doctore dignis non solum describit verbis, verùm etiam hominis mentem ad sui ipsius excellentiæ atque nobilitatis, quam supra omnes alias creaturas habet, considerationem excitat. Verba eius hæc sunt: *Nosse vis teipsum?* id est, vis scire, ô homo, quisnam tu ipse sis? desiderasne manibus palpare, quantâ excellentiâ & nobililate omnes alias superes creaturas? *Vel hinc auspicium sumito: de nullo enim opificiorum, quæ eatenus condiderat vox ista (Faciamus) in litteras transmissa est Lux facta est, idq; simplici mandato: nam dixit Dominus: Fiat lux, cœlum. & ecce cœlum nulla præeunte cõsultatione constitit: Rursus luminaria nec quidquam legitur præexstitisse initi consilij de condendis luminaribus*. Et sic de omnibus alijs creaturis factum in creatione mundi, dicit Sanctus. *Dixit Deus, & ecce facta sunt, sed de formando homine* (dicit) *initur consilium*. Et ideò concludit dicendo: *Erudire hinc, ò homo, ac disce, quanti vnus tu æstimandus venias*.

S. Aug. de Gen. ad litt.

S. Ambr. l. de condi. dig. hum. cap. 1.

S. Basilius homil. 10. in hex.

Et probatur ex singulari modo illum creandi.

Sic antiquissimus Tertullianus libro de Resurrectione carnis cap. 5. mentis ascendit quadrigam, & hinc inde per latissimos Damascenos spaciatur campos, & vniuersa secundùm quod Deus illa creat, considerat, & singulariter Dei procedendi modum in hominis creatione obseruat. Et notat, quòd vbi in omnium creaturarum tamque vastarum & immensarum machinarum productione, vt sphæræ cæli cum firmamento, globus terræ & amplitudo maris sunt, vnico illo verbo, *Fiat*, vsus fit, illiusque vi ac virtute omnia ex massa nihili producta atque creata sint; in humani corporis compositione seipsum occupare voluit Deus & tota sanctissima Trinitas. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Recogita* (verba eius sunt) *totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientiâ, providentia, & ipsâ inprimis affectione quæ lineamenta dictabat*. Et S. Ioan. Chrysostomus homil. 13. considerans hanc creationem, Angelorum fingit personas super hunc actum concurrentes, & nouitatem, quod Deum suum tam occupatum videant, admirantes & sic se inuicem alloquentes: *Quid novi? quisnam ille, qui formandus opificij tanto consilio & circumspectione opus est?* ac si dicerent spiritus illi beati: Quid noui in cœlis videtur? Deus vult creare hominem, & ad hoc totum diuinum conuocat consilium, & supremus Monarcha in hoc opere tam circumspectus est, vt tota diuina essentia ac Sanctissima Trinitas tali creationi adesse debeat. Subiungit Sanctus & dicit: *Ne mireris dilecte: homo enim inter visibilia omnia præcellit, propter quem condita sunt hæc omnia*. Cessent ergo admirationes, cùm audierint, hominem miraculum omnium diuinorum esse miraculum.

Tertull. lib. de resurr. carn. cap. 5.

S. Chrys. homil. 13. hic.

Hominem ergo tam nobilem ac excellentem præ alijs creatum creaturis tot tantisque donis atque gratijs dotauit, tot in eorum consideratione Regius Propheta suo Psalmo 8. qui

qui quasi totus in hominis excellentiam scriptus est, totus attonitus & admiratione plenus in sequentia prorupit verba: *Minuisti eũ paulò minus ab Angelis gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Et Sanctus Macharius audet dicere hominem magis nobilem & excellentiorem ipsis Angelicis spiritibus esse; nam post verba suprà citata, *Antecedit igitur homo cunctis creaturis.* subiungit sequentia verba: *Et forsan audebo dicere, non tantùm visibilibus, sed etiam inuisibilibus, nempe spiritibus ministratorijs.* S. Hieron. & Pagninus hic, vbi nos legimus, *Minuisti eũ paulò minus ab Angelis,* sic traducunt: *Minuisti eum paulò minus à Deo:* volebat dicere Regius vates secundùm horũ translationẽ: Tu ô Deus, fecisti hominem tam nobilem, & in tam alta constituisti dignitate, & supremâ, excellentiâ, vt quasi alter & paruus Deus videri possit. Inde Trismeg. in Asclep. Dialog. tertio, vbi de hominis discurrit excellentia atque nobilitate, sic loquitur: *Magnum miraculum est homo, animal adorandum & honorandum: hoc enim in naturam Dei transit, quasi ipse sit Deus.* Et S. August. quæst. 61. inter. 83. sic habet; *Nihil est Deo coniunctius.* non est sub cœlo & inter omnes creaturas reperibile quid, quod magis Deo assimiletur quàm homo qui scopus ipsius discursus est.

Psalm. 8. — *S. Mach. hom. 15.* — *Hier. hic. Pagn. hic.* — Homo quasi alter Deus. — *Trismeg. Asclep. Dial. 3.* — *S. August. q. 61. inter. 83.*

Hic homo tam nobilis creatus & in tantâ dignitate & excellentiâ constitutus, ante peccatum aliud non erat, quam viuum prototypon diuinitatis mirabili arte ab ipsa diuinitate delineatum. Sic Sanctus Ambrosius lib. 6. Hex. clarissimis attestatur verbis: *Pictura pretiosa erat Adam ante peccatum.* vnde cũctæ creaturæ dum ipsum respicerent, Deum ipsum esse putabant, & vt creatori suo omnem reddebant obedientiam, & ad omnem nutum ipsi subditæ erant. Non mea hæc N.N. doctrina, sed S. Petri Chrysologi est, qui sermone 148. sequentia habet verba *Adhuc tamen quid adijciat ad honorem tuum, tuus Creator excogitat; in te imaginem suam ponit, vt terris inuisibilem Conditorem visibilis imago poneret præsentem.*

S. Ambro. l. 6. Hex. — *Chrysol. Serm 148.*

Quando homo deinde stultescere cœpit, & omnem perdidit rationem, & Dei præceptum transgressus est, miserabiliter in peccati cecidit iugum, & diuinam illam imaginem deponere, atque terrenam assumere coactus est. Sanctus Ambrosius vbi supra: *Sed vbi lapsus est, deposuit imaginem cœlestis, sumpsit terrestris effigiem.* Dico perdidisse hominem similitudinem, & imaginem illam diuinitatis, ad quam à Deo creatus fuerat, non quoad essentiam, sed bene quoad ornamentum, (vt Sanctus August. de Genesi ad litteram attestatur) & dæmonis assumpsisse. Nam certissimum est, vt S. Cæsarius Arelatensis homiliâ sextâ ad energumenos dicit, tot dæmones in hominis hospitari corde & animâ, quot peccata committit. *Quot vitia habueris homo, tot habet dæmones;* & quidem dæmones potentissimos; nam vt S. Ioan. Chrysost. affirmat, *Peccatum est magnus dæmon.* Et si Dæmon tam turpis ac horrendus est, vt nullum tam horrendum monstrum humana mens fingere possit, quod ipsi deformitate & turpitudine comparari possit, vt omnes Sancti Patres opinantur, quàm turpis, deformis & horribilis erit peccatoris anima, quæ, quot peccata committit, tot horribiles deformes, turpes ac monstrosas dæmonum induit laruas & turpitudines, & quantò magis peccatorum cœno inuoluitur, tanto turpior atque abominabilior in Dei oculis anima repræsentatur: nam quodcunque peccatum & vitium singularem in animam eius inducit turpitudinem atque horribilem deformitatem, vt S. dicit Hieron. ad Marc. Hic peccati effectus causam dedit Christo duris illis verbis suos contristandi discipulos, Ioannis capite sexto: *Ex vobis vnus diabolus est,* id est, vnus ex vobis in grauissimum incidit cri-

Per peccatum homo hanc excellentiam amisit. — *Cæsar. Arelat. Homil. 6. ad Energ.* — *S. Chr oratione 3. contra Iudæos.* — Homo per peccatum ex Deo fit Dæmon. — *S. Hiero. ad Marc.*

men, quod Dei imaginem, quam in animâ suâ habebat, in dæmonis transmutauit, intelligendo Judam traditorem, qui per auaritiæ peccatum & traditionis crimen iam conceptum, infernali dæmoni similis factus fuerat. Et meritò dicit S. Petrus Chrysol. serm. 5. de filio prodigo, homo peccator dæmonis appellatur nomine: nam vt anima, quæ Deo per virtutem, gratiam, & sanctitatem vnitur, vna res fit cum Deo, & vnus efficitur spiritus; sic qui dæmoni per peccatum & culpam vnitur, vna eademque res cum eo & idem turpissimus fit spiritus; ita qui iunctus est diabolo, est dæmon vnus.

S. Chrysol. serm. 5. de filio prodigo.

Ex hac doctrina, N. N. causam cognoscere poteritis, cur Deus post peccatum ab Adamo patratum subitò de cælo descenderit, & paradisum obambulauerit, & clamauerit: *Adam, Adam, vbi es?* Sed quomodo ô immortalis Deus, Adamum inquiris? omnia tibi præsentia esse non ignoro, quomodo ergo paradisum obambulando Adamum quæris? Ecce prompta est ratio: delineauerat atque depinxerat Deus pulcherrimam hanc imaginem hominis in paradiso ad suam similitudinem, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, sed hæc per peccatum commissum tam deformis facta est, vt Dei imago atq; similitudo, quam præ se ferebat, in dæmonis transformata sit. Hinc quantumcunque sibi præsentem habuerit, tamen (ad nostrum modum loquendi) tam deformatum & transmutatum Adamum cognoscere non valuit; ideo clamat & vocat: *Adam, Adam, vbi es?* imò S. Ioan. Chrysost. serm. de Adam dicit, Deum, quando tam transformatam vidit suam similitudinem in Adamo, compassione commotum ad Adam dixisse: *Adam, Adam vbi es: vbi mea imago primò formata? vbi paradisi pretiosissimus ornatus? vbi manuum mearum artificium? vbi imago regni mei nuper depicta? vbi nunc familiaris meus amicus?* Ah Adam, Adam, formaueram te ad imaginem & similitudinem meam, & vt pulcherrimum ac pretiosissimum prototypon diuinitatis meæ in paradiso voluptatis pro summo posueram ornamento! quomodo transmutata est hæc imago in turpissimam dæmonis laruam? quomodo Adam amicus meus tam charus, factus es mihi inimicus, & iam non vice-Deum in terris, sed demonium in inferno repræsentas.

Gen. c. 1.

S. Chrysost. serm. de Adam.

Idem Regius vates Psal. 38. non immeritò sequentia protulit verba: *Veruntamen in imagine pertansit homo.* Quem locum explicat ac intelligit de anima peccatoris doctissimus Incognitus, quæ peccati medio in seipsa format dæmonis imaginem, Verba eius sic sonant: *Qualibet enim anima peccans in se imago diaboli fit per culpam*, vt sciamus animam peccatis noxiam diabolo similem esse.

Psalm. 38.

Incogn. hic.

Confirmatur hæc veritas à sapientissimo Rege Salomone Eccles. cap. 1. vbi de seipso loquitur, cùm in statu peccati mortalis erat: *Ego Ecclesiastes fui Rex in Ierusalem*, Chaldaica phrasis sic legit, *Ego Asmodæus fui Rex in Ierusalem.* Volebat dicere sapientissimus Rex, Quando in peccatis eram, luxuriæ cæno immersus iacebam, iam non hominis præferebam imaginem, sed dæmonis, quia repræsentabam veram lasciuiæ imaginem in Asmodæo, qui supra lasciuiam atque incontinentiam constitutus est. Ego Asmodæus, fui Rex Israël. Et S. Ioan. Chrysost. homil. 24. ad populum, vbi de peccatorum discurrit statu, sequentia habet terribilia verba: *Peiores feris, dæmonibus æquales fortassè peiores.* Sunt peccatores peiores quàm ipsæmet bestiæ, plus dicam, sunt æquales diabolo, & forsan multo peiores quàm ipsi.

Chaldaica phrasis

S. Chrysol. serm. 5. d. prodigo.

S. Anselmus lib. 5. de casu diaboli acutissimum format conceptum & dicit, peccatorem multò peiorem esse ip-

so

so dæmone. Et dat rationem: nam si dæmon in obstinationis permanet sententia, factum est hoc post reprobationis à Deo latam, & ab ipso acceptam sententiam, per quam in sua malitia vsque in æternum confirmatus est, & aliter non potest, ordinante sic diuinâ iustitiâ; sed homo manet obstinatus, cùm reprobationis nondum acceperit sententiam, & in sua confirmatus hæret malitia, cùm adhuc à Domino ad pœnitentiam & conuersionem vocetur, & ad id præstandum sufficientissima habeat media. Et sic dæmon obstinatus est atque induratus est contra illum, qui illi summus est inimicus, & crudelissimis eum tormentis cruciat; sed homo manet obstinatus contra eum, qui summus eius est amicus, qui pro amore ipsius moritur, & in paternis visceribus vocat & admonet. Verba aliqua Sancti adducam: *Ecce cuius imaginem horrebam, in multis aspicio me ipsum horribiliorem.* ac si diceret: Aspectus dæmonis valde me terret, & summum mihi inijcit horrorem, & tamen cùm meipsum intueor ac contemplor, deformiorem atque terribiliorem deprehendo. O si tantum per momentum horridam atque deformem figuram animæ in peccatis constitutæ conspicere & intueri liceret! quâ diligentiâ fugerentur à nobis omnia peccata? quisquis nostrûm timeret minimum committere; imò quid dico? nullus nostrûm præ timore suis valeret insistere pedibus, sed præ horrore & timore in terram protinus rueret, & vitam cum morte commutaret.

Peccator peior diabolo & cur.

S. Anselm. lib. 5. de cas. diab.

Ne putetis autem, exaggerationem hanc figmentum esse atque fabulas: in Actibus Apost. c. 5. viuum & horribile reperietis exemplum. Vendit Ananias Christianorum quidam primitiuæ Ecclesiæ substantiam suam, & secundùm morem pretij partem ad Apostolorum ponit pedes, asseuerans totum esse pretium, cùm sibi partem retinuisset, & mendacium coram Principe Apostolorum profert, falsè eum informando. Quod videns Petrus, acriter ipsum reprehendit: Quomodo audes me informare mendacio? putas fortè tibi negotiũ cum homine esse, & non potiùs cum Deo? Quid factum est? Apostolus vix finem his verbis imposuit, cùm Ecce Ananias totus tremefactus in terram cadit & mortuus est. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expirauit.* Adest hîc Origenes ho. 21. in Matth. & sanctum Petrum & horrorem eius in facto, quod tam alienum ab Apostolica charitate esse videtur, defendere conatur, dicens: *Nec putare debemus, Petrum interfecisse Ananiam;* nullus sibi persuadeat ex sancti Petri voluntate hunc mortuum fuisse, vel quasi Princeps Apostolorum ipsum occiderit: minimè gentium: nam S. Petrus in hoc facto nil aliud egit, quàm quòd mentis eius aperuerit oculos & miserrimum animæ ipsius statum repræsentauerit, & malum quod fecerat, oculis eius proposuerit. *Expirauit verbis Petri catechizantis animam illius.* Si ergo horror & turpitudo vnius tantùm peccati ab Anania perpetrati sufficientissima fuit vitam ipsi auferre, quid tot millia peccatorum non efficerent in animâ peccatoris, si turpitudines illorum animis nostris paterent?

Act. Apost. c. 5.

Orig hom. 21. in Matth.

Sed cùm iam tempus sit de his miserijs peccatoris ad alias maiores transire, audite, obsecro, verba S. Ioannis Chrysostomi in Ps. 3. Considerat, quomodo post creationem hominis à Deo omnia animalia ei fuerint subiecta, & eius potestati tradita, ita vt eum supremum in terris agnoscerent Dominum: *Adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.* Et quanto tempore durauit hæc eorum subiectio & obedientia? & quamdiu ipsum vt Dominum humili submissione honorauerunt? Tam diu, dicit Sãctus, quamdiu Dei imaginem & similitudinem in se retinuit; sed in illo momento

Gen c. 2.

Per peccatum homo perdit imaginem Dei.

mento, quo hanc Dei ſimilitudinem perdidit, terga ipſi verterunt, & in poteſtatem pro ſuo Domino recognoſcere noluerunt. Verba eius vbi ſupra hæc ſunt: *Quamdiu purum ſeruauit vultum ad imaginem Dei, beſtiæ tanquam ſeruæ parebant; quodo autem vultum fœdauit inobedientia, non agnoſcentes Dominum, tamquam alienum eum odio habebant.* Canis recognoſcit dominum ſuum in quantum retinet formam faciei illius; ſed ſi caſu laruatus accedit & vultum mutat, fugit illum, quem priús fideliſſimè ſequebatur. Sic animalia cognoſcunt hominem Patronum ac Dominum ſuum, quamdiu Dei habet faciem, id eſt, ſimilitudinem ſanctitatis, & bonitatis diuinæ; ſed ſi per peccatum laruatur, & formam vultus mutat, ſtatim inimici eius fiunt.

Hic idem ſanctus Doctor in veritatis huius probationem duos admirabiles adducit caſus. *Dan c. 14.* Primus eſt Danielis, qui cùm in medio famelicorum in lacu quodam collocaretur leonum, in nullo ipſi nocuerunt; imò vt dominum ac patronum ſuum venerati ſunt. Secundus caſus eſt Prophetæ illius lib. 3. Reg. c. 13. qui cùm Dei fuiſſet tranſgreſſus præceptum, obuium ſibi in itinere habuit leonem, qui ſtatim ipſum de aſino, cui inſidebat, detraxit & dilacerauit. Horſum dicit Sanctus vir: Cur Danieli à famelicis leonibus defertur honor, & hic propheta à non famelico, imò ſaturo (quia nec de ipſo, nec de aſino ſuo quidquam guſtauit) occiditur? Reſpondet & dicit, famelicos leones Danieli detuliſſe honorem & reuerentiam exhibuiſſe, quia faciem Dei præ ſe ferebat, id eſt, ſimilitudinem diuinæ ſanctitatis & bonitatis: alium verò Prophetam leo occidit, quia illam amiſerat, & aliam beſtialem formam induerat. Et quia per peccatum hanc Dei ſimilitudinem amiſerat & beſtiæ induerat, non fuit cognitus à leone; ideò vt animal aliquod aut beſtia occiſus fuit. Verba Sancti Doctoris hæc ſunt: *S.Chryſ.* *Iuſtus erat Daniel, & leones agnouerunt Dominum: peccauit Propheta, & leo eum non agnouit, & ideò eum morte affecit.* Ergo dum homo peccat, amittit ac perdit in anima ſua pulcherrimam Dei imaginem atque ſimilitudinem, & beſtiarum induit laruam, & ſimilis fit illis. Sic Dauid atteſtatur Pſalmo quadrageſimo octauo. *Pſalm. 48.* *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Ideò ne tantum perdamus bonum, & tam eximiâ nos priuemus excellentiâ per peccatum, per eiuſdem os Deus nos hiſce exhortatur verbis: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* uam licèt homo in peccatis conſtitutus externam hominis præ ſe ferat ſpeciem & imaginem, falſa tamen, atque vera larua eſt, vt Doctiſſimus Philo Hebræus docet; & hæc eius figura laruati & comœdi eſt, qui aliquando licèt infimæ conditionis ſit, in habitu tamen & figura Regis, vel Imperatoris, vel alterius magnæ perſonæ compareat. Verba Philonis hæc ſunt libro de Abraham: *Philo lib. de Abrah.* *Homo iniuſtus non eſt homo, ſed potius belua humanâ formâ prædita.* Hinc meritò cum Sapiente aſſerere licet illud Eccleſiaſtis capite duodecimo: *Deum time & mandata eius obſerua: hoc eſt omnis homo.* nam, vt veritatem dicam, homo qui Deum timet, & eius obſeruat præcepta, hominis meretur nomen & homo vocari poteſt; ſi verò contrarium agat, & diuina facilè tranſgrediatur præcepta; non hominis, ſed beſtiæ meretur nomen. Ideo Iſaias Propheta capite decimo ſeptimo, vbi populi ſui in peccato conſtituti mentionem facit, pulcherrimâ ſimilitudine vſus, *Onus Damaſci*, ipſum appellat. *Iſa c. 17. Heb. tex.* Hebræus textus legit, *Onus iumentorum.* Et S. Hieron. conſiderans cauſam huius appellationis, dicit in hunc

S. Hier.

in hunc locum : *Vt onera portarent illi, qui per peccatum ad instar bestiarum facti sunt.* Stolidi, stupidi & mente capti sunt omnes peccatores, qui cùm suorum sensuum appetitum sequuntur, in bestias transformantur. Nunc capietis sensum illorum verborum, quæ Dauid ad Dominum suo Psalmo 35. loquitur : *Homines & iumenta saluabis Domine.* ac si diceret : Quòd homines saluos facies, nulli dubium est; sed ego dico, quòd & bestias ac iumenta salua facturus sis. Doctissimus Hugo Cardinalis & sanctus Hieronymus in hunc locum docent; in sensu spirituali homines sanctos & iustos, qui secundùm rationem viuunt, intelligi per homines; per bestias autem peccatores, qui non secundùm rationem vivunt, sed secundùm appetitum sensitiuum & animalem, qui inest homini; vt nobis demonstraretur, hominem aliàs rationalem per talem mutari in irrationalem bestiam, ac iumento similem fieri. Quod & Incognitus in hunc locùm elegantissimis expressit verbis : *Per homines intelliguntur illi, qui secundùm rationis dictamen viuunt, habentes carnem subditam spiritui; per iumenta autẽ intelligimus peccatores, qui amisso vsu rationis, bestialiter viuunt.*

Psalm. 35. — *S. Hier. & Hugo hic.* — *Incogn. hic.*

Vnde cùm Spiritus sanctus lib. Gen. cap. 26. Noë laudare vellet & vt iustum ac perfectum prædicare, sequentibus vsus est verbis : *Noe homo iustus, perfectus in generatione suâ, Deo placuit.* S. Ioannes Chrys. Homil. 23. in Genes. interrogat, cur verbum *homo* Spiritui sancto placuerit addere? Respondet, ideo hoc verbo vsum esse, quia omnes alij homines propter peccata sua & viuendi modum non præ se ferebant formam aut figuram alicuius hominis, sed bestiarum : Noë autem inter tot sceleratos solus vt homo viuebat, alij omnes vt bestiæ & iumenta, in quæ transformati erant. Verba eius hæc sunt : *Hic enim solus homo, cæteri non homines, sed humanam gerentes formam & ex hominibus in bestias mutati malitiâ voluntatis generositatem naturæ amiserunt.* Veritatis huius clarissimum habemus testimonium eodem libro, capite tertio, vbi legimus primos parentes nostros, cùm post peccatum commissum se nudos deprehendissent, vestes sibi fecisse ex folijs ficus & his suam nuditatem ac turpitudinem cooperuisse. *Consuerunt folia ficus & fecerunt sibi perizomata.* Quod cùm Deus vidisset & ipsorum statui minus conuenientem deprehendisset habitum, dicit Scriptura sacra, ipsummet Deum alium ipsis formasse habitum, & nuditatem ipsorum operuisse; & quidem ex pellibus animalium. *Fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas* : Sanctus Gregorius Nyssenus considerat hoc factum, & dicit hîc latere magnum mysterium sub vestibus, aut tunicis his ex animalium pellibus formatis : nam Adam & Eua ob commissum peccatum formam internam mutauerunt, & hominis in bestiæ transformauerunt. Vt ergo veræ bestiæ, ac iumenta apparerent, quorum formam per peccatum assumpserant, Deus etiam exteriùs vt tales exhibere voluit; ideò bestiarum pellibus ipsos induit. Audite verba eius : *Fecit eis tunicas pellicias, vt foris pelle beluinâ vterentur, qui intus beluinâ cupiditate animum deformarunt, & qui aspirant ad diuinam naturam superbiendo, intelligere se peccando, degenerasse ad beluinam.* Quam doctinam Arnoldus Carnotensis de operibus sex dierum confirmat; & sic habet : *Intelligebat Adam pellem suam pelli beluinæ consimilem; imò pellibus nudo corpori superindutis, homo bestia videbatur.*

Gen. c. 26. — *S. Ioann. Chrysost. hom. 23. in Genes.* — *Gen. c. 3.* — *Gen. c. 3.* — *S. Gregor. Nyssen. in vita Moysis.* — *Arnold. de opere6 dierum.*

Nunc N. N. intelligetis responsum illud à Dauid Regi Sauli datum, vt libro 1. Regum cap. 17. legimus. Inter Philistæorum turmas gigas tantæ magnitudinis, fortitudinis, ac tam horribilis staturæ erat, vt eius aspectum

1. Reg. 17.

Homo per peccatum in bestiam transmutatur.

non tantùm ordinarij milites, verùm etiam generosissimi heroës ac duces fugerent, nec erat qui illi resistere, & prælium singulare cum eo inire auderet. Videns ergo populus Israël tam insolentem hunc hominem, cui resistere par nemo erat, terga vertere cogitat, & summa cum ignominia Philistæis campum concedere. Quod cùm iuuenis quidam pastorculus, qui visitandi fratrem causâ castra accesserat, percepisset, zelo motus, ac irâ accensus, Regem accedit, & se pugnaturum cum gigante illo promittit. Et ne campo cedat, animum regi facit, securam promittens victoriam; *Ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philistæum.* Quibus verbis auditis rex, & omnes circumstantes, attoniti tantam audaciam, & generositatem in puero adhuc, mirabantur, & capere non poterant pastorculum hanc periculosam velle suscipere fortunam, quam etiam generosissimi milites, & Capitanei declinauerant; ideò conabantur ipsum alienum à tali reddere resolutione; sed ipse magis animabatur, & crescebat in ipso generositas, & audacia: & certam ipsis promittens victoriam, iactitabat iam similes, & fortè maiores se obtinuisse, & singularibus huiusmodi certaminibus, dum oues pasceret, tempus terere, & vires exercere solere; imò vrsos, & leones se occidisse.

3. Reg. 17.

Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es hic autem vir bellator est ab adolescentia sua Quomodo, dicit David, serenissime Rex non valeo? putas fortè me tam pusillanimum esse, atque hunc carnis colossum timere? noli metuere Rex; alia maiora præstiti: *nam & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus.*

Theod. qu. 40. in lib. Reg.

Subintrat hic sanctus Theodoretus quæstione quadragesimâ in libros Regum, & ponderat argumentum Dauidis: *Nam & leonem, & vrsum occidi ego seruus tuus*; hanc bestiam quoque occidam. *Erit igitur & Philistæus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis.* Si Dauid, N.N. singulare certamen inire deberet cum leone, vrso, aut alia bestia ferocissima, rationem haberet sic triumphandi, cùm iam se exercitatum & aliàs victorem extitisse nosceret; sed quoniam cum gigante fortissimo milite, & in omni genere armorum exercitatissimo pugnare intendat, miranda est tanta audacia, & generositas in Dauide. Respondet Theodoretus, magis non potuisse Dauid ad rem loqui, & idem erat ac si dixisset: Serenissime, rex scire debes me leonem ferocissimum bestiarum, & vrsum crudelissimum occidisse; Ecce hic Philistæus idololatra est, totus peccatis immersus, quibus totam suam rationem & hominis formam perdidit; nec talis est, vt vos iudicatis; sed vna bestia, quoddam iumentum; cùm ergo fortissimum bestiarum leonem occiderim, & iam ita in his certaminibus exercitatus sim, vt nulla mihi sit inter leonem, aut vrsum, ac ouem, aut agniculum differentia, hunc Philistæum, qui per sua scelera in talem bestiam commutatus est, vt leonem & vrsum aggrediar, & caput eius Serenitati vestræ præsentabo; ideò Sanctus in persona Dauid dicit: *Nil differt à bestia qui viuit in impietate.*

S. Theod. vt supra.

Quòd si hominem per sua scelera verè in bestiam transformatum videre velitis, legite Danielem Prophetam capite quarto, & reperietis. Ad Regem Nabuchodonosor, hominem criminosissimum, ac sceleratissimum de cælo vox facta est, quæ ipsi indixit iam habitationem eius ampliùs non inter homines, sed inter bestias futuram, & quod eodem cibo, quo bruta vescuntur, & ipse in posterum cibandus sit. *Cum feris sit pabulum eius, donec septem tempora mutentur super eum.* Quod vt dictum, sic subitò factum est; nam, vt sacra attestatur pagina, de hominum consortio eiectus, & inter alias Re-

Dan. 4.

Regis bestias positus fuit, cum quibus tot annis vixit, & eodem cibo, id est, stramine, herbâ, & fœno nutritus fuit; & vt bos inter alios boues, per campos vagabatur. Sanctus Gregorius Papa primâ parte pastoral. capite quarto dicit, Deum Regem hunc in animal irrationale transformasse, & ab humano separasse consortio, & mente sic mutatâ inter bestias collocasse, vt iusto Dei iudicio infœlix hominis esse perderet, quis plus quàm homo esse prætendebat. Verba Sancti hæc sunt: *In irrationabile animal hunc virum, ab humana societate separauit, agri bestijs mutatâ mente coniunxit, vt districto videlicet, iustoq; eius iudicio, homo quoque esse perderet, qui magnum se vltra hominem existimasset.*

S. Greg. in past. c. 4.

Hanc miserabilem hominum cæcitatem Regius vates suprà citatus deplorabat. *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Id est, Deus constituerat hominem in honoris statu, quem excæcatus non cognouit; & quia non cognouit, nec æstimauit. Vnde factũ est vt per peccatum in turpissimum bestiarum statum detrusus, similis in omnibus bestijs ac iumentis factus sit. Hæc Prophetæ verba considerat sanctus Ioannes Chrysostomus Homiliâ de Ascensione, & dicit: *Peius est comparari, quàm nasci naturaliter: non habere rationem, tolerabile est: hominem verò ratione decoratum, irrationali naturæ comparari, voluntatis crimen est.* Et Boëtius Seuerinus libro quarto de consolatione Philosophiæ, supra horum hominum statum, qui humanam naturam in bestialem conuerterunt, sic philosophatur: Fateor summam veritatem esse, nec in hoc iniuriâ aliquâ quempiam affici, si dixero vitiosos, licet exteriorem formam hominis retineant; interiùs tamen & quoad internas qualitates verè & realiter in bestias esse commutatos.

Psalm. 49.

S. Chrys. Hom. de Ascens.

Boët l. 4. de consol.

Et hæc est ratio atque caussa, quam fortè aliàs nunquam percepistis, cur benedictus Christus, cùm triumphalem suum introitum in regiam celebraret Hierosolymam, iumento insidere voluerit. *Adduxerunt asinam, & pullum eius, & eum desuper sedere fecerunt.* Et cur in tam solemni triumpho non splendidum ascendit currum? aut strenuum, & bene instructum equum? Sanctus Dorotheus doctrinâ decimâ quintâ respondet, benedictum Christum supra asinum sedere voluisse, vt ostenderet se venisse, vt peccatorem, qui per illud iumentum significabatur, de nouo in rationabilem conuerteret creaturam. Verba eius sunt hæc: *In pullo asinæ sedit, vt animam irrationalem factam, conuerteret ad rationem Dei.*

Matth. 21.

S. Doroth. Doct. 15.

Cùm ergo homines ratione præditi, per peccata in bestias conuersi, similes illis effecti sint, inde euenit, vt Deus illos ad bestiarum modum castigauerit, vt habemus Isaiæ capite decimo nono; *Disperdet Dominus ab Israel caput & caudam.* Decreuerat Deus seuerissimè populum suum Israël castigare: sed quali supplicio? Caput, & caudam Israëlitis præscindet. Quomodo ergo Israëlitæ peccatores bestiæ sunt? Homines caudam non habent, sed bestiæ: & tamen dicit Deus, quod præter caput etiam caudam præscindere decreuerit. *Disperdet Dominus ab Israël caput & caudam.* Procopius à Glossa hîc citatus, dicit Dominum hoc loquendi modo significare voluisse, rationales creaturas, cùm peccant, in bestias mutari, & caudam ipsis crescere vt cani, aut leoni, aut asino. Verba eius hæc sunt: *Capitis, & caudæ nomine animal ratione carens innuit, cui populum similem fecit.*

Isaiæ c. 19.

Procop. à Gloss. cit.

Et non tantùm bestiæ, ac iumenta sunt peccatores dum viuunt, sed quod peius, ac sanguineis lachrymis deplorandum est, cùm moriuntur, vt bestiæ cadunt. Dauid Propheta non mentitur, cuius verba in Psal-

Peccatores moriuntur vt bestiæ.

Psal.48. mo quadragesimo octauo hæc sunt: *Sicut oues in inferno positi sunt.* Cùm peccatores moriuntur, ac bestiæ; vt oues sunt turmatim ad infernum descendentes. Sanctus Hieronymus hic legit: *Quasi, Grex in inferno positi sunt.* Peccatores ad modum gregis ouium, qui ad macellum ducuntur, moriuntur, & in inferno vt caro ouina dæmonibus ad deuorandum exponuntur. Sanctus Rex hac vtitur similitudine, vt sanctus dicit Athanasius hîc, ad demonstrandum talem peccatori mortem futuram, qualis vita fuit; sicut in vita vt bestiæ vixerunt, sic ipsos morte vt bestias morituros. Verba eius hæc sunt: *Quoniam sub optimo pastore esse noluerunt, sed proprium honorem abjecerunt; tanquam pecudes, & oues inferni facti sunt, vt infernus eos depascat.* Et sanctus Chrysostomus hîc pro confirmanda hac veritate habet: *Mors igitur peccatoris vilis est & contemnenda; sicut bruta vixerunt, sicut bruta pereant.* Dicat mihi quis vestrûm, quâ morte Herodes Agrippa mortuus est? Bestiarum morte: putridi, fœtidi vermes viuum vt bestiam deuorarunt; vt Actorum capite duodecimo habetur. Quomodo Absolon pulcherrimus virorum periit? Vt bestia inter siluas, & quasi fera quæ venatoribus agitata occiditur, ita ipse miserrimè propriis crinibus arbore suspensus, ab inimicis insequentibus, tribus confoditur lanceis: & qui vt bestia vixit, vt bestia mortuus est. Nunquid sic & impius Cain mortuus est, qui dum inter vepres hæreret, & fera quædam à Lamech quæreretur, ipse feræ loco inter vepres hærens occisus est? Nónne vt vilissimum animal Heliogabalus fœtidissimo inuolutus luto, & absurdissimo cæno immersus suffocatur, ac moritur? Nónne bestiarum morte Pharao Ægyptiorum Rex interiit, dum ipse, & totus exercitus vt bestiæ aquis maris obruerentur? *Sicut bruta vixerunt, sicut bruta pereant.*

S. Hier. hic. — *S. Athana. in Ps. 48.* — *S Chrys. hic.* — *Act. c. 12.* — *2. Reg. c. 18.* — *Gen. c. 4.* — *Exod. c. 16.*

Misera certè peccatoris conditio, qui de homine in bestiam conuertitur. O quàm immortales agebat gratias Regius Vates Domino, cùm se liberatum a peccato videret! *Ipse liberauit me de laqueo venantium.* Deus liberauit me de retibus, & laqueis venatorum. Mirabilis certè hic loquendi, & gratias agendi modus est. Nunquid retia, & laquei per siluas, & campos ponuntur, & extenduntur ad aves, & feras capiendas? Quomodo ergo Dauid confitetur, de laqueis venatorum se liberatum fuisse? S. Bernardus præ compassione flens, declarat hunc locum & dicit: Quando Dauid peccauit, in bestiam commutatus est, quem cùm inferni Principis venatores deprehendissent, in sua adegerunt retia, in quibus veluti fera aliqua se implicuit. Verba Sancti hæc sunt: *Ego vtique, fratres mei, in hoc verbo, magnâ mei ipsius pietate compungor; valde misereor animæ meæ: Ipso liberauit me de laqueo venantium. Ergóne bestiæ sumus nos? Bestiæ prorsus. Vide quia bestia factus es, cui venando laquei præparantur.* O quàm misera peccatoris sors! qui dum peccat, in anima sua pulcherrimam Dei similitudinem, atque imaginem delet, & bestiæ alicuius introducit formam.

Psal. 90. — *S. Bern. in Psal.* Qui habitat.

His igitur sic constitutis, quòd per peccatum peccator, homo hominis formam exuat, & bestiæ induat, quis Diogenem Philosophum reprehendet, quòd mediâ die, dum Sol in summo luceret, ac splendesceret gradu, ad forum venerit lucernam ardentem manibus tenens, ac per medias hominum turmas summa cùm diligentia pertransiens, clamauit: *Homines quæro*: licet enim eum omnes vt fatuum riderent, dicentes se homines esse; pergebat tamen Philosophus clamare: *Homines quæro,* nam hi in foro stantes homines non erant; quia per peccata suam internam hominis formam totaliter amiserant, & si quid homi-

Diogenis Factum. — *Diog. apud Laert. de Philos. vita.*

hominis habebant, exteriùs facies, & hominis figura erat: larua tantùm & non vera hominis forma erat; quia non vt homines, sed vt bestiæ viuebant. *Cæteros quasi bestias reputans*, dicit beatus Thomas de Villa-noua concione Dominicæ tertiæ Adventus, vbi hoc refert factum. Aliâ vice idem Philosophus, ac si insaniret, altissimâ clamabat voce: *Hola hola homines.* Quod cùm turmæ præsentes percepissent; & per Philosophi vocem se vocari audiuissent, turmatim accurrerunt, & Philosophum clamantem in medio foro circumdederunt. Qui cernens se circumdatum, baculo, quem manibus gerebat, omnes abigebat, dicendo: *Homines vocaui, & non bestias.* Et ad rem dixit: nam qui non secundum rationem, sed malè viuit, vt illi viuebant quos sic Philosophus corrigere volabat, non est homo, sed bestia; imò multò peior quàm bestia, vt optimè Seneca Epistolâ centesimâ septuagesimâ sextâ annotauit, vbi sic loquitur: *Qui habet rationem & non vtitur illâ bestialior est bestijs.* Et Aristoteles libro primo Politicorum & septimo Ethicorum dicit, hominem malignum, & vitiosum multò peiorem esse bestijs. Verba eius hæc sunt: *Plura mala fecit homo malus, quàm bestia.* Alibi dicit hominem rationem habentem, & secundùm illam non agentem, multò viliorem, & peiorem bestiâ, ac bruto esse. *Homo prauus deterior est bestiâ, quia operationes praua bestiæ sunt ex natura; operationes verò prauorum hominum sunt ex voluntate.* Et S. Augustinus super Ioannem tractatu 15. dicit; habere animam rationalem, & non viuere secundum rationem, bestialem esse vitam *Animam habere, & intellectum non habere, id est non adhibere, nec secundùm eius rectitudinem viuere, bestialis est vita.* Adiungit S. Hieron. & dicit peccatorem multo peiorem bestiâ esse. *Homo peccator est pessimum animalium.* Et rationem reddit: Animalia ordinariè naturæ terminos transgredi non solent; at homines transeunt ordinatiè: ideò multò peiores tales homines bestiis esse, & maiore de se bestialitatis dare signa. Quod ex hoc capite sat clarè patet: nam animal, vel bestia ordinariè tantùm vnam malam qualitatem habere solet: (si tamen mala vocari potest, cùm naturalis ipsis sit, & vita ipsorum, cùm mera animalis sit, secundùm hos motus regatur) vt canis rabidus, lupus vorax, coruus rapax, vulpes astuta, tigris crudelis, superbus pauo; & sic discurrendo per omnia alia animalia vnam tantùm malitiam in illis reperietis: at homo omnia hæc mala habet, & omnibus his malitiis inficitur: rabiosus, vorax, insatiabilis, turpis, sordidus, malignus, superbus, crudelis, impius est. Quidquid in bestiis mali, & malitiæ dispersum, in homine totum simul reperitur. Ideò bene S. Hier. *Homo peccator est pessimum animalium.*

D. Thomas de Villa-noua conc. Dom. 3. Aduent.

Sen. Epist. 176.

Arist. l. 1. Politic. itē Ethic. 8. August. sup. Ioan. tract. 15.

S. Hier. in Matth.

Homo peccator peior bestiis.

Hanc ob causam Isaias Propheta c. 50, suæ Prophetiæ, cùm de Christo ratiocinaretur, sequentia dixit verba: *Veni, & non erat vir.* Id est, Descendi de cœlo in hunc mundum, vt homines in illo viuentes consolarer meo aduentu, & non inueni hominem. *Et non erat vir,* Glossa interlin, ponit: *Non erat vir, quia omnes quasi bestia.* Et S. Hieron. in hunc locum dicit; ideò Christum nullum hominem in suo aduentu reperisse in mundo, quia omnes imaginem & formam hominis perdiderant, ac depoluerant; bestiarum ac serpentium assumpserant. Verba eius sic sonant: *Omnes enim viri, & hominis imaginem relinquentes, bestiarum ac serpentium sumpsere imagines Venit itaque Dominus, & non inuenit hominē; homo enim cùm in honore esset, nō intellexit: cōparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Isaiæ c. 50.

Interl. hic.

S. Hier. in c. 50. Isa.

PVNCTVM SECVNDVM.

HINN. effectus sunt, quos peccatum in anima causat. Dicat mihi nunc quispiam vestrûm, num miserabi-

lior

rabilior, & infelicior status hominis in peccato constituti reperibilis sit? Cur ergo hoc non fugitur à nobis? cur tam vili pretio animam nostram æstimamus, atq; pro modica delectatione vendimus? Et quidem pro imaginaria voluptate diabolo illam tradimus? *Vnusquisq; peccando* (dicit S. Augustin. in epist. ad Roman.) *animam suam diabolo vendit, acceptâ tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis.* Ac si dicere voluisset: Videte ad quos terminos stultitia, & fatuitas hominis peruenerit, quòd animam propriam dæmoni æternis cruciandum tormentis pro vilissimo, ac momentaneo gustu, pro delectatione, quæ vento citiùs transit, vendat. An N. N. hic non summus, pestifer, & mortalis error est? Et nunc in præsenti vita non cognoscitur, nec ad summum splendorem Solis perspicitur, at verò in mortis hora ad candelæ lumen videbitis, ac perspicietis. O miseros peccatores! dum anima cum suo emptore discedere debebit, tunc hoc malum, quàm grande sit, cognoscetis, & quàm pretiosa fuerit, & quàm parum vos illam æstimaueritis, animaduertetis.

S. August. in Epist. ad Rom.

Sed vnde tam grande malum in homine originem sumit? infelix peccator mille immergitur malis, & criminibus: sat clarè oculis videt, manibus palpat ruinam, periculum, damnum, & miserabilem statum, ad quem per peccatum redactus est; & nil omnino curat, nec æstimat? Spiritus S. in Prover. c. 19 nobis ad propositum respondit dubium: *Os impiorum deuorat peccatum.* Peccator non sentit amaritudinem peccati, quia non masticat, sed deglutit; idem facit ac infimus, qui pilulas à medico sibi ordinatas, ne amaritudine illarum os eius repleatur, non masticat, sed integras deglutit. Ideò dicit Spiritus S. *Os impiorum deuorat iniquitatem.* Audite rogo, quàm diuinè doctis. Liranus hunc explicet locum. *Deuorat, & non masticat; quia si per deliberationem masticaret, amaritudinem culpæ, & pœnæ sentiret, & sic non transglutiret.* Id est, Peccator sine consideratione deuorat iniquitatem, cùm quid mali agere vult, antequam degluttiat malum, non masticat considerationis dentibus: nam si bene masticaret, & consideraret, quid contineat, & quanta mala secum perpetratum afferat, minimè certè hoc faceret, & non tam facilè tantam deglutiret amaritudinem ac dolorem, nec admitteret, quod libertate ipsum priuaret, mancipium efficeret, & æternis addiceret dæmonis tormentis.

Prou. c. 6.
Cur peccatores non agnoscant bestialem suū statum.

Liranus hic.

S. Greg. Papa aliam assignat rationem, cur peccator summam peccati amaritudinem in anima per peccatum causatam non sentiat; & dicit hoc ideò euenire, quòd ebrius sit peccator, & statim sumpto peccato ac fortissimâ & potentissimâ aliquâ potione sumptâ inebrietur. Sic habet dum locum illum Ierem. c. 3. Thren. explicat à Glossa citatus, *Inebriauit me absynthio.* Vult dicere, peccatorem, dum peccatum committit, amaritudine peccati inebriari, & ratione priuari, ita vt mala eius sentire nequeat: nam, vt dicit, *Ebrius quisq; quod patitur nescit.* Nam vt vino ebrius, quamdiu à vino suffocantur rationis facultates, nil sentit, nec gustu discernit; ita vt amarum dulce, & dulce amarum ipsi videatur. Sic homo peccator in momento illo, quo peccatum committit, delectationis dulcedine inebriatur, & rationis, ac gustus perdit vires, ita vt spiritualia, quæ dulcissima sunt, amara: peccata verò, ac delectationes mundi dulcia, cùm amarissima sint, videantur.

S. Greg. à Gloss. cit. in c. 3. Thren. Ier. Tren. cap. 3.

Ah miserrime peccator! qui sic viuis, ac si alia post hanc non esset vita speranda; ac si seuerissimo judici etiam de minimis cogitationibus rationem, & quidem strictissimam redditurus non essemus? O infelix peccator! si oculi tui per diuinam misericordiam illuminarentur, & tuus acueretur visus, vt turpi-

tudinem

tudinem animæ tuæ percipere, & deprehendere posses, quid non faceres? quis te consolari valeret? quis fluuios lacrymarum, quos de oculis emissurus esses, sisteret? præ dolore, & amaritudine & turpitudinem animæ tuæ, quam per peccatum procurasti, & euidentissimum damnationis periculum, in quo versaris, quamdiu in peccatis es, sanguineis deplorares lacrymis. Hæc tua miseria, & infelicissimus status, ô peccator! S. Anselmo occasionem dedit exclamandi, & sequentib. te alloquendi verbis: *Plange itaque super te anima misera! plange, quia te plangunt cæli, quia te plangunt Angeli, quia te plangunt omnes Sancti, te plangunt guttæ sanguinis Christi Domini quia peccasti, & mali illius quod commisisti, pœnitentiam non egisti.* Ergo ô anima misera! flumina lachrymarum de oculis tuis fluere non cessent; quia super te cæli, Angeli, sancti omnes contristantur, omnes dolent, & tuum miserrimum deplorant statum. Ecce sanguis pretiosissimus Christi denuò, quòd in peccato sis, & pœnitentiam non cogites, de sanctissimo eius corpore gurgitatim stillat. Capiat ergo quisque nostrûm resolutionem, malam emendandi vitam, commissa deplorando peccata per contritionem, & veram confessionem animam suam de pessimo, & periculosissimo hoc statu liberando. Interim quiesco.

S. Ansel. apud Drexel. in tract. de inferno.

S. Greg. à Gloss. cit. in. c. 3. Thren. Ier. Tren cap. 3.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

Vidistis N. N. primâ parte miserias peccatoris, & miserrimum, ac infelicissimum statum, ad quem per peccata anima eius reducitur: nunc & modum vel medium adducemus, quo de tam infelici statu homo peccator animam suam liberare valeat: quod per orationem, ac formalem efficitur confessionem. Dubium non est N. N. quòd homo mediante peccato factus sit bestia muta. *Comparatus est iumentis insipientibus.* Alij legunt: *Comparatus est bestiæ mutæ:* vt in hodierno legitur Euangelio de dæmonnico: *Et illud erat mutum.* Ergo toties quoties homo peccator sua confiteri peccata verecundatur, fit bestia muta. Idem S. Ioan. Chrysost. serm. de confessione bene monet, quòd tunc verecundia præ manibus esse deberet, cùm committere volumus crimina. Verba eius hæc sunt: *Tunc erubescere debebas, quando peccabas.* Et S. Bernard. in sent. *Cur te pudet peccatum tuum dicere, quod non puduit facere? aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi? Quod si fortè pudor est tibi, vni homini, & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die iudicij, vbi omnibus opposita tua conscientia patebit?* O miseros nos! homini peccatori vt nos, qui fortè plura fecit peccata, nostra erubescimus confiteri scelera: qualis ergo ille pudor erit, quando in illo rigorosissimo iudicio omni mundo patebunt, & manifestabuntur? in quali tunc erimus confusione? illa vera erit confusio. Ecce constat tibi Angelos sanctos omnia tua inspicere peccata; aperta sunt dæmonibus; norunt ea etiam, si non plures ex hominibus, saltem complices tui peccati; & times illa enarrare confessario? verecundaris illa confiteri vicario Christi? & tua vulnera salutis medico aperire erubescis? Non tardes, ô peccator! mortis tempus expectare, nec hoc tibi in mentem diabolus mittat: decipere, & illudere te conatur, fraus hæc summa est, priusquam hora hæc abscesserit, negotium animæ tuæ cum Deo sibi componendum est, & non ad tremendam, & terribilem illam horam confessio differenda est. Audi quid S. Chrysologus tibi dicat: *Præcurrat pœnitentia, ne præcurrat sententia: ne iudicemur, nostri iudices simus. Demus nobis pœnitentiam, vt possimus à nobis auferre sententiam.* Qualis sententia illa Domini sit, de

Modus resurgendi ab hoc miserrimo ac bestiali statu peccatoris.

Psal. 48.

Luc. c. 11.

Hic est confessio.

S. Chryso. serm. de confess.

S. Bernar. in sent.

S. Chrysologus.

de qua sanctus hîc loquitur, omnes vos scire puto; & si quis nesciat, ecce S. Mat. illum recitat: *Disceditè à me maledicti in ignem æternum.* Quare peccatores si hanc effugere volumus, & has nostras aures tremendâ iudicis voce pulsari nolumus, *præcurrat pœnitentia.* Sic Niniuitæ illi, vt Sanctus hîc notat, fecerunt, qui pœnitentiâ suâ iudicis præuenerunt sententiam, per Ionam Prophetam ipsis intimatam, quâ vniuersæ vrbis interitus continebatur. *Sed cucurrit pœnitentia, & promulgatam à Iona Dei sententiam reuocauit.* Faxit Deus vt veritas hæc tam efficaciter nostra penetret corda, ac animos, vt & nos Niniuitarum more *pœnitentiâ Dei præcurramus sententiam.*

S. Matth. c. 25.

Sed vt animi vestri obstinati magis conuincantur, & celerior vestra fiat conuersio; scire debetis nil ita Domino displicere in homine, quàm os habere, posse loqui, & confiteri peccata sua, & certam ipsorum scire à Domino misericordiæ futuram remissionem, & tamen non facere cum attentione. Percipere libeat S. Ambrosij considerationem: Benedictum Christum scimus cum charissimis suis discipulis vice quadam ad quendam peruenisse telonij locum, vbi ratione transitus deputata pecuniæ pars transeunti expom debebat. Cùm pecunias non haberet vnde solueret, vocat Petrum, & dicit illi: Vade ad mare, & pisces cape: in ore primi piscis monetam reperies, quâ pro me, & te solues. *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens dabis pro me, & te.* Est hoc mysterium, dicit citatus Sanctus, dum Christus telonij pretium soluere voluit, nunquid tam facilè lapidem aliquem in monetam conuertere potuisset? Vel, cur non in alterius animalis ore reperire facit, sed in piscis ore? Respondet Sanctus & dicit, piscem expressum symbolum hominis muti esse; nam inter omnia animalia pisces tantùm muti sunt, & nunquam vocis signum dant. Vult ergo Dominus, vt moneta illa, quæ culpæ pretium esse debet, in ore reperiatur, per quod fit confessio culpæ. Verba eius hæc sunt: *Non otiosè in ore piscis drachma inuenta est; nam ex ore tuo iustificaberis: etenim pretium nostræ immortalitatis est, vnde confessio.* & probat illam doctrinam suam verbis Apostoli ad Roman. cap. 10. vbi sic habetur: *Ore autem confessio fit ad salutem.*

S. Matth. cap. 17.

S. Ambros. lib. 4. in Luc. cap. 5.

Ad Rom. cap. 10.

Quis ergo nunc N. N. in tam breui temporis spatio damna & mala omnia, quæ animæ mutæ, cùm sua erubescit confiteri peccata, eueniunt, edicere valeat. Dicat nobis Dauid suo Psalmo 31. *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea.* Quia tacui & non aperui vulnera mea, putredo ipsorum vsq; ad ossa penetrauit, & putridâ consumpsit febri. Hugo Cardinalis hîc sic habet: *Quoniam tacui non confitendo peccata;* vt nos sciremus peccatorum silentium innumerabilia mala in anima peccatoris causare. Nunquid verum est, si quispiam à venenato aliquo animali, vt serpente, mordeatur, & vulneretur, si medico non statim exhibeat vulnus, & virus de corpore extrahere studeat, quòd talis vir mortis sit? Quid peccatum est aliud quam serpens venenosus? Sic Spiritus sanctus apud Ecclesiast. cap. 24. illud appellat: *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Pestiferum & mortiferum venenum ipsius est: ideò si non in tempore, & quantocyùs opportuno vtaris remedio confessionis, infallibiliter te occidet; nam *peccatum cùm consummatum fuerit* (vt S. Iacobus Apostolus c. 1. dicit) *generat mortem.*

Psal. 31.

Eccl. c.

Iacob. 1.

Quid ergo faciendum erit vbi mortifero quis inficitur hoc veneno? Ad spiritualem medicum accedendum est, & illi omnia accepta vulnera exhibenda sunt, qui tibi pharmacum salutis, id est, pœnitentiam tribuet, quo phar-

pharmaco sumpto, venenum de tua eiicitur anima; quod per sacram fit confessionem. S. Chrysostomum audiamus, qui homil. 24. in Genesin sic loquitur: *Pœnitudinis pharmacum, maximum est vulnerum nostrorum remedium.* Sacramentum pœnitentiæ efficacissimum remedium & pharmacum potentissimum contra omne animæ venenum, & omne malum est; ideo à S. Augustino sermone 102. admonemur sequentibus verbis: *Quotiescumque peccauerimus, non expectemus mortiferâ securitate vulnera ipsa putrescere, sed continuò ad spiritualem medicum concurrentes salutem recipere festinemus.* Concludit demum Sanctus, & securam promittit peccatorum remissionem, ac animæ salutem, si peccatum præcesserit confessio, & pœnitentiæ pharmacum anima susceperit: *Omnium peccatorum vulnera sanantur per confessionis medicinam.* Breuibus dicam N. N. & his finiam: Impossibile est vt quis peccatorum à Deo remissionem obtinere possit, nisi priùs illa ad vnguem confessario aperiat & debitâ contritione confiteatur; ideò si nosmetipsos iudicauerimus, & accusauerimus ante Sacerdotis pedes, & firmum emendationis conceperimus propositum, securè, ac pro certo, Dei obtinebimus misericordiam, vt Sanctus Ioannes suâ canonicâ epistolâ, capite primo attestatur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra & emundet nos ab omni iniquitate.* Quod Deus nobis concedat. Ite in pace.

S. Chrys. hom. 24 in Genes.

S. August. serm. 103. de temp.

DISCVRSVS XVII.

PRO DIE LVNÆ POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Primâ parte puncto primo agitur de superbia, & quàm diabolicum vitium sit, probatur. Secundo puncto inuidiæ qualitates demonstrantur, Secundâ parte, & tertio puncto ingratitudinis effectus exhibentur.

Thema.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Lucæ. cap. 4.



CICERO Romanæ eloquentiæ Pater, longâ consideratione, & ponderatione factâ amoris, quo quis erga filios, parentes, amicos, & patriam fertur; vltimo patriæ scilicet amori dat palmam, & clarissimis docet verbis hunc & parentum, & amicorum, & filiorum longè superare. Verba eius hæc sunt: *Chari sunt liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium charitates patria vna complectitur.* Dulcissimum amoris pignus filij, sunt in animo parentum, & cùm bonus, quis reperitur amicus, tanto

Cic. in lib. de officiis.

tanto gaudio hominis afficitur cor, ac
si maximum deprehendisset thesaurum.
Inexplicabilis est amor, quo filij boni
erga parentes æstuant; sed omnes hi
amores vniti & simul positi in vna æqui-
librij parte, & ex altera amor patriæ illi
non præponderabunt. Omnes alij effe-
ctus amoris cum tempore euanescunt,
aut diminuuntur; sed patriæ amor, & soli
natiui affectus semper manet, semper
virescit; & dato casu, quòd rigidissimus
locus sit, & plurimis scateat in commo-
ditatibus, tamen præ amoris affectu
totius mundi pulchrior locus, & ipse-
met paradisus videtur. Sic Ouidius li-
Amor patriæ super omnes alios. bro primo de Ponto:

Nescio, quâ natale solum dulcedine cunctos
Allicit, immemores nec simi esse sui.

Si ergo tam dulcis patriæ amor est; cur
Christus Dominus, cùm hodie à suis
patriotis rogaretur, vt miraculum ali-
quod in patria sua Nazareth, vt in alijs
locis fecerat, patraret, & infirmum
quem ipsi offerebant, sanaret; renuit,
& qui ciues ciuitaris Capharnaum tot
honorauerat miraculis, his summâ pe-
titum instantiâ sequentibus negat ver-
bis: *Nemo propheta acceptus est in patria sua.*
Vorage Conc. fer. 2. Dom. 3. Vorago Concione feriæ 2. Dominicæ 3.
indicat Dominum Christum miracula
in patria sua patrare renuisse; quia su-
perbierant incolæ ciuitatis, & ratione
patriæ id sibi potiùs, quàm alijs deberi,
& Christum quasi iure ad illa facienda
obligatum esse existimabant. *Quia igitur*
erant superbi, ideò Christus tot ibi miracula
non fecit, sicut in Capharnaum, & in alijs
terris. S. Ambrosius existimat Christum
ideò Nazarenis miracula exhibere no-
luisse, quia inuidiâ laborabant, & illa
sibi fieri non bonâ intentione, sed ex
mera æmulatione petebant; nam pati
non poterant, Capharnaitis, & non si-
bi tot præstita fuisse à Christo benefi-
S. Amb. l. 4 in Luc. cia; ideò & ex hoc capite se indignos
reddiderunt. Verba Sancti lib. 4. in
Luc. hæc sunt: *Aspernator enim Dominus*
inuidorum est, & ab ijs qui diuina beneficia
in alijs persequuntur miraculo suæ potestatis
auertit. Id est, Deus despicit inuidos, &
gratias concedere non vult, qui in alios
illas collatas odiunt. Addit incolas
naturâ suâ valde ingratos fuisse; & licèt
Christus præter alia plurima beneficia
huic ciuitati præstita, eam sibi pro pa-
tria elegerit, attamen nec hanc gratiam
cognouerunt, imò quò maiora be-
neficia receperant, eò major in inuidio-
sis eorum pectoribus ingratitudo ex-
ardebat, & ad tam turpes peruenerunt
terminos, vt eum extra ciuitatem tan-
quam inimicum eiecerint. *Eiecerunt eum* Luc. c. 4.
extra ciuitatem. Quia eorum iniquam pe-
titionem implere nolebat, itâ accensi
in montem altissimum ad præcipitium
quoddam eum duxerunt, vt inde illum
præcitarent. *Duxerunt eum vsque ad su-*
percilium montis, animo, & intentione oc-
cidendi illum, *vt præcipitarent eum.* Hæc
tria pessima vitia scopus concionis meæ
erunt, & de his discurrere, ac eorum
malignam, ac nociuam naturam, &
mala quæ afferunt animæ, vobis de-
monstrare paratus sum. Attenditote.

Pars I.

PVNCTVM PRIMVM.

Quanta audiuimus facta in Ca-
pharnaum, fac & hîc in pa-
tria tua. Luc. c. 4.

MInimè dubitandum est, N. N.
quidquid vitium sapit, ac mon-
strosâ peccati induitur laruâ, non
tantùm abominabile, verùm etiam
ab omnibus angue peius fugiendum
esse; nam pretiosissimo thesauro diui-
næ gratiæ, quo animæ nostræ dotan-
tur, nos priuat; inter vitia tamen ac pec-
cata omnia, nullum meo iudicio pericu-
losius nullum maiorum malorum fons, &
origo, ac superbia est, quam S. Greg. sic
describit:

S. Gregor. l. 13. Moral. c. 5.

describit: *Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ.* Vnde prouenit, quod principium, & via ad omne malum, & peccatum sit; vt Ecclesiastes capite decimo attestatur: *Initium omnis peccati superbia.*

Eccles. 10.

Cuius sententiam sanctus Augustinus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ columna, in Psalmum decimum octauum considerando illa verba: *Et emundabor à delicto maximo,* confirmat, & dicit; per delictum maximum Dauid Regem superbiam intellexisse, quæ omnium aliorum malorum ac vitiorum vera radix, atque origo est. *Delictum magnum esse arbitror superbiam. Magnum hoc delictum est, & caput atque causa omnium delictorum: Scriptum est enim: Initium peccati omnis superbia.*

S. August. in Psal. 18.

Superbia quantum sit malum.

Quidquid mali in mundo fuit, quidquid vitiorum atque scelerum natum, à superbia vt matre ortum est. Meritò ergo senex Tobias sequentibus verbis ad fugam huius monstrosæ bestiæ suum exhortabatur filium. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*

Tob. c. 4.

Fili mi locum in tuo corde superbiæ non des; nam ab ipsa vt malorum omnium principio, ruina, & exitium animarum suam traxit originem; ideò sanct. Ambrosius in Psalmum centesimum decimum octauum haud dubitat asserere, inter peccata omnia summum locum superbiam obtinere. *Maximum peccatum in homine superbia est; quãdoquidẽ inde emanauit nostri origo delicti.*

Psal. 7. *Hugo hic.*

Inde cùm Regius Vates de monstroso, ac pessimo hoc vitio discurreret Psalmo septimo, infit: *Domine si feci istud.* Hugo Cardinalis in hunc locum ponderat singulariter verbum *istud,* & dicit Prophetam hîc de superbiæ peccato locutum fuisse, quod ob nimiam suam enormitatem nomen non mereretur; ideò dicit: *Domine Deus si feci istud. Non dicit, si feci superbiam,* sed *si feci istud,* & hoc propter vilitatem ipsius superbiæ, quæ non est digna nominari.

Et verò tam abominabile hoc peccatum est, vt quasi impossibile videatur; hominem superbire posse, si consideraret, se de terra, & luto factum fuisse, & denuò ipsi ad talem opinione forsan citius redeundum esse statum. Vt autem rem sic se habere credatis; legite libri Genesis caput vndecimum; reperietis ibi aliquos superbos descriptos gigantes, qui vnanimi consensu admirabile quoddam opus aggressi erant; vt structuram turris, cuius summitas, & cacumen, nubes cœli penetraret, & ipsum cœlum attingeret; sic enim dicebant: *Venite, ædificemus nobis turrim, cuius culmen pertingat vsque ad cœlum.*

Gen. c. 11.

Hanc turrim, quam ædificare decreuerant, dicit Hugo Cardinalis hîc, symbolum huius mundi superbiæ esse, quæ se contra Deum in cœlum vsque erigit: *Turris Babel superbia mundi est, quæ contra Deum erigitur.*

Hugo hic.

Huius turris structura originem sumpsit, vt doctissimus Nicolaus de Lira opinatur, ex superbia. *Moti sunt ad ædificandum ex superbia.*

Liran. hic.

Sed quid accidit? Cum ad Dei aures præsumptuosa hæc resolutio peruenisset, decreuit Deus in persona descendere, & videre num verum esset, quod inaudisset. *Descendit Dominus vt videret ciuitatem, & turrim quam ædificabant filij Adam.* Sed ad quid Deo descendere opus erat, vt machinam hanc videret, cùm ipsi omnia sole clariora sint, vt Sanctus Paulus ad Hebræos capite quarto attestatur: *Omnia nuda, & aperta sunt oculis Dei?* Glossa interlinealis in primum caput Genesis dicit descensum hunc attentam Dei considerationem huius tam enormi actus denotasse.

Gloss. interlin. in c. 1. Gen.

Descendere Dei est humanorum actuum attendere prauitatem. Vult dicere, quòd cùm aliquando quid extraordinarium nobis narratur, solemus dicere impossibile creditu esse. Sic se res cum homine, & superbia habet, quæ tam aliena à natura humana est, vt cùm actus quis enormis huius ad

Dei peruenit aures (impossibile hoc Deo videatur ad nostrum loquendi modum;) ideoque credere non vult, do nec ipsemet videat, & quasi manibus palpet; & ideo *descendit vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.*

Ergo non mirum, cùm tam alienum ab hominis natura superbiæ vitium sit; superbum non Dei solum oculis, verùm etiam hominis exosum, & abominabilem effici, vt Ecclesiastes habet capite decimo. *Odibilis coram Deo, & hominibus superbia.* Et meritò quidem; nam superbus homo in omnibus similis efficitur turpissimo dæmoni, qui naturâ suâ ob innatam eius superbiam, & præsumptionem abominabilis, & exosus est Deo. Hoc S. Basilius disertis verbis asserit: *Vir humilis Deo similis; superbus autem cùm sit Deo odibilis, diabolo similis est.* Et Cassianus in illa verba: *Deus superbis resistit.* celeberrimam scripsit sententiam, quæ admirabili quâdam emphasi hæc quæ dicta sunt explicat, & quàm abominabilis Dei oculis superbus sit, demonstrat. Verba eius hæc sunt: *Tantum est malum superbia, vt non Angelum, non alias virtutes contrarias, sed ipsum Deum aduersarium habere mereatur.* Tanti horroris in Dei oculis superbia est, vt iurauerit Deus se in omnibus superbis contrarium fore. *Deus superbis resistit.*

Eccl. c. 10.

S. Basilius ad fil. spiri.

Cass. l. 12. inst. c. 7.

Sanctus Augustinus in Psalmum nonagesimum tertium, post longam enarrationem illius quod Lucæ decimo octauo habetur de superbo Pharisæo, & humili Publicano, tandem exclamat: *Videte fratres; magis placuit Deo humilitas in malè factis, quàm superbia in bonis factis; sic odit Deus superbos.* Ac si diceret: Tanto odio prosequitur Deus superbiam, vt multò magis peccatorem, qui plurima mala egit, & se humiliat, & de commissis dolet, respiciat, quàm alium qui plurima agit bona, & in his superbus est. Et in confirmationem suæ doctrinæ sequentia subiungit verba: *Et ideo sic conclusit: Amen dico vobis, descendit iustificatus Publicanus magis quàm Pharisæus.* Id est, ideò quia humilis fuit Publicanus, & suas recognouit miserias, suorum malorum, ac criminum obtinuit veniam, & totâ peccatorum sarcinâ ante Dei pedes relictâ, purus, & iustificatus domum redijt: Pharisæus verò, quia superbus erat, & in suis bonis operibus vanè gloriabatur, in illis quæ laudando Deo offerebat, illi displicuit, quia superbus erat, & qui bonis oneratus operibus templum intrauerat, intolerabili superbiæ onere oppressus, & Deo abominabilis iniustificatus templo egreditur, ac domum reuersus est.

S. August.

Beatissima Virgo cœlorum Regina dum de superbis discurrit, asserere non dubitauit, Deum hos vsque ad internecionem persequi, Lucæ capite primo: *Dispersit superbos mente cordis sui.* Sanctus Augustinus in hunc locum, sat claram horum verborum intelligentiam nobis exhibet, dicens: *Dispersit superbos, hoc est, despexit superbos.* Dicit Deum despicere superbos; notate, quomodo nos oculos nostros, cùm abominabile quid illis repræsentatur, auertere solemus: sic, dicit Sanctus, cum superbo facit, ac vt abominabile quid auersatur illum, despicit, vilipendit, & suos amouet oculos. *Despexit superbos.* O summa insania hominum, qui pro vna vanitate, & fumosa cogitatione diuinam perdunt gratiam! sanè, Christiane, si comprehendere posses, quàm abominabilis Deo superbus esset, absque dubio non tam insolenter insanires, & te supra te æstimares, sed cum Publicano ante Dei thronum, te peccatorem miserum agnosceres, ac humiliares. Et vt clariùs huius doctrinæ veritatem percipias, vellem vt mentis oculis supplicia, & pœnas, quibus Deus in peccatores, ac mala eorum crimina animaduertere soleat, intuereris, & modum, quem in castigando tenet, obserua-

Luc. c. 1.

S. August. hic.

seruares, certè discrimen deprehenderes, & manibus palpares diuersum castigandi modum, & quod nimirum in aliorum peccatorum tolerantia longanimis sit, nec statim perpetrato peccato castigationis flagellum manibus arripiat; at verò cùm superbiæ deprehendit peccatum, omnis moræ impatiens subitò in illud animaduertat. Hoc leges libro Genesis capite quarto, & septimo, vbi summâ longanimitate suffert, & non castigat, sed in plurimos differt annos primum fratricidium in mundo commissum; & cùm summa pietate tardat primum sanguinem innocentem sparsum supra terram vindicare. Sic videbis summâ patientiâ ac longanimitate peruersitatem, & malitiam hominum, totius mundi tempore Noë per centenos sufferre annos: animaduertes quoque lentissimo gradu Deum processisse, antequam Sodomiticas ciuitates igne consumpsit: videbis quomodo Petrum exspectet ad pœnitentiam, cùm ter ipsum negauerit: & quantâ patientiâ dissimulet Iudæ traditionem, & auaritiam, qui pro triginta denarijs ipsum vendiderat, ac in manus inimicorum tradiderat. Imò percutitur, flagellatur, irridetur, spinis coronatur, ac demum in cruce vt impius ac peccator occiditur, omnia suffert, ac tolerat cum summa patientia; & ob vnum superbiæ peccatum commissum tantopere irascitur; & de cælo deijcit, & ad inferos detrudit spiritum illum sublimem, Principem exercituum Angelicorum, primum, & digniorem cæli Angelum, illum qui vt dux præcessit omnes illas cælestes Hierarchias: illum qui ex singulari gratiâ pulchritudine suâ, quidquid post Deum visibile, vel inuisibile erat, quàm longissimè superabat; hunc, inquam, quia Personam secundam Sanctissimæ Trinitatis in carne adorare renuebat, cum omnibus adhærentibus Angelis de cælo præcipitauit, & æternis doloribus, ac cruciatibus in inferno mancipauit. Hoc autem factum est, vt ostenderetur quàm abominabilis in conspectu Dei superbia sit. Et tu homo qui puluis, & cinis es, superbire audes? & supra proximum tuum te extollere? Caueas tibi ne & Deus ex improuiso in tuam animaduertat superbiam. *Quid tu superbis terra, & cinis?* (dicit Sanctus Bernardus sermone primo in Aduentum) *Si superbientibus Angelis Deus non pepercit, quantò magis tibi, putredo, & vermis? Nihil enim ille fecit, nihil operatus est, tantum cogitauit superbiam, & in momento præcipitatus est.*

Gen. c. 4. & 7.

S. Bern. ser. 1. in Aduentu.

Sed quòd præ omnibus hominem superbum terrere deberet & in ipso summum odium etiam ad minimam superbiæ cogitationem excitare, verba sunt Sancti Gregorij Papæ libro decimo quarto Moralium capite vigesimo tertio, quibus clarè affirmant, inter omnia signa, quæ in homine perditionis, aut damnationis habere possumus, superbiam omnium euidentissimum signum esse. Audite verba: *Euidentissimum reproborum signum superbia est, & contrà humilitas electorum.* Ergo vt Augustinus in Psalmum decimum octauum te admonet, super omnia superbia tibi fugienda est & humilitas amplectenda; & summâ verecundiâ homo affici deberet, qui superbire vult, cùm Deus ipsius creaturæ carnem assumpserit, & exemplo hominem humilem esse docuerit. Verba eius sic sonant: *Erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus.*

S. Greg. l. 14. moral. c. 23.

S. August. in Psalm. 18.

PVNCTVM SECVNDVM.

ET vt transeam ad secundum punctum, ex tribus illis in principio assignatis; dico Christum Dominum noluisse Nazarenis exhibere miracula, quia inuidebant Capharnaitis beneficia

Inuidia quale peccatum ac eius effectus, Sap. c. 2.

neficia à Deo exhibita. Maledicta inuidia tantopere Deo odibilis, vt quæ suam non aliunde originem, quàm à dæmone ipso habet. *Inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Maledictum peccatum, abominabile monstrum inuidia est; nam hæc extenuat proximi fortunam, suâ maledictâ & veneno plenâ linguâ alterius inficit famam; indignationis amarissimo pascitur felle; lætum non exhibet vultum, nec ridet nisi cùm sinistri quid euenerit proximo; & dum frater prosperatur, illa contristatur, & propria exterminatur rabie. Abominabile certè monstrum & vt Seneca in epistolâ ad Lucilium omni mortali præ omnibus fugiendum. *Inuidiam fuge: eâ enim nil sæuius.*

Senec epist. ad Luc. 1

Et non immeritò N. N. vituperabile hoc vitium tantopere vitandum est, cùm in ipsum suum elicientem crudele sit, & cum gaudio illius videat exitium, dummodò alterius impediatur prosperitas; nec eius malum curat, dummodo proximi impediatur bonum. Descendit diues Epulo ad infernum, & ibi perpetuâ cruciatur siti: eleuat oculos suos in tormentis, & ecce videt Abraham in gloria, & Lazarum pauperem, quem ipse paulò antè, dum adhuc in mundo esset, vili habuerat, in eius requiescere sinu, & sic ipsum alloquitur: *Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Ecce Pater Abraham quomodo crucior, quam ardentissima siti tormentor; rogo habeas cum misero compassionem, & Lazarum, qui in tuo requiescit sinu, fac intingere digitum in aquam; iube vt extremitate huius sui digiti meam attingat linguam, & ab insupportabili me liberet siti. Notare vos vellem N. N. huius Epulonis loquendi modum: Diues Epulo in medijs Inferni constitutus est flammis; Lazarus in sinu Abrahæ quiescit; desiderat

Luc c. 16.

Epulo in remedium omnium suorum malorum, ac suppliciorum, digitum Lazari aquâ madefactum, & vt ad ipsum descendat. O infelix Epulo! quid petis? remedium bene petis; nam licitum est misero, quærere solatium. Sed cur non petis vt tu possis exire de hoc malo, & Lazarum accedere? Sed vis vt Abraham suum deferat solatium, & ad te, qui in supplicijs es, descendat, *Mitte Lazarum.* Non vides nec animaduertis, quod Lazarus, si ad te veniret, in flammis tecum ardere deberet, & sua relinquere gaudia? & de felicitate, in qua est, ad tua transire supplicia? Sanctus Petrus Chrysologus sermone centesimo vigesimo secundo huius petitionis, atque desiderij peraptam, reddit rationem, & dicit: Ne quis tam extrauagantem admiretur petitionem: sciat enim Epulonem inuidiâ laborasse; ideo de pœnis, in quibus erat, exire non cupiebat, dummodò & Lazarum in illis videre potuisset: Lazari malum, suum existimabat remedium, ac consolationem, & pœnas proprias, quas patiebatur, nihili faciebat, dummodò Lazarus tanto non perfrueretur bono, & magis ipsum Lazari cruciabat felicitas, quàm propria sua infelicitas ac miseria, & magis adurebatur eius beatitudine ac prosperitate, quàm inferni flammis, in quibus sepultus iacebat. Audite Sancti verba: *Adhuc diuitem malitia non deserit, quem tam possidet pœna qui non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci. Vt video, quod agit diues, non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui; & zelo magis incenditur, quàm gehennâ.* Effectus inuidiæ erant huius miserabilis voces; qui non desiderabat Lazari societatem vt remedium sui mali, sed vt inuidiæ pabulum, & nutrimentum: magis enim Lazari felicitate, quàm proprijs supplicijs tormentabatur. Eadem passio erat, quâ in hodierno Euangelio cruciabantur incolæ ciuitatis Nazareth, cum Capharnaitis

S. Petr. Chrys ser 122.

naitis à Christo tot exhibita beneficia vidissent: his tormentabantur; his cruciebantur: hæc supplicia, & pœnæ ipsorum erant. Verba quæ hîc dicebant, inuidiæ erant effectus: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua.* Abominabile monstrum, maledictum malum inuidia est: ideo bene dixit Romanus Seneca sapiens: *Inuidiam fuge; eâ enim nihil sæuius.*

Vnde creditis N. N. originem ducere tot mala, vnde ruinam, & perditionem totius mundi euenire putatis, quàm ex inuidia? Quid aliud Adamum primum nostrum parentem de paradiso eiecit, & tam felicissimâ, ac prosperrimâ priuauit vitâ, quàm hoc monstrum inuidia? Nam cùm Deus ipsum in tanta dignitate constituisset, ac monarcham vniuersi declarasset, vt Genesis capit. primo legimus: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*: dæmon invidiâ tactus, homini tantam felicitatem, & fauores à Deo concessos invidebat; ideò constituit eum tentare. Quod & factum est. Adam tentationi consensit, cecidit, & ipse & tota eius posteritas. Sic sanctus Ioannes Chrysostomus sermone quarto; *Hæc de paradiso hominem nostræ generationis excludit.* Quis occidit innocentem Abel, & sanguinem primum hominis tempore illo tam pretiosum, ac rarum fudit? Inuidia; nam cùm Cain videret sacrificia sua Deo minùs accepta, Abelis verò acceptissima esse, & igne cælesti absumi, malignus eius animus inuidiæ igni accensus fuit, ex quo generatum fuit odium, atque indignatio, & fratricidium subsecutum, & innocens Abel mori debuit. Quis ad tantam crudelitatem sanctos introduxit Patriarchas, & commouit, vt fratrem suum Iosephum Ismaëlitis venderent, & tanto dolore patrem senem, & iam decrepitum afficerent? Inuidia. Vnde tanta

Gen. c. 1.

S. Chrysost. serm. 4.

indignatio in corde Saulis exarsit, vt de se bene meritum Dauid occidere conaretur? Ex inuidia. Hinc meritò S. Petrus Chrysologus sequentibus concludit verbis: *Inuidia malum vetustum, prima labes, antiquum virus, sæculorum venenum, causa funeris.* O quàm abominabile, & horrendum monstrum inuidia est! *Inuidiam fuge; eâ enim nihil sæuius.*

Hæc de hominis animo omnem proscribit pietatem, nec permittit viscera pietatis in ipso morari. Obseruastis absque dubio, quod scribit sanctus Lucas capite decimo quinto de filio prodigo; qui, hæreditate suâ importunis instantijs à patre acceptâ, discessit, & sponte, qui ciuis, & incola erat, fit peregrinus, & consumptâ breui tempore substantiâ suâ cum meretricibus, ex diuite fit pauper, ex abundante & saturo egens & famelicus, ex nobili abiectus & vilis, ex domino seruus; tandem cùm in summa esset miseria, & quidem ad talem redactus statum, vt de siliquis porcorum satiari pro delicijs haberet, (*Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, & nemo dabat illi.*) determinat, & apud semetipsum concludit ad patrem redire. *Ibo ad patrem meum*, & itineri se tradens, tandem plurimo superato labore, totus egens, nudus, famelicus ad patrem peruenit. Bonus senex simul ac filium tam malè constitutum aspexit, passione commotus flens cecidit super collum eius, & osculando pacem tradidit, & in filium recepit, & de recuperato filio, quem iam perditum credebat, magnam concepit consolationem, & lætitiam, vt externi demonstrarunt effectus. Quid enim bonus senex non fecit? stolam nouam adferri iussit, vitulum saginatum, gallinas, anseres occidi imperat, conuiuia ordinat, musicalia instrumenta aduocat, amicos & conuicinos inuitat; & vt finiam, festiuos agit dies. *Citò proferte stolam primam: date annulum in manu eius*

Luc. c. 15.

eius, & calceamenta in pedibus; adducite vitulum sanginatum, & occidite, vt manducemus, & epulemur. Quid euenit? audite obsecro: cùm tantâ lætitiâ personaret paterna domus, & omnes in jucunditate essent, & parentes, famuli, amici epularentur: ecce filius primogenitus adest ante fores, & de longè audiens musicalia instrumenta, & deprehendens omnes in domo lætos, ac festiuos agere dies, (*Audiuit symphoniam, & chorum.*) firmat pedem, & curiositate motus, antequam intraret, vocauit quendam ex vicinis, & *interrogauit quid hæc essent?* Quæ musica in paterna domo? Et qualis festiuitas celebraretur? Responsum ei fuit: *Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit.* Quæ cùm percepisset frater prodigi, vt Euangelista narrat, *indignatus est, & nolebat introire*, & paternæ domus lætitiæ particeps fieri. Quis non admiratur hoc factum huius fratris maioris? Nunquid & ipse totus gaudio plenus domum intrare, & fratris in collum ruere, & dulcissimis amplexibus illum recipere, & ob aduentum fratris iunioris, quem tot annis non viderat, & qui tanto tempore absens fuerat; & iam perditus credebatur, plurima lætitiæ signa dare debuisset? Nullam certè causam nec fundamentum aliquod tristitiæ habebat, nil ipsum ad talem indignationis demonstrationem vrgebat. O immortalis Deus! vbi amor reciprocus? vbi charitas fraterna est? Vnde talis, tantaque indignatio suam trahit originem? Sanctus Petrus Chrysologus respondet, inuidiâ hunc fratrem laborasse, illiusque fuisse mancipium; ideò non mirum, illum indignatum fuisse, nulliusque pietatis signa dedisse, nec cor eius emolliri potuisse. Verba eius hæc sunt: *Sed indignatus nolebat introire. Inuidia fugat symphoniam pietatis, chorum charitatis excludit, & quem venire ad fratrem vocat ratio natura, hunc peruenire zelus non sinit, liuor non patitur introire.*

Varij effectus inuidiæ. *S. Petr. Chrysol. serm. 5.*

O maledictam inuidiam! ô crudelem Tyrannum humani generis! Iosephus iram Pharaonis fugit, sed fratrem inuidiam euitare non valuit. *Inuidebant ei, & vendiderunt Ismaelitis.* Isaac liberatur à gladio patris, & morte, sed inuidiam Abimelech declinare non potuit, & exul de Palæstina exire debuit. *Inuidentes ei Palæstini in tantum vt ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede à nobis.* Iacob potuit cum Angelo luctari, & cum superiore: sed Esau fratris sui inuidiam minimè expugnare valuit; ideò ob eius persecutiones, faciem illius fugere debuit. *Oderat semper Esau Iacob pro benedictione.* Generosus iuuenis Dauid leones, ac vrsos intrepido aggrediebatur animo, & veluti agnos apprehensos per medium diuidebat: sed impedire non potuit, quin inuidia ipsum de aula eijceret, & vt fugitiuum per nemora &, syluas errare faceret. *Bonus es tu sicut Angelus Dei, sed satrapis non places: egredere, & abi.* Daniel in Babyloniæ obsidione iram Nabuchodonosoris effugit, sed non potuit effugere inuidiam satraparum Darij Regis; ideò in lacum leonum deijcitur. *Miserunt Danielem in lacum leonum.* Sed quid dico? N. N. Deus potentissimum se exhibuit dum Israëliticum populum per mare rubrum sicco fecit transire pede, & Pharaonem Ægyptiorum Regem cum numerosissimo exercitu illum persequentem maris cooperuit vndis. Omnipotentem se esse demonstrauit, cùm flammis de cœlo missis, Sodomam, & Gomorrham cum alijs circumiacentibus exussit ciuitatibus: sic cùm fortissimos muros, & munitiones ciuitatis Iericho deiecit, & funditus euertit, summæ, ac infinitæ virtutis signa dedit: & cùm per Angelos omnes primogenitos Ægyptiorum neci dedit,

Gen. c. 26. *Gen. c. 27.* *1. Reg. 19.* *Daniel cap. 6.* *Exod. cap. 14.* *Gen. c. 19* *Iof. cap 6* *Exod. cap. 12.*

dedit, & potentissimum, ac numerosissimum Madianitarum exercitum per trecentos viros tantùm deleuit, & alia innumera mirabilia patrauit: attamen cùm homo factus esset, & idem omnipotens, & fortissimus esset, ab hoc diabolico inuidiæ monstro liber esse non valuit: nam & contra illum insurrexit, & in tantum inualuit, vt mortem, & quidem crudelissimam ipsi intulerit: vt habetur Matth. capite vigesimo septimo: *Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum.* Hoc est quod bene aduertit sæpiùs citatus aureus orator, qui hîc ait: *Inuidiâ primùm contaminauit terras germano sanguine: ipsa germanos compulit venundare germanum: ipsa Moysen fugauit: Aaron in fratris excitauit iniuriam: Mariam maculauit liuore germani: & ne multis, quod pauet mens, quod visus tremit, quod auditus non capit, ipsum Christum pependit, & peruenit ad sanguinem.* O abominabile monstrum! ô execrabilis inuidia! *Inuidiam fuge: eâ enim nihil sæuius.*

Iud. cap. 7. — Matth. c. 27. — Chrysol. serm. 48.

Considerate, Auditores, quàm horrendum monstrum sit inuidia: vbi semel ingressum ad animam obtinet, statim mentem obfuscat, tenebris obducit intellectum, & rationem extra suas regulas abducit. Vnde sanctus Bonauentura noctuæ inuidiam comparare non dubitauit; nam vt hæc nocte lucidos, & perspicaces, de die verò tenebrosos, & obscuros habet oculos, & ita de nocte videt, de die cæca est; sic inuidia aliorum prosperitate obfuscat, ac tristitiæ tenebris animam obducit, quam lætitiæ radijs illuminare debuisset. Verba Seraphici Doctoris hæc sunt: *Similis est inuidus noctuæ. Noctua enim de nocte videt, & de die excæcatur; sic inuidus ad modum noctuæ à luce excæcatur, vnde deberet illuminari.*

S. Bonau. in diet. sal. cap. 4.

Probari potest hæc veritas facto illo fratrum Ioseph. Iam scitis quantâ inuidiâ fratrem suum Ioseph, ob prosperam ei flantem fortunam prosequuti sint. *Videntes fratres eius, quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec quicquam poterant ei pacificè loqui. Accidit quoque vt visum somnium referret fratribus suis: quæ causa maioris odij seminarium fuit.* Sed quid inde contigit? Attendite: mittitur Ioseph à patre ad locum, vbi fratres morabantur, & ecce cùm oculis ipsorum apparet, mortem ei machinantur: *Ecce somniator venit: venite, occidamus eum.* Sed considerantes aliqui ipsorum, crudelitatem facti, mitiora conceperunt, ac Ismaelitis mercatoribus casu transeuntibus vendere decreuerunt. Hinc statim innocentem apprehendunt iuuenem, & veste illâ, quam pater vt singulare amoris signum ipsi curauerat, spoliant, & hœdum occidunt; sanguine illius vestem intingunt, & rubescentem patri mittere decernunt, semper animo dicentes: *Dicemusq; Fera pessima deuorauit eum. Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt: mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit, an non.* Factum audistis, jam ponderationem eius percipite. Mittunt hi congregati fratres vestem sanguine hœdi tinctam ad senem Iacob patrem, sanguinem exhibent, ac si dicere vellent; feram fratrem ipsorum deuorasse; sed quòd integram, illæsam, & intactam mittant, capere, & intelligere minimè valeo: nam quæ conuenientia erat hæc, feram Iosephum dilacerasse; vestem verò integram, & intactam reliquisse? Estnè possibile, leonem, vrsum, aut lupum, aut aliquod aliud animal ferum, corpus Iosephi in partes dilacerasse, vestes autem integras reliquisse? Secundùm verum iudicium vestes primò dilacerantur, & in partes scinduntur, & posteà carnes, ac corpus; quomodo ergo hi vestem Iosephi mittunt ad patrem integram, & intactam, & solo sanguine, quo madebat, à fera Iosephum occisum fuisse probare intendunt? quomodo non animaduertunt hunc mo-

Gen. c. 37.

dum mortem Iosephi annuntiandi expressum fraudis, ac deceptionis indicium esse? Ah N. N. ne admiremini horum Patriarcharum cæcitatem! Inuidi erant; nam ubi semel inuidia animum ingreditur, subitò mentem obfuscat, tenebris intellectum adeò obducit, vt nil secundùm rationem, ac verum ordinem animæ potentiæ operari possint. Audite sanctum Basilium Homiliâ de inuidia, cuius hic conceptus est: *Sic in Iosephum erant fratres animati, vt quid facerent nescirent. Inuidia nil cum ratione operatur.* Vides quam ferum monstrum sit inuidia, quæ subitò ac animum ingreditur, hominem intellectu priuat, ratione spoliat, & quæ, aut quomodo operetur, & agat, cognoscere prohibet, & cæcorum more in omnibus ambulare facit. Igitur meritò Seneca vbi suprà dicit; *Inuidiam fuge; cæ enim sæuus.*

S. Basilius Hom. de inuid.

Seneca ubi suprà.

Sed hæc pauca mala sunt, quibus inuidi subiiciuntur; plures, & maiores enumerabo miserias, quibus angustiantur. Sanctus Paulus Apostolus Gentium inuidiam amaritudinis omnis causam appellat. Ad Hebræos capite duodecimo: *Radix amaritudinis.* Et meritò sic intitulat: nam omnia alia peccata gustum aliquem, licèt transitorius sit, adferunt, & peccatorum delectatione aliquâ afficiunt, solâ inuidiâ exceptâ, quæ nullam delectationem, nullum gustum, sed summam amaritudinem, & acerbitatem secum apportat; nam ipsa, vt sanctus Basilius vbi suprà dicit, vipera est, quæ dum à matre generatur, viscera eius dilacerat; & vt sanctus Augustinus sermone decimo octauo asserit, tinea est, quæ pannum, à quo producitur, rodit, ac consumit. Vermiculus, vt idem dicit, qui lignum destruit, ex quo vitam habet. Hedera, quæ murum quo sustentatur, debilitat ac destruit. In summa hoc solum bonum habet, vt sanctus Gregorius Nazianzenus oratione duodecimâ attestatur, quod vt aliorum iniquum flagellum, ita sui ipsius iustissimum tormentum, atque pœna sit. Verba eius hæc sunt: *Vnus ex animi morbis, & iniquissimus pariter, & æquissimus: illud, quia bonis omnibus molesta est; hoc, quia dominos suos tabe quadam absumit.* Tale tormentum inuidia est, vt centum oculos, & centum aures Socrates inuido optauerit, vt videndo, & audiendo à centùm partibus aliorum prosperam fortunam, à centum partibus crucia retur & tot acutissimi gladij cor eius transfoderent. Inde euenit, cum tot, tantaque inuidi tormenta sint, quibus aliorum prosperitate afficitur, vt in suo corde infernum ipsum ferre videatur. Sic Psalmista attestatur: *Dolores inferni circumdederunt me.* vbi sanctus Augustinus sic legit: *Dolores inuidentiæ.* Rem verbo: Inuidia pœnâ minimè vacat: nam, vt Pindarus dicit, *Inuidi punientur à suo ipsorum vitio.* Et sanctus Nilus paren. 1. *Inuidus seipsum mulctat.*

Inuidus vipera.
Ad Heb. cap. 12.

S. Basilius vbi suprà
S. August. serm. 18. ad fratres.
Tinea.

S. Gregor. Nazianz. orat. 12.

Morbus animi.

Socrates apud Stobæum.

Psalm. 17.
S. August. hic.

Pind de Path. 1
S. Nilus paren. 1.

Sed clariùs, & magis ad viuum ab Italo Poëta Sanazario Eclog. 6 depingitur his verbis:

L'inuidia fratel mio sestessa macera.

Sanazar. Eclog 6.

Id est, inuidia inuidum macerat, extenuat, atque exsiccat, & continuo suo tormento annihilat. Sanctus Augustinus sermone decimo octauo ad fratres; comparat inuidum phœnici, qui naturali instinctu, vt naturalistæ affirmant, cùm ad vltimam senectutem se peruenisse deprehendit, altissimum quendam montem in calidissimis partibus sibi eligit, in cuius cacumine sibimet ipsi ex odoriferis lignis rogum construit: quem cùm sol ardentissimis suis radijs calefecit, alarum motu in ignem conuertit, & sic suo insidens rogo, comburitur, ac in cineres conuertitur; ex quibus cineribus generatur vermis, ex verme phœnix; & sic eius renouatur iuuentus: & ecce (dicit sanctus Augustinus) talis naturæ inuidus est, quia aliud non agit, quam

S. August. serm. 8. ad fratres.
Phœnix.

quàm recolligere odorifera ligna aliorum prosperitatum, & felicitatum, supra quæ insidens, alijs suarum cogitationum inuidiæ ignem suo accendit animo, qui ardet, & consumit inuidum, & tandem vermem generat, qui ad tineæ modum, suum corrodit, ac consumit productorem. Verba Sancti hæc sunt: *Sic inuidus cunctis diebus vitæ suæ, intus & extra seipsum comburens, seipsum primò infestans; primò seipsum vulnerans, & vexans.*

Leo. Sed nec hîc inuidia malignitatis suæ figit terminos; tendit abominabile hoc monstrum adhuc plus vltrà. Quid ferocius leone ad iracundiam concitato? Talis ferocissimus leo inuidia est. Hoc

Genes. 27. pessimo vitio infectus erat Esau, dum prosperitati fratris sui inuidet. *Irrugijt clamore magno, & consternatus ait.* Videns prosperari fortunam fratris, ac furiosissimus leo valde rugire cœpit. *Irrugijt.*

Euseb. Emiss. in cat. Græc. Gen. c. 27. Sed quæ causa huius rugitus fuit? Audite Eusebium Emissenum in catena Græca in caput Genesis vigesimum septimum; ille vobis dicet: *Non tam dolet præreptam benedictionem, quàm fratris inuidet dignitati.* Non insaniebat, & rugiebat ob perditam primogenituram, & tot alia consequentia illam bona, sed ob felicitatem, ac prosperam fortunam fratris per patris benedictionem obtentam. Audistis vnquam tantam in homine impertinentiam, quòd suum non deploret malum, perditam dignitatem, amissum officium, non doleat magis quàm fratris prosper itatem?

Primam hanc partem concludo N. N. & dico quod quisquis vestrûm inuidus, ac huius abominabilis monstri mancipium est, perditum se nullamque spem salutis habere sciat: nam tam lethali vulnere hic crudelissimus anguis ipsum vulnerauit, vt non nisi cer-

nüldus desperatus. tissimam æternæ condemnationis mortem sperare possit. Percipite quàm claris verbis hoc dicat sanctus Apostolus Ioannes capite quinto, epistolâ primâ: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccati non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* 1. Ioa. c. 5. Audistis quomodo sanctus Apostolus distinguat species peccatorum? vna est quæ animum quidem grauiter vulnerat, & vulnus eius mortale est. Prima species quodcunque peccatum est; Secunda, vt sanctus Augustinus opinatur, inuidiæ peccatum est. Vult ergo dicere sanctus Apostolus: Cùm Christianum aliquem in peccatum cecidisse deprehenderis, etiamsi grauissimum sit, orate pro eo, quia non morietur, si ad gratiæ redierit statum, & amicus Dei de nouo constituatur: sed quando videbitis animam Christiani ab hac ferissima bestia inuidia vulneratam ac læsam; ah dicit sanctus Apostolus, frustranea est omnis oratio atque intercessio, & nullius efficaciæ cœlestes sunt medicinæ. Et hic tam enormis, atque monstrosus effectus non trahit originem ex medico, ac si ad curandum insufficiens esset, sed ex peruersis, & iniquissimis dispositionibus, quas inuidia in anima causat. Audite sanctum Augustinum de sermone Domini in monte: *Peccatum ergo fratris ad mortem puto esse, cùm post gratiam Dei quisque oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo inuidentiæ facibus agitur.* S. August. de serm. Dom. in monte. Ergo N. N. longè de cordibus vestris ferissima hæc abigatur, & proscribatur bestia, & amore, & charitate fraternâ illa adimplete, & si quid boni fratri vestro deprehendatis contigisse, vt de proprio lætamini bono. Quiescamus.

PARS II.

Discursus noster hucusque pessima duo vitia, superbiam, ac inuidiam discripsit, earumque exhibuit, atque discooperuit monstrosos effectus; nunc

nunc ingratidinem aggrediemur, & breuiter videbimus, quantopere Deo benedicto displiceat, & quàm abominabile vitium sit. Nam videmus in hodierno Euangelio, quomodo Christus suos non exaudiat compatriotas, & petitam neget gratiam. Et meritò: nam post tot tantaque ipsis exhibita mirabilia, post tot præstitas gratias, inter quas præcipua est, quòd suâ educatione illorum voluerat honorare ciuitatem, nulla exhibent gratitudinis signa; sed, vt Euangelista attestatur, ingratissimi, & tot beneficiorum immemores; *duxerunt illum vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum.* Nunquid inaudita hæc ingratitudo est.

Ingratitudo quale vitium.

Sanctus Bernardus sermone centesimo vigesimo in Cantica, inquirit, num Deus alio modo perditum hominem, quàm tot doloribus in passione susceptis restaurare potuisset, & dicit, quòd sic: attamen facere noluit; & dat causam: *Potuit, sed maluit cum iniuria sua, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis reperiret in homine.* Plurimos alios modos diuina habebat Sapientia hominem saluandi, sed pœnosum medium, & crudelissimam mortem elegit, vt hominem, quem liberauerat, de æternæ perditionis morte, etiam de hoc pessimo ingratitudinis vitio liberum redderet, ac tueretur.

S. Bernar. serm. 120. in Cant.

Grauissimus quidam auctor, nomine Petrus Crinitus, asserere non dubitauit ingratitudinem seminarium omninum malorum, ac vitiorum esse, & ingratum semper aut cogitare, vel agere malum. Verba eius hæc sunt: *Ingratitudo est seminarium scelerum omnium, quia ingratus aut malè facit, aut malè cogitat.* Ideò, vt sanctus Bernardus, tantopere Deo displicet hoc vitium: *Nihil ita displicet Deo quantum ingratitudo.* Immò idem dicit infernalem quendam ardorem esse, qui diuinæ pietatis, misericordiæ fontes exsiccat, & ditissimum ærarium diuinarum gratiarum depauperat. *Ingratitudo est ventus vrens, siccansq; fontem pietatis, rorem misericordiæ, & fluenta gratiæ.* Ergo nomini mirum videatur, Christum Dominum miracula apud tam ingratos compatriotas patrare noluisse.

Petrus Crinitus.

S. Bernar. serm. 31.

Ingratitudo fons omnium vitiorum.

Mirabile quid vobis de turpissimo hoc dicam vitio. Videtur Deus omnia alia peccata per diuinam suam misericordiam supportare, & peccatorem ad pœnitentiam expectare, & quantum possibile est, cum pœna, & castigatione tardare, num fortè conuertatur: sed ingratitudinis vitium nullo modo ferre potest: ideò in supplicijs cumulandis, & accelerandis nullas habet moras. Occurrat rogo mentibus vestris ingratus ille Rex Ioas, cuius libro quarto Regum, capite vndecimo fit mentio: summam videbitis abominationem. Liberatus hic fuerat à morte, & occisione, Ioiadæ summi Sacerdotis diligentiâ, & curâ, cùm Hierosolymis ex reginæ Athaliæ iussu omnes filij, qui de regio descendebant sanguine, absque vlla pietate occiderentur; sic etiam enutritus, educatus, in bonis moribus instructus, & adhuc infans, ab ipso vnctus & creatus in Regem fuerat. *Septem annorum erat Ionas cùm regnare cœpisset.* Huius ergo Regis, dum disciplinæ summi Pontificis Ioiadæ subesset, & sub eius viueret obedientia, viæ erant optimæ, & ambulabat secundùm legem Domini: *Fecitq; Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioaida Sacerdos.* Tempore illo quo magnus hic Pontifex in vita erat, & ipsum instruebat, monita dans salutis sanctè & piè, vt Regem, qui Dei debebat præesse populo, decebat, vixit: sed simul ac ille bonus Pontifex in Domino obdormiuit, subitò mutauit vitam, de bono factus improbus, de sancto peruersus, & in suo iuuenili furore in plurima ce-

4. Reg. cap. 11.

Seuerè à Deo ac statim puniuntur.

cidit

cidit scelera. Nam varios, & publicos adorationis honores sibi tribui iussit, Dei templum varijs & execrabilibus gentium ritibus violauit, & mille idololatriæ peccatis diuinam offendit pietatem; & tamen non legimus à Deo aliquod ipsi immissum supplicium, & longâ, & inauditâ patientiâ scelestum eius toleratum viuendi modum; tandem Zachariam filium prædicti Sacerdotis Ioiadæ, à quo tot beneficia & totum quod habebat, & erat, acceperat, occidi iussit: & ecce vix patratum fuit homicidium, furor ac ira Domini in ipsum exarsit; *nam ascendit contra eum Syriæ exercitus, & interfecit omnes Principes populi, & serui sui occiderunt eum in lectulo suo.* Subitò ac ingratitudinis maculatur vitio, regnum perdidit, & miserrimè in proprio lecto à proprijs seruis occisus fuit. Nunc inquiro cur Dominus tantâ celeritate in hoc animaduertit homicidium? Fortè grauius erat hoc peccatum, omnibus alijs commissis? Minimè: nam plurima alia maiora, & execrabiliora commiserat scelera. Fortè quia homicidij erat peccatum, & innocentis sanguinis effusio? Nec hoc: nam alij Reges, & principes equidem homicidia commiserunt, & innocentium effuderunt sanguinem; vt Dauid Vriæ fidelissimi famuli; & tamen Deus ipsos ad pœnitentiam expectauit, & non fecit mori in peccatis suis. Ipsamet sacra Scriptura assignat causam, vt sensus litteralis secum fert. *Non est recordatus Rex misericordiæ, quam fecerat Ioiadas pater illius secum, sed interfecit filium eius.* Ingratitudinis peccatum causa, & origo fuit tanti supplicij: nam cùm Deo constarent beneficia à patre Zachariæ, qui Ioiades fuerat, Regi exhibita, à quo vita eius saluata, & ipse operâ eius in regem creatus fuerat, & tantam in eo videret ingratitudinem; supplicium mortis & æternæ damnationis vlteriùs differre non potuit, sed subitò castigauit, & in ingratum Regem mortis animaduertit sententiâ. Videtis quàm abominabile hoc vitium Dei oculis sit monstrum; cùm minimè illud sufferre possit.

[4.]Reg. [ca]p.12.

Quo ergo supplicio digni sint ingrati, Salomon particulari diuino instinctu assignauit. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.* Merentur omne malum ingrati, & ne vnquam domui ipsorum miseria, afflictio, & tribulatio aliqua desit, digni sunt condignâ ingratitudinis pœnâ. Cauete ergo vobis ab hoc pessimo vitio, & cum in anima vestra à Deo fauorem, aut, gratiam aliquam recepisse deprehenderitis, subitò vos gratos exhibere non negligatis; neque vt filij mundi huius agunt, feceritis; qui Dei non tantùm non recordantur beneficiorum, sed bona à Deo accepta malis plurimis rependunt. Audite quomodo Deus de his apud Oseam Prophetam lamentatur. *Argentum multiplicaui eis, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Vult dicere Dominus: Aurum, & argentum dedi populo meo, vt eius subuenirem necessitatibus, & superfluum meo tribueret illi honori; at verò ingratus ex his statuam Baal fabricauit, & contra meum honorem in templo eam statuens, vt Deum suum adorauit. Quid agitis diuites, qui à Deo tot tantaque habetis bona, & tantis thesauris estis ditati? cùm pauperibus non elargimini eleëmosynas, nec ipsorum subuenitis necessitatibus? sed adhuc varijs vsuris exsugitis ipsos? Dicam vobis: *Fecerunt Baal*: thesauros ad Dei offensam, & vestram perditionem congregatis. Ergo non mirum vobis videatur, cùm S. Ioannem Chrys. audieritis dicentem, infinita mala, ac supplica talibus superesse, & quòd tantò grauius à Deo punientur, quantò plura ac maiora fuere beneficia, si his malè vsi sint. Percipere lubeat verba eius homiliâ trigesimâ octauâ in Matth.

Prou.17.

Ingratus meretur omne malum. *Osee.c.2.*

Quid ingratus præstet Deo pro beneficijs.

Quantò

S. Chryso. hom. 38. in Matth. *Quantò maiora beneficia hominibus sunt constituta, tantò maiora peccantibus iudicia.*

Et Sanctus Ephrem Syrus hominum ingratitudinem considerando, qui tot tantaque malis rependunt, exclamat sequentibus verbis: *Quousq; tandem* S. Ephrem Paren. 43. *exacerbamus eum, qui nobis tanta bona donauit?* Vult dicere: Quando tandem aliquando finem tot tantisque imponemus sceleribus, & Deum, qui tot tantaque nobis exhibet beneficia, offendere, & ad castigandum nos irritare, & incitare, nostrâ ingratitudine, desistemus. Sed quæ hæc sunt beneficia? *Qui puluerem è terra capiens formauit hominem, & inspirauit in eum spiritum vitæ, qui cuncta subiecit sub pedibus eius.* De terra nos formauit, qui nihil eramus, & vitâ, & quidem æternâ, quâ nihil pretiosius sub sole, donauit, & vltra hanc præstitam gratiam reges ac dominos vniuersi fecit, & omnia pedibus nostris subiecit. Et quid aliud nobis fecit? *Qui etiam Filium suum vnigenitum, pro omnium vita tradidit*; & quidem ad nostram salutem in mortem crucis. Et nos quomodo tot tantisque beneficijs correspondemus? quas gratiarum actiones, aut quæ bona illi rependimus? Audite quid addat: *Nos autem pro beneficijs eius spinas, & tribulos offerimus.* Id est, nos ingrati vt sterilissima terra, cui tritici semen inijcitur, spinas, & tribulos variorum criminum producimus, & his tam benignum Dominum, ac liberalem benefactorem offendimus. O abominabilem hominum ingratitudinem! dignam certè non vno, sed mille infernis.

Iam ad finem discursus mei perueni, vnum tantùm adijcio; *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic.* Volo dicere: Peccator quanta fecisti vt tale, & tale possis patrare crimen, fac etiam tanta pro cælesti obtinenda patria. *Capharnaum*, vt S. Hieronymus hîc interpretatur, idem est ac *ager pœnitentiæ.* Quis ille ager est, si non peccatum? quod vbi à peccatore committitur, statim in animâ excitat fastidium, causat dolorem, & displicentiam. Horsum peccator, vt tuum impleres desiderium, quid non fecisti? vt tuis satisfaceres cupiditatibus, quos non passus es labores & sudores? O vindicatiue! quibus incommoditatibus, quibus inclementijs cæli, & quibus periculis tuam non exposuisti vitam, vt te vindicare posses? Quot itinera fecisti auare! quot maria transmeâsti, quot latronum pericula pertransisti, quot noctes insomnes duxisti, vt pusillo auro tuos valeres oblectare oculos? *Ambulauimus vias difficiles*, (dixerunt similes vobis Sapientiæ capite secundo) *lassati sumus in via iniquitatis.* Si ergo tot fecisti ad Deum offendendum, fac & tanta ad eum tibi reconciliandum: si tam validè laborasti, vt inferni possideres hæreditatem; vt ius æternæ gloriæ adipiscaris, pro paradiso acquirendo labora, vt Deum in æternum videre merearis: fatigari ne dubites, vt in hac vita gratiam, & in alia æternam recipias quietem. Amen.

DISCVRSVS XVIII.

PRO DIE MARTIS POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Primâ parte, puncto primo necessitas præcepti de corrigendo proximo demonstratur. Secundo puncto tres conditiones, vt bene fiat correctio, exhibentur. Secundâ parte duo alij modi proximum corrigendi examinantur, quorum primus diuinus, secundus diabolicus dicitur.

Thema.

Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, Matth. cap. 18.

Herod. lib. 1. Miraculum naturæ in Crœsi filio.



Erodotus libro primo suarum historiarum factum prodigiosum filij Crœsi Regis Lydiæ enarrat. Qui cùm iuuenis esset, & in pugna quadam suo assisteret patri, & aduersâ sic iubente fortunâ simul cum patre ab inimicis caperetur, & ambo ligati abducerentur, contigit vt gregarius quidam miles vibrato gladio Regi patri mortem intentaret. Quod patris periculum cùm filius cerneret, crudeli illo facto, & erga patrem pietate motus, parenti succurrere conatur. Sed cùm captiuus iam erat, patrem liberare non poterat, & naturâ cùm mutus esset, crudelem hanc internecionem impedire non valuit. Quid fit? Inauditum contigit factum; præualuit dolor atque filialis pietas, & tantæ in filio fuit efficaciæ, vt subitò linguæ rumperentur ligamina, & loqueiæ organa suum recuperarent actum quem natura ipsis abstulerat, & filius stupore omnium, clamore valido sequentia proferret verba: *Caue ne Regem occidas.* ac si diceret: Quid agis impie, & scelerate miles? non vides quòd hic, quem occidere conaris, Crœsus pater meus Rex Lydiæ sit? non cognoscis ipsum? desiste ab impijssimo actu: indecorum enim est, gregarij militis manus, Regis madere sanguine. Quæ inexpectata verba muti filij tantæ efficaciæ in militis fuêre animo, vt timore perterritus, ab impio desisteret homicidio, & inimici furorem in amici conuerteret beneuolentiam; vt Herodotus attestatur: *Susceptum homicidium timore perterritus non perfecit.* Vtilissimum consilium, hoc factum exhibet, & porrigit omnibus Christi fidelibus, & docet, mutos non esse, cùm peruersum peccatorem insanire, & velocissimis passibus ad peccatum patrandum currere deprehendimus, vt Christum Regem patrem nostrum occidat. Quod fit & perficitur, cùm Christi electa anima crimine aliquo se maculat, & Christi gratiam in sua delet anima, vt Sanctus Apostolus Paulus ad Hebræos capite sexto clarissimis docet verbis: *Iterum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei.* Cùm ergo in proximo nostro portentosum tale quid deprehendimus, linguæ

linguæ nobis rumpenda sunt ligamina, & ad instar Regis illius filij clamandum nobis est: *Caue ne Regem Regum occidas.* Id est, retrocede peccator; num animaduertis dum scelus committis, & tuam animam peccatis, ac criminibus inquinas, aliud te non agere, quàm Christum Altissimi filium, quantum in tua potestate est, iterum occidere, & crucifigere. *Iterum crucifigentes sibimetipsis filium Dei.* Consilium hoc non solùm vtilissimum, verùm etiam tam necessarium Christiano est, vt in hodierno Euangelio ipsiusmet Veritatis ore salutis daretur præceptum: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Ac si diceret: Si fratrem tuum determinatum deprehenderis contra meam bonitatem impias suas manus velle extendere, authoritatem tibi do inclamandi, & corripiendi illum; nam præter charitatis actum, quem exercere poteris, cumulum lucraberis gratiarum. Ergo N. N. ad discursum de fraterna correctione audiendum corda vestra disponite. Primo puncto vobis demonstrabo obligationem, quam quisque nostrûm habet suum corripiendi proximum: secundo puncto conditiones exhibebo, quas fraterna correctio, vt fructuosa sit, requirit. Secundâ parte tertio puncto, de alijs duabus discurram correctionibus: quarum vna ad animarum seruit consolationem, altera ad cauendum à peccatis vtilis erit.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum. Matth. c. 18.

DVobus modis fraternæ correctionis actus à Theologis cum Angelico Doctore consideratur. Primò, vt iustitiæ actus; & hoc superiores erga subditos, parentes erga filios, patres-familiàs erga suos domesticos obligantur. Secundò, vt actus charitatis; & vt talis, quemcunque constringit Christianum, nullum omnino excludens. Sic sanctus Thomas secundâ secundæ quæstione trigesimâ quintâ articulo secundo, & Caietanus ibidem. Et hæc communis opinio cum Sancto Thoma Scholasticorum est, vt Canone, *Si peccauerit in te frater tuus.* secunda quæst. I. habetur, cùm apud Ecclesiasticum capite decimo septimo scriptum est: *Et mandauit illis, vnicuique de proximo suo.* & ipsamet Veritas Christus benedictus in currente Euangelio expressis id præcipiat verbis: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum.* Hoc sufficit quod frater tuus sit, vt ad correctionem hanc faciendam obligeris; sed ita vt cum fundamento emendationis fructus ex fratre tuo sperari possit. Modernus quidam auctor nomine Paez in Epistolam Iacobi pulcherrimam proposito nostro seruientem adducit similitudinem. Contingit nonnunquam in magno, & antiquo aliquo palatio, aut casu & iniuriâ domesticorum vel malitiâ inimici hominis ignem accendi, & flante vento in tantum exardescere, vt iam trabes, & colligamina tectorum, ac domus accendantur, & cùm dispositam materiam reperiat ignis, mirabili velocitate per omnes partes se extendat, & omnimodam palatij intendat conturbationem; vicinus vel amicus cùm incendij animaduertit periculum, licèt obscura, & tempestuosa nox sit, minimè se continere potest, quin de lecto surgat, & aquarum impetu inimici elementi superbos conetur reprimere motus, & cùm suas vires insufficientes reperit, inclamat, ac inuocat vicinos, vt & ipsi inimico resistant; & si hi insuffi-

S. Thom. 2. 2. q. 35. art. 2.

Can. Si pec. 2. q. 1.

Ecclef. 17.

Tripliciter considerari potest fraterna correctio.

Mat. c. 18

Paez in Epist. Iacob.

Pulchra similitudo de fraterna correctione.

inſufficientes ſunt, curritur per platEas, & clamore valido ciues omnes inhabitantes vrbem excitantur, & ad ignis extinctionem animantur, clamando validâ voce palatium tale tali igne abſumi. Cùm autem & hi ſuâ diligentiâ cùm aduenerint, igni reſiſtere non valent, & iam de ſaluatione palatij deſperati recedunt, complicatis manibus miſerabilem conſumptionem palatij intuentur, ac contemplantur; interim ſuperbi cadunt muri, inauratæ incinerantur cameræ, & pretioſa ſupellex in cineres conuertitur.

Sic N. N. nobis cum proximo noſtro agendum eſt, cùm aut humanæ fragilitatis, aut diabolicæ fraudis peccati flammis immergitur, & in euidentiſſimo vitæ periculo, æternæ damnationis verſatur, nos, qui id videmus, & animaduertimus, fraternæ correctionis aquâ ſuccurrere debemus; & ſi deprehenderis illam ad ignem hunc extinguendum minimè valere, vocandi ſunt teſtes, & in ipſorum præſentia hæc inijcienda eſt aqua, & maiori abundantiâ igni reſiſtendum eſt: & ſi ſic nil effeceris, Eccleſiæ denuntiandus eſt; vt ipſa, vt prudentiſſima mater, ſufficientiſſimis ſuccurrat remedijs: ſi autem huius admonitionis aquâ peccati ignis extingui non poteſt; ſed in ſua determinatione pergat, tum quiſquis vt ab Ethnico perfido, excommunicato, & iam perdito diſcedere, & fugere, & miſerrimum, miſerrimo peccatoris igne hîc, & in alia vita æternis condamnationis flammis abſumendum derelinquere debet. Sic Chriſtus, ac redemptor noſter in hodierno Euangelio nos docet: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

Sed vt hac correctionis vtatis auctoritate, non ex quacunque flante aura monere debes, ſed certa tibi criminis debet eſſe notitia. Sic docet Sanctus Auguſtinus: *Vade corrige eum, id eſt te ſciente, te conſcio.* Ergo non obligaris ad fratris tui criminum, & defectuum inueſtigationem, vt correctionis adhibeas remedium. Et ne in hoc præcepto quis anxietur, aut cor eius ſcrupulo aliquo moleſtetur, audite quid dicat Sanctus Auguſtinus: *Non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas.* Vult dicere: nullâ obligatione teneris fratris tui inueſtigare crimina, ſed cum quid videris, aut deprehenderis, tum ad procurandum obligaris, vt emendetur. Deuteronomij capite vigeſimo nono prohibet diuina Maieſtas Hebræis, cùm à proximo pignus repetunt, domus introitum: *Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingrediaris domum eius, vt pignus auferas: ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit.* Sic Rupertus Abbas ait in caput vigeſimum quartum Deuteronomij Chriſtiano correctori faciendum eſt; à quo aliorum acta nullâ curioſâ inquiſitione indaganda ſunt; ſed foris ſtare debet, & ſuas examinare miſerias. Verba eius hæc ſunt: *Domum proximi ingreditur vt pignus auferat, qui curioſus nimirum, & ſuſpicioſus vitam eius perſcrutatur; vt accuſationem aduerſus illum inueniat. Non ergo ingrediaris domum non curioſè agas, vt publicè arguere, vel reprehendere poſſis, quæ fortè ſecretò commiſſa ſunt.*

Non loquor hîc de patribus familiæ ac ſuperioribus congregationum; quorum obligatio eſt, per ſuas circumire domos, & ſummâ diligentiâ viſitare, & inquirere, ſi quid dignum reprehenſione in illis lateat, vt Dauid Rex facere ſolitus erat; vnde dixit Pſalmo centeſimo, *Perambulabam in*

S. Auguſt. ſerm. de verb. D.

Deut. c. 29.

Rup. Abb. in c. 24. Deut.

Pſal 100.

innocentia cordis mei in medio domus meæ. Verbum hoc *perambulabam*, secundùm Incogniti opinionem in hunc locum summam denotat solicitudinem, & centum oculos, quibus Dauid non recta in sua inquirebat domo, qui non semel, vel bis, sed continuò inter suos deambulabat domesticos, si fortè ad corrigendum quid deprehenderet.

Ergo omnes, nullâ exceptione admissâ, obligationis vinculis huius correctionis præcepti alligamur, superiores, inferiores, subditi, socij, æquales, noti, amici, familiares, inimici. Inde meritò verus ille dicitur amicus, & vt talis à nobis habendus est, qui dum peccamus modis, & formis obseruatis, ac requisitis, correctionis adhibet medicinam. Huius opinionis sapientissimus erat Plato: qui cùm à Spartano quodam ciue interrogaretur, in quo verus possit recognosci amicus; respondit: *Si quid peccauero, admonueris.* Id est, sanè meus eris amicus, si quid honori meo minus conueniens egero, & tu correctionis adhibueris remedium. Et eloquentissimus Cicero apud Sanctum Augustinum de ciuitate Dei capite vigesimo septimo in eodem loquitur sensu: *Non solùm arguendi sunt amici, sed si opus fuerit, obiurgandi.* Suauiter debet reprehendi, & corrigi amicus, & si opus erit, duris aggrediendus erit verbis.

Plato in Thimao.

PVNCTVM SECVNDVM.

VT autem hæc fraterna correctio fructuosa medicina, & non exasperatio fratris tui vulnerum sit, debet habere tres conditiones. Prima est innocentia vitæ tuæ: Secunda secretum: Tertia amor, & charitas. Ergo prima conditio est innocentia vitæ tuæ. Id est, si fratrem tuum, cùm ceciderit, per correctionis brachium erigere velis, ipsemet ab hoc casu liber sis, & crimen quod in eo emendare intendis, minimè apud te locum aut diuersorium habeat. Sic Sanctus Augustinus sermone decimo sexto de verbis Domini: *Saltem eâ labe non infectus, de qua corrigere debet fratrem suum.* aliàs audiret illud Lucæ quarto, *Medice cura teipsum.* Sed efficacissima ex hac parte erit admonitio, si nullo notetur defectu, & in omnibus irreprehensibilis sit.

Prima conditio correctionis, Innocentia.

S. August. serm. 16. de verbis Dom.

Ad hoc nostrum propositum periucundum dubium a Sancto Theodoreto apud Lipomanum in caput quartum Genesis nobis proponitur. Quænam est ratio (dicit Sanctus) cur Deus, cùm Cain fratricidij commisisset crimen, iudicium, & correctionem Adamo vt patri, cui conueniebat suum corrigere filium, non demandarit, sed ipsemet voluerit hanc subire prouinciam? Respondet Theodoretus, non fuisse conueniens vt Adamus in filio corrigeret fratris mortem, qui paulò antè omnium hominum, quotquot nascituri erant in hoc mundo, occisione, ac morte se fœdauerat, dum per inobedientiam suam diuinum fuerat transgressus præceptum: nam correctio fieri debet ab homine, qui innocentiâ vitæ dotatus est, & à crimine, quod in alio corrigere intendit, immunis est: Ideo Deus hanc Adamo negauit, & sibi faciendam reseruauit. Quomodo ergo patres filios, matres filias corrigere, & admonere possunt, cùm à recto recedunt tramite, qui vsque ad aures in vitiorum iacent cœno?

S. Theod. apud Lipom. in 4. Gen.

Legite Sancti Ioannis caput octauum, & reperietis astutissimum Pharisæorum, & Scribarum factum. Dum Christus erat in templo, ascendunt ad eum, secum fœminâ in adulterio deprehensam ducentes, & ficto accusant zelo: *Magister, hac mulier modò deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit huiusmodi lapidare.* ac si dicerent: Magister hanc mulierem nunc in ipsomet adulterij deprehendimus actu, & Moysis lex iubet,

Ioan. 8. 4

bet, vt talis mulier lapidetur; ideo illam tibi adduximus, tuum supra hunc actum audire cupientes iudicium, & sententiam. *Tu ergo quid dicis?* Benedictus Christus, qui pietas summa est, videns fictum horum Pharisæorum, atque Scribarum zelum, & pietate erga mulierem motus, inspexit illos, & mox ad terram versus se inclinans scribebat proprio digito, & illa quæ scribebat, vt Glossa interlinealis hîc attestatur, erant peccata, ac crimina, quibus hi Scribæ & Pharisæi, qui mulierem adduxerant adulteram, obnoxij erant. Et cùm singulorum scripsisset vitia, & singulis singula exhibuisset legenda, conuersus ipsos sequentibus alloquitur verbis: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Et ecce cum suum quisque vitium, atque crimen in terra scriptum legisset, vnus post alterum templo exijt, & solam adulteram cum Christo reliquerunt, & nullus ipsorum tam audax erat, qui accepto lapide illam offenderet, licèt Moysis ipsis hoc iniungeret Lex. *Audientes autem hæc, vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus, & remansit Iesus solus, & mulier in medio stans.* Qui procedendi modus Christi, vt Sanctus Gregorius Papa notat, fuit illis efficacissima concio, quâ instructi, & edocti fuerant, correctionem facere volentem, ab omni labe ac crimine immunem esse debere, & qui aliorum emendare voluerint defectus, priùs à proprijs debere esse liberos, & illos habere emendatos. Verba eius hæc sunt: *Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & sua relinquebant. Reuocantur itaque intus ad conscientiam, vt prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant.* Et tandem concludit dicens: *Qui enim semetipsum prius non iudicat, quid in alieno rectum iudicet, ignorat.* Et meritò; nam si quis cæcus est, quomodo cæcum ducere præsumere potest? vel si mutus, quomodo mutum loqui docere valet? & qui in seipso

Glossa hîc.

S.Greg. lib.14. mor. c.13.

non prius corrigit vitia atque defectus, quomodo in proximo illa corrigere poterit?

Cùm Ezechiel Propheta, vt capite octauo eius Prophetiæ legimus, Dei intrare vellet templum & seniores, & primos Ierusalem intenderet corrigere, liber omnino erat ab illis abominationibus quas in ipsis emendare cupiebat. Sic ille qui fraternæ correctionis emplastrum proximi vulneribus vult applicare sanus, & illæsus esse debet, nec peccatorum maculis, quibus ipsi infecti sunt, notetur. Sic sanctus Gregorius asserit: *Necesse est, vt esse munda studeat manus, quæ diluere aliorum sordes curat, ne tacta quæque interiùs inquinet.* ac si dicere vellet: Manus illa, quæ aliorum vult lauare corpora, debet priùs lauari, & munda esse à sordibus, ne quam mundare conatur, potiùs sordibus impleat; sic qui aliorum vult emendare crimina, atque defectus corrigere, omninò liber, & immunis ab illis esse debet, ne peiora in proximo causat mala.

Ezech. c 8.

S.Greg. Regist. lib. 1.c.24.

Forcipes, vel emunctoria ad lucernarum aurearum myxos decerpendos in templo Dei, vt secundo Paralipomenon capite quarto legimus, ex auro purissimo iusserat fieri Deus. Sic dicit Dionysius Carthusianus omnis ille qui fratrem suum corrigere, & in aliquo emendare desiderat, ab omni crimine purissimus, & summâ innocentiâ vitæ dotatus esse debet. Canticorum quarto legimus sponsi labia, myrrham primam, & perfectissimam distillantia, liliorum puritate prædita fuisse. *Labia tua sicut lilia stillantia myrrham primam.* Doctissimus Philo Carthasiensis Episcopus labia hæc, & myrrham hanc considerans, per myrrham, cuius natura à putredine defendit, fraternam intelligit correctionem, quæ contra peccatorum putredinem admirabiles habet virtutes: sed labia illa, per quæ transit, & à quibus distil-

2.Paralip. cap.4.

Cant. 4.

 lat,

lat, velut lilia alba, & munda esse debent: id est, summâ vitæ innocentiâ prædita, & nequaquam maculâ aliquâ infecta.

Aliorum carpere vitia, & fraternæ correctionis auctoritate pro libertate, & placito vti posse, illorum tantùm est, qui vitæ innocentiâ condecorantur, & officium horum tantum est, qui in nullo notantur crimine. Ideò sanctus Ioannes Baptista, vt apud sanctum Marcum cap. 6. legimus, qui summâ vitæ innocentiâ lucebat, tantâ libertate, ac auctoritate Regem Herodem, qui fratri suo vt vxorem abstulerat, & publico incestu totum scandalizabat populum, corrigebat, dicens: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, ac si diceret: Non vides in quali statu verseris? & quod licèt Rex sis, hac tamen personâ, quâ frater tuus vsus est, & quæ eius est vxor, absque grauissimo peccato, & summo scandalo tibi vti non licet. Vnde meritò ad propositum nostrum sanctus Augustinus sequentia dixit verba: *Cogitemus vtrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, vel quo iam caremus.* Ergo priùs quisquis ille sit, dum proximum suum corrigere intendit, suum intret animum, & vt Dauid suam perambulabat domum in innocentia vitæ suæ, sic ipse animi sui pertranseat potentias, & videat, ac inquirat, num reprehensione dignum quid ijs inhæreat; si mundum se deprehenderit, liberè, & cum omni auctoritate fratrem corrigere, & emendare audeat.

Marc. 6.

S. Aug. lib. 2. de serm. Dom. in monte c. 20.

Perfectionem hanc vitæ Dauid propheta in suo desiderabat admonitore Psalmo centesimo quadragesimo. *Corripiet me iustus in misericordia.* Quem locum sanctus Hieronymus explicans, sic scribit: *Feriat me, vulneret, excruciet me, occidat me iustus.* Volebat dicere Regius vates: Amo admonitionem, atque correctionem dum pecco, ac malè ago; sed hanc mihi fieri ab illo volo, qui similis mihi est, & non eodem, vel alijs maioribus maculatus est criminibus, sed bene ab homine iusto, qui vitâ ac morum innocentiâ præditus est. Nam sub sole nil efficacius reperiri poterit ad peccatorem etiam peruersissimum in salutis reducendum viam, quàm vitæ ac morum innocentia.

Psal. 140.
S. Hier. hîc.

Secunda conditio quam fraterna correctio, vt fructuosa si, habeat necesse est, Secretum est. Si ergo quis amicum corrigere intendat, non publicè, non in aliorum præsentia, sed in secreto faciat, & ita vt nec signum aliquod correctionis demonstret: *Inter te, & ipsum solum.*

Secunda conditio Secretum.

Factum illud Sancti Patriarchæ Iosephi Genesis capite quadragesimo quinto, sat omnibus perspicuum est; sed nescio an singularem illam actionem cum Philone Hebræo obseruaueritis. Venerunt fratres Sancti Patriarchæ in Ægyptum, vt à Iosepho frumenta coëmerent; nam valida tempore illo in partibus ipsorum increuerat fames. Qui cùm ad conspectum eius introducti essent, viscera illius fraterno correpta sunt amore, atque affectu, & vltra continere se non valuit, vt sacræ testantur litteræ. *Non poterat se vltrà cohibere.* Vnde ad reuelandum se fratrem ipsorum esse coactus fuit. Sed cùm plurimi tam Ægyptij, quàm aliæ gentes negotiorum causâ adessent, omnes exceptis fratribus foras ire iussit. *Præcepit vt egrederentur cuncti foras.* Et cùm solus esset cum fratribus suis, tam validâ, ac eleuata voce, vt etiam ab ijs, qui extra erant, Ægyptijs perciperetur, illos allocutus est, se fratrem ipsorum esse manifestans. *Eleuauit vocem suam, quam audierunt Ægyptij* Manifestatione hoc facta proprius illos se conuenire iubet, & demissâ alloquitur voce, & impium ipsorum

Philo in vita Ioseph.

Gen. c. 45.
Ita fecit Ioseph fratribus suis.

sorum factum exprobrans, illos corrigit, atque reprehendit, dicens: *Ego sum frater vester, quem vendidistis in Ægypto.* Factum audiuistis, difficultatem quoque percipere vobis lubeat. Foras iam fecerat exire omnes, tam Ægyptios, quàm alios, qui negotiorum causâ ipsum conuenerant, & solus remanserat: discursum suum tam validâ, & clarâ inceperat voce, vt etiam deforis ab Ægyptijs perciperetur. Postmodum cùm ad correctionis venit verba, propriùs accedere iubet & demissâ illam peragit voce, ne ab Ægyptum, & alijs aduenis negotiatoribus perciperetur. Cur talis mutatio in vno eodemque adhibetur discursu? Idem doctissimus Philo Hebræus respondet: Cùm Ioseph validâ, & altâ loqueretur voce, ita vt ab illis deforis stantibus percipi possent verba, erant ad gloriam, & honorem fratrum verba illa; nam publicabat se fratrem ipsorum esse, qui supremus Ægyptiorum post Regem erat Princeps; ideò minimè curabat, vt hæc ab alijs perciperentur; sed quando discursus ad venditionem suam Ismaëlitis factum se extenderet, & de illo admonere, corrigere, & emendare illos opus esset, demittens vocem, ne ab alijs perciperetur, illos alloquitur, & correctionis vtitur auctoritate. Verba Philonis hæc sunt: *Accedite ad me. Et cùm accessissent propè, ne vel fortuitò verba eius audire quispiam posset.* Quo facto sanctus hic Patriarcha instruere nos voluit, vt dum vulneribus fratrum correctionis emplastrum, & ligaturam applicare volumus, in secreto & magnâ circumspectione faciamus, ne alijs ipsorum manifestarentur defectus. *Inter te & ipsum solum.*

Gen, c.45.

Simile factum in nouo testamento apud S. Ioannem capite quarto ad nostrum reperietis propositum. Contigit benedictum Christum Samariam versus cùm suis discipulis iter instituere, & cùm ad locum quendam (Sichem) appellatum peruenisset, calore præualente vmbram perijt, & ad fontem Iacob dictum cum suis resedit discipulis. Et quia meridianum tempus erat, licentiâ acceptâ Apostoli ciuitatem petierunt vt cibos emerent pro prandio necessarios. *Discipuli abierunt in ciuitatem vt cibos emerent.* Hîc inquiro, cur CHRISTVS omnes discipulos à se dimiserit; nam duo vel quatuor sufficientissimi erant ad necessarios emendos & apportandos cibos. Mysterium latet, N. N. à grauissimo moderno Auctore Cornelio à Lapide in hunc locum penetratum & ponderatum. Præuidebat benedictus Christus aduentum cuiusdam mulieris Samaritanæ, quæ correctionis indigebat medicinâ & emendationis opus habebat remedio. Et quia benedictus Christus decreuerat illam de peccato concubinatûs, in quo viuebat, admonere & corrigere, discipulos abire fecit, vt inter ipsum & ipsam secretò hæc fieret correctio & admonitio, & defectus eius occulti alijs non reuelarentur. *Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir.* Nam si Apostolorum quis adfuisset, facilè correctionem percipere & mulieris defectus deprehendere potuisset, & sic peccatum, quod occultum erat, maximo damno huius mulieris publicum factum fuisset; ideò omnes abesse voluit, ut correctione factâ secretum maneret, quod emendaretur, & vt nos, cùm fratrem nostrum corrigere & in errore aliquo emendare prætendimus, secretò hoc faciendum esse sciremus; nam scriptum est: *Corripe eum inter te & ipsum solum.* Verba nunc prædicti Auctoris percipere vobis lubeat pulcherrima enim sunt: *Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Factum id est tacitâ Christi prouidentiâ, vt discipulis omnibus in vrbem dimissis solus ipse liberiùs cum muliere impudica, eius pudori consulens, ageret*

Ioan. c.4.

Corn à Lapide hîc.

geret, eiusq; impudicitiam detegeret, atque ad fidem & pudicitiam, illam conuerteret.

Tertia conditio, Charitas.

Tertia Conditio, vt dixi, amor atque charitas est, quæ amico, cui conuersio facienda, exhibenda est, & constare debet: nam si ex fonte amoris hanc aquam effluere deprehenderit, lubens illam admittit & potitat, & ignis peccati extinguetur in animo eius & cum fructu fiet correctio. Christus tibi, Christiane, fratrem corripere præcipit, dicens: *Corripe eum.* S. Isidor. in lib. Etymolog. verbo *Correctio*, considerat atque explicat hæc verba Christi scribens. *Quasi cor rape.* Cor aque animus, dum corrigis fratrem tuum, ante omnia lucranda sunt. Sic sanctus Apostolus Paulus ad Galatas nos capite sexto docet: *Instruite in spiritu lenitatis.* id est, Dulcibus & affabilibus verbis proximo correctio facienda est, & suauissimo modo ac possibile est, corrigendus & admonendus est. Sic doctissimus Cardinalis Caietanus docet in hunc locum: *Ad differentiam eorum, qui impetuosè sæuiunt in delinquentes.* Et Cassiodorus sequentia habet verba: *Vir enim sanctus non ita corripit, sed per dilectionem increpator accedit.* Id etiam sanctus Leo Papa intendebat in suis Epistolis scriben: *Plus erga corrigendum agat beneuolentia, quàm seueritas: plus cohortatio, quàm monitio: plus charitas, quàm potestas.* Id est, cùm proximum corrigere intendis, præ omnibus amore ardere debes in eum qui corrigendus est, & nulla adhibenda est seueritas. Magis rogando quàm imperando; plus suadendo & suauibus rationibus conuincendo, quam opprobrijs obiurgando hic actus exercendus est. Et sanctus Gregorius Nazianzenus ad idem propositum Oratione de Moderatione in disput. dicit: *Hanc tene rationem, vt partim laudes amicum, & partim illum corrigas, idq; leniter, & humanè.* Id est, dum benè dicit & rem tangit, lauda: dum errat, corripe; sed suauiter ac modestè. Et S.

S. Isid. lib. Etym. ver. Correctio.

Cajet. hic.

Cassiod. in Psal. 140.

S. Leo in Epist.

S. Gregor. Nazianz. Oratio de Moder. in disp.

Dorotheus serm. 17. docet humanæ efficaciæ ac vtilitatis esse correctionem, dum ex amore & bona voluntate procedit. Sic sanctus Apostolus Paulus, cùm Galatas corriperet, egit, vt in Epistola illius ad ipsos legimus capite tertio, vbi illos insensatos vocat: *O insensati Galatæ.* Aspera satis atque mordacia hæc verba sunt, sed attendite, quomodo statim asperùm hunc loquendi modum lenire conetur. *Quis vos fascinauit non obedire veritati?* Primis verbis insensatos ipsos vocans illorum stultitiæ ac imprudentiæ dederat culpam; nunc excusando illos dicit, tam suâ quàm alienâ errasse culpâ, & inuidiâ aliorum magis quàm suâ malitiâ ad hanc inobedientiam inductos fuisse.

S. Doroth. serm. 17.

Simili modo Apostolorum Princeps Petrus cùm Hebræos arguere vellet processit; qui suauissimis ac dulcissimis vsus est verbis, dum Christi Redemptoris mortem ipsis exprobrare vellet, & super hanc ad pœnitentiam agendam inducere intenderet. Qui modus efficacissimus fuit; nam plurimos eorum ad pœnitentiam & veram induxit fidem. *Auctorem verò vitæ interfecistis:* Ecce habetis facinoris exprobrationem. *Et nunc fratres, quia per ignorantiam fecistis:* Ecce excusationem in spiritu lenitatis amoris. Dulcissimo illos fratris nomine appellat, & amoris signis incipit correctionem, & insuper illos excusat, & ignorantiæ illorum assignat culpam. Et quid inde factum est? Tria millia hominum ad pœnitentiam & fidem conuersi sunt. *His auditis compuncti sunt corde.* S. Ioannes Chrysost Homil. 7. in Actus Apost. considerans hunc actum, dicit: *Vides quantum bonum sit mansuetudo? ipsa pectora vestra magis quàm vehemens austeritas exstimulat, & plagâ ferit majore.* Et tandem concludit dicens: *Atque ita si volueris quempiam, si iniustè egit, corripere, magnâ cum mansuetudine illum alloquere.*

Act. Apost. c. 2.

S. Chrys. homil. 7. in Act. Apost.

Quid multa? absque amore & affabilitate

bilitate infructuosa est omnis correctio. *Corripe* (id est) *Cor rape*. Plus supplicationis quàm reprehensionis habere debet correctio, & si aliquando amaris verbis fieri debet correctio, volo dicere: Sic dextrè amaritudo misceatur dulcedini, vt nec dulcedo sola, nec amaritudo sola, sed quid tertium amabile sentiatur. Talis sponsæ prudentia erat, in cuius laudem sponsus Cantic. 4. sequentia protulit verba: *Fauus distillans labia tua*; & quòd sub lingua eius lac & mel absconditum erat. *Mel & lac sub lingua tua*. Mirabilis hic certè dicendi aut laudandi modus. Sponsus dicit, labia sponsæ favum mellis esse, & de illis mel fluere, & statim subiungit dicens, mel sub lingua eius absconditum esse. Si lactis absconditi solùm mentionem fecisset, benè dictũ fuisset; sed dicere mel de labijs eius fluere & tamen absconditum esse sub lingua eius, clara contradictio videtur, sed non est, imò summâ cum laude de sponsa diuinus loquitur Sponsus: nam labia sponsæ dum à Christo sponso laudabantur (vt S. Gregorius Papa lib 15. Moral. cap 5. animaduertit) in actu correctionis à sponso considerabantur, ac si dicere voluisset: Debetis scire sponsam meam tam dextrè correctionis officium administrare, vt amaritudinem animadversionis seu reprehensionis cum dulcedine excusationis taliter misceat vt nec amaritudo sola, nec dulcedo sola sentiatur, & sic in labijs dulcedo excusationis quidem est; ita tamen sub lingua abscondita est, vt non cognoscatur. Verba Sancti hæc sunt: *Qui enim mentis suæ dulcedinem aperire nolũt, sed loquentes quadam eos asperitate feriunt, & tamen inter verba aspera quasi latẽter quiddã dulcedinis intermittunt, hi videlicet non in lingua habent dulcedinẽ, quia inter dura quæ proferũt, emittunt quædam blanda & dulcia, quibus cõtristati mens poßit ex benignitat refoueri.*

S. Greg. lib. 15. moral. c. 5.

Seneca lib. 3. de ira cap. 39. ad propositum nostrum periucundum narrat factum prudentissimi cuiusdam chirurgi, qui cum ferro apostema Regis filiæ aperire deberet, spõgiâ illud cooperiens vlcus molliter illâ fricabat, & dum sic leniter fricando consolationem Regis filiæ adferret, & illa nullius scissionis suspicione laboraret, dextrè & ex inspe ratò ferrum intrusit, apostema aperuit, & sanavit filiam Regis. *Repugnaſſe puella remedio palam admoto: eadem quia non expectavit, dolorẽ tulit.* Aptissima lingua ad correctionis actum exercendum illa est, quæ amaram correctionis pilulam verborum dulcedine ac splendore cooperire novit, ita vt prius mel præcedat, deinde fel; prius spongia, vt Chirurgus leniter fricet, postea doloroso scindat ferro, & apostema aperiat.

Aptum factum Chirurgi.

Seneca. lib. 3. de ira. cap. 39.

Tali modo vsus est Nathan propheta, qui dum Davidem curare & adulterij atque homicidij apostema aperire venerat, sub spongia scissionis ferrum abscondit, & cooperuit, quantum valuit, & suavibus verbis vlcus fricavit, vt S. Ioannes Chrysostomus in Psalm. 50. animadvertit. Infirmus erat David, & duplici gravissimo ac letali apostemate laborabat; nam simul & semel in adulterij & homicidij ceciderat crimen. *Adulterio enim homicidiũ copulavit peßima plaga.* Et ecce mittitur prudens & dexterrimus Chirurgus Nathan propheta à Domino: *Misit ergo Dominus Nathan ad David.* Et certè admiratione digna est dexteritas atque prudenti hujus divinitus missi Chirurgi, quomodo sub parabola peregrini hominis & oviculæ, correctionis absconderit ferrum, & summâ dexteritate cùm tempus aptum videretur, in apostema intruserit, aperuerit, & sanaverit, dicens: *Tu es ille vir.* Audiamus Sanctum: *O sapientia Medici! intravit portans gladium, vt secaret vulnus, sed infirmanti non ostendit, ne abhorreret medicinam: abscondit ferrum non sub vestimento, sed sub velamine* narra-

S. Chrys. in Psal. 50.

narrationes; cùm enim oportuit, occultavit narrationem; cum verò tempus invenit, statim percussit, & abscidit sine grandi plaga vulnus, dicēs: Tu es ille vir, qui fecisti hanc rem. Et ecce apertū fuit apostema, sanies & putredo homicidij ac adulterij effluxit, & cùm cognovisset vulnus peccati, sanatus est, *& culpā simpliciter confitetur & dicit: Peccavi Domino.* Et tandē putredinem illam, quæ exiverat de vulnere Regio, ostēdit vati, vulnusq́ue sanatum exhibet. *Correctio facta est, vulnus apparuit, & sanitas redit.* O quis hominum similem vidit artem? quis talem dexteritatem in curando tam periculoso apostemate vnquam deprehendit.

S. Iacob. cap. 1. Hinc S. Apostolus Iacobus in sua Catholica Epistola cap. 1. ad rem loquitur: *Propter quod in mansuetudine suscipite insitum verbum.* Duo bono hortulano, dum inserit, necessaria, & sine quibus nil boni efficeret, curæ esse debent. Primum est, vt ferrum aptum ad scindendū & aperiendum stipitem arboris procuret; secundum, vt temporis curam habeat, ne tempore importuno & minus apto peragatur opus: nam non quodcunq; tempus ad hoc aptum & opportunum est, ideò qui felix in hoc opere hortulanus esse desiderat, & anni tempora & stellarū cursus, singulariter autem mutationem lunæ præ oculis habeat; quæ dum plena est, minus aptum est tempus, cùm nimio humore arbores impletæ sint. Cùm autem nova est, optimum & opportunissimum tempus est; nam superfluo caret humore arbor; sic qui correctionem facere, & emendationis ferrum adhibere intendit, præ omnibus temporis curam habere debet, ne dum luna plena est, fiat insectio, id est, cùm passiones in suo furore æstuant, minimè fieri debet correctio & admonitio, sed lunâ novâ aut deficiente, cùm pauci humores insunt arbori, id est, cùm passiones sedatæ sunt. Sic prudentissimam Abigail egisse legimus primo Regum capite vigesimo quinto, quæ non vino potum & oppressum maritum commissi admonuit erroris & defectus cum Rege David, sed sobrium aggressa est, & vino digesto ferrum admonitionis adhibuit, & errorem commissum correxit. Verba scripturæ hæc sunt: *Erat enim ebrius, & non indicavit ei verbum pusillum aut grāde vsq; mane. Diluculo autem cùm digessisset vinū Nabal, indicavit ei vxor sua verba hæc, & emortuū est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.* Tempore opportuno, deficiente in capite Nabal vino, illum aggressa est prudentissima Abigail, & errorē, quem cum David commiserat, aperuit, & correctionis ferro scissionē fecit. Quid inde secutum est? *Emortuum est cor eius,* & tantâ confusione obrutus fuit, vt nec verbū proferre posset, *sed factus est quasi lapis.* Defensionis enim verba, quibus tantus error cum David commissus excusari posset, reperire non poterat. Si alio tempore, cùm adhuc ebrius esset, Abigail correctionis ferro in Nabal animadvertere voluisset, inanis fuisset scissio, & nullum habuisset correctio effectum aut fructum. Vnde doctissimus Hugo Cardinalis cùm hoc ponderaret factum, & prudentiam hujus fœminæ laudaret, sequentia scripsit verba: *Sapiēter fecit Abigail nihil enim tunc valeret correctio ejus, quando ipse Nabal ebrius erat.*

Aptum tēpus correctionis eligendum.

1. Reg. cap. 25. 2.

Hugo hic.

Hâc caruerant prudentiâ excellentissimi & strenuissimi aliàs viri Clitus & Calisthenes, qui (vt Seneca narrat) Alexandrum Magnum, cùm potus esset, corrigere ausi sunt, quorum admonitio effectum tantùm non habuit, verùm etiam & ipsis & Alexandro plurima intulit damna. Nam Alexander incitatus ad iram, vnum ex tempore occidit; alium dirissimis addixit carceribus, in quibus & mortuus est. Sic Alexander duo commisit homicidia, & ipsi vitâ suâ privati: importuno enim tempore correctionis ferro vsi fuerant. Ideò Ecclesiasticus

Seneca Epist. 83.

Eccles. cap. 31.

siasticus cap. 31. benè monet: *In convivio vini non arguas proximum*; nam, vt doctissimus Nicolaus de Lira in hunc locum dicit, tempus minimè opportunum est. *Tunc enim non est correctionis susceptivus.*

Addiscant ex his factis & narratis conjugatæ, quomodo cum maritis procedendum, & quo tempore correctionis ferrum adhibendum sit. Venit maritus domum mediâ jam transactâ nocte, & quia aleis vel chartifolijs ludendo pecunias perdidit, vt lunâ plenâ impletus & abundans cholerâ & summâ amaritudine, & ecce vxor furiosa mille illum excipit injurijs, & hunc & alios omnes objicit atque exprobrat ipsi defectus. Non vides fatua, quàm stultè agas? nónne advertis, te ardenti ejus animo inijcere ligna, quibus animi æstus non moderatur, sed magis exacerbatur? Exspecta vsque ad alterum vel tertium diem, cùm ira & cholera sedata fuerit, & tunc ipsum aggredere, & correctionis auctoritate in cor ejus emendationis intrude ferrum, & sic tuum lucraberis maritum, vt prudentissima Abigail cum suo fecit. *Et emortuum est cor ejus.*

Prudentiâ opus est in correctione.

Summâ ergo correctio opus habet prudentiâ, quæ nullo modo in tempore illo, quo error committitur, facienda est, sed in aliud magis commodum & aptum differenda est. Sic ipsemet Deus apud prophetam Amos capite quinto docet: *Quia cognovi multa scelera vestra, & fortia peccata vestra, &c. ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.* Id est, prudens homo videns proximum suum vehementi aliquâ passione aut furore commotum, defectum aliquem committere, non in flagranti corripiet, sed tunc tacebit, quia nullius vtilitatis futura esset correctio, sed commodius ac aptius exspectabit tempus. Audiamus doctissimum Liranum in hunc locum: *Ideò prudens in tempore illo tacebit cessans à correctione vestra videns quòd non esset ad vestram emendationem.* Ergo dum proximum tuum turbatum videris, & passionem in ipso prædominantem deprehenderit, pro tunc illi compatiaris, vt docet S. Chrysostomus in Psalm. 37. & tempus aliud exspectes, quo emendationis vulneri ejus applices medicinam. Hinc medicorum procedendi mos est, qui nunquam medicinam applicant, dum in summa alteratione & fervore febris, æger versatur, sed moderationem ejus ac declinationē exspectant, & tunc adhibent media; nam tempore illo non solùm vtilitatem nullam inde sperare possent, verùm summum damnum inferrent. Sic Princeps. Medicorum Galenus 1. Aphor. Comment. 29. docet: *In febrium accessionibus hæc sunt observanda, vt nunquam cùm adsunt, aliquid exhibeas, sed cùm vel cessant, vel quieuerint.* Nunc N.N. si tantâ circumspectione medici in corporali sananda infirmitate indigent, quantâ spiritualis Medicus in animorum curandis morbis opus habebit? & si alio processerit modo, exacerbationem & non vtilitatem aut fructum aliquem causabit.

Amos c. 5.

Galen. 1. Aphor. comen. 29.

Sed quis fructus erit, quem fraterna afferet correctio, si enarratio facta fuerit his sub conditionibus? Veritas ipsamet dicit: *Lucratus eris fratrē tuum*; hic est fructus, quem talis reddet correctio, animam, quæ Christi fuerat redempta sanguine, & per peccatum perdita, iterum lucraberis. Quis vnquam majorem poterit causare fructum? hoc est, lucrum & præmium vitæ æternæ. Audite quid Sanctus Iacobus de hoc lucro, capite quinto in sua Catholica Epistola dicat: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam eius à morte.* Nam vt Sanctus Hieronymus citatus suprà hunc locum à S. Thoma in Catena aurea dicit: Dum fratrem lucramur, etiam nosmetipsos lucramur. *Per salu-*

Iac. c. 5.

S. Hier. cit. à S. Thom. in cat.

tem enim alterius etiam nobis quoque acquiritur salus. Quam Doctrinam Glossa ordinaria sequentibus confirmat verbis : *Et verè qui errantem corrigit, per hoc ampliora gaudia vitæ cælestis sibi conquirit.*

Gloss. hic.

Sed (prô dolor!) quàm rari sunt, qui hoc Euangelium & Christi obseruant preceptum tantoperè ad salutem nostrã necessariũ. Ratio atque causa huius est, quia charitas & fraternus amor de mũdo proscriptus est. Deprehendit quispiam fratrem suum peccantem : quid agit ? quid dicit ? Quid ad me, & mea quid interest ? ipse viderit. De meis peccatis mihi ratio reddenda est, ipsi de suis. Hic similis est Caino, qui cùm à Domino de fratre suo interrogaretur, respondit: *Num custos fratris mei sum ego?* Audite, quid dicam. Est Dominus, qui in sua domo & seruorum numero perfidum alit juvenem, quem certo certius scit esse blasphematorem, concubinarium, & mille alijs laborare iniquitatibus. Quid agit? quid dicit? Quid mea interest ? sit blasphemus, hæreticus, concubinarius, & faciat quidquid velit, dummodo illa, ad quæ per famulatum mihi obligatur, fideliter peragat, & in omnibus mihi sit fidus ; si quid contra conscientiam suam egerit, ipse videat; de illis enim parum aut nihil curo. Et sic miser hic juvenis videns hanc libertatem & nullam post tot commissa crimina sequi correctionem, de malo in malum ruit & perditur. Quot patres & matres sunt N. N. qui dyscolos, vanos, & insolentissimos habent liberos, in quibus nec signum aliquod timoris Dei apparet, & laxatis habenis perditionis petunt terminum, & non est qui ipsis aliquid dicat, qui vel vnicum irreprehensionis promat verbum ; imò quod peius multò est, & summoperè dolendum, ad mala animantur, superbiam docentur, vanitate instruuntur, vindicare se contra inimicos moneantur, blasphemare atque jurare jubentur, & multis alijs vijs ad perditionem rectà ducuntur. O miseros liberos! qui tam iniquos & impios sortiti estis parentes! O patres, & matres, oculos vestros aperite, attendite majori diligentiâ ad filios & filias vestras, & cum quibus agant ac conversentur, indagare ; & si quid reprehensione dignum in ijs deprehenderitis, ferrum correctionis arripite, & cum amore ac charitate in peccatorũ apostemata intrudite, aliàs vos eritis perditionis illorum causa, & vos ipsimet ad Diaboli habitationem eos perducetis, & cum illis intrabitis. Quid ergo ad tam grave malũ evitandũ vobis faciendũ est? ecce in hodierno Evangelio Christus vobis indicavit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eũ inter te & ipsum solum.* Caveat quispiam, qui Christianũ se esse prætendit, & cœlum pro hæreditate suâ exspectat, ne cum Caino Christo respondeat : *Nunquid custos fratris mei sum ego?* nam silentium hoc imperium est, & fratrem tuum non corrigere cùm possis, idem est ac iniquitatibus ejus assensum præbere, & in malo peragendo ipsum confortare. Hinc dicit Sanctus Bernardus serm. in Nativit. S. Ioannis Baptistæ: *Est enim consentire silere, cùm arguere possis.*

Gen. c. 4.

S. Bern. ser. in nativit. S. Ioann. Baptist.

Dicet quispiam: Ad fraternam correctionem ex eo capite me non obligari credo, quòd timeam illam non profuturam. Vana hæc est excusatio, charissime frater: tu debitò modo, ut jam audisti, cum zelo pietatis, cum amore & desiderio faciendi fructum facere obligaris, si positâ causâ non resultet desideratus effectus, ad ejus perditionem & tuam gloriam & majorem cumulum meritorum erit fraterna ista correctio. Quoties & quotimodis benedictus Deus admonet atque corrigit peccatores? nunc bonis inspirationibus per Angelum Custodem ad meliorem

Nullam excusationem admittit hoc præceptum de correctione, etiam incorrigibiles admonendi sunt.

meliorem nititur ducere viam, nunc per concionatores reprehendit, nunc per confessaris fideliter admonet, nunc his, nunc illis illum aggreditur modis, & tamen clarissimè Domino constat, nil omnes hoc modo fructus allaturos; & quod magis est, sciebat benedictus Christus, Iudam nunquam cessaturū à suo proposito, sed quòd certo certius ipsum traditurus, & nunquam de hoc facto pœnitētiam acturus, sed desperatus sibimet ipsi laqueo mortē illaturus & in infernum descensurus esset: nihilominus tot modis & formis correctionis vulneri ejus apposuit medicamentum, nunc verbis, nunc factis laborās, an in viam salutis reducere posset. Verbis, dum dixit: *Qui intingit mecum manum in parop side, hic me tradet.* Opere, dum supra collum ejus ruens, dulcissimum tribuit osculum, & sequentibus allocutus est verbis: *Amice, ad quid venisti?* Sic Christus cum perdito egit, licèt non timeret neque suspicaretur, sed certo certius sciret, suas fidelissimas & amantissimas admonitiones minimè profuturas, tamen hoc ei charitatis officium negare noluit. Audite, quam selectissimis verbis Sanctus Ioannes Chrysostom. hunc Christi describat actum. *Non cessavit assiduis consilijs, monitis, beneficijs, minis, demum omni doctrinæ specie retrahere, nec destitit illum dictis seu fræno retrahere.* Sed si benedicto Christo certò cōstabat, suas admonitiones nullum habituras effectum, cur facit? Laborabat, vt in salutis reduceret viam; vt sciremus, Deum continuò admonere peccatorem, & quamvis certus sit de ejus perditione, tamen à reprehensionis non desistere medijs, vt & sic nos addisceremus cum proximis nostris agere. Ideò nullus proximo suo hoc charitatis officium negare debet; nam Christi præcepto ad hoc præstandum obligati sumus. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Væ illi, qui

Matt. c. 26.

S. Ioann. Chrys. ser. 1. de lat.

hujus præcepti transgressus fuerit terminos, & tam necessarium ad salutem proximo negaverit charitatis officium. Nam si Deus minus pios animos, quia proximo in corporali non subvenerunt necessitate, æternis addicet tormentis, quomodo hos, qui in spirituali necessitate per correctionis actū proximo suo nōn subvenerint, non majoribus adjudicabit cruciatibus? Hæc mentibus vestris revolvite, interim quiesco.

PARS II.

PUNCTUM TERTIUM.

PRimâ parte, Puncto primo necessitatem hujus correctionis præcepti examinavimus, secundo puncto conditiones quasdam, vt cum fructu & debito modo fiat, tradidimus; nunc alios duos admonitionis modos discutiemus. Primus vocatur divinus, secundus diabolicus. De correctionis illo modo, qui divinus est, apud Sapientem Proverb. cap. 3. Spiritus sanctus sequentia protulit verba: *Quem enim diligit Dominus, corripit.* Quando veri parentes, qui non sunt animarum filiorum suorum homicidæ, delinquentem ex liberis deprehendunt, duris alloquuntur verbis, increpant, objurgant, reprehendunt, admonent, & si opus est, adhibitâ correctionis virgâ duriùs in ipsum animadvertunt. Deus noster Hierem. c. 3. clarissimis protestatur verbis peccatoris se esse Patrem, dicens: *Voca me, Pater meus es*; adeoque vt Pater filios, qui vias rectas non incedunt, impiè & malè vivunt, manibus arrepto flagello castigat, sic videbitis ditissimos quōdam nunc ad summam redactos paupertatem, mendicorum agere vitam; robustissimos & prosperrimâ semper vsos sanitate, infirmos & summis affectos cruciatibus, claudos ac inutiles lectis affixos hærere; in summa dignitate

Signa divinæ correctionis.
Prov. c. 3.

constitutos ad infima depressos, summam gratiam Principum habentes nunc miserè exaltare. Magnus hic noster Deus & Pater dum sic castigat & corrigit, vt nostros cognoscamus errores. Divitem paupertate & egestate corrigit, quia malè vsus est divitijs & commoditatibus. Sanum & robustum infirmitate admonet, quia non ad Dei honorem & suam procurandam salutem illam impendit. In dignitate constitutum privato vivendi castigat modo, quia non rectè illam administravit. Sinamus ergo Deum agere, N.N. & pro suo libitu correctionis in nos agere ferro, ne tergiversemur; nam ipse æterna est sapientia, & quos amat, castigat. Deus noster talis Pater non est, vt de ipso illud tertij Regum capite primo
3. Reg. c. 3. dicit: *Nec corripuit eum Pater suus.* Et Peccator cùm à Deo sic corrigitur, lætandi magis, quàm tristandi causam habet; nam hæc animadversio à Deo Patre venit, & ad salutem ejus applicatur admonitionis remedium. Sic docet Sanctus Augustinus in Psalmo centesimo secundo: *Medicina est, non pœna: castigatio, non damnatio:* id est, cùm Deus in
S. August. in Psalm. 102. peccatores animadvertit egestate, infirmitate, & alijs pœnis ipsorum corrigit peccata, hæc non sunt pœnæ, nec supplicia, sed saluberrimæ medicinæ: & dum sic Deus castigat, non ideò damnare, sed saluare intendit; & aliter agere non potest; nam amantissimus Pater est, cujus bonitatem Tobias
Tob. c. 3. capite tertio describens dixit: *Non enim delectaris in perditionibus nostris, qui post tempestatē tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum exultationem infundis* nempe illam æternam in societate Sanctorum, de quâ Regius Vates loqui-
Psal. 149. tur: *Exultabunt Sancti in gloria.*

Secundus corrigendi & reprehendendi modus Diabolicus est, & hic est ille modus corrigendi, cujus benedictus Christus Luc. cap. 8. mentionem fecit sub parabolicis verbis seminantis in agro dicens: *Venit diabolus & tollit verbum de corde eorum.* Contingit hoc Luc. c. 8. quadragesimali tempore, Deum per os concionatorum in corda juvenis projicere verbi Dei semen, exurgit, & crescit volens producere fructum, fiunt proposita non Paschali tempore, sed nunc pœnitentiam agendi, & sacramentali confessione abluendi scelera, disponitur, præparationi datur locus; & ecce amicus aut familiaris videns sociū suum ita commotum & conversum, accedit & Diaboli exercens officium, correctionis & reprehensionis promit verba, dicens: Desiste modo à Cōfessionis actu, septimanâ sanctâ simul expediemus quæ expedienda sunt, non dubites, talem reperiam Confessarium, qui mihi & tibi daturus erit satisfactionem. Ah quàm Diabolica est hæc correctio! verè Diabolus hic est, quoniam idem quod ille in parabolâ, hîc facit: *Venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum.* Verba hæc à socio tibi dicta non hominis, sed Diaboli; non amici, sed peruersissimi ac mortalis tui inimici sunt. Paschali (vt dicit) confiteberis tempore? at quis tibi pro crastinâ die vitam promisit? quis te hodie non moriturum cautionem dedit? *Verbum iniquum constituerunt adversum me.* Psal. 90. Regius cantat Vates Psalmo suo nonagesimo. Felix explicat, & legit: Verbū Belial. Diabolica hæc verba sunt. Exspecta Paschalia festa, & tunc confiteberis, correctio hæc & admonitio Belial Principis Dæmoniorum est.

Signa Diabolicæ correctionis.

Dum Sanctus Petrus Apostolus Christum Dominum in bono illo opere redemptionis, quod per mortem & passionem suam facere decreverat, turbare intenderet, quo nomine illum benedictus Christus compellavit? Legite Sanctum Matth. cap. 16. & Matt. 16. reperietis, *Vade post me Satana, scandalum es mihi.* Recede à me Satana, disce-

de hinc ô homo scandalose! Hoc & non alio responso digni sunt amici vestri, qui in bono opere aliquo concepto vos turbare conantur: ficti sunt amici, & veri Dæmones; considerate ipsorum procedendi modum, & sole clarius hoc deprehendetis. Hos ergo Dæmone pejores fugere debetis, & vt scandalosorum hominum ac juratorum vestrorum inimicorum consortium declinare. Audite, quid eis dicat Apost. Paulus in prima sua Epist. ad Corinth. cap. 16. qui proximum à bono agendo avertunt: *Nolo vos fieri socios Dæmoniorum.* Avertat Deus, vt Christianus Christi sanguine redemptus simili correctionis officio occupetur, aut sic fratrem suum corrigat aut reprehendat de bono opere faciendo, sed det gratiam, vt ardentissimo charitatis ac salutis animarum zelo incitatus, debito, vt audistis, modo & formâ fraternæ correctionis exerceat auctoritatem, sic fratris lucrum sperare poterit & indicibili lætitiâ atque gaudio paradisi cives efficiet: & Deus semper benedictus hoc charitatis opus proximo atque fratri præstitum æterno solvet præmio, quod mihi & vobis concedere dignetur, qui vivit & regnat, &c.

1. ad Corinthios 16.

DISCVRSVS XIX.

PRO DIE MERCVRII POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Prima parte examinatur gravitas peccati murmurationis, & quàm Deo detractores odibiles sunt. Secundo puncto supplicia exhibentur, quæ detractoribus imminent. Secunda parte tertio puncto necessitas custodiæ linguæ demonstratur, & probatur sine hâc hominem salvari non posse.

Thema.

Accesserunt ad Iesum ab Hierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones Seniorum? Matth. cap. 15.



SI Principũ ac Monarcharum mundi hujus aulicorum turba cum Pharisæorum ac Scribarum grege, vt in hodierno deprehendimus Evangelio, in moribus & qualitatibus conveniret, non felices, sed infelicissimi ac miserrimi (vt S. Ioan. Chrys. advertit) tales principes æstimandi essent, nam, vt dicit, nescio an infelicius genus hominum adulatoribus sub cœlo reperibile sit. *Quid in aulâ infelicius detractore?* Et ecce advenientes ad Christum in hodierno Evangelio tales agunt adulatores, & detractionis instructi arte Christum zelosis legis verbis, cujus ipsimet scelerati erant transgressores, aggrediuntur: *Quare discipuli tui transgediuntur mandata seniorum?* O summam hominum perversitatem! qui

S. Chrys. in c. 15. Matth.

qui tantâ diligentiâ minima observant, vt est lavare manus cùm mensæ assidetur, quod à majoribus acceperant: magna verò & quæ maximi momenti sunt, despiciunt, & facillimè transgrediuntur, vt sunt Dei præcepta, quorum vnum & illud erat, de cujus transgressione à benedicto Christo monentur; nempe honor parentum, quo obligati erant suum patrem & matrem honorare, & ipsorum subvenire necessitatibus; & quia hoc transgrediebantur, & parua observabant, meritò illos hypocritas, simulatores, fictos nominavit Dominus, imò cæcos & duces cæcorum, & æternæ condemnationis ipsis intimavit sententiam, dicens: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur: sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum.* Occasione ergo à sacro Evangelio sumptâ breviter primâ parte puncto primo naturam pessimam vitij murmurationis, quantumque divinæ displiceat Majestati, examinabimus. Secundo puncto supplicia ac pœnas, quibus in murmuratores Deus animadvertere solet, exhibebimus. Secundâ parte puncto tertio necessitatem linguę custodiæ ad salutem assequendam demonstrabimus; interim attendite.

Matt. c. 15.

PARS I.

PUNCTUM PRIMUM.

Accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Matth. cap. 15.

NOn dubium est N.N. inter omnes linguæ defectus & loquelæ errores murmurationem, id est, cùm mala de proximo loquimur, communiorem & quasi universalissimã esse; quę in tantum apud homines invaluit, vt Glossa ordinaria in c. 24. Proverb. vbi hæc explicat verba: *Cũ detractoribus ne miscearis*, proferre sequentia verba non dubitarit: *Hoc specialiter periclitatur vitio genus humanum*: quasi totus mundus hoc periret vitio, & vt Sanctus August. in Psalm. 52. attestatur, hominum quotidianus panis esset. Hoc sanè tempore aliud nil agitur à Christianis, quàm fratrum & proximorum taxare facta, bona in malam interpretari partẽ, & pessima nunc de hoc, nunc de illo effutire. Et licèt in materialibus cibus, quibus vescuntur, mutationẽ aliquam admittant, atq; modò ab hoc, modò ab illo ad tempus abstineant, panem tamen nunquam intermittunt; sic homines hujus temporis agunt, nunc hoc, nunc illud vitium deponunt, & per tempus aliquod abstinent, nihilominùs à murmuratione non cessant; maledicentia & oblocutio singulis momentis ipsorum inest linguæ, vt meritò illa verba Psal. 52. illis conveniant, *Qui devorant plebẽ meã sicut cibum panis.* Et S. August. reddit rationẽ, dicens: *Qui semper panẽ manducamus, significat nos sine intermissione devorare plebem Domini.* Summum, imò in tanta æstimatione inter cibos apud homines murmurationis ferculum est, vt eo deficiente omnis quoque deficiat gustus & sapor. Sic S. Eligius hom. 12. asserit: *Quis devorat plebem meam sicut cibum panis, & sine hoc pane alijs cibis appositis mensa inops esse videtur.* Sint convivia lautissima, cibi in abundantia exquisitissimi, vina pretiosissima, vbi murmurationis atque detractionis non adest ferculum, & cibi amari nec bene conditi, & vinum corruptum & nullius valoris æstimatur. Quid dico? in tantum hoc invaluit vitium, vt hodierno tempore se vivere nõ posse aut aliorum conversationi interesse quidam credant, si hunc non adduxerint socium, & detractionis sint arma

Glos. ord. in c. 24. Prov.

S. Aug. in Psal. 52.

Murmurationis & detractionis vitium communissimum, vt panis quotidianus.

Psal. 52.

S. Elig. homil. 12.

mati vitio, & proximorum fama gravissimis non decerpatur mendacijs.

Eadem quasi similitudine S.August. versiculum illum Psalm. 26. explicat: *Appropinquant super me nocentes, vt edant carnes meas.* Et Sanctus Gregorius Papa in verba illa Iob capite decimo nono, *Carnibus meis saturamini*, sequētia habet verba: *Qui alienā detractione pascitur, proculdubio alienis carnibus saturatur.* Inde prudentissimus Rex Salomon Proverb. c.23. dignum sapientissimo Rege nobis reliquit consilium. *Noli esse in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt*; id est; caveas, ne domum eorum intres ad convivandum, qui carnes apponere solent. Ergo quid apponendum erit? Glossa ordinaria in hunc locum intelligit per tales, qui in suis convivijs carnes ad vescendū apponunt, detractores, & obmurmuratores, qui vitia, & defectus proximi patefaciunt; & veluti rabidi canes ac lupi famelici carnes bonæ famæ illorum in tua lacerant præsentia, & sic lacerando, id est, murmurando aut illa quæ dicunt, credere, aut alia similia de alijs dicere te invitant. Verba ejus hæc sunt: *Carnes ad vescendum conferre, est in collocutione vicissim vitia proximorum dicere.* Simili loquendi modo S. Apost. Paulus vtitur in sua Epist. ad Gal. c. 5. vbi murmurationis vitium sæviens inter illos carpit, dicens: *Si invicem mordetis & comeditis,* quem locum dum ponderat S. Ioan. Chry. hom. 3. ad populum, sic scribit: *Detractor fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit.* Nunc damna, quæ abominabile hoc vitium causat, examinemus.

S. Greg. in c. 29. Iob. — *Prov. c. 23.* — *Gloss. ord. hic.* — *Ad Gal. cap. 5.* — *S. Chrys. hom. 3. ad pop.*

Damna detractionis.

Sapiens de membro linguæ discurrens Prov. c.18. ait: *Mors & vita in manibus linguæ.* Vult dicere; Lingua hominis claves vitæ & mortis habet. Si bona atque pia est, vitæ aperit januas; si perversa ac impia, mortis reserat portas: si bonum loquitur, vivificat; si mala occidit. Sic Liranus in hunc locum: *In abusu enim ipsius est mors culpæ, & in bono vsu vita gratiæ.* Hæc proprietas apud omnes detractores, qui linguā suam custodire & regere nesciunt, viget, vt hodie in Evangelio sacro legimus, Scribas & Pharisæos cum Apostolico egisse collegio, quod pro scopo & meta ad detractoria sua jacienda jacula sibi elegerant. *Quare discipuli tui transgrediuntur mandata seniorum?*

Veget. de re militari.

Vegetius insignis militaris disciplinę scriptor & magister lib. de re militari asserit, inter omnia arma illa vt periculosissima timenda esse, quæ cùm acuta sint, absque strepitu & tumultu feriunt. *Periculosum armorum genus est, quod cum maximo acumine, vt feriat, sit præditum; occultat tamen sonitum.* Ah lingua detractrix, proscripta, maledicta, & inferni armatura, quæ prius ferit, vulnerat & mortem adfert, quàm deprehendatur aut cognoscatur, omni sono strepituque carens. Hanc armaturam Regius Vates Psalm. 58. depingit: *Ecce loquuntur in ore suo: gladius in labijs eorum: quoniā quis audivit?* Videte, dicit David, quàm maledictum armorum genus sit hominis lingua, quâ ad vulnerandum & occidendum proximum suum detractores vtuntur. Ecce perversi & scelerati conveniunt, & constituto loco congregantur, & quid faciunt? *Ecce loquuntur in ore suo.* Pro scopo & meta sibi eligunt vitam honesti viri, matronæ, virginis, &c. vt illam dilacerent: sed quibus armis ad honestam famam proximi tam crudeliter dilacerandam vtuntur? Gladius in labijs eorum: acutissimo linguæ gladio illum pungunt, & mortiferis afficiunt vulneribus: & quod dolendum, in feriendo tam dextri sunt, & talis naturæ gladius ipsorum est, vt, dum ferit, nullum excitet sonum, vnde adstantes complices mortuum citius quàm sonitum & strepitum deprehendunt, & tam inopinatam admirantes cædem, dicunt: *Quis audivit?*

Psal. 58.

Lingua detractix insensibiliter lædit.

audivi? Ah quàm claris verbis diabolicum hunc feriendi modum Sanctus Hieronymus hunc explicans locum expressit! *Tanquam nemo audiat, detractor clam occidit.* Dum minimè suspicaris, crudeli te afficit vulnere, & in occasionibus vbi plurimum vt fidissimo ipsi fidis amico, ipse mortalem atque juratum tuum inimicum se exhibet, & de tuis factis murmurando & tuis moribus perniciosè obloquendo bonam tuam iugulat famam. Sic sanctus Hieronymus dicit, suum concludens conceptum: *Et antè experiuntur innocentes ictum, quàm sentiant sonitum.*

S. Hier. hîc.

Hoc genus maledictarum linguarum illud est, quod Rex Salomon Eccles. c. 10. descripsit: *Si momorderit serpens & non in sibilo.* ac si diceret: Potéstne dari serpentum genus magis periculosum & maledictum, quàm si tales reperirentur, qui communibus se immiscerent vijs, & sub herba aliqua latentes transeunti viatori insidias struerent, & nullo dato sibili tacitè illum aggrederentur, & graviter in silentio vulnerarent & mortem causarent? certè non; nam miser viator sibilo non percepto minimè sibi cavere posset. Ah! dicit S. Hieronymus citatus à Glos. in caput 10. Ecclesiastici, tale infortunium experitur pauper ille, cujus fama detractorum teritur dentibus, qui priùs quàm se vulneratum, jam occisum & necatum linguæ gladio deprehendit, & linguam detractricem sub viridissimis laudum atque congratulationum herbis absconditam, mortem sibi priùs quàm vulnus intulisse experitur. Et quomodo miser cavere poterit, si latens anguis inimicitiæ minimè dat sibilum? Ah pessima detractrix lingua! ergo sub laudis & benedicentiæ viriditate amarissimum abscondis venenum? Ah maledictus & infernalis serpens! *Sicut serpens* (dicit sanctus Hieronymus vbi suprà) *occultò mordēs venenū infundit, sic & qui detrahit.*

Eccles. cap. 10.

Vt talem traditorem sanctus David suo 51. Psal. depingit omnem detractorem, dicens: *Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua.* Videtur sanè extra rem & propositum hic sancti Prophetę loquendi modus esse; nam quis vnquam audivit linguam meditari, aut cogitare quid posse, cùm hoc capitis & cerebri officium sit? Sanctus Remigius in hunc Psalmum divinum dat responsum, dicens, tam perversum hominum genus detractores esse, vt caput suo privent officio, & linguæ illud tradant, quod fit, cùm quæque sibi occurrentia blaterant, & quæ loquuntur, minimè considerant. Verba Sancti hæc sunt: *Non est officium linguæ cogitare, sed loqui: sed pervertit, quia in ore stultorum cor eorum, scilicet qui non antè cogitant, quàm loquantur.* O immortalis Deus (dicit David) reformare dignare has linguas maledictas, & contrà hos pessimos gladios nos defende, ne noceant: nam si scirent, quanta linguâ suâ pessima causare damna, quàm mortalis & crudelis plaga illa fit, quâ innocentes percutiunt, majore vterentur circumspectione. Ideò Sapiens dicebat c. 28. *Et verbis tuis facito stateram, vt nihil indiscretum loquaris.* Addit glossa interlinealis hîc: Et lingua non custodita, & verba priusquam proferantur, non ponderata irreparabiles ruinas in Rebuspublicis causant, & integrarum familiarum adferunt destructionem; quod totum inde trahit originem, quia verba quæ proferuntur, priùs stateræ considerationis non imponuntur, & antè prolationem sensus & intellectus illorum, quos apud alios habitura sint, non ponderantur. Ideò *verbis tuis pone stateram.* Hugo Cardinalis hîc sic habet: *vt prius veniat sermo tuus ad lineam, quàm ad limam.*

Psal. 51.

S. Remig. in Psal. 50.

Eccles. cap. 28. Gloss. interl. hîc.

Armatura ergo pessima, & omnino proscribenda detractrix lingua est & angue peius fugienda: nam non solùm ferit absque sonitu, & prius vul-

Venenosa est.

nus deprehenditur, quàm percipiatur strepitus; verùm etiam venenosa est.

Psal. 13. & 57.

Sic Regius Vates suo Psalm. 13. & 57. illam depingit: *Venenum aspidum sub labijs eorum*; id est, irremediabile venenum. Vade tu & famam illam bonam quam contra omnem iustitiam abstulisti, proximo tuo restituas; vade & vide, num antidotum aliquod contra hoc irreparabile damnum, quod venenata infert lingua, reperibile sit. Aspis (vt Liranus in hunc locum) talis naturæ est, vt, cùm incantatorem audit, ne verba eius percipiat, & venenum deponat, protinus aurem vnam terræ applicat, & alteram caudâ propriâ obturat: *sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas.*

Lira. hic.

Talis naturæ sunt verba illa minus considerata contra hanc vel illam personam à te prolata; nam verborum tuorum perceptor nunquam malum deponet conceptum; dic & reclama quæ & quanta velis, semper suspectum habebit, de quo tu murmurasti; & semper in mente illius honesta eius fama denigrata manebit. O quàm irremediabile venenum est à detractrice immissum lingua! O quàm difficilis famæ restitutio est! Audeo dicere, solum Deum & non hominem huic malo posse reperire remedium. Ad propositum pulcherrimam apud Sapientem Prouerb. cap. 25. reperio sententiam: *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò, ne postea emendare non possis, cùm dehonestaueris amicum tuum.*

Prou. c. 25.

Id est, custodias linguam tuam, nec, quidquid in proximo tuo deprehendisti, vel quæ suspicaris, cùm iratus fueris, proferas, & vt vera enarres; nam eo ipso, quod detractionis profertur verbum, lædit & vulnerat, cui vulneri posteà remedium difficultet reperibile est. Sic Glossa ordinaria hunc locum explicat: *Quæ viderunt oculi tui, id est, mala proximi tui, quæ in secreto vidisti, ne proferas in iurgio citò, alijs propalando, ne postea emendari non possis, cùm dehonestaueris amicum, id est, reddere famam proximo tuo, quem læsisti.*

Percepistis N. N. quàm periculosum sit, factis proximi detrahere, & murmurando bonam eius denigrare famam. Inde Canonistæ non parum laborant quomodo fama per murmurationem alterius perdita restitui possit; si centum quis furetur aureos, restituit, ecce remedium appositum est, nec alio indiget facto: sed famâ perditâ non tam facilè restitui potest; nam damnum illatum nimium excedit quod murmuratrix infert lingua, ideò restituendi modum vix reperire potuerunt; & nihilominus tam facile & ordinariè absque vllo fundamento proximi denigratur fama, & his diebus nullum tam frequens in populo malũ est, quàm detractionis; & quod summoperè dolendum est, in committendo hoc vitio tanta facilitas est, vt nullatenus æstimetur furtum bonæ famæ. Sed væ his detractoribus; filij enim, vt infrà audietis, æternæ erunt condemnationis. Sanctus Bernardus linguam maledicam considerans, ait: *Lingua maledica vipera est ferocissima, quæ lethaliter interficit tres flatu vno; illum qui loquitur, & de quo loquitur, & quem verbis suis scandalizat.*

S. Bern. de tripl. cust.

Lingua detrahens vipera.

Linguam murmuratricem ferocissimam vocat viperam sanctus hic vir; nam sicut illa flatu, sic hæc verbis occidit, & crudelior multò viperâ est: nam vnico verbo tres causat mortes, & tribus aufert vitam. Primus ipsemet obloquutor est, cuius anima statim ac detractionis verba proferũtur, moritur. Secũdus est auditor, qui cùm murmurationis percipit verba, animã propriã irremediabili enecat veneno. Tertius miser ille est, cui detrahitur, cuius fama protinus emoritur. Ergo detractor cũ proximũ suũ detractionis verbis denigrare conatur, sui ipsiusmet crudelis occisor est, & facinus

tam crudele ac impium eſt, vt patratorem Deo omnino reddat odibilem. Ad cujus propoſitum illud noto, quod apud ſanctum Paulum in Epiſt. ad Rom. cap. 1. reperi. Plurima ibi enumerat ſcelera atque peccata, quibus gentiles obnoxij erant, & vocat illos gazophylacium omnium malorum ac iniquitatū, avaros, nequiſſimos, fornicarios, invidos, homicidas, contentioſos, malignos, contumelioſos, &c. Verba ejus hæc

Ad Rom. cap. 1.

ſunt: *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate; ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia;* tādem & murmurationis & detractionis vitia commemorat, *ſuſurrones, detractores.* Sed hoc mirabile eſt in hac enarratione ſcelerum, quod protinus hoc vitio enumeratio ſubjecit, *Deo odibiles*, id eſt, odit Deus detractorem & murmuratorem. Sed cur huic vitio hanc tribuit qualitatem potiùs, quàm alijs, cùm in nullo placitum ſit Deo, vt Regius Vates in ſuo Pſalmo 5. cantat: *Quoniam non Deus volens iniquitatē tu es?* Gloſſa ordinaria in Epiſtolam ſancti Pauli ad Rom. c. 1. huic reſpondet difficultati, dicens, verum eſſe, omne vitium à Deo odio haberi; & licet odioſi Deo ſint fornicarij, avari, invidi, homicidæ, contentioſi, deceptores, ſuperbi, inobedientes, crudeles; nihilominus ad enormitatem hujus vitij demonſtrandam odium placuit ei ſubiungere, quaſi in comparatione hujus omnia alia ſimul non tanto habeantur odio, ac hoc vnum vitium. Verba gloſſæ hæc ſunt: *Et ne levia putentur ſuſurratio & detractio, quia in verbis ſunt, addit de eis, Deo odibiles.*

Gloſſ. hic.

Iam cauſam penetrare poteritis, ob quam ſanctus Iacobus Apoſt. in ſua Catholica murmuratricem linguā congregationem aut ſentinam omniū malorum appellat. *Vniverſitas iniquitatū*, id eſt, quinta eſſentia omnium iniquitatū; quod & gloſſa in hujus loci explicatione inſinuare intendit; *Vniverſitatem dicit, quia per eam cuncta ferè facinora aut concinnantur, vt latrocinia, ſtupra: aut patrantur, vt periuria, falſa teſtimonia; aut defenduntur, vt cùm quilibet impurus excuſando ſcelus quod admiſit, ſimulat bonum quod non fecit.* Et idem S. Apoſt. c. 4. ſuæ Cathol. Epiſt. de detractatore loquendo ſequentia habet verba: *Qui detrahit fratri, detrahit legi.* S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 73. art. 1. ad 3. hunc explicando locum ſic dicit: *id eſt contemnit legem.* Vult dicere, detractor dum lædit famam proximi, deſpicit & nil æſtimat legem Dei, non quòd cùm alia committit ſcelera, hanc non contemnat; nā cùm quis furatur, contemnit legem. *Non furaberis*: cùm quis fornicatur, deſpicit legem, *Non fornicaberis*, & ſic de alijs; ſed cùm murmurat detractor, non vnam, ſed omnes deſpicit leges, omnia contemnit & vilipendit Dei præcepta. Hæc doctrina, non mea, ſed devotiſſimi & antiquiſſimi primitivæ Eccleſiæ Patris Eſichij eſt, qui lib. 5. c. 18. in Levit. claris id dicit verbis; vbi notat & animadvertit ſecūdùm Septuaginta interpretes, decem vicibus in hoc libro prohibere detractionem, & ne proximi lædatus fama, dicens: *Quia quiſquis turpitudinem ſpiritualium vel carnalium cognatorum revelat, totius legis invenitur eſſe tranſgreſſor. Quare? quia alienū eſt à charitate quod agit, quæ eſt legis plenitudo.* Decem vicibus prohibetur proximo bonā detrahere famā; nam qui aliorū prodit defectus, totā trāſgreditur legē, ratio eſt quia hoc vitio magis quàm omni alio charitas offenditur. Cùm autē charitas plenitudo legis ſit, ſequitur quod qui maximè cōtra charitatem peccat, vt ſit cùm quis proximū in fama lędit, cōtra plenitudinē legis & totam legē peccat. *Qui detrahit fratri, detrahit legi, contemnit legem:*

S. Iac. Cat.

Gloſſ. hic.

S. Iac. c. 4.

S. Th. 2. 2. q. 73. a. 1. ad 3.

Detrahentes peccant contra totam legem.

Eſich. l. 5. cap. 18. in Levit.

legem: totã Dei legem vilipendit. Quia ergo talis totam transgreditur legem, magis odibilis fit Deo, quàm alij, qui vnam solam transgrediuntur, *Detractores Deo odibiles.*

Secundum damnum, quod lingua detrahens causat, est mors, quam procurat illi, cuius læditur fama. *Et de quo loquitur.* Et hæc mors tam crudelis est atque dura, vt venenosissimi serpentis morsum superet, vt habetur Ecclesi.c.10 *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Septuaginta interpretes ad meum propositum sic habent: *Si mordeat serpens sine incantatione,* Morsus serpentis incantationem non admittentis est tam venenosus ac pestilens, vt nullam admittat medicinam; & mors certissima subsequatur. Vult dicere Sapiens, sicut cùm talis serpens hominem momordit, spes vitæ nulla superest, sic cùm detractor venenoso suo morsu proximi lædit famam, spes nulla recuperationis ejus adest, & sic mortali afficit vulnere & occidit, & spem nullam vitæ recuperandæ admittit. Benè dico, detractricem linguam, cùm proximi lædit famam, mortem causare; nam bona fama, & opinio ac nomen honestum tanti pretij & valoris apud honoratos homines est, vt divitijs & omnibus hujus mundi bonis à plurimis præferatur, vt Spiritus S. lib. Proverb.c. 22. attestatur: *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Imò plurimi bonam famam ipsi vitæ, quã nihil charius, prætulerunt. Sic Romanos egisse sanctus August.lib.5.de civit.Dei asserit, *Ipsi pro fama acquirenda suum vivere ordinabant; aurum, divitias ceterasq; mundi cupiditates spernebant.* Vt Romani per totum mundum bonam haberent famam, omnes vitæ actus ad hanc acquirẽdam dirigebant, & omnes thesauros expendebant, & in comparatione hujus nec aurum, nec argentum, nec divitias, nec bona, nec commoditates æstimabant; & vt hanc clariorem redderent, vitam amittere & perdere nil ducebant. Vnde Origenes in caput 19. Iob dicit: *Sæpenumerò qui corporis cruciamenta toleravit, non passus est verba.* Et S. Ioann. Chrysost. considerans iniuriarum æstimationem, quam homines habere solent, sequentia habet verba: *Nescio, quomodo omnibus penè rebus amarius solent mordere maledicta, cùm certè multi ad laqueum convaluerint, opprobria non ferentes.* Sic diebus nostris honoris amantes agere deprehendimus, qui vt bonam tueantur famam, vitam nihili ducunt. Ergo dum maledictus atque detractor proximum in bona sua fama offendit, in vita lædit, & dum illam jugulat ac occidit, id est, perdere facit, vitam ejus quoque perdidit & mortẽ intulit; & quidem talem mortem, quæ nullam spem vitam recuperandi admittit; nam natura nostra ad talem corruptionem pervenit, vt seipsa ac varia scelera & vitia peragenda, & eadem de proximo suspicanda inclinetur; & si semel sinistra opinio vel conceptus malus menti nostræ imprimitur, non ita facilè aboletur, semper hæret, semper fixus manet, & solâ Dei voluntate mens ab illo liberari potest: & vt humanas excidit vires mortuo restituere vitam, sic æquè difficile est bonam famã semel ablatam & occisam pristinæ vitæ restitui. Ergo detractor, dum bonã tollit famam occidit; & sicuti homini, qui à serpẽte incãtationibus non subjecto læditur, nulla vitæ spes superest; sic homini, qui à maledica lingua bonâ famã privatur, accidit; nam illã recuperãdi spem nullã retinet: *Si mordeat serpens in silentio sine incantatione, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Origenes in Psal. 13. confirmat hanc doctrinam sequentia ponderans verba: *Venenum aspidum sub labijs eorum. Morsus serpentis veneno corpus interimit, morsus verbi venenati animam necat.*

Denique vt S. Bernardus vbi suprà asserit

Ecclesi. cap. 10.

Septuag. hîc.

Prov. c. 22.

S. August. lib. 5. de Civit. Dei.

Orig. in c. 19. Iob.

S. Chrys. homil. 15.

Orig. in Psal. 13.

asserit; maledica & detractrix lingua mortem, & quidem pestilentissimam causat in eorum animis, qui cum delectatione & libenter eam audiunt. *Et quem verbis suis scandalizat.* Et hujus suæ doctrinæ rationem reddens sermone 24. in Cantica, sic habet: *Vnus est, qui loquitur, & vnum tantum verbum profert, & tamen illud vnum verbum in vno momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit.* Et sanè meliori & aptiori modo pestilentissimum venenum detractricis linguæ sanctus hic vir demonstrare nobis non potuisset, quàm pestiferæ infectioni illam comparando: nam verè pestilens lingua illa est, quæ audientium animas dum inficit, absque vlla vitæ spe simul jugulat. Ex sacris litteris sancti hujus probatur doctrinæ veritas, vbi detractores pestilentes appellantur, vt Psal. 90. legimus, vbi Regius Vates, dum à detractrice lingua liberatum se gloriatur, pestilentiam illam nominat. *Ipse liberavit me de laqueo venantium & à verbo aspero.* vbi Hebræa traductio sic legit, *& à peste celeriter necante.*

S. Bernard. vbi suprà.

Idem ser. 24. in Cant.

Lingua detrahens pestis est.

Psal. 90.

Ideò Sapiens c. 28. ipsum infernum meliorem ac vtiliorem judicavit detractrice linguâ, dum sic loquitur: *vtilis potius infernus quàm illa*; nam si infernus alicui nocet, est quia ipse sic voluit; & si aliquem æternâ afficit morte, pessimus & sceleratus est; sed hæc & bonos & malos, innocentes & reos, volentes & nolentes tangit. Sic hunc locum doctissimus Hugo Cardinalis explicat, dicens: *Infernus vtilior est, quàm lingua nequam, id est, minus nocens; infernus enim non nocet nisi malis, lingua verò nequã nocet & bonis & malis.* O abominabile & horrendum vitium! Ergo summum malum, quo proximum offendere quis potest, murmuratio atque detractio est. In cujus veritatis probationem percipere vobis libeat, N. N. quæ Ieremias c. 18. sibi evenisse narrat. Inimicos suos, inquit, concilium coegisse & deliberasse, qui ipsi nocerent, *Venite & cogitemus contra Ieremiam cogitationes.* Sed audiam te aliquantulum, Ieremia, quænam fuerunt mala, quibus horum malignantium congregatio in suo concilio tibi nocere studuerit? fortè vt suæ satisfacerent rabidæ vindictæ, per varia & continua tormenta te longâ afficere voluerunt morte? Minimè gentium. Fortè lapidibus te obruere, aquis suffocare, laqueo vel cruci appendere, gladio jugulare, igni tradere, aut alio violento mortis genere vitam tibi eripere concluserant? nec hoc. Sed quid majus aut pejus his determinare contra te poterant? Vultis scire, quid? Ecce vnico dicam verbo. Murmurare, detrahere, malè de me loqui decreverant, & suâ pessimâ linguâ me cruciare & prolixâ afficere morte. *Percutiamus eum linguâ.* Majus in Cõcilio illo malignantium malum, quod sancto inferrent maligni, detractione reperire non poterant, Percutiamus eum linguâ. Et meritò; nam nil sub sole reperibile est, quo magis homo vexari atque tormentari possit, quàm lingua, & nil ita hominem offendit, quàm detractionis gladius.

Eccles. cap. 28.

Imò pejor inferno.

Hugo in hunc locũ.

Ierem. cap. 18.

Hi omnes quidem, qui talia agunt, abominabiles Deo sunt, at illi vel maximè, quorum intentio in nil aliud dirigitur, quàm vt proximi indagent acta, & ejus vitam investigent, atque quidquid in eo deprehendunt, censurent. Cap. 2. Levit. vetatur, ne quid offeratur in sacrificio in quo mel est. Verba textus hæc sunt: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absq; fermẽto fiet, nec quidquã fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Quomodo, Domine Deus, mel quo nil dulcius, nil gustui charius, quo omnia ad saporem condiuntur, prohibes? quęnam causa hujus prohibitionis est? S. Theodoretus in hunc locum assignat rationem dicens, Deum vetasse in sacrificijs sibi faciẽdis mel, propter ejus collectio-

Levit. c. 2.

S. Theodo[ret.] q. in cap. Levit.

lectionem, quæ ab apibus fit hoc modo: Mane & quidem diluculo de suo evolant alveario & per prata herbasque vagantes nunc huic, nunc illi insident flori, & quidquid in illis dulcedinis reperiunt, extrahunt; in quo actu vitam detractorum & murmuratorum & eorum actus repræsentant, qui aliud non agunt, quàm per omnium vagari vitæ actus, & nunc hunc, nunc illum considerationis aculeo tangentes, inquirunt, num aliquid ad referendum alijs & sinistrè censurandum deprehendere possint; id quod quotidiana nobis exhibet experentia. Congregantur tres vel quatuor, quid agunt? qui sunt discursus illorum? *Cogitant contra Ieremiã*, i.e. per civitatem vagantur considerationis pedibus, & omnium examinant vitæ modum, dicentes: *Percutiamus tamen linguâ*. Et si vir honestus, qui anteà aliquantulum terminos humilitatis & paupertatis in vivendi modo excesserat, nunc correctus ad honestos se retraxit terminos, transit, mox inquiunt: Percutiamus eum linguâ. Ecce quomodo iam hic tam compositè atque civiliter incedit, vbi sunt tot famuli, tantus splendor in vestibus? &c. defecit, non sufficiunt illi reditus, plurima jam habet debita, apud mercatores non habet creditum amplius; huic matronæ non sine causa defecerunt reditus; huic nobili jam cessant famulatus & amicorum obsequia; hic talis, ille talis. In summa, *Percutiamus eum linguâ*. Ah miseri! hæ apes sunt, vt sanctus Theodoretus dixit, & quidem inferni apes, quæ ex aliorum vitijs, quidquid repetibile est, colligunt, & inde dæmoni mel condiunt dulcissimum. Tales apes Deus non vult; odit enim ipsas & opus ipsarum. Audiamus Sancti verba: *Probibet quoq; mel offerri ad altare, eò quòd apis (vt quidã ferunt) vndecunq; conficiendi mellis occasiones coacervet.*

Hoc advertatis velim: Nunquam virum honoratum aut feminam honestam audivistis facilè de proximo murmurantem aut ejus enarrantem errores & defectus, sed solos perversos & sceleratos; & tales eo ipso quòd de proximo murmurant, facta ejus bona sinistrè explicant, & errores seu defectus detegunt, perfidos, malignos, vitiosos & sceleratos esse se cunctis demonstrant. *Linguis suis dolosè agebant*, dicit Regius Vates Psalmo 51. quæ verba explicans Venerabilis Beda, sic ait: *Mali enim malas habent linguas, id est, loquuntur dolum.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Audistis, N. N. quàm mala bestia sit detractio, & quanta damna causet; nunc supplicia maledicarum linguarum vobis quoque percipere lubeat. Et quidem primo loco Davidis Regis prognostica adducam verba, ex quibus infelicem illarum conditionem colligere possitis. *Vir linguosus* (Glossa interlinealis habet *Detractor*) *non dirigetur in terra*. S. Basilius hîc sic habet: *Non prosperabitur in terra.* Glossa ordinaria legit: *In hac vita*. Volunt dicere: Quicunque maledicus est, & suâ detractrice linguâ aliorum consuevit pungere vitas, in hac vita nullam bonam fortunam expectet; semper erit infortunatus, quidquid aget, & quidquid incipiet, malum & sinistrum sortietur effectum, & de miseria cadet in miserias, donec mendicorum pane vitam sustentare pro epulis habeat. *Detractor non prosperabitur in hac vita.* Cujus veritatis quotidiana habemus exempla. Quot, qui ditissimi erant, omni commoditate præditi, nunc ad pauperrimam & miserrimam redacti sunt conditionem? examinate vitæ ipsorum actus, & deprehendetis perfectissimos fuisse detractores & murmuratores, & vitam ipsorum nil aliud fuisse, quàm diligentem factorum alienorum inquisitionem

Supplicia detractorũ.

Psal. 139.
S. Basi. hîc.
Glossa hîc.

tionem & sinistram explicationem: sed,
quod priùs, & sanguineis deplorandum
lacrymis est, cùm moriuntur, iustissi-
mo Dei judicio, cùm omne malum de
proximo suo dixerint, omnibus ob-
ruuntur malis, & absque Sacramento-
rum susceptione moriuntur, sine vlla
contritione in peccatis mortalibus de-
sperati discedunt, & in æternum con-
demnantur. Sic Regius attestatur Va-
tes psal. 139. *Virum iniustum*, id est, *detra-*
Psal. 139. *ctorem* (vt Glossa interl. explicat) *mala*
capient in interitu. & Glossa moralis hîc
Glossa interlin hîc. reddens rationem sic habet: *Quia mala*
gehennæ cum capient in morte, vult dicere:
Vivens inferni gustabit pœnas.

Secundo loco ejusdem sanctissimi
Prophetæ vobis adducam correctionis
verba, quibus quendam detractorem
arguit: *Dilexisti omnia verba præcipitatio-*
nis, lingua dolosa: propterea Deus destruet te
Psal. 51. *in finē*. Vult dicere: Væ tibi lingua mur-
muratrix, & detractrix, quæ in factis
proximi tui dilacerandis ac denigran-
dis tuas fundas delicias, quia Deus in
fine vitæ tuæ destruet te, & in æternum
perdet. Destruet te in finem; sed quis-
nam hic finis est, qui tantam maledico
minatur maledictionem atque perdi-
tionem? Doctissimus Hugo Card. in
hunc locum mortis horam esse opina-
Hugo hîc. tur. *Destruet te in finem, id est finaliter te*
deseret, vt in gratia vitam non termines, nec
à peccatis resurgas. Vult dicere: Cùm
morti proximus eris, & tua volueris
peccata confiteri, justo Dei judicio lo-
quelam perdes, & ratione privaberis, ne
illa confiteri & famā ablatam restitue-
re valeas, & sic condemnatus intereas.
Destruet te in finem. Sanctus Bernardi-
S. Bernar. Senens. ser. 29. art. 2. cap. 1. nus Senens. locum hunc explicans ser-
mone 29. art. 2. cap. 2. sic ait: *Id est, irre-*
vocabiliter, in qua denotatur destructio æter-
nalis, quæ sine fine erit: Id est, inexorabilis
tibi tunc erit Deus, qui alienam detur-
pas famam, & destructio atque perdi-
tio tua in æternum durabit; nam vt in

totā vitā tuā nulli pepercisti, sed quæ-
cunque tibi in mentem veniebant, sine
vlla consideratione de proximo tuo lo-
cutus es, & pro summa habuisti dele-
ctatione, aliorum obloqui moribus, &
bonæ detrahere vitæ, sic Deus in æter-
num suæ maledictionis effectum te
sentire faciet.

Tertiò sancti Spiritus verba libri *Eccles. cap. 28.*
Ecclesiast. cap. 28. vobis recitabo, quibus
aliud supplicium, quo in detractores
Deus solet animadvertere, exhibetur:
Susurro & bilinguis maledictus. quæ ver-
ba Doctissimus Liranus explicans ait: *Lir. hîc.*
Susurro qui detrahit alteri latenter, & bi-
linguis, qui dicit vnum in præsentia & con-
trarium in absentia, maledictus. Et quare ma-
ledictus? (dicit Hugo Cardin.) *multos enim*
turbavit pacem habentes, discordias inter ip-
sos seminando. Sed quâ maledictione per-
cutietur? Idem dicit: *Maledictione dig-*
nus, illâ, scilicet; *Ite maledicti in ignē æter-*
num; illâ, quæ in particulari contra ma-
lignos in vltimo Dei judicio fulminabi-
tur; illâ, quâ impij à glorioso Dei vultu
reijcentur; illâ, quâ miseri reprobi æter-
nis addicentur pœnis hâc maledicentur
detractores, hâc punientur murmurato-
res; nam difficile & quasi impossibile
est, detractorem saluari posse.

Quid ergo N.N. nobis ex nostra par-
te agendum erit, vt à tot malis liberi
ac securi simus? Vt pestis & pernicio-
sus anguis detractor ac murmurator
nobis fugiendus est, & ejus verbis nul-
la omnino adhibenda est fides. Hæc
Sancti Hieronymi doctrina est: *Tu verò* *S. Hier. ad Celant.*
hoc malum ita fuge, vt non modò ipse non
detrahas, sed ne alio quidem detrahenti
aliquando credas, nec detractoribus au-
ctoritatem de consensu tribuas, ne eorum
vitia nutrias annuendo; nam idem de-
lictum committitur ab auscultante,
quod à detrahente, & eâdem pœnā
maledicus ac auscultans castigabitur.
Ideò Sapiens libr. Proverb. capite 24. *Prov. c. 24.*
fideliter admonens dicit: *Cum detra-*
ctoribus

ctoribus ne commiscearis, quoniam repentè consurgit perditio eorum, & minam vtriusque quis nouit? Vult dicere: Cùm detrahentem quempiam proximo tuo percipis, caue ne attendas vel audias; nam vt ille iusto Dei iudicio punietur, & æternâ condemnabitur morte, sic & in te Dei animaduertet iustitia. Inde Sanctus Bernardus lib.2.de Consid.ait: *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim.* Quantùm ad me attinet, vult dicere Sanctus: Determinare nolo, quodnam maius & abominabilius scelus sit, detrahere,aut detrahentem audire,cùm ambo sint grauissima peccata, & maximo digna supplicio. Ideò, vt Possidonius in vita S. Augustini narrat,vt Sanctus hic Doctor ab vtroque vitio & eorum supplicijs liber ac securus esset,loco, vbi mensæ assidere & refectionem sumere solitus erat, sequentes iussit inscribi versus:

S.Bern.l.2. de Consid.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Volebat dicere, mensam suam stratam non esse detractori, aut murmuratori; & si aliquando contigisset, vt qui mensæ assisterent, verba aliqua murmuratoria emitterent, protinus dicere solebat: Auferte versus illos,aut ego è mensa discedam.Quo dicto detrahentium claudebat ora, & se ab vtroque crimine ejusque supplicijs liberum reddebat.

Eandem doctrinam Spiritus S. lib. Prouerb.c.25. clarissimis docuit verbis: *Ventus aquilo dissipat pluvias, & vultus tristis linguâ detrahentem.* Qui detrahenti non arridet,sed tristē & iratum præbet vultum, à maledico sermone illum cessare faciet.Similia habet S.Hieron.in Regul.Monach. c.12. *Detractor,cùm tristem faciem viderit audientis, imò non audientis,sed obturantis aures suas,ne audiat iudicium sanguinis,illicò cōticescit,pallet vultus,hærent labia,saliua siccatur.* Cùm obloquentem deprehenderis quempiam, ne audias, imò vt securior sis, aures tuas fortiter obtura, quo facto detractorem confundes,& à sanguinis judicio & detractionis scelere desistere coges.

Prov.c.25.

S. Hier. in Reg. Monach.

Aliud efficacissimum remedium nobis S. Chrysost. Hom. 3. ad Pop. tradit, quod in hoc consistit, vt murmurantis vel detrahentis os sequentibus verbis obturemus. *Habes, quem laudes? aures aperio vt vnguenta suscipiam: si verò malum velis dicere, obturo aures; non enim stercus & cœnum accipere sustineo.* Vult dicere Sanctus Vir: Charissime frater, si de proximo nostro bona proferre placeat, aures meas ad tam pretiosum vnguentum recipiendum perlibenter tibi præbebo; sed si murmurare & aliorum detrahere moribus velis, scias meas me obturaturum aures,ne lutum & abominatio tuæ maledictionis intrare valeat. Et S. Hieronymus vbi suprà expressis docet verbis, angue pejus murmuratorem & detractorem fugiendum esse dicens: Si quem alicui detrahentem audieris,procul fugiens,dimitte vt serpentem, vt verecundiâ victus discat de factis aliorum silere.

S.Chrys. hom.3. ad pop.

Optimum & efficacissimum remedium est, Deum orare, vt de malignis & serpentinis murmuratorum linguis te custodire & liberare velit. Pulcherrimum orationis genus semper æstimavi, quod à cœco quodam ad Ecclesiæ cujusdam valuas eleemosynam petente percepi, qui pro intrātibus & exeuntibus sequentibus verbis Deum exorare solitus erat: *Deus vos liberet à malignis linguis.* Et videtur David idē à Domino Deo Psalm.119. supplicasse: *Domine libera animam meam à labijs iniquis & à linguâ dolosâ.* Ex quibus verbis deprehendimus,magis illi curę fuisse,malignantium linguis quàm inimicorum manibus liberari. Et non immeritò; nam lingua detractrix multò dam-

Psal. 119.

nosior est inimicorum gladio aut manu, & majus fert præiudicium & dolorem: nam gladius aut manus corpus, lingua verò animam offendit. Bonã enim famam lacerat, honoré denigrat, quæ ad animam pertinent; sic etiam manus, aut gladius non nisi vicinos & præsentes, lingua verò etiam distantes, absentes & muris inclusos offendit atque lædit.

Finio hanc primam partem, in memoriam vobis reducendo, Deum linguæ membro præ alijs animalibus donasse homines ad Dei laudes decantandas. Sic S. Basilius in Psalm. 33. docet: *Ne ad maledicendũ linguã tuam assuescas, quæ ad laudandũ Deum creata est.* Hâc ergo Deum laudare ne cesses, sed sine intermissione cum Regio Vate sequẽtia dicas verba: *Benedicam Dominum omni tempore: semper laus eius in ore meo.* Singulis diebus, quibus vixero, alia Dei verba non procedant de ore meo; hæc resonent his semper gratias agendo & laudando Deum tuum colas. Quiescamus.

S. Basil. in Psalm. 33.

PARS II.

PUNCTUM TERTIUM.

Vidimus primâ parte atque examinauimus grauitatem peccati detractionis, & quantum Deo murmuratores displiceant; qualia verò supplicia talibus præparata sint, & ipsis immineant, secundo puncto exhibui. Nunc hâc secundâ parte & tertio puncto superest vobis necessitatem linguæ custodiæ demonstrare, & quomodo sine hac impossibile sit saluari, ostendere. Quantæ vtilitatis linguæ custodi, & quanti damni ejus incuria sit, Ethnici Philosophi etiam cognouerunt. Et quidem custodia eius & silentium naturali instinctu in tanta fuit apud eos æstimatione, vt in eius laudes pulcherrima dicta nobis reliquerint. Pythagoras vt suos instrueret discipulos, quinquennale pro rudimentis ab illis poposcit silentium, vt sic tacere cùm didicissent, faciliùs bene & rectè loqui apprehenderent. Sic refert S. Ambros. lib. 1. de manf. filior. Israel. Magnus ille Philosophus Seneca Epist. 107. suis vt salutis sequentia tradidit verba: *Auribus frequentius vtendũ est, quàm linguã.* Sed quid dico de Philosophorum doctrinis? Ipsamet natura licèt muta sit, tamen modo quo linguam formauit, posuit ac custodiuit, satis indicat, membrum esse, cuius summa habenda sit custodia. Sic Biantius apud Laertium: nam non solùm vnâ, sed duplici inclusit portâ, & veluti locum vel domum aliquam summi momenti duplici circumdedit vallo ac muro, dentibus nimirum ac labijs, quæ antemurale sunt. Necessitatẽ huius sat David cognouerat, ideò tam instanter Dominum pro hac custodia deprecabatur. *Pone Domine custodiãori meo & ostium circumstantiæ labijs meis:* ac si dicere voluisset: Domine mi, natura duplici vallo muniuit linguam meam, sed hæc tam insolens atque inquieta est, vt huic custodiæ illam credere non audeam; ideò deprecor, vt nouâ eam custodiâ coercere velis, & ostio bene clauso circũdare, vt sic obserata in suo se contineat silentio, & non nisi aperto ostio loqui valeat. Hugo de Sancto Victore dicit, hac oratione Dauidem nos instruere voluisse, summâ linguæ custodiâ atque in loquendo circũspectione opus esse, ita vt suo tẽpore ad instar ostij aperiatur & claudatur. *Ostium ponitur, quod loco & tempore clauditur & aperitur.* Xenocrates doctissimus ac sapientissimus Philosophus, vt Laertius in vitis Philosophorum refert, vtilissimam hanc dabat doctrinam, homini pauca loqui & plurima audire conuenire, & ideò naturã duplici ostio audiendum, vno verò od loquẽdũ corpori prouidisse. Hic est sensus verborũ à S. Iacobo Epist. Cath. c. 1. prolatorũ: *Sit autem omnis homo velox ad audiendũ, tardus verò ad loquẽdum,* Quod ego verò in corporis nostri

Quâ curâ custodienda lingua.

S. Amb. l. 1. de manf. fil. Israel.

Senec. Epist. 107.

Biant. apud Laert.

Psal. 104.

Docuit natura & Philosophi.

Xenocr. apud Laer. in vitis Philos. ph.

S. Iac. 1.

structura

structura & naturæ architectura considero, est, quod omnes sensus duplicibus dotaverit instrumentis ad suos exercēdos actus; visum duobus oculis, auditū duabus auribus, olfactum duplicibus naribus, tactum duabus manibus, loquelę verò tantum vnum instrumentū, & hoc clausum & bene custoditum, vt suprà dixi, quo facto demonstrare voluit parcitatem loquelę, ideò vt Aristoteles l.2. de Natur.anim.animadvertit, natura loquelæ instrumentū & linguæ membrum parvum respectu aliorum humani corporis formavit, & in abscondito & bene clauso posuit loco, vt non multum, sed parum, & cùm summa id requirit necessitas, loquatur, & suæ velocitati & promptitudini frænū injjcere discat. Solon Philosophus, vt Laertius refert, solitus erat dicere, loquacem civitati absque muris, domui absque porta, navi sine nauclero, equo absque fræno similem esse. Quam doctrinam à Salomone Proverb. cap. 25. didicisse videtur, vbi sapiētissimus Rex sequentia habet verba: *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritū suum.* Socrates apud Stobæum dicere solebat, duo vt summè necessaria in hoc mundo addiscenda esse: Primum tacere: Secundum cùm loqui convenit, pauca loqui; ideò ille summis laudibus dignus erat, qui tres sibi desiderabat qualitates; primò in aliorum perlustrandis factis cœcum esse; secundò in aliorum percipiendis actibus surdum; tertiò in aliorum enarrando opere mutum; & è contrà hos summoperè vituperabat, qui vt aliorum perlustrarent, audirent & enarrarent acta & facta, centum oculos, centum aures & mille linguas desiderabant.

Ergo N.N. summam in linguæ nostræ custodiâ diligentiam adhibeamus; quod si feceritis, certo certius cum vate Regio æternam vobis promitto salutem, qui Psal. trigesimo tertio sic loquitur: *Quis est homo qui vult vitā?* Quis ex vobis est, qui salvari cupit? & æternā possidere gloriā desiderat? omnes nullo excepto. Sed quid agēdum vt obtineatur hæc desiderata salus! *Prohibe linguā tuā à malo & labia tua ne loquantur dolū.* Id est, caveas tibi mala loqui de proximo tuo & ejus in fraudē detegere acta. Quem locum S. Hieron. ponderans, sic scribit ad Cælantiam: *Ecce quod in refrenatione linguæ beatitudo ponitur, vt detur intelligi, quod in multiloquio Deus, qui est beatitudo, haberi & contemplari non potest.* Videtis, quàm necessaria ad salutem consequendam sit custodia linguæ, & quòd in silentio beatitudo consistat.

Vltimum remedium contra linguæ insolentiā sint vobis verba illa Apostoli, quæ si sępiùs mente volueritis, liberi ab omnibus linguæ malis eritis. *Maledici Regnum Dei non possidebunt.* Id est, detractores, murmuratores de Dei regno excludentur. Ideò S. Ephrem tractat. de virtutibus & vitijs dicit, sanguineis lachrymis statū murmuratoris & detractoris deplorandum esse; nam filij æternæ condemnationis erunt, Verba Sancti hęc sunt: *Verè miser ac deplorandus est ille, qui maledictis & convitijs in proximū conferendis assuescit. Quid autem hoc scelere gravius? vnde quoque Sanctus Apostolus nefaria impiorum hominum opera prohibens etiam maledicos ijs adnumerat: neque maledici (inquiens) regnum Dei possidebunt.*

1. Corinth. cap. 6.

S. Ephrem Tract. de virtutibus & vitijs.

Non nego, difficile linguæ esse custodiam. Experientiâ habemus, non tam indomitum ac sylvestre à natura fuisse productum animal, quod humana non domuerit industria & diligentia. Legite historias & reperietis veritatem me vobis prædicare. Plinius lib.8. cap. 16. attestatur, Marcum Antonium ita domitos habuisse leones, vt equorum loco per Romanæ vrbis plateas triumphalem ejus currum duxerint. Sed quod magis mira-

Plin. lib. 8. cap. 16. Omnes bestiæ domātur, at non lingua.

mirabile est, apud Ælianum reperio, Annonem Carthaginensem eos sic domuisse, vt asini subirent vices, & in longinquas partes ponderosissima portarent onera. Ægyptij aspides, Indi tygrides domuerunt, ex quibus quædam mansuetissima Anastasio Imperatori dono fuit data; sic Elephanti, sic lupi, sic vrsi, imò & pisces, quod admirabile est, cicurantur & instruuntur ad nutum hominis. Sola lingua tam indomabile & sylvestre animal est vt domari non possit. Sancti Iacobi Apostoli in sua Cath. Epist. capite tertio, hic est conceptus; audite verba: *Omnis enim natura bestiarum & volucrum & serpentum & cæterorum domatur, & domita sunt à natura humana, linguam autem nullus hominum domare potest.* Quis nostrûm gloriari poterit se linguæ suæ veras imposuisse habenas, ac integrè domuisse? certè nullus. *Linguam autem nullus hominum domare potest.* Ergo cùm homo non sit, qui linguam suam refrænare possit, ad Deum pro vltimo remedio est recurrendum, & ipse, vt domare velit, rogandus est. Sic habet Sanctus Augustinus sermone 3. de verbis Domini capite primo & secundo. *Intelligamus, charissimi, si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram.* Deus igitur pro hâc gratiâ deprecandus est; nam linguę frænum ponere, Dei (vt Sapiens attestatur) officium est, Proverbiorum capite decimosexto: *Domini est domare linguam.* Itaque omnes & singuli cum Regio Vate ad Dominum clamemus dicentes: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis*; quod si feceritis, & linguę vestrę frenum imposueritis, & æternæ, vt dixi, gloriæ hæredes eritis, quod mihi & vobis concedat Deus, Amen.

Ælian. Hist. var. — *S. Iacob. c. 3.* — *S. Augus. serm. 3. de verb. Dom. c. 1. & 2.* — *Prov. c. 16.* — *Psal. 104.*

DISCVRSVS XX.

PRO DIE IOVIS POST DOMIMICAM TERTIAM QUADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Tractatur de corporali infirmitate, & tres admirabiles ejus adducuntur effectus. Primo puncto probatur, quomodo infirmitates homini frænum ac catenæ sint, quibus prohibetur mala agere: Secundo puncto, quomodo hominis cor pro Dei habitaculo disponant. Secundâ parte puncto tertio demonstratur, quomodo infirmitates calcaria sint homini, & promptum illum in Dei servitute reddant.

Thema.

Surgens Iesus de Synagoga, introivit in domũ Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Luc. cap. 4.

SAt lassus ac defatigatus erat dulcis meus IESVS, cùm in Synagoga disputans perditum esse laborem suum videret, atque adeò perfidos Pharisæos ac Scribas deseruit, & ad domum Simonis se contulit, vt ibi misericordiæ suæ thesauros aperiret, & domum illam participem faceret, quod & fecit: nam Socrus Petri sanatur à febri, sani-

cati restituitur, & tota domus internâ & externâ lætitiâ impletur: *Et imperavit febri, & dimisit illam febris*: legimus in hodierno Evangelio. Sed, quid negotij febris cum Sanctorum habet personis? quomodo malum in domo bonorum hospitium vsurpare audet? quomodo sanctitas & pœna simul habitare & commorari possunt? quæ vnio est virtuti & supplicio? amicitiæ Dei ac infirmitati quæ paritas atque conjunctio? Si Socrus Simonis Dei erat ancilla, cur illam febris aggreditur? si Petrus sanctus est, cur tribulatione affligitur? si Socrus justa est, quomodo infirmitate torquetur? Hic, N.N. nodus Evangelij est, quem nobis hac concione Dei concurrente gratiâ miraculosos infirmitatum effectus enarrando solvere prætendo. Quorum primus sit, quòd homini frænum sit infirmitas, quo à malo patrando cohibetur; catenæ & laquei, quibus ligatur & captivatur, ne passum quidem vnum contra Dei præcepta faciat. *Tenebatur magnis febribus.* Secundò disponit cor hominis ad Dei habitaculum, & ipsum Altissimum introducit & ibi habitare facit. *Introivit* Iesus *in domum Simonis.* Tertiò, vigilem & promptum ad Dei reddit servitutem. *Surgens ministrabat illis.* Attendite.

PARS I.

PUNCTUM PRIMUM.

Socrus autē Simonis tenebatur magnis febribus. **Luc. c. 4.**

Certissimum, N.N. est, quamcunque infirmitatem, adversitatem, tribulationem à Deo etiã per supplicij modum immissam, evidentissimum esse divini amoris signum: nam, vt egregiè Sanctus Ioannes Chrysostom. notat, supplicia omnia, quæ à Deo nobis immittuntur, amoris indicia sunt; & licèt aliquando Deus, cùm nostri id exigunt mali actus, duriùs procedat, varias infirmitates, dolores, tribulationes immittendo, his nihilominus verum ac amantissimum Patrem nostrum esse se exhibet; & si quid durius agit, non ex odio, sed ex amoroso affectu procedit, & non ad destruendum nos, sed ad salvandum intenditur, quod sapientissimus Rex Salomon Proverb. cap. 3. sequentibus indicavit verbis: *Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Et S. Chrysost. probat hunc suum conceptum formâ & modo illo, quem Deus in puniendo Adami inobēdientiam & Caini fratricidium servavit, quæ prima fuerunt supplicia, quæ hîc Pater dilectissimus suis intulit filijs, quibus Sanctus Vir Dei amorem & suavitatem, quâ in supplicijs ferendis vtitur, demonstrare conatur. *Vide quomodo & puniat, & in eo ipso dilectionem suam exprimat.* Et tandem subjungit dicens: *Punit quia diligit, non simpliciter vt pœnas sumat.* Quando ergo Deus in hac vita suos flagellat, non hoc facit eò quòd odio habeat & perdere velit, sed quia diligit, & vt paternum suum exhibeat affectum, & vt charissimos corrigat filios; nam amor ille immensus, quo in nos fertur, nollet nos æternâ privari hęreditate; ideò dum nos corrigit, illam nobis conservat ac securam facit. Deus cùm pœnas infert & punit, omni clementiâ ineffabili facit medentis, non perimentis affectu. Concludit Sanctus Chrysostomus: Hæc causa est, quòd filij Dei, etiamsi percutiantur & flagellentur à cœlesti suo patre, durante etiã flagello, & actuali stante animadversione varios amoris & dilectionis erga Deum vt amantissimum patrem suum affectus & internæ consolationis effectus ostendant, & amorem flagella causantem recognoscant. Hoc David sibi evenisse fatetur Psal. 22. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Ipsamet supplicia & flagella, quę tu, ô dulcissime Pater! mihi mittis, tribulationes infirmitates, adversitates, quibus in meos

S. Chrys. hom. 48. ad pop.

Infirmitates amoris divini signa sunt.

Prov. c. 3.

S. Chrysost. hom. 33. in Epist. ad Rom.

meos errores animaduertis, varios consolationis in anima mea causarunt effectus, & in tuo amore me confortarunt. *Ipsa me consolata sunt.* Nam sat clarè deprehendo, & manifestè video, ex nullo alio affectu quàm summi amoris procedere, & in flagellis nil aliud, quàm meam salutem te quærere. Et sic N.N. si socrus Simonis febri ardentissimâ à Domino flagellabatur, non odij alicuius aut reprobationis, sed summi amoris atque salutis signum erat, & tota illa afflictio non ab alia origine, quàm paterna dilictione fluebat. *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus.* Ergo summi amoris effectus hæc febris erat, & ardens ille ignis in carnibus socri Simonis ignis diuini amoris signum extitit; nam verba illa, quæ ipsamet Veritas
Apoc. c. 3. Apocal. c. 3. dixit, verissima sunt, & de germano ipsorum sensu minimè dubitandum est. *Ego quos amo, arguo & castigo.*

Huius veritatis insigne nobis præbuit exemplum magnus ille Patriarcha Ioseph, supremus Ægypti Gubernator in suis fratribus, singulariter in iuniore Benjamin. Venerant omnes fratres frumenti emendi causâ, quorum sacci cùm à ministris impleti essent, iussit vnicuique suam enumeratam pecuniam saccis imponi, sed in Benjamin iunioris fratris sacco scyphum, ex quo bibere solitus erat, abscondi mandauit. Sic sacer habet textus: *Præcepit saccos eorum imple-*
Gen. c. 44. *re frumento, quantū possunt capere, & ponere pecuniam singulorū in summitate sacci: scyphum autem meū argenteum, & pretiū quod dedit tritici, pone in ore iunioris sacci.* Quo facto discedendi dedit licentiam. Sed quid facit Iosephus, qui amore erga iuniorem ardebat fratrem, & quo stratagemate vsus est, vt fratribus discedentibus ipsum secum retinere posset? Mittit satellites, qui eos vt exploratores capiant, & in singulorum saccis ac si fures essent, scyphum, quem sibi furto ablatum esse conquerebatur, inquirant; qui in sacco dilectissimi fratris iunioris Benjamin repertus est. *In nul-* S. Amb lib.
lius alterius sacco scyphus argenteus repertus de Ioseph.
est (dicit Sanctus Ambrosius lib. de Ioseph cap. 9.) *nisi istius.* Et hoc à Iosepho sic ordinatum fuit, vt iuniorem fratrem, quem præ cæteris amabat, per piam hanc fraudem secum habere posset. *Scyphum misit, vt fratrem, quem diligebat, piâ fraude reuocaret.* Ergo tribulationes & aduersitates à Deo immissæ minimè alicuius odij, sed summæ dilectionis signa sunt; nam his eius serui, si forsan per mundi huius compita de vero itinere abducti sint, & per varios errores vagentur, ad Deum vt Patrem reuocantur & reducuntur, & harum intentio, summa eorum vtilitas est. Sic dilectissimo euenit Benjamin, qui plenus mœrore & afflictione ad fratrem reducitur, non vt perderetur, sed vt charissimi fratris in gaudio frueretur consortio.

Hoc quotidiana experientia nos docet, quòd sæpissimè afflictiones & tribulationes à Deo nobis immissæ lumen rationis per delectationes mundi amissum & obscuratum reaccendant, & intellectum perditũ reducant, vt cognitis suis erroribus melioré instituant vi- Isa. c. 28.
tã. Hoc est quod dixit Isaias c. 28. *Tantūmodo sola vexatio intellectum dabit:* nam sic angustiati & afflicti errores suos cognoscunt, & pro auxilio ad Deum Patrē suū
recurrunt, vt Oseas c. 6. asserit. *In tribu-* Ose. c. 6.
latione mane consurgent ad me. Quē locū S. Hieron, explicans sic habet: *Pœnarū formido & tormentorū metus vos corriget ad salutem, & mala vestra intelligere facit.* & clariùs glossa moralis hîc: *In tribulatione*
sua mane consurgent ad me, quia vexatio dat S. Hier.
intellectū reuertendi ad Dominū. Idē Deus hîc.
docere voluit apud Oseā Pro. c. 2. dū di- Ose c. 2.
cit: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis:* ac si diceret. In vijs tuis cùm ad delectamẽta mundi hujus declinaueris, spinas po-

ponam, vt ijs offensus in te redeas, & à peccatis recedas, & mihi denuò adhæreas. Quod (vt S.Hieronymus in hunc locum attestatur) summâ Dei prouidentiâ agitur,& summa nobis exhibetur gratia, dum tribulationis spinis circumdamur. Hoc Luc. 16. legimus prodigo euenisse filio, quem famis tribulatio sapientem reddidit, & de domo patris cogitare& reditum meditari,& sylvas vbi inter porcos viuebat, & de siliquis saturari non poterat,deserere & ad patrem redire fecit;ideò in se reversus & errore cognito dicebat: *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus,ego autem hîc famè pereo.* Quæ verba S.Gregor.Nyssenus tractatu de Oratione considerans,scripsit: *Nō priùs redijt ad pristinam felicitatem, quàm in se rediens sentiret opprimentis ærumnæ præsentiam.*

S. Hier. hic. — *S.Luc.c.15.* — *S.Gregor. Nyss. tract. de orat.*

Ad idem nostrum propositum sanct. Augustinus in Psal.40.sequentia ponderat verba: *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius,* Dū grauibus opprimeretur doloribus, & summâ teneretur infirmitate, & totus lassus in lecto suo decumberet, totum commouisti in lectum eius. Dicit hoc intelligi de tribulationibus à Deo immissis, quæ hominem quiescere in mundi delitijs minimè sinunt, & terrenis priuant delectationibus, vt illa despicere ac contemnere & æterna inquirere ac amare sic addiscamus. Verba eius hæc sunt: *Deus volens nos amorem non habere nisi æternæ vitæ,his delectationibus miscet amara, & vertit infirmitatem nostram, ne in via stabulum amemus pro domo æternæ habitationis.* Sic in hodierno Euangelio socrus Petri grauiter infirmatur,&maxima laborat febri; *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus,*quæ simul ac sanitatem à Christo obtinuit, statim hospitalitatis suscepit officium, & Christo Domino cum sanctis Apostolis seruiuit & ministrauit. *Continuo surgens ministrabat illis.* Ex quâ doctrinâ, N.N.hoc pro mea capio parte,Dei seruum quempiam esse ex eo cognosci,cùm in tribulationibus sibi àDeo immissis non tristatur,sed sereno vultu,hilari animo illas suffert, & sustinet, & non maledictionis verbis Deo obmurmurat, sed benedictionis laudat, & summas agendo gratias cognoscit,ad suam vtilitatem sibi à Domino has esse immissas. Ideò Paulus Apost. ad Rom.5.dicebat: *sed & gloriamur in tribulationibus.* Quæ verba S. August.in Psal.31.scribens dum ponderat,ait: *Dicit Apostolus: sed & gloriamur in tribulationibus; nam non est magnum gloriari in gaudijs, gloriari in delitijs; rectus corde etiam in tribulatione gloriatur.*

S. Aug. Psal.40. — *Luc.c.4.* — *Ad Rom. 5.* — *S. August. in Psalm. 31.*

Iam sensum verborum à Rege David Psal.41. prolatorum clariùs capito: *In die mandavit Dominus misericordiā suā & nocte canticum eius.* iuxta Glossæ expositionem dicere volebat, hominem iustum & Dei prætendentem hæreditatem, non in die tantum consolationum & prosperitatis Deum laudare, benedicere & pro præstitis beneficijs gratias agere debere,verumetiam in nocte tribulationum,cùm Deus varias immittit aduersitates ac infirmitates,Deo debere cantare laudes,Audiamus Glossæ verba: *Per diem intelligitur tempus prosperitatis,& per noctem tempus aduersitatis: sic ut ergo Deus in prosperitate ostēdit misericordiam suā hominibus,ita tempore aduersitatis,in quo ostendit iustitiam suā,non debet omitti canticum laudis eius.* Tandem concludit dicens,sic David Regē egisse, & Psalmo 33.benedixisse Domino: *Benedicam Dominū in omni tempore;* id est prosperitatis & aduersitatis.

Gloss.ord. hic. — *Psal.33.*

PVNCTVM SECVNDVM.

VErùm cùm effectus, quos infirmitates,aduersitates,tribulatiões à Deo immissæ causant atque perducunt, innumerabiles sint, principalio-

Effectus infirmitatum ac tribulationū.

res aliquot exhibebimus: sit ergo primus, quòd hominem ligent & quodammodo catenis vinciant & constringant, ne pro carnis libitu contra Dei præcepta aliquid agere, & in peccatorum via passum vnicum conficere valeat. Sic Psalmista sibi contigisse Psal. 65. cōfitetur: *Posuisti tribulationes in dorso meo.* Supra quæ verba reperi duas admirabiles lectiones vel explicationes apud Septuaginta interpretes: Vna habet, *morbū constringentem*: altera, *catenam*. Et sanè ad rem: nam febris vel quæcunque alia infirmitas aut adversitas corporalis hominem ad vitam mutandam, piè ac honestè vivendum mirabili quodam modo constringit, & ad carnis desideria, terrenasque delectationes derelinquendas, & cœlestia meditanda & sectanda cogit. *Morbum constringentem*; nam cùm homo Dei beneficijs & prosperitate omni de cælo missâ ad bona incitari voluerit, adversitate sic cogente & constringente incitabitur. Si injuriam à proximo illatam dimittere recusarit, & ob Christi amorem toties rogatus, infirmitatis periculo & mortis timore id agere constringetur. *Morbum constringentem*. Debitum illud, quod prosperitate durante solvere renuebat, adveniente infirmitate & mortis periculo solvetur. *Catenam*. Quid dico? infirmitas & corporalis adversitas gravissima catena est, quâ peccator tam fortiter constringitur ac ligatur, vt ne pedem contra virtutis regulas movere possit. Ligat manus & ad vindictam extendere prohibet, ne ad opus aliquod Legi Dei contrarium extendere valeat, mirabili valore constringit; ligat pedes & quasi compedibus summi & maximi ponderis constringit, & per libertatis mundi vias incedere ac currere prohibet.

Psal. 65.

Infirmitates sunt quasi vincula.

Lect. ex Septuag.

Ad hoc propositum audite pulcherrimam historiam. Iuvenis quidam dives ac nobilis à parentibus ad quandam ex principalioribus Academiam studiorum missus fuerat causâ: hic cùm admirabili ingenio præditus, ingenuis ac nobilissimis moribus imbutus, pulcherrimâ corporis formâ à natura dotatus esset, omnibus in admiratione & amore erat; sed ex altera parte libertate deceptus, inhonestam & licentiosam agebat vitam, & in prædam sensuum suorum datus & mancipium scelerum factus. Contigit, divinâ sic disponente misericordiâ, eum gravi pedum morbo opprimi, qui contra omnium medicorum auxilia atque remedia de die in diem crescebat & tandem iuvenem ad ambulandum totum inutilem reddidit, qui lecto alligatus, malam suam vitam contemplari ac detestari, & aliam sanctā agere cœpit, & sic brevi ex dyscolo mutatus in alium & sanctum quidem virum, Deo summas agebat gratias: & quia hanc mutationem ex adversitate illa causatam recognoscebat, Pictore advocato in scuto par compedum sibi depingi & sequētia addi verba curavit, *Impediunt & expediunt*. hac suâ inventione significare volens, ferrum & compedes quidem delinquentes tenere à fuga: attamen etiam conducibiles esse ad bonum operandum & vitam malam in meliorem mutandam, adeoque infirmitatem, quâ divina ipsum visitaverat misericordia, gravissimas & ponderosissimas compedes sibi quidem esse & his, ne per libertatis latissimas & spaciosissimas vias pro libitu suo discurrere valeat, impediri; nihilominus mirabili quodam modo his ipsis ad Dei currendam viam expeditum se reddi, & ad aliam incipiendam vitam adigi. *Impediunt & expediunt*.

Theat. vit. hum. tom. 3. lib. 2.

Factum iuvenis insitmi qui vincula hæc agnouit.

Secundo lib. Machab. cap. 9. enarrat Scriptura sacra impij illius Antiochi Regis acta. Fortis ac sanus impius hic erat Rex & in omni sua actione prosper & felix, quo confisus apud semetipsum summa & inaudita scelera erga Dei populum committere decreverat; ciui-

2. Mach. cap. 9.

Antiochus emendatus in his vinculis.

civitatem sanctam Ierusalem flammis ac inhabitatores gladio consumere, Dei templum funditus diruere, & ne quidem vnum Hebræum superstitem relinquere, constitutum erat. Ad hæc expedienda validâ manu militum Ierosolymam petit, & ecce dum passus accelerat, & suam rabidam choleram per Hebræorum & templi perditionem extinguere properabat, infirmatur graviter, varijs doloribus & cruciatibus infirmitatis obruitur, qui mox & manus & pedes & totum corpus tam fortibus stringunt vinculis, & tam ponderosas inijciunt compedes, vt mala illa, quæ Hebreis facere decreverat, non tantùm non permitterent exequi, verùm etiam ad alia his contraria agenda expedierint. Nam graviter à Domino tactus & his compedibus vinctus, errorem cognovit, cor mutatum est illi in aliud, & qui priùs mala Hebræo populo & templo sancto facere iuraverat, nunc bono & gratias infinitas promittit: & qui templum Dei funditus diruere decreverat, nunc infinitis thesauris ditare decernit; qui Hebræorum populum delere intenderat, hunc vnum ex illis esse præ omnibus optat. Verba Scripturæ hæc sunt: *Et civitatem, ad quam festinans veniebat, vt eam ad solum deduceret, ac sepulchrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere.* Quid plus? *Templum etiam sanctum, quod priùs exspoliaverat, optimis donis ornaturum, super hæc & Iudæum se futurum.* Sed quid inter antiquas historias veritatis hujus inquirimus confirmationes, cùm quotidianus hic peccatorum panis sit? Quid enim in peccatore, dum infirmatur, tot vota causat? quis vitam tam perversam tam inopinatè in denotissimam mutat? quæ causa est tot huic aut illi templo promittendi dona? inimicos habendi pro amicis? jam non de vindicta, sed reconciliatione & humillima cogitare deprecatione, qui priùs tot mala agebant, nunc tot bona præstare, & qui apud semetipsos decreverant in omnibus delitijs suos dies consumere, nunc Deo promittere in monasterio duros & asperos ducere dies, & Religionis suscipere habitum etiam iuramento confirmare. Vnde, N.N. tanta ac tam subitanea mutatio? *Impediunt & expediunt.* Infirmitas, dolores, qui in malo agendo ipsis impedimento sunt, etiam sunt in bono auxilio; infirmitas illa, quæ mala agere impedit, ad tot bona præstanda & proponenda eos expeditos reddit. *Tenebatur.*

Legimus apud sanctum Danielem prophetam cap. 3. juvenes tres Hebræos manibus ac pedibus ligatis fornaci accensæ immissos fuisse; sed vix immissi erant, cùm ignis funes, quibus ligati erant, apprehendit, soluit, & disrupit nodos factos, & liberos reddidit, & per fornacem ambulare liberè fecit: sed ardor febris aut dolor alicujus infirmitatis multò aliter ac diverso operatur modo. Illos, qui liberi & expediti erant ad quæcunque mala patranda, ita ligat & dolorum compedibus constringit, vt ad mala perpetranda totaliter impediti & inepti reddantur. Considerate rosam sub matutino & auroræ tempore, quàm pompòsam, superbam, pulchram, coloratam ac decoram præ se ferat faciem, & quomodo vndique spinis circumvallata & roris guttulis ac pretiosissimis gemmis ornata superbiat ac de sua pulchritudine quasi secura glorietur: sed accedat Solis calor, & radios ejus sentiat, videbitis guttulas roris evanescere, rubescentia & elata folia humiliari, & omnem illam matutinam superbam apparentiam in vespertinam mutari humilitatem. Sic hanc vel illam matronam vt exsurgentem in formosa sua pulchritudine rosam aspicietis, nil nisi pompam & vndique ornamenta reperietis, ubique colores, vbique flores

Dan. c. 3.

Tribulationes convertunt peccatores

flores, vbique viridantia folia, vbique gaudia ac lætitiæ, & in vanitate vndique gloriatur. Et ecce minima illum apprehendit febricula, caput aliquantum incalescit, renes doloribus aggrauantur ac torquentur, subitò in aliam mutatur faciem, & superba illa pulchritudo in humilem mutatur deformitatem; & iam non amplius agitur de fucis coloribus, iam non tractatur de nouis ornamentorum inueniendis modis & formis, non multum ridetur, sed plurimum plangitur, & de commissis iuuenilis ætatis erroribus cor mœrore ac amarissimo impletur dolore, & non de pluribus committendis peccatis; sed de commissis delendis & de meliori instituenda vita, & quomodo ad Deum, à quo per peccatum discessum est, per pœnitentiam redeundum sit, tractatur & cogitatur. Hoc S. Hieron. in cap. 2. Oseæ infirmitates operari, expressis asserit verbis: *Calamitatibus huius seculi ac miseris circumdati, ad Dei seruitutem redire cogimur.* Sed quid dico? Tribulationes ac aduersitates huius mundi tantæ virtutis ac efficaciæ esse, vt peccatores ad vitam pessimam mutandam instigent, & expeditos faciant per Dei præceptorum ambulare viam. Plus addo, etiam eos flagellorum more ad volandum & velocissimè in illa currendum excitare & cogere Orig. in 5. caput Iob ponderans verba illa: *Homo nascitur ad laborem & auis ad volatum*; combinationem horum verborum miratur: quam convenientiam labor cum volatu habere potest, quod hîc à Spiritu S. combinentur: nam volatus à labore diversus omnino videtur. Respondet, quòd non, & quòd optima hæc sit combinatio: nam, vt dicit, *ferè idem sunt pennæ & alæ.* Vult dicere pennas & pænas quasi idem esse; nam vt pennæ auibus ad volandum & sua peragenda inseruiunt, sic pœnæ ac tribulationes homini etiã inseruiunt, vt per vias ad Christum volare possit. Vnde doctiss. Hugo Cardinalis eundem hunc explicans locum ad summâ longanimitate & patientiâ similes aduersitates tolerandas nos exhortatur, cùm per earum labores virtutum alas acquiramus, quibus posteà ad cœlũ euolemus. Verba eius hęc sunt: *Sit ergo hic quilibet homo in labore, vt postea sit auis pennis virtutum euolans ad superiora.*

S. Hieron. in cap. 2. Oseæ.

Imò volare faciunt ad meliorem vitam.

Orig. in c. 5. Iob.

Percipere vobis lubeat periucundum conceptum huic nostro intento accommodatum. Concluserat Deus superbum ac elatum Regem Nabuchodonosor castigare, & in bestiam conuertendo humiliare, vt ac alia animalia tot pretiosorum ciborum loco herbis campi vesceretur ac nutriretur; sed notate sacram scripturam non perhibere, Deum illum mutasse in bouem, vitulum, vel vrsum aut simile animal, sed effecisse vt capilli eius crescerent *ad similitudinem aquilarum*; & sic videbatur animal quoddam monstrosum ad aquilarum formam vndiq; capillis pennas præ se ferentibus circumdatum, & tam inaudita pœna superbum hunc castigauit Regem, coronâ spoliauit, tribulationis pennis circumdedit, quibus ad Deum iterum volauit. Nam verissimum atq; certissimum est, tribulationes & aduersitates, vt S. Greg. Papa lib. 6. moral. c. 4. asserit, fortissimas esse alas homini, quibus cœlum versus volet. Verba eius audite: *Quod igitur in auibus alæ, hoc in iustis labores sunt qui illos ad superna excitant.*

Dan. c. 4.

S. Greg. lib. 6. moral. c. 4.

An desiderari potest vir sanctior Dauide Rege, qui vir secundùm cor Dei erat? Attamen in suis Psalmis non deprehendetis illum de alis & volatu tractare, excepto Psalmo 54. quem composuit, dum varijs opprimeretur adversitatibus; vbi sic cantat: *Timor & tremor venerunt super me, contexerunt me tenebræ.* Tenebræ symbolum tribulationis & flagellorum diuinorum sunt: sic sæpiùs audiuistis & legistis, vnum ex horrendis illis supplicijs, quibus Ægyptios diui-

Psal. 54.

na visitaverat justitia, densissimas fuisse tenebras. Cùm ergo bonus David vndique flagellis ac densissimis tenebris circumdatum se cerneret, de alis & volatu cogitare cœpit, & has sibi à Domino optat: *Et dixi: Quis mihi det pennas sicut columbæ? & volabo & requiescam.* S. Paulus fuit scopus omnium tribulationum, vt fatetur in sua 2. ep. ad Corinth. c.6. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum.* Sed hæ tribulationes, pennæ & alæ ipsi fuerunt, quibus tam altè volavit, vt tertium penetraverit cœlum. *Raptus sum vsque ad tertium cœlum, & vidi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Vnde Gloss. in 5. c. Iob in confirmationem hujus veritatis dicit: *Ideò corpus flagellatur, vt mens ad Deum volet.*

2. Corinth. cap. 6.

Gloss. in c. 5. Iob.

Verum ergo est, tribulationes non tantum nos in Dei reducere viam, de quâ per mundi delicias abieramus, verùm etiam nos in illã currere & volare facere. Ex quo secundos tribulationis effectus pendet, qui est ad Christum nos ducere, & illum in animam per tribulationis jam mundatam ac scopatam tanquam in habitationem introducere, vt hodierno Evangelio in domo Simonis, cujus socrus infirma erat, evenisse deprehendimus. *Tenebatur magnis febribus, & introivit Iesus in domum Simonis.*

Theop. in c. 8. Matt.

Theophylactus auctor antiquissimus in cap. 8. Matth. considerans & ponderans verba illa: *Dico servo meo: Fac hoc, & facit*, dicit, divinam justitiam tribulationes habere vt justitiæ servos & milites, quibus cùm hoc vel illud ad agendum iniungitur, prompti sunt & protinus executioni mandant. Verba eius hæc sunt: *Corporales enim morbi milites sunt & vltores Dei.* Hic vel ille quia fortis, sanus, pulcher, formâ decorus, elatione inflatur, quod cùm Deus deprehendit, protinus tribulationem & infirmitatem grauem immittit, & humiliare talem ordinat. Et ecce mox executioni mandatur: qui priùs fortis & robustus, fit debilis; qui pulcher & decorus, fit deformis ac turpis. *Fac hoc, & facit.* Impius ille diues totus ab auaritia obsessus etiamsi à morte proximum suum liberare valeret, nec obolum dare decreuisset; Deus mandat infirmitati, vt ex impio pium, ex auaro eleemosynarium efficiat; subitò adest, grauissimis doloribus ipsum opprimit, & facit vt per omnes Ecclesias, per monasteria, per hospitalia, per plateas pauperibus eleemosynas distribuat. *Fac hoc, & facit.* Iuuenis ille indeuotus nesciuit signum crucis formare, quid corona sanctissimæ sit Virginis ignorat, & in Paschate tantum audit sacrum, & adest, non vt audiat, sed vt loquatur, huc illucque lasciuis suis vagetur oculis; Quid agit Deus? vocat grauissimã cholicam, ardentissimam febrem, iubet deuotum facere iuuenem, ac instruere, quâ deuotione suam sanctissimam Matrem colere, & incruento Missæ sacrificio assistere debeat: adsunt & protinus executioni, quæ sibi à Deo commissa sunt, mandant, iuuenem deuotum faciunt; ita vt nil aliud nisi devotionis ab ipso audiantur proposita. *Fac hoc, & facit.* Iuvenis alter ruina domus ac familiæ suæ est, vult ipsum curare Deus, & effrænata ejus moderari desideria. Quid agit? vocat infirmitatẽ, & vt juvenem corrigat atque moderetur, imponit: adest, & protinus exequitur jussa divina: & ecce aleatũ loco corona tenetur manibus, & chartæ foliorum vices precationum liber supplet, & totus fit alter. *Fac hoc, & facit.* Habet vindicativus ille domum animæ suæ variis repletã odiis & vindicãdi se propositis, vellet Deus intrare & inhabitare illã, sed nõ valet, cùm inimicis repleta sit. Quid agit? vocat suos milites, gravissimos dolores, eijcere atque exturbare iubet; adsunt, faciunt, & exequuntur.

Infirmitates sunt milites Dei qui cogunt peccatores ad meliora.

Et ecce cùm mortis premit periculum, vocantur Patres, adducitur Notarius, & testes, componuntur negotia, rancores, atque odia conuertuntur in amorem ac beneuolentiam. *Fac hoc & facit, Domus nostra corda nostra sunt*, dicit S. Aug. in Psal. 73. Et vt infirmitas, quâ socrus Petri opprimebatur, Christi causauit in Simonis domum ingressum. *Introiuit autem Iesus in domum Simonis*: sic infirmitates nostræ reduces Christi sunt, & ad habitandum nobiscum introducunt.

Plin. in Epist. ad Max.

Ad hoc propositum Plinij verba, quæ in sua Epist ad Maximum habet, vobis recitabo: *Quem infirmum aut libido, aut auaritia sollicitat, non amoribus seruit, non appetit honores, opes negligit, inuidet nemini, nemini minatur, neminem despicit.* Quando ergo hæc vitia de corde hominis per infirmitates ejecta sunt, & locum ampliùs non reperiunt, ne vacuum detur, Christus intrat, & illud inhabitat. Cùm ignis corpus vel subiectum aliquod informare intendit, & formam introducendo inhabitare, antequam intrare possit, per laborem suum disponit, & cùm dispositum fuerit, demum ignis substantia introducitur: sic hic vel ille obstinatus peccator ferro frigidius ac dùrius cor habet; vellet Deus illud inhabitare, & cùm ignis sit, suam introducere formam, Deut. c. 4. *Deus tuus ignis consumens est*: sed non potest, cùm totum durum ac frigidum sit. Quid agit? vocat ardentissimam febrim, sanguini & carni obstinati peccatoris se immiscere iubet, & frigidum ac durum cor eius ardentissimo illo calore calefieri & emollire ordinat. Et ecce adest, & calore suo cor eius emollit; mox Christus suam introducit diuini ignis formam. Hoc est quod Michæas propheta dixit capite primo: *Infirmata est ad bonum.* Et quòd maius bonum hoc, N. N. desiderari potest? Ecce quanta bona secum infirmitates adferunt? Ecce vitia de cordibus nostris eijciunt, & vt dignæ fiant Dei habitationes, disponunt, & Deũ ipsum introducũt, & inhabitare ac plurimis exornare gratijs faciunt Sanctus Apost. Paul. 2. Corinth. c. 12. grauissimâ tribulatione oppressum se cõqueritur dicens: *Datus est mihi stimulus carnis meæ.* Dicunt Sanctorũ aliqui, vt apud Cornelium à Lapide in hunc locũ videre est, stimulum hunc grauissimum capitis doloré fuisse: alij renum acutissimos dolores, quibus vt acutissimo clauo absque intermissione transfigebatur atque cruciabatur: & hoc quasi stimulo incessanter Deum orare & deprecari impellebatur, qui etiam exauditus fuit; nam ipsemet Christus corporali sua præsentiâ eum visitans sanauit & sequentibus consolatus est verbis: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Ad rem verba Sancti Aug. tractatu de Visitatione infirmorum c. 4. adduci possunt, quæ sic sonant: *Morbus corporis medicina est spiritus*: Vult dicere sanctus Vir: vt Christus dignatus est suo sancto adesse Apostolo & grauissimos eius dolores per gratiam suam mitigare, sic idem Dominus agit, cùm grauissimas animarum nostrarum infirmitates deprehendit: infirmitate corporis vt medicinâ sanat morbos animæ; mittit ardentissimam febrim, acutissimos dolores, & his animarum nostrarum curat vulnera atque infirmitates. *Febris nostra* (clamat S. Ambrosius in 4. caput Luc. & tam validâ voce, vt per omnes audiatur Ecclesias) *libido est: febris nostra luxuria est: febris nostra ambitio est: febris nostra iracundia est.* Laborabat Socrus Petri ardentissimâ febri, & ardore eius excruciabantur carnes, ac membra corporis eius. Habemus nos plurimas febres in animabus nostris, quarum ardore excruciantur atque tormentantur. Cruciat animas nostras libidinis atque luxuriæ ardor, tormentat animas nostras auaritiæ & vindictæ

Sunt dispositiones ad formam diuinam in corda nostra introducendam.

Mich. c. 1.

2. Corinth. c. 12.

Cornel. à Lap. hic.

S. August. tract. de visit. infir. cap. 4.

S. Amb. l. 4. in c. 4. Luc.

vindictæ æstus, tribulat mentes nostras iracundiæ & superbiæ ignis, & bonus ac cœlestis noster Medicus omnes hos æstus atque ardores animas nostras supra modum vexantes, vnius febris ardore, vnius colicæ doloribus ac alijs corporalibus infirmitatibus curat, & aliam solutionem, quàm gratitudinem à nobis non requirit. Sic hodie Socrus Petri agit, protinus ac sanata fuit, de lecto surrexit, & Christo summâ cum gratitudine ministrabat. *Continuò surgens ministrabat illis.*

Lib. 4. Reg. cap. 10. infirmabatur Rex Ezechias infirmitate grauissimâ, & spirituali hydrope cruciabatur anima eius, quem thesauri collecti tumescere fecerant. Quem cùm periclitantem diuinus deprehendisset Medicus, protinus ne infirmitas accresceret, & de spirituali vitâ Rex periclitaretur, medicinam ordinat: id est, corporalem mittit infirmitatem, & grauissimis doloribus lecto decumbere facit, & corporali infirmitate animæ curat elationem atque superbiam: nam castigatus in se redijt, & sanatus est. *Continuò surgens. Et tu surge* (dicit San. Ambros. lib. 2. de Abraham) *surge à terrenis, surge à corporalibus, relinque terrena, cœlum aspice.* O pretiosas infirmitates? ô charissimos dolores, qui animum meũ de terrenis ad cælestia eleuatis, & qui priùs, quæ mundi erant, cogitabat, nunc, quæ Dei ac salutis sunt, summâ curâ ac diligentiâ cogitare, & agere facitis, & de his deceptorijs voluptatibus, ad cœlum, vbi Medicus meus, & vera moratur medicina, cogitationes suas dirigere cogitis. *Et continuò surgens ministrabat illis.* Hęc verba S. August. serm. de Sanct. Laurentio considerans sic habet: *Tunc enim Domino ministramus, quando nudos vestimus, & sitim pauperibus extinguimus; quando Domini præcepta implemus, luxuriam in castitatem, falsitatem in veritatem, auaritiam in largitatem conuertimus.* Ergo qui Christo ministrare cupit, si impurus est, purus fiat; si impius, immisericors, pius & misericors; si avarus, liberalis; si luxuriosus, iracundus, castus & mansuetus; si mendax, verax evadat, vitia mutet in virtutes, & scelera in opera pietatis & salutis, & sic bene Christo ministrabit. O ter beatum illum, qui sic dignè Christo ministrat! hic est fidelissimus minister, qui, vt apud S. Ioann. c. 12. legimus, æterna possidebit regna, & cum Christo in infinita gaudebit ac gloriabitur sæcula: *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Id est, si ego in æternum lætus ero, qui sic mihi ministrat, etiam lætus erit: si in regno meo in ęternũ gloriosus ero, ille qui mihi ministrat, gloriosus erit. Audite quid S. Aug. de hac sentiat Domini promissione vbi sup. *Quid amplius potest promitti fideli ministro, quàm vt mereatur esse cum Domino suo?* Percipite felicissimam ejus sortem, qui in hoc mundo tali modo Christo ministravit; *Nec solùm eius videre humanitatem, sed etiã eius cõtemplari divinitatem*; ac si dicere voluisset: qui paucis diebus vitæ suæ dignè Christo Domino, vt audistis, ministrat ejus observando præcepta, supra omnia ipsum amando atque colendo; non tantùm socius humanitatis ejus, verùm etiã sanctissimæ & insatiabilis divinitatis ejus contemplator erit, in quâ omnis beatificatur ac sanctificatur paradisus. Quæ tantorum gaudiorum gazophylacium est, & tantæ felicitatis aggregatio, vt si ictu oculi tantùm miseris damnatis beatorum more contemplari concederetur, in æternũ beati essent, & tormenta in gaudia, & infernus in cœlestem converteretur gloriam.

Concludo ergo, Auditores, & dico tribulationes & adversitates certissimam salutis & æternæ possidendæ gloriæ viam esse. Sic se habere Sanctus Paulus 2. Epist. ad Tim. capite secundò attestatur: *Si sustinemus, & conregnabimus.* Quem locum explicando Glos-

S. August. tract. de visit. infir. cap. 4.

S. Amb. l. 2 de Abraham.

S. Amb. l. 4. in c. 4. Luc.

S. August. serm. de S. Laurent.

sa interlin. sic habet: *Si sustinemus pro Christo tribulationes, & passiones: & conregnabimus cum illo in æterna beatitudine.* Vnde verissimum axioma est, sicuti flores fructus arboris præcedunt, & de his fructus fiunt; sic fructus gloriæ tribulationis flores præcedere debent, & has æternæ gloriæ causare fructus. Vnde vbi in Canticis Cant. cap. 2. legimus: *Flores apparuerunt in terra nostra: tempus putationis advenit*: alij legunt *tempus tentationis advenit*. Supra quem locum Sanctus Gregorius Nyssen. tract. de Beatit. sic dicit: *Fructuum, qui sperantur, flos afflictio est: propter fructum igitur etiam florem decerpamus.* Id est; desiderat quis fructus æternæ gloriæ gustare, ac eorum dulcedine frui, hic tribulationis flores decerpat, necesse est.

S. Gregor. Nyss. tract. de beatit.

Vt autem magis animeris, Christiane, ad adversa in hoc mundo invincibili animo toleranda; semper Christum vt exemplum præ oculis habeto, qui tantâ patientiâ crudelissimos passus est dolores, & invictissimo animo suam portavit crucem, vt tuam tolerabilem ac leviorem efficeret. Audi illum te invitantem Matth. cap. 11. *Tollite iugum meum super vos; iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Sed quomodo N. N. tot tantasque adversitates, & cruces nostras, quibus in hoc mundo premimur, leves ac tolerabiles fecit? Ecce dicam vobis. 2. Reg. cap. 23. Filius Dei Christus noster in persona Davidis Regis tinea vocatur, *tenerrimus ligni vermiculus.* In quæ verba Euthymius sic habet: *Vermis licet exiguus sit, materiam tamen corrodendo perdit*; sic mystica illa tinea Christus noster egit, dum lignum sanctæ Crucis subiret, ac pro nostro pateretur amore: quod grave & odibile in illa erat, assumpsit, dulcem & amabilem fecit; quod indecorum & odiosum in ipsa deprehendebatur, decorum & acceptabile reddidit. Et ideo

S. Matth. cap. 11.

2. Reg. c. 23.

nunc tum levis & supportabilis ad ejus exemplum à nobis deprehenditur, quod fit, quando cum patientia tribulationis crucem ferimus.

Ioannes Cassianus in Collat. Patrum bonam fortunam mendici Lazari considerans, dicit, nullo alio pretio tantam sibi comparasse gloriam; quàm patientiâ illâ summâ, quâ paupertatem & infirmitatem ferebat. Verba ejus hæc sunt: *Pro hoc solo, quod infirmitatem corporis & egestatem patientissimè toleravit, sinum Abrahæ possidere felicissimâ sorte promeruit.* Christiani solam crucem, vestrum debetis æstimare lucrum, & dum tribulamini, beatas & felices vos esse scire debetis. Cùm verò nullam habetis & nullis agitamini tribulationibus infelices & miseros vos judicetis. Dicat, quisquis saluari desiderat, cum Sancta Theresia Virgine amantissima tribulationum: *Domine aut pati, aut mori*, & cum S. August. in soliloquijs: *Hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas.* Hîc, hîc, vbi passiones transeunt, vita momentanea est, tribula, crucia, vt bona illa quæ æterna sunt, possidere valeamus.

Cass. in Coll. Pat.

In vit. S. Theres.

S. Aug. in soliloq.

Audite, quid vobis dicam. Si forsan in hoc auditorio quis reperiatur, qui gloriari possit, nunquam se habuisse tribulationem, quid adversum sit penitus ignorare, sed omnia sibi semper secundùm votum evenisse, semper sanum, semper in omni sua actione felicissimum extitisse: hunc & talem N.N. infeliciorem & miserabiliorem omnibus dixero, & omnes alios tribulatos, miseriâ ac infortunio superare. Et prudentissimus Seneca jam pridem ejusdem fuit opinionis, & licet infidelis, tantâ tamen fuit præditus luce, vt horum miserum cognosceret statum, qui in Epist. 102. sic habet: *Miserum te reputo, quia nunquam fuisti miser. Transmisisti vitam & non invenisti adversarium, nimis miser fuisti.* ratio hujus doctrinę est illa: quòd Deus flagellis atq; adversitatibus suos electos purgat

Senec. Epist. 102.

&

& perficiat, & dignos hæredes æternæ fieri gloriæ disponat. Et qui hîc in infimis à Deo non flagellatur, certò certius in superis non amatur. Sic Prouerb. cap. 3. habemus: *Quem enim diligit Dominus, corripit, quasi Pater in filio complacet sibi.* Vnde Sanctus Gregorius super Ezechielem dixit: *Peccantes quosque tunc considerarimus amplius miseros, quando eos conspicimus in culpâ suâ sine flagello derelictos.* Ergo Simonis socrus felicissima, quæ (vt in hodierno audiuistis Evangelio) ardentissimâ oppressa febri, lecto decumbebat. *Socrus Simonis magnis tenebatur febribus*, & in bona consequentia plurimum à Deo amabatur.

Prou. c. 3.

S. Gregor. in Ezech.

Regius Vates Psal. 37. tribulationum ac aduersitatum suarum longum facit catalogum, & varias enarrando dicit: *Quoniã sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & non est sanitas in carne mea: afflictus sum.* Sed ad quem finem Davidi Regi à Domino tot immittuntur aduersitates? Legite Psalmi titulum, & mysterium reperietis. *Psalmus David in rememoratione de Sabbatho.* Hoc compendium illorum, quæ in titulo continentur, est, vt recorderis diei sabbathi. Caietanus hîc sic legit: *Psalmus David ad faciendum recordari.* Cur, aut ad quem finem, Christiane, puta tibi à Domino immitti tribulationes; vt ipsius recorderis, vt hoc vel illo terreno non mouearis obiecto, & de recto tramite & Dei via, in qua ambulas, auoceris, & in via spirituali tepescas, Christiane chare. Deus tibi immittit damnum aut dispendium substantię tuæ, vel litem maximi momenti perdere facit, ad quem finem facit? *Ad faciendum recordari*; nam vt veritatem fatear, fortiores catenæ reperire nequeunt, quibus homo Deo constringatur, tribulatione & aduersitate. Horsum N. N. si à Domino nobis tribulationes & aduersitates immittuntur, *ad faciendum recordari*. Si cum patientia & lõganimitate à nobis sustinerentur, non audirentur tot lamentationes & contra Deum aut proximum, à quo illas venire credimus, non tantæ murmurationes, sed potiùs benedictionis & gratiarum actionis laudes dicerentur, & cum Regio Propheta David in cunctis nostris tribulationibus proferrentur verba: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Sic, vt in hodierno percepistis Euangelio, socrus beati Petri egit; quæ cùm ardentissimâ torqueretur febri, & summis cruciaretur ardoribus, patienter sustinuit, & longanimiter aduentum Christi expectauit. Qui cùm aduenisset, vix domum intrat, febrim discedere iubet; prompta est vt fidelis ministra, protinus discedit, & infirmam liberam reddidit. *Imperauit febri, & dimisit eam febris*; quæ tota exultabunda, Christo & sanctis Apostolis, qui in suo erant comitatu, ministrabat. *Et continuò surgens ministrabat illis.* Quiescamus.

Psal. 37.

PARS II.

Qvàm grauiter Sanctus August. in Psalm. 27. reprehendit, & quàm duris excipit verbis hominem, qui omnem curam & sollicitudinem suam in tuendâ & conseruandâ corporis sanitate impendit, animam verò parùm aut nil curat; dicens: *Laboras vt non moriatur homo moriturus, & non laboras vt non pereat in æternum victurus*; possibilene est, quod dum caro & corpus tuum infirmatur, esca vermium & putridum cadauer aliquando futurum, tantâ sollicitudine, diligentiâ, labore, cura, sanitatem & vitam conseruare procures? hîc nullis expensis parcitur; si centum essent medici, adesse deberent. Inuertuntur omnes pharmacopoliæ thesauri, num quid vtile reperiatur; nullus dormit, nullus quiescit; vix quis cibum sumere audet: in summa, vndequaque curæ, vndique extremæ adhibentur indu-

S. August. in Psal. 27.

industriæ, vt corpus sanitati restituatur: anima verò, vt à peccati sanetur morbo, vt vita eius, quæ in æternum duratura est, conservetur, nulla omnino cura aut sollicitudo adhibeatur? nullus sit, qui tantisper vigilare aut laborare intendat? Et vbi Christiane, rem tam indignam, iniustam & contra omnem rationem apprehendisti? Quot sunt, quibus vestis sat misera majoris curæ quàm anima est? Audite Sanctum Felicem. *Quid tam malè de nobis meruit anima nostra, quod nec tantam custodiam volumus ei impendere, quantam nostris vestibus exhibemus?* Quot sunt, qui dum minimum pulveris aut luti calceis adhærere deprehendunt, statim advocant famulum vel Ephebum, qui pulverem abstergat; animam verò mille deturpatam vitijs, mille affectam vulneribus, & per omnes partes dilaceratam nil æstimant, nil curant, & sic in sordibus peccatorum perire permittunt. Quot mulieres vanitati deditæ nec pilum vnum vestibus suis inhærere patiuntur, animæ verò suæ sordes, & mille obscœnitates, quibus deturpata est, non æstimant! *Quid tam malè de nobis meruit anima nostra?* vnquam mali nobis fecit, & quâ iniuriâ nos offendit?

Invectiua in eos, qui curant corpus, animā negligunt. *Bib. SS. PP. Tom. 3.*

Senec. Ep. 118. Animadverte bene, ô homo (vt hæc est verissima Senecæ doctrina) *quòd necessarium est pretia rebus imponere:* vult dicere: Si talem evadere prætendis percere: Si talem evadere prætendis perditionem, iustum pretium rebus omnibus imponas, oportet. Corpori suum detur pretium, divitijs suum, Deo suum: id est, Deum vt Deum æstimare debes, corpus vt corpus, animam vt animam, bona terrena vt de terra procedentia. Deus supra omnia æstimandus & habendus est; post Deum anima, post animam corpus, post corpus bona & res nostræ in pretio habendę sunt. Et in hoc ordine æstimationis ac amoris regulâ hominis consistit sanctitas, vt Sanctus August. lib. 2. de Civit. Dei cap. 9. attestatur: *Virtus enim non est aliud nisi ordo amoris.* Iuxta ordinem, gradum & meritum cujusque cuncta à nobis æstimari debent. Hoc cœlesti amandi ordine divina sponsa à suo cœlesti sponso donatam se gloriabatur, Canticorum secundo, *Ordinavit in me charitatem.* Id est, dedit mihi modum omnia secundùm meritum & gradum æstimandi & amandi. Et hic salute plenus ordo est, quem si in omnibus servaverimus, salui erimus. Dicit S. August. vbi suprà, *quem si tenuerimus in vitâ, perducet nos ad regnū.*

S. August. lib. 2. de Civit. Dei c. 9.

Cantic. 2.

Ordo in omnibus servandus, & iuxta illum res æstimandæ.

Inquirat quis per mundi partes, an ordo hic & sanctissima hæc regula nunc reperibilis sit: certè non; totum contrarium reperietis; res, quæ nullius pretij vltimæ in ordine esse deberent, primo habentur loco; ideò cum hoc ordine inverso plus corpus nostrum ac bona nostra, quàm anima nostra & Deus ipsemet æstimatur & curatur; inde fit, vt ne in vitæ nostræ necessarijs & corporis salute dispendium patiamur, animam quoque ac Deum amittere non curemus. De horum misera sorte & perverso ordine Regius conqueritur Vates Psal. 61. *Mendaces filij hominum in stateris.* Vult dicere; Dum in amando & æstimando ordinem invertitis, mendaces estis, quia verum pretium & amorem, qui cuique debetur, non tribuitis, & iusto amoris pretio non æstimatis, vt æstimanda sunt.

Psalm. 61.

Infirmatur quis vestrûm, protinus ab hominum consortio se retrahit, domo non exit, rigorosam servat abstinentiam, aperire venas, & sanguinem emittere curat, amaras & acerbissimas sumit medicinæ potiones. Infirmatur anima scelerum febri, & grauiter illâ opprimitur, nullus adeò potens est, qui tam graviter laborum dietam & jeiunium suadere valeat, qui domo ipsum continere, & per sacram confessionem ad venam aperiendam, & corruptum peccatorum sanguinem emittendum

tendum inducere possit. Hic, N. N. vetus modus corpus amandi & curandi non est, sed animæ salutem negligendi; flagellandum, mortificandum, & si opus est, spinis vsque ad sanguinis effusionem corpus dilacerandum, & varijs ieiunijs & vigilijs longis affligendum & vexandum est. Qui corpus suum tali ordine amat, verè amat, & tribuit ei, quod de iustitia debetur; nam qui illud mortificat, vitam cæli ipsi procurat: qui illud flagellat de diuinæ iustitiæ flagellis liberat: qui illud ieiunare facit, æternorum gaudiorum atque nuptiarum conuiuium ipsi præparat; vt è contra qui illud delicatè nutrit, & impinguat, morti deuorandum & conuiuium vermibus præparat. *Psal. 48.* Sic Regius vates Ps. 48. attestatur, dicens: *Mors depascet eos.* Ad insatiabilem Dæmonis famem impinguat ac nutrit; nam cùm benè impinguatum erit, suo tempore à Domino Dæmonibus deuorandum traditur, vt ipsemet Deus Isai. cap. 49. *S. Hier. in cap. 49. Isai.* secundùm S. Hieronymi opinionem omnibus peccatoribus minatur. *Cibabo hostes tuos carnibus tuis & quasi musto sanguine tuo inebriabuntur.* Inimici tui, Christiane, Dæmones inferni sunt, qui corpus tuum, quod tam delicatè nutrivisti, & omni delectatione impinguasti, in conuiuio suo deuorabunt, & sanguinem tuum quasi dulcissimum vinum ebibent. Hic finis ac terminus vitæ omnium est, qui aut nil, aut parum Deum curant & æstimant, & debitum pretium Domino non tribuunt. Citò, citò fratres mei, vt Socrus Petri agite. *Continuò surgens ministrabat illis.* Desere peccata & pessimam ac scandalosissimam tuam desere vitam; & Deo ministrare tandem aliquando incipe, si salutem tuam certam reddere velis.

Sed times forsan morbum animæ tuæ & tot pessimas affectiones quot peccata commisisti, minimè aut difficulter curari posse? Ah charissime frater, vanus hic timor est; nam hæ pessimæ affectionis animæ tuæ, & tot tantaque grauia à te commissa peccata Deum & Redemptorem tuum de cœlo traxerunt, & ad has curendas tam dura tormenta & crudelissimam subijt mortem. *Nullus desperet de salute animæ suæ.* Audi Psalmistam: *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* *Psal. 103.* Nam ipse Medicus est cui nullus morbus, vt S. Augustinus in hunc locum asserit, incurabilis est. *Omnipotenti Medico nihil est insanabile.* *S. August. in hunc locum.* Persuadere tibi conabitur, ô peccator, Dæmon, infirmitatem tuam, in qua tam obstinatè tot annis iam duras, insanabilem esse, sed credere noli, quia mendax est; nam cœlesti huic Medico nil impossibile est, & aduentus ipsius causa tua fuére peccata; & scelera, quæ animæ tuæ infirmitatem causant, curare venit; nam vt Matth. cap. 6. ipsemet testatur: *Matth. 9.* *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus. Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Et tanta huius veritas est, vt Sanctus Augustinus serm. 6. de verb. Dom. asserere minimè dubitârit, quòd si homo non peccasset, Deus nullo modo in hunc venisset mundum. Verba Sancti pro nostra consolatione audiamus: *Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ.* *S. Aug. ser. 6. de verb. Domini.* Ad sanandum & saluandum peccatores venit, sed non omnes peccatores saluabuntur, & forsan tu, qui nunc eius abuteris misericordia, & qui cælesti Medico vulnera tua exhibere, & medicinas ab ipso tibi ordinatas admittere recusas, vnus ex illis eris; nam pretiosissimam ipsius medicinam, quâ omnes sanamur, respuis Sapien. cap. 10. *Misericordia autem tua sanabit illos.* *Sap. c. 10.* Communis apud Medicos Hippocratis Aphorismus est: *Quæ prodesse solet & non prosunt, mortale est.* *Hipp. Aphor.* Ecce misericordia Dei, quę tot millena millia peccatorũ sanavit, te non sanat, & de peccati infirmitate per illã non liberaris

Mortale est, actum est, væ animæ tuæ! euidentissimum signum in te æternæ mortis est, Ergo, ô miser peccator, cura tandem aliquando de tam graui expergisci lethargo, & de tam periculosâ consuetudinis exurgere infirmitate, & Deo ministrare non detrectes.

Et quis, ô benigne Domine, toto corde tibi seruire detrectaret & omnibus animæ viribus ministrare, cùm (vt Psalmista dicit) nil sub sole sit, quod tibi non seruiat. *Quoniam omnia seruiunt tibi.* Et si omnia, quæ creasti, tam fideliter seruitutis tibi officium præstent, ego solus tam audax ero & dicam: *Non seruiam*? Tu Dominus vniuersi, Deus & Creator meus, qui mihi triginta tribus annis in tanto labore & sudore seruiuisti, non mereris, vt omnes animæ meæ potentias in seruitute tua, quæ plena consolatione est, occuparem & impenderem. Ecce Sanctissime Deus meus. cor meum varijs vulneratum desiderijs; applica misericordiæ tuæ pharmaca, & sana illud. Ecce animæ meæ potentiæ per tot actus illicitos pessimum malorum habitum imbiberunt, libera illas. Ecce pedes mei ex tot illicitis passibus innumerabiles contraxerunt sordes; laua illos, Ecce manus meæ per illicitos vagantes tractus, & vindictæ satis facienda appetitibus leprosæ factę sunt; munda illas. Ecce oculi mei, quia viderunt, quæ videre non debebant, tenebris obducti sunt, illumina illos: Ecce lingua mea in tuis laudibus obmutuit, solue illam, vt te in æternum laudare valeam, Ergo Christiani, surgamus omnes de lecto consuetudinis peccatorum, & huic magno seruiamus ac ministremus Domino, in cuius seruitute omnem gustum & consolationem & verum ad æterna gaudia perueniendi modum deprehendemus. Amen.

Psal. 8.

DISCVRSVS XXI.

PRO DIE VENERIS POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Prima parte in tribus punctis discutiuntur causa atque origo laßitudinis Christi. Secunda parte examinantur duo defectus mulieris Samaritanæ, & fœminæ instruuntur, quàm necessaria ad pudicitiam conseruandam silentij virtus sit.

Thema.

Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Ioan. cap. 4.

Lassus & anhelans à Sancto Ioanne in hodierno Euangelio dulcis noster IESVS & animarum nostrarum suauissima quies nobis depingitur & exhibetur, in cuius testimonium sanctissimum corpus eius tot sudoris guttulis ac pretiosissimis gemmis coopertum reperio. IESVS mundi columna, sustentaculum & fortitudo omnium creatu-

creaturam; Diuus Athlas, cuius humeris vniuersi sustentatur machina; Cœlorum reclinatorium, lassus, fatigatus, totus præ labore anhelans ad fontem sedit. *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Iesus limpidissimus paradisi fons, cuius aquis aridi animarum irrigantur campi, & afflicti consolantur & reficiuntur spiritus, totus sitibundus & solis radijs exsiccatus à muliere sat affabili frigidæ aquæ haustum petit. *Mulier da mihi bibere.* Et tu, ô cœlestis Sponsa, vbi nunc degis & moraris? quot suspiria emisisti? quot vota tibi semper fuêre, vt Christum tuum Sponsum in meridie reperire posses? *Indica mihi, vbi*
Cantic. 1. *pascas, vbi cubes in meridie*: Surge velociter, curre ad terminos ciuitatis Samariæ, ad fontem Iacob, & hunc tuum tantoperè desideratum reperies sponsum. *Erat autem ibi fons Iacob: Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Et vos, Angelici spiritus, adesse Deo Creatori vestro, illum confortare, sudores abstergere, & in eius lassitudine, dum causas huius laboris ac sudoris inuestigo prima parte, consolari non pigeat. Secunda parte tractabimus de Samaritana, vbi aliquos defectus eius discutiemus atque examinabimus, & per illos salutaria monita fœmineo adducemus sexui. Attendite.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Ioan. cap. 4.

Litterarum Magister S. Augustinus considerans hanc nouam & inusitatam increatæ Sapientiæ lassitudinem, & inauditam defatigationem incarnati Verbi Christi Domini nostri admirans tract. 15. infit: *Incipiunt mysteria. Non enim frustra fatigatur Iesus: non enim frustra fatigatur virtus Dei. Fatigatur tamen Iesus, & fatigatur ab itinere & sedet, & iuxta puteum sedet, & hora sexta fatigatus sedet.* Et non immeritò stupore plenus admiratur Sanctus vir hanc Christi lassitudinem; nam qui inde fatigabilis est, fatigatur; qui fortitudo ipsa est, debilis sedet; qui fons & puteus aquarum viuentium est, ad meridianum tempus, dum omnes reficiuntur creaturæ, sitim patitur. Et omnia hæc non casu euenire, nec fortuitò Christus hoc agere voluit, dicit S. Augustinus, sed summa sub his latent mysteria. *Omnia ista innuunt aliquid, indicare volunt aliquid*: sed quâ de causa vel cuius amore benedictus Christus tantos subit labores? Respondet sanctus vir: *Tibi fatigatus est ex itinere Iesus.* Ob hominis peccatoris amorem dulcis Iesus laborat, fatigatur, & sub meridiem sitiens in solis æstu ambulat, & totus lassus sedet ad puteum. *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem;* Ioan. c. 4.
Iudææ partibus valedicens pedes venit in partes Samariæ ad mulierem Samaritanam inueniendam & illam conuertendam, & ad Deum reducendam, acceleratis passibus fonti Iacob appropinquat.

Pulcherrima sanè Scriptura illa est, & ad propositum nostrum valde accommodata, quæ apud sanctum Isaiam cap. 27. legitur: *Visitabit Dominus super* Isai c. 27.
serpentem vectem. Legunt Septuaginta: Septua. hic.
super draconem colubrum fugientem. Propheta, vt sanctus Hieronymus opinatur in hunc locum, volebat dicere: Veniet tempus, quando Deus visitabit serpentem infernalem in anima peccatoris per peccatum inhabitantem, & faciet illum ab anima fugere: *Draconem colubrum fugientem*; nam creaturam suam, quam creauit, suo proprio redemit sanguine, per peccatum perditam insequi, ad se reducere, & sibi iterum vnire conabitur. *Visitabit Dominus super draconem colubrum fugientem.* Ergo non mirum, si in hodierno Euangelio, dum Samaritanam (cuius animam per peccatum

 dæmon

dæmon obsederat, & à Deo fugere fecerat) insequatur, & finibus Galilææ excedens ipsam ad salutem inquirat, totus lassus & defatigatus ad fontem Iacob sedens. *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.*

Non recordamini, N. N. facti illius prodigi filij, qui acceptâ suâ à Patre substantiâ protinus paternam fugit præsentiam, & peregrè profectus est, & longinquas petit regiones. *Peregrè profectus est in regionem longinquam.* Et quâ de causâ creditis (dicit S. Ambros. in cap. 14. Lucæ) iuuenem hunc à Patre suo subitò discessisse, & tam longinquas petijsse regiones? si non quia serpens infernalis illum momorderat per peccatum, qui ipsum à Patre (qui Deus erat) fugere fecerat, vt omnes peccatores, quamprimùm per peccatū animas ipsorum possidet, à Deo fugere cogit. *Visitabit Dominus super draconem colubrum fugientem.* Et dum peccatores à Deo fugiunt, benedictus Christus, vt ipsos conuertat atque reducat, insequitur & sic insequendo fatigatur, vt hodie ipsi contigisse legimus, dum sub meridiem in summis caloribus mulierem Samaritanam se fugientem insequitur, & insequendo fatigatur, & sic lassus ad fontem Iacob sedet. *Iesus fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.*

Luc. c. 15

Fatigatur Iesus insequendo peccatorem a se fugientem.

Ioan. c. 4.

Vnde S. Ioann. Chrysost. Homil. 26. in Matt. & Orat. ad Iudæos, peccatores sic Deum fugientes, equo, cui dæmon insidet, assimilat, quem tamdiu equitat, & ad cursum & fugam calcaribus incitat, donec in inferni barathrum præcipitet. Verba eius hæc sunt: *Peccatores equi sunt diaboli, quia diabolus supra eos sedet, & instigat ad fugiendum per deserta facinorum.* Et quod peius est, incedere facit eos, dum Deum fugiunt, per vias asperas & spinosas, vt hodie videmus Samaritanam in equum dæmonis mutatā per varias asperas & saxosas vitiorum currere vias, quam Christus vt reducat, vsque ad summam lassitudinem insequitur, & ideò lassus sedet ad fontem Iacob. *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.*

S. Chrysost. hom. 26. in Matt. & Orat. ad Iud.

Nec vt currant peccatores, dum Deum fugiunt, dæmoni sufficit, sed vult illos volare, & summa celeritate discedere. Legite cap. 4. Oseæ prophetæ, & reperietis verum esse, quod dico. Ait propheta: *Fornicatione fornicati sunt, ligauit eos spiritus* (scilicet malignus, vt Liran. explicat;) *in alis suis, in intellectu per obstinationem, in affectu per executionem.* Et hac de causa dum Adam post commissum peccatum fugeret, Deus ipsum inquirit clamans: Adam, Adam, vbi es? Et cùm eum fugientem se depredenderet, (dicit Drogo Episcopus) ipsum insequitur à tergo clamans post ipsum: *Adam, Adam.* Verba eius hæc sunt: *Clamat: Vbi es Adam? sequens post tergum fugientis & abscondentis se.* Et Sanctus Anastasius Synaita libro de Paradiso adjungit, iuxta illud Psalmi vigesimi secundi: *Misericordia tua subsequetur me seruum fugitiuum, qui semper ad peccatum fugio.* O amantissime Domine, quanta non fecisti pro salute nostra ergo non mirum, si hodie lassatus & defatigatus ad fontem Iacob sedeas inquirens eam, quæ non tantùm fugiebat faciem tuam, verùm etiam volabat à præsentia tua, ne ipsam insequi & deprehendere posses. *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.*

Ose. cap. 4.

Liran. hic.

Drog. Epis. de sac. Dom.

Anast. Synaita lib. de paradis.

Inexplicabilem hunc amorem, quo Christus animam peccatricem à se fugientem insequitur, Sanctus Paulus ad Hebræos c. 2. mysteriosis verbis insinuare voluit. *Nusquā Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Theophylactus in hunc locum verbum illud (*apprehendit*) ponderans, dicit: *Vt ostenderet naturam hinc nostram refugientem & longè abeuntem Dei filium fuisse insectatum, & tandem comprehendisse, sibi vnisse, & à fuga retraxisse.* Et Glossa ordinaria hunc glossans

Ad Hebr. cap. 2.

Theophil.

Gloss. ord. hic.

glossans locum sic habet: *Apostolus dixit: Apprehendit, non autem assumpsit, quod longè fugientem assecutus est.* Et S. Ioann. Chrysostomus homil. 5. in Epist. ad Hebr. dicit: *Non dixit: Hominis naturam suscepit, sed apprehendit. Fugientem ante ipsum naturam humanam & longè fugientem infectatus apprehendit.*

S. Chrys. Hom. 5. in Epist. ad Hebr.

Nunc N. N. minimè miror actum illum peccatricis Magdalenæ, quæ (vt sanctus Lucas cap. 7. enarrat) ad Christum venit, ante pedes ejus cecidit amarè flens, ac lachrymarum guttulis de oculis fluentibus eos aspergens lavit, & capillis capitis sui tersit. *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius & vnguento vngebat.* Lavatis & abstersis pedibus pretiosissimo vnxit vnguento. Quare omnes has devotas & affectuosas demonstrationes fecit sancta hæc peccatrix ad Christi pedes? quia, vt modernus quidã Auctor benedicit, noverat benedictum Christum plurimos insequendo se fecisse passus, & satis fatigatum fuisse. Vnde piè credo eam, dum hos pietatis demonstravit affectus, hæc aut similia protulisse verba: Benedicti pedes Domini mei, qui in tam longo & distanti itinere pro salute mea suscepto fatigati estis. Pedes sanctissimi, qui tot vicibus spinas, tribulos, lutum, peccatores inquirendo transijstis. Absit vt hinc discedam, nisi salutem illam, pro quâ me quæsivistis, id est, totalem peccatorum meorum desideratam remissionem obtineam.

Luc. 7.

Et hinc intelligetis, cur Pater prodigi inspecto filio de longè ad se venien-te protinus compassione motus in occursum ejus velocissimis passibus processerit. *Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordiâ motus accurrens cecidit super collum eius & osculatus est eum.* O bone Senex! quomodo actum tam præiudicialem tuæ reputationi & gravitati erga inobedientem filium exhibes? nam dyscolo filio sic occurrere contra Patris gravitatem omnino esse videtur; ipsius erat, pedibus tuis prosterni, & humillimis verbis de commissis erroribus veniam petere. Euthymius in hunc locum nobis respondet. *Non exspectavit vt ille adesset, sed prior occurrit; neque id vtcunque, sed & accurrit, vt appareat amoris vehementia.* Filius de Patre fugerat, & in alienas ac longinquas discesserat regiones, quem cùm redeuntem de longè inspiceret, viscera ejus commoventur, & amorem, quo erga filium ardebat, vt ostenderet, protinus surgit, & celerrimis passibus occurrit filio. O sancte Deus! quot vicibus quisquis nostrum à te fugit; & tua divina Majestas nec lassitudinem, nec tribulos, nec spinas in via curans velocissimis passibus vt tandem aliquando comprehenderes, insecuta fuit. *Iesus ergo ex itinere fatigatus sedebat sic supra fontem.* Audi sanctum Ambrosium libro primo de Spiritu sancto cap. 20. *Fatigatus est Iesus, sed in se, quia diu te quæsivit.* Vnde Liranus in cap. 8. Ioannis asserit, Christum Dominum per continuos labores, assidua jeiunia, indesinentes vigilias, infinitas mortificationes ita extenuatum ac maceratum in corpore fuisse, vt non 30. annorum vir, sed bene 50. à Iudæis crederetur. Ideò occasione datâ sic ipsum alloquebantur: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Propter labores & ieiunia videbatur longè maioris ætatis quàm esset,* dicit Liranus.

Luc. 15.

Euthym. hic.

S. Aug. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 20.

Liran. in c. 8. Ioan.

PUNCTUM SECUNDUM.

Sic ergo de longo itinere bene lassus & defatigatus tempore apto & conveniente ad fontem Iacob quietis causâ sedet. *Iesus ergo defatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Ecce enim, dum sedet, adest anima illa peccatrix, quam quærendo fatigatus erat, & fontem hauriendi aquam causâ accedit.

Ioan. cap. 4.

Venit mulier de Samaria haurire aquã, quã animarum Saluator videns, aquæ potum vt tribuat, petit: *Mulier da mihi bibere.* Solitus erat benedictus Christus desiderium, quo semper in animarum ardebat salute, sub sitis metaphora demonstrare. Vnde S. Aug. tract. in Ioan. dicit: *Sitiebat animam eius.* Et Iansenius in hunc locum sequens efficacissimum formauit argumentũ: *Hinc manifestũ euadit, quod non tã sitis causa, quàm propter salutem mulieris potum petierit.* Sitis ergo illa, quâ benedictus Christus ad fontem Iacob excruciabatur, eadem illa erat, quâ in cruce affligebatur; & aqua illa, quam à Samaritana ad puteum Iacob petebat, eadem illa erat, quam moriens in cruce à Patre suo cœlesti rogabat, quæ salus vniversorum erat. Sic habet beatus Laurentius Iustinianus de triumpho Christi ag. 10. Verba eius hæc sunt; *Quod Christus Samaritanæ dixit: Da mihi bibere. Hoc in cruce omnibus ait: Sitio.*

Sitis non aquæ, sed animæ erat.

S. Aug. tr. in Ioann.

Laurent. Iustin. de triumph. Christi ag. 10.

Huius sitis ardorem Drogo Ostiensis Episcopus contemplans, ad Christum in cruce sitientem conuersus ait: *Domine quid sitis?* Saluator & animarum nostrarum Repemptor quænam sitis illa tam feruens est, quâ tantoperè cruciari te deprehendo? Video te durissimo ligno durissimis affixum clauis, acutissimis coronatum spinis, & flagellis, nudo & lacerato pendentem corpore, exsanguem, & iam præ amarissimis doloribus morti proximum, & de nullo horum lamentationis proferentem verba audio, de siti tantùm conquerentem percipio. *Ergo plus te cruciat sitis quàm crux*: maiores dolores sitis tibi causat, quàm omnes crudelissimi cruciatus crucis? Sic est; nam de alijs querelas nullas, at de siti plurimas audio, *de cruce siles & de siti clamas, Sitio.* Quænam sitis illa tam ardens esse poterit, quæ sua tortura flagellorum, spineæ coronæ, clauorum, crucis ipsiusmet, & mortis iam præsentis dolores excedit, & plus his te cruciat? Respondet deuotissimus hic vir in Christi persona dicens: *Quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium; plus animarum vestrarum quàm corporis mei cruciatus me tenet.* Ah! dicit, sitis, quam patior, fides & salus vestra & consolatio vestra est. Plus hæc me tormentant, ac cruciant, quàm omnes corporis mei dolores. Igitur non mirum, si hodie à Samaritana tantâ instantiâ sitis huius remedium petit, & ab illa extingui eam desiderat. *Mulier da mihi bibere.*

Drogo Ost. Ep. de pas. Dom.

Vlteriùs procedamus, & quàm magna sitis hæc animarum salutis fuerit in Christo, consideremus. Doctores ac sacrarum Litterarum interpretes causam sanguinei sudoris Christi in horto indagare conantur, qui tantus erat, vt de capite vsque ad pedes ex omnibus membris (vt S. Lucas attestatur c. 22.) riuuli quidam sanguinis potiùs, quàm sanguinei sudoris guttulæ viderentur defluere. *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* *Luc. c. 22.* Respondent indicare voluisse, maiori se siti ac desiderio ferri in sui sanguinis pro salute nostra effusionem, quàm ipsi Iudæi. Et hanc suam peracutam considerationem conantur mysteriosis illis verbis Psal. 61. confirmare: *Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere: cucurri in siti*: *Psalm. 61.* Septuag. interp. Sanctus Theodoretus, S. Basilius & Euthymius pro verbo *cucurri* ex Hebraico legunt textu, *cucurrerunt*. Quo sensu diuinus Spiritus sitim illam magnam, quam Hebræi sanguinis eius habebant, exprimere voluit, quæ ex odio procedebat, & illam, quam & ipse Christus ad spargendum eum pro salute nostra habebat, quæ ex amore surgebat. *Cucurri in siti, cucurrerunt in siti.* Sanctus Ambros. in hunc locum hanc tam variam lectionem conciliare nititur & dicit, nõ sibi contrarias esse, & magnum in se habere absconditum mysterium. *Cucurri*, dicit benedictus Christus, quibus verbis insatiabile

Sept. inter. S. Basil. Theodor. Euthym. hic.

tiabile

tiabile desiderium ac sitim, quam habebat suum fundendi sanguinem, exprimere volebat. *Et cucurrerunt*, desiderium ac sitim sanguinis eius, quâ inimici eius æstuabant, & de venis eius sugere desiderabant. Et hæc ratio & causa, N. N. sanguinei eius sudoris fuit, qui dum in horto oraret, & in agonia esset, tanquam riuuli quidam per totum sanctissimum corpus eius in terram defluebat. *Cucurrit in siti, cucurrerunt in siti.* Si Hebræi odio incitati currunt, benedictus Christus amore excitatus volat; ipsi currunt, vt apprehendant Christum: Christus volat, vt eò citiùs obuios illos sibi habeat. Ipsi Christo apprehenso contenti sunt; Christus quia deprehensus est, contentissimus est. *Cucurrit siti, cucurrerunt in siti.* Hac de causa Christus Dominus vt Gigas cucurrit, vt Hebræos præuenire & prius suum sanguinem pro humana salute spargere valeret, quàm ipsi profunderent. *Factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

Causa sudoris sanguinei in horto.

Luc. c. 22.

Nunc, N. N. non mirabimini amplius, quod Saluator noster, cùm passionis tempus prope esset, & Ierosolymam, vt saluationis negotium perageret, iter faceret, tam velocibus passibus ambularit, vt nemo ipsum insequi valuerit. *Erant autem in via ascendentes Hierosolymã, & præcedebat illos Iesus.* Glossa addit dicens, *Ad mortem imperterritus.* Liranus in hunc locum sic habet: *Et stupebant ex hoc, quod ita promptè & hilariter ibat ad locum passionis.* Discipuli Christi, quibus iam dixerat, tempus passionis iam propè adesse, admirabantur promptitudinem & celeritatẽ illius in ambulando, & capere non poterant eò quòd tantam lætitiam & alacritatem ostenderet.

Marc. 10.

Gloss. int. hic.

Liran. hic.

Sed quid miramur velocitatem illam, quam in salutis nostræ procurandó negotio ostendit, si nomen eius tale est, vt Isai. c. 8. habetur: *Voca nomen eius: Accelera?* Supra quę verba Liranus sic habet: *Quia hæc proprietas conuenit Christo.* Quare Christiani, minus hîc agere non possunt, quàm de profundissimo corde suspirare & dicere: Dulcissime Iesu, & quid vnquam boni diuinæ tuæ Maiestati præstitimus, vt tam tenerum & omnes modos excedentem nobis amorem exhiberes! Et cur corda nostra simili non correspondent amori? præ verecundia non deficiunt? Et quod magis dolendum, dicit sanctus Bonauentura in stimulo diuini amoris, est, quòd, totus amore circumdatus sum & igne; nec tamen amo; nec ardeo totus: ac si diceret: Quò me verto, & ex quacunque parte Christum Saluatorem respicio, nil aliud, quàm summi ardoris deprehendo signa & vndequaque hoc amoris igne circumdatum me inuenio, & tamen non calesio, nec ardeo in eius amore, sed semper tepidus ac frigidus remaneo ac persisto: nunquid hoc summoperè dolendum, & intolerabilis videtur ingratitudo?

Isai. c. 8.

S. Bonauent. in stim. diuin. amor.

Non sic, N.N. Samaritana nostra mulier egit, quæ licet publica esset peccatrix, nihilominùs ad primum amoris signum, cùm aquas diuinæ gratiæ ipsi se daturum promittebat, dicens: *Si scires donum Dei, & quis est, qui tibi dicit: Da mihi bibere, forsan petiisses ab eo & dedisset tibi aquam viuam.* Subitò inextinguibili siti hanc bibendi aquam accensa fuit, & summâ anxietate illam petit dicens: *Domine, da mihi hanc aquam.* Hic N.N lubeat nonnihil considerationis passus firmare. Mulier publica peccatrix, & vsque ad verticem capitis infinitis sceleribus immersa Dei cognitione carens primâ vice, quâ Christum antè sibi incognitum amoris verbis alloquentem se percepit, diuino amore adeò incenditur, vt vase cum aqua relicto velocibus passibus ad ciuitatem currat, & velut mente capta ac insana per vicos & plateas currens altissimâ clamat voce: *Venite & videte hominem, qui*

dixit mihi omnia quæcunq; feci. Cives mei, ecce ad puteum Iacob reliqui hominem, qui omnia totius vitæ meæ facta mihi enarravit; venite mecum, vt videatis ipsum. Et nos qui per Dei gratiam Christiani sumus, & tot tantasque serviendi Deo commoditates habemus, tot conciones, tot sancta Sacramenta, tot media, vt quasi videamur natare in sanguine Christi, & nihilominus frigidi ac tepidi sumus, & non excitamur vt mulier hæc Samaritana ad serviendum Deo. O Christiani scitote certò, si tot tantisque adiuti medijs non profeceritis, & vitam vestram non emendaveritis, majori condemnatione, quàm ipsi infideles, condemnabimini.

PUNCTUM TERTIUM.

TRanseamus N.N. ad aliud mysterium hîc latens. Dicit Evangelista, dum Christus totus lassus ad fontem sederet, vt à labore reficeretur, discipulos ad civitatem cibos emendi gratiâ perrexisse. *Discipuli enim eius abierant in civitatem, vt cibos emerent.* Cùm autem redijssent, & Magistum suum solum cum sola loquentem deprehendissent, admirabantur, & quid novi ipsis videbatur. *Et continuò venerunt discipuli eius & mirabantur, quia cum muliere loquebatur.* Dignus certè consideratione hic actus est; nam nullibi in sacrâ reperietis scripturâ tam admirabundos fuisse sanctos Apostolos. Cum nuptijs Galilææ interesset, (*Ioan. c. 2.*) & vinum non haberent, aquam convertit in vinum. Matth. 14. ambulat super aquas & vndas maris. (*Matt. c. 14.*) Cùm in mari cum Apostolis navigaret, & turbaretur mare, (*Matth. c. 8.*) jubet & imperat, vt cesset & quiescat, & protinus obedit. In tota vita sua innumerabiles sanat infirmos; cæcis reddens visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, debilibus & malè habentibus sanitatem & pristinum robur; & nullus quid dicit, nullus alicujus admirationis dat signum. Insuper videbant Christum resuscitare Lazarum, filiæ Archisynagogi & viduæ Naimiticæ filio restituere vitam, tacent, nec quisquam illorum tam miraculosa admiratur opera; & hic cùm Christum solum cum Samaritana muliere loquentem vident, attoniti admirantur hunc actum. (*Cur mirati sint Apostoli, quòd solus Christus cum Samaritana loqueretur.*) Sanctus Eusebius Emissenus dicit hoc evenisse, quia quid novi, & aliàs nunquam visum fuerat Apostolis: nunquam enim eum viderant nec deprehenderant solum cum sola loqui, (*Euseb. lib. 3. de mont. Evang.*) *Inopinatum quiddam hoc atque insolitum se intueri discipuli arbitrantes, tanquam ij, qui nunquam ante hac idem vidissent.* Nova res erat Apostolis, Christum & Magistrum suum loquentem cum sola solum videre, ideò admirantur. Idem S. Hieron. & doctiss. Caiet. hunc locum Scripturæ admirantes dicunt. (*Hier. & Caietan. hic.*) Admirandũ certè hoc Apostolorum factum. Quis sanctior Christo reperiri potuit? hic Æterni Patris Filius per naturam impeccabilis erat, & Apostoli certi ac securi erant de impeccabili eius vitâ, & tamen admirantur. Et nos miseri intramus labyrinthos Cretico illo magis intricatos, & sine filo Dei omnipotentiæ illæsi & non deuorati exire nobis promittimus. Volo dicere: non tantùm soli cum solis occasione vel necessitate sic postulante loquimur, & carâ vtimur conuersatione, sed latentia inquirimus loca, vt soli cum sola liberè loqui & conuersari posimus, & perditionem nostram non timemus. Ah fratres decipimur; peste peius similes debemus fugere occasiones.

Euidentissimum hoc periculum, cui se exponunt, qui soli cum solâ tractare volunt, considerans S. Hieron. saluberrimum dat consilium cuidam monacho nomine Rustico scribens: *Fuga mulieres; fac vt nomen tuum nouerint, & vultum tuum nesciant.* (*S. Hier. Epist. ad Monac. Rust.*) Et Sanctus Bernardus serm. 64. in Cant. maius prodi-

gium

gium æstimat mulieribus familiariter absque Dei & honoris offendiculo conuersari, quàm mortuos resuscitare. *Cum fœmina semper esse & non cognoscere fœminam, nonne plus est quàm mortuum suscitare?* Et Tertullianus ad hoc nostrum propositum aduersus Valentinianum lepidam & pericucundam habet considerationem de tranquilitate & securitate vitæ æternæ dicens, Felicissimum esse cœlum, quia cùm angelos habeat, qui illud ornent, Angelas non cognoscat nec admiserit: Deum si habeat, Deas habere non legatur; nam si Deæ & Angelæ essent, turbationis alicuius periculum esse, & tranquillitas turbari posset. *In cælo non angelus & angela.* Causa igitur hæc est, N. N. cur sanctissimi homines, vsque ad summam senectutem & sepulturæ terminos peste & angue peius omne mulierum consortium fugerint; & id egerunt, vt suam sortem assecurarent & non caderent. Nunc considerate vos, quid mundano homini Iuueni aliàs luxuriæ vitio dedito, & cuius sanguis adhuc bullit, agendum sit. Hæc causa est, cur S. August. (vt Possidius refert in eius vita) nec sororis consortium admittere voluerit. Et cum eius rei causâ ab amico interrogaretur, & quare in domo sua sorori alias sanctæ habitandi vetaret potestatem, respondisse dicitur, sororis eum non timere consortium, nec inde sibi periculi aliquid timere, sed eo ipso, quòd soror secum habitaret, aliæ illam visendi gratiâ accessuræ sint, de quarum consortio periculum timendum sit. Pauci sunt, qui Philosophi illius, vt Laertius in Philosophorum enarrat vita, constantiam habeant, qui in lecto non homo, sed statua à muliere iudicatus est.

[*S. Bern. ser. 64. in Cant.*] [Quomodo Sancti fugerint consortia mulierum.] [*Tertul. adu. Valent.*] [*Possid. in vit. S. Aug.*]

Christiane, vis liber esse à malo? fuge mulierum consortium; nam ab ipsis omne procedit malum. Ideò Sanctus Bonauentura exhortatur suos vt angue peius ipsarum fugiant conuersationem ob euidentissimum periculum & damnum, quod earum poterit causare consortium. Et vt veritatem fatear, quis hominum sibi persuadere ausus fuisset, Dauidem Regem aliàs fortissimum & inuictum, constantem, ad aspectum vnius feminæ in horto se lauantis tam miserabiliter casurum, vt 2. Regum cap. 11. legimus? Et quis non admiretur Sapientissimum Regem Salomonem ita mentem perdidisse, & extra se factum esse, vt Dei sui oblitus, ad placendum mulieribus idola earum adoraret, & Dæmonibus thus & sacrificia offerret? & hoc mala mulierum causauit societas. Quis non attonitus maneret? Samsonem leones dilacerasse, fortissimos funes diripuisse, portas ponderosissimas ciuitatis in montem transportasse, & ex mulieris vnius consortio totam hanc fortitudinem, oculos & vitam ipsam amisisse, vt Iud. cap. 9. legimus. Et quis mortalium Petri Apostoli casum sibi imaginari potuisset? Princeps hic erat Apostolici Collegij, columna, supra quam Christus decreuerat suam fundare Ecclesiam. Hic paulò antè iurauerat, se moriturum cum Christo, & tam generosè se gesserat in occasione illa, dum milites Christum in horto caperent, vt solus legionem militum aggressus, & primum obuium in terram prosternens, auriculam absciderit, & tamen cum ancilla vna conuersando & ad ignem se calefaciens dum peteretur ab ipso, num Christum cognosceret, negauit & iurauit nescire se hominē. *Non noui eum, nescio quid dicis.* Percipere vobis lubeat, deuotissimi N. N. quid Sanctus Laurentius Iustinianus de triumpho Christi & agone cap. 13. horum miserrimum casum deplorando dicat. Verba eius hæc sunt: *Mulier Samsonem in manus Philistijm dedit: Dauid in adulterij & homicidij crimen induxit: Salomon*

[*2. Reg. 11.*] [Mala prouenientia ex eo consortio.] [*Iudic. c. 9.*] [*Luc. c. 12.*] [*B. Laur. Iustin. de triump. & ag. Christi c. 13.*]

lomonem etiam *sapientia perdita alienigenarū Deos thurificare coëgit: Apostolorū novissimè Principem in Magistri negatione prostravit.* Ite nunc vos, & fidite vobis, & de vestra spondentes constantia ac fortitudine liberiùs mulierum accedite consortia, & earum vtimini conversationibus, & non cadite in grave aliquod peccatum. Audite quid S. Spiritus per Sapientis os dixerit: *In medio mulierum noli commorari; de vestimento enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Ac si diceret: Mulierum societati miscere te noli; nam sicut ex vestimentis nascitur tinea; & in alia vestimenta transit, & illa corrodit, sic apud mulierem omne malum suam trahit originem & nascitur; qui ergo ipsarum amat societatem, in illarum delectatur esse consortio, mala quæque ab illis hæreditabit. Et alibi idem Ecclesiastes sic loquitur: *Vinum & mulieres apostare faciunt sapientes* Id est, vt vinum, cùm extra modum bibitur, etiam sapientes cerebro privat, ad contra Dei legem & honorem agerē facit ea, quæ si vinum non bibissent, nunquam egissent: sic mulierum amor cùm invalescit, etiam sapientissimo intellectu privat & inebriat, & ad plurima mala patranda incitant, quæ alias præ pudore cogitare ausi non fuissent. Hanc veritatem ad vnguem Sancti Patres cognovēre; ex quibus S. Hieronymus non postremus est, qui sic ad Nepotianum scribit: *hospitiū tuum aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant.* Ergo ipsarum consortium fuge, dicit S. Ambrosius lib. de fuga sæculi, nec inde verecundiam habeas; nam fuga hæc non infamis, sed honoratissima est; nam à peccato fugit qui feminam fugit. Verba eius hæc sunt: *Non erubescamus fugere; gloriosa enim fuga est fugere à facie peccati.* Et San. Bonavent. gloriosam valde hanc prædicat fugam, quia fugiendò gloriosè de inimicis triumphamus, & splendidam obtinemus victoriam; *Quia victoria consistit in fugâ.*

Eccles. c. 42. — *Eccles. c. 9.* — *S. Hier. ad Nepocian.* — *S. Ambr. l. de fuga sæc.*

Si autem necessitas & utilitas mulierum conversationem exigit, hoc animadvertendum est, ne solus cum sola tractes, & in conversatione angulos quæras, sed illa quæ tractanda sunt, in aliorum agas præsentia; vt si audire nequeant quæ loqueris, videre saltem possint, quæ agis. Et hæc non est mea doctrina, sed S. Hieronymi, qui Epist. prima ad Nepotianum sic loquitur: *Solus cum sola absque arbitro & teste non sedeas: etiamsi secretum aliquod intersit,* etiam si secretissima cum muliere aliqua licet honestissima tibi tractanda sint, cave ne solus cum sola id agas, sed semper tibi socium assumas, qui si non dictorum, quia secreta sunt, saltem factorum testis & iudex esse possit. Et hæc negotia, quæ cum mulieribus tractantur, quam paucissimis expediri debent verbis, & omnes sermonum & ceremoniarum prolongationes summoperè virtuti debent, & velut perniciosi actus declinādi sunt, & non plura verba, quàm sint necessaria ad negotia expedienda, in medium producenda. Vno verbo, summa in conversatione cum eius gravitas servanda est, & quantò citius possibile est, ipsarum consortium deserendum. Hoc consilium S. Augustinus lib. de honestate mulierum nobis reliquit, dicens; *Sermo brevis & rigidus habendus est cum mulieribus.* Id est, non ridendum, non manibus ludendum, non oculis circumvagandum est, non dulcia & compta inquirenda & adducenda verba sunt illi, qui cum mulieribus conversantur si aliquis illæsus, & non venenoso aliquo morsu offensus recedere desiderat.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homiliâ quinquagesimâ quartâ in cap. 39. Genes. considerat nobilissimam illam & generosissimam Iosephi fugam; quando libidinosas inhonestæ matronæ evasit manus, & totus admirabundus tribus Hebreis assimulat pueris

S. Bonau. de pur. consc. — *S. Hier. Epist. 1. ad. Nep.* — *S. Aug. lib. de bon. mul.* — *Chrysosto. hom. 54. in c. 39. Gen.*

pueris qui de fornace accensa Babylonica exiverunt illæsi. Nam castus iuvenis intactus & inoffensus de libidinosis Dominæ suæ manibus & impurissimo luxuriæ igne evaserat, & totum hoc mediante fugâ præstitit. *Et relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras.* Ergo efficacissimum remedium est liberum ab inhonestatis peccato se reddendi, fugere, & omnem mulierum declinare conversationem; nam summa fatuitas flammis medijs se miscere, & ab illarum ardore nolle lædi: nam vt asserit S. Cyprian. de sig. Cleric. *Impossibile est flammis circumdari nec ardere.* Omnibus alijs vitijs frons exhiberi potest, & fortiter pugnando sperari victoria, sed de hoc impurissimo inimico solâ fugâ triumphare & victoriam obtinere quis potest. Audire vobis lubeat S. Augustini verba, quid ipse de hac allata doctrina sentiat: *Cætera vitia pugnãdo vinci solent, sola libido est, quæ fugiendo potius quàm pugnando superatur.* Id est, ita apertè resistendo superatur, avaritia & superbia fortiter pugnando & contrarios exercendo actus vincitur, & sic de alijs omnibus vitijs; sed vbi libidinis percipitur ignis, vt illæsus evadas, fuga & quidem velocissima necessaria est: Ideò S. Philippus Nereus, vt in eius vita lib. 2. c. 3. legitur, dicere solitus erat: *Alla guerra del senso vincono li poltroni.* Volebat dicere, in bello & pugna, vbi caro, spiritus & libido certant & pugnant, generosi & fortes vincuntur, at timidi, pusillanimes & viles, qui statim inspecto inimico & signo pugnæ percepto fugiunt, victores evadunt, & gloriosam reportant victoriam. Sic agite & vincetis impuritatis inimicum, & flammæ libidinis vos apprehendere non valebunt: interim quiesco.

S. Cypr. de sig. Cleric.

S. August. loc. cit.

In vita S. Philipp. Nerei lib. 2. c. 13.

PARS II.

PVNCTVM QVARTVM.

VIdimus N. N. Primâ parte causas, ob quas benedictus Christus noster fatigatus & lassus à sancto describitur Evangelistâ, nunc hac secũda parte defectus & errores à muliere Samaritana commissos, quantum tempus permiserit exhibebimus, vt mulieres sibi de illis cavere sciant. Sit ergo primus defectus, quem S. Ioann. Evangelista in hodierno describit Euangelio, quod hæc mulier non in civitate, vbi tot putei & cisternę erant, aquam hauserat, sed longius extra civitatem ad solitariũ quendam locum perrexerit, vt ibi aquam hauriret. *Venit mulier de Samaria haurire aquam.* Hæc mulier erat vagabũda, facilè & sine necessitate domo sua exibat; nam meridiano tempore dum summus erat æstus, & omnes à solis ardore in suis domibus se continerent, non solùm sola de domo exit, sed & civitatis transgreditur terminos, & sat longè à civitate ad puteum Iacob se confert. Num hodie tales reperiuntur feminæ, quæ absque necessitate domibus suis exeant, & quæ in vicino invenire possunt, in distanti loco inquirunt, vobis iudicandum relinquo; quia melius vos invicem cognoscitis, & facta vestra accuratiùs quàm nos viri, notatis atque examinatis. Serenissimus & Sanctus Rex David in suo Psal. 127. conversus ad quendam Patremfamilias ad gubernationem domûs pulcherimas dat ei doctrinas, & eximijs instruit consilijs. Inter alia hoc vt summè necessarium consilium præbet (si alias vult, vt domus sua in bono regatur ordine, filij & filiæ bene educentur, & res & bona sua non pereant, sed crescant & augeantur) ne mulierem tam facilè domo exire permittat, & si gressus fieri debet, tempus, locum, societatem & om-

Defectus mulieris Samaritanæ I. Erat vagabunda.

nes alias circumstantias, & quæ bona aut mala inde euenire possint, priùs benè examinet. Verba eius hæc sunt: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Non in fenestris, non in portâ domus, non in conuiuijs, non in saltibus, non in deambulationibus, sed *in lateribus domus tuæ*, id est, in mediâ domo, in locis magis absconditis ac latentibus domûs. Sic Doctissimus Agellius hunc explicat locum: *Hæc est benedictio, quâ se timentem Dominus donat, vt vxorem habeat & fœcundam & verecundam, ac pudicam. Fœcunditatem similitudine vitis fructum copiosum ferentis indicat verecundiã ac pudicitiam, quod ea non in foribus versetur.*

Psal. 127.

Agel. hic.

Plutarchus lib. de præceptis Nuptiarum refert, Ægyptijs mulieribus à maritis suis domo egrediendi licentiam aliter non datam esse nisi nudis pedibus: quæ dum sic exire cogebantur, timore ne se offenderent aut læderent, aut domo non exibant, aut si egressæ fuerant, longiùs non procedebant, sed quantocyùs domum reuertebantur. Et apud Laertium in vitis Philosophorum quendam dicere solitum: Vultis scire, quæ verè pudica & honesta sit femina? illa erit, de qua cùm interrogaueris alium, qualis sit, respondeat: Non cognosco illam; nunquam enim domo suâ exit, & in aliarum vagabundarum consortio minimè apparet. Enarrat idem Plutarchus in vita Numæ Pompilij Romæ contigisse, mulierem quandam forum seu prætorium transire quod factum Romanos tam attonitos reddidit, vt ad oraculum Delphicum pro facti huius significatione legatos miserint; tam insolitum erat feminis publica transire loca. Nunc autem & modernis temporibus vt quid naui & rarum quoddam prodigium admiramur eas, quæ inclusæ, domus suæ portas custodiunt, & inter alias vagabundas non deprehenduntur.

Plutarch. lib. de præcept. Nupt.

Plut. in vit. Numæ Pompilij.

Ergo feminæ domibus suis inclusæ manere & ianuas bene claudere ac custodire, nec vagabundæ per civitatem errare debent; nam talem custodiam & solitudinem ipsarum honor & honestas requirit. Hoc memoriali Galenus lib. 2. complexionum ipsas donavit, dicens: *Femina est domus custoditiua.* Inclusæ ergo domus suas custodiant & gubernent, sic malignas euadent linguas, & detractionis, ac murmurationis gladium, quo tot honestarum fœminarum & matronarum ac Virginum honoris atque honestatis læditur vita, illæsæ euadent. Doctissimus Hugo Cardin. in cap. 1. Lucæ, Sanctissimam Virginem omnibus proponit in exemplum, quam cùm Angelus visitaret, & Dei donum annuntiaret, domi suæ solam absque arbitro, manibus laborantem, & mente Dei magnalia contemplantem reperit. Verba eius hæc sunt: *Quòd missus fuerit Angelus ad Mariam, dicit Evangelista: Vbi autem ipsam invenerit, demonstrat, non foris in plateis civitatis, non vagabunda, sed intus solitaria.* Ioann. cap. 11. duæ sorores Maria Magdalena & Martha expressum nuncium ad fratris sui mortalem infirmitatem Christo insinuandam miserunt. Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes *Ecce, quem amas, infirmatur.* Admirabile hoc factum est. Desiderant salutem fratris sui, & earum nulla Christum accedere dignatur, sed per nuntium ordinarium, qui famulus vel rusticus aliquis erat, hoc ei significant. Cur non vna illarum hoc præstitit officium? & tantò plus hoc illi conveniebat, quantò major gratia peteretur, & persona illa, quæ gratiam præstare debebat, majoris dignitatis ac excellentiæ fuit? nam Christus non ordinaria persona, non Princeps hujus mundi aliquis, quibus talis debebatur respectus, sed Altissimi Filius Rex Regum erat, cui ex justitia omnis honor & respectus debebatur. S. Ioannes Chrysostomus

Gal. lib. 2. complex.

Hugo in cap. 1. Luc.

Ioan. cap. 11.

mus citatus ab Hugone hîc respondet ad hanc difficultaté, & non solùm duas illas sorores in hoc facto excusat & defendit, verùm etiam vt de prudentissimo actu laudat. Nam si vna ipsarum ad Christum venisset, suo adventu Christum offendisset, qui illas domi sedere malebat. Cùm ergo hæc Dei voluntas ipsis constaret, & scirent, quantum femina domi suæ sedens Christo placeret, & quòd etiam, quæ per alios petit, obtinere posset, nulla ipsarum hoc officiũ suscipere voluit, sed nuncium miserunt. Nam displicent Deo vagabundæ feminæ, & quæ honestatis ac pudicitiæ nomen retinere & custodire desiderant, cum Maria Magdalena & Martha domi maneant, & viros negotia tractare sinãt, & illos, cùm quid agendum est, mittant. Audiamus Sacti verba: *Cur sorores relicto fratre non venerunt ad Christum? quia non debent mulieres discurrere neque vegari.*

Chrys. ab Hug. in cap. 11. Luc. cit.

Plusquam notum est, filiam Iacob, Dinam nomine, quia vagabunda & curiosa & extra necessitatem foras egressa fuerat, florem suæ perdidisse virginitatis, & tot aliorum malorum, quæ inde consecuta fuerunt, causam fuisse, quamdiu autem domi manserat, & portas domus suæ non transgrediebatur, pudica & honesta manserat virgo. Verba Scripturæ hæc sunt: *Egressa est autem filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius, quam cùm vidisset Sichem Princeps terræ illius, adamavit eam, & rapuit, & dormivit cum illa.* Vnde S. Hieronymus Epist. 27. ad Eustoch. considerans hoc factum, saluberrimum hoc dedit illi consilium, dicens: *Semper te cubilis tui secreta custodiant: cave ne domum exeas, & velis videre filias regionis alienæ: Dina egressa corrumpitur.* Vnde Philosophus quidam dum interrogaretur, quæ in civitate quadam honestatis laudem præ cæteris mereretur mulieribus, respondisse fertur: Illa, quæ rariùs domo suâ exit, & solitudinis tam amans est, vt an in, vel extra civitatem moretur, penitus ignoretur. Ergo his edoctæ & instructæ exemplis addiscite vos mulieres & virgines, quanti cordi vobis solitudo habenda & vagationes fugiendæ sint, & quod domi vestræ sedere, laborare & Dei contemplari magnalia, & non per plateas juvenum aut virorum considerando formas & facta discurrere conveniat, si alias honestas & pudicitia vobis cordi est, & illam custodire & non vendere intendatis.

Gen. c. 34.

S. Hier. Ep. 34. ad Eustoch.

Alter defectus hujus Samaritanæ feminæ erat garrulitas; nam loquacitati dedita virum quem nunquam ante viderat, nec cognoverat & quidem externum audacter alloquitur, cùm potum sibi ab illa tribui peteret, *Mulier, da mihi bibere.* Mox non solùm respondet, sed ludendo verbis discursum sat longum format, dicens: *Quomodo tu, Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? &c.* Sufficienter dictum fuisset: Non possum, aut nolo tibi dare. Hic, N. N. summus & quasi præcipuus mulierum defectus est, & principalis tot malorum, quibus aliquando obruuntur, causa. O quàm felix fæminæ illius sors est, quæ silentij amans, suam cohibere linguam & os occludere addidicit. Pulcherrimum ac mysteriosum erat illud ornamentum, quo Deus apud Sanctum Prophetam Ezechielem capite 17. mulierem exornavit. *Dedi inaurem super os tuum.* Inauribus aliæ mulieres aures suas ornant, at ego hâc os tuum ornare volo; & sicut aliæ aures perforant & appendunt, sic labia tua perforare & hanc illis appendere volo. Extravagans & novus certè hic mulieres adornandi modus est; quis vnquam mulierem sic incedentem deprehendit? & tamen vult Deus sic illas, qui pudicitiam servare volunt, incedere. *Dedi inaurem super os tuum.* Hugo Cardinalis in hunc locum sic habet: *Dicit, super os tuum, quia inducit silentium.*

Secundus est garrulitas.

Exech. cap. 16.

Hugo hîc.

Vult Deus, ô mulieres, dum inaures vos in labijs vestris portare iubet, silentij vobis commendare virtutem, & instruere, quàm charum vobis debeat esse silentium, & rara in labijs vestris verba; in auribus ora vestra obseranda sunt, quia pauca & non nisi summè necessaria vobis proferenda sunt. Inde Sanctus Hieron. ad Demetriadem scribés, inter alia sancta monita ac consilia, quibus quasi spinosis ac fortissimis sepibus rosam suæ pudicitiæ custodire valeret, sequens dedit, dicens: *Mirentur omnes, te tacente, tuam verecundiam.*

S. Hier. ad Dimet.

His & multis alijs vitijs atque defectibus, quibus enarrandis & ponderandis tempus deficeret, Samaritana obnoxia erat; sed simul ac aquas divinæ gratiæ, quas Christus benedictus illi bibendas dederat, gustavit, protinus mutatur, & iam non vana, non curiosa loquitur, sed magno fervore Dei prædicat & annuntiat laudes, & omnes alios inhabitantes civitatem ad illas bibendas invitat, & ducere conatur ad CHRISTVM. Audite sequentia verba: *Reliquit hydriam mulier, & abijt in civitatem, & dixit illis hominibus: Venite & videte hominem, qui mihi dixit omnia quæcunque feci.* O vtinam nunc sic agerent mulieres! O feminæ, ô virgines, quàm felices vos dixerim, si hydriam illam onerosam & impletam vestris inordinatis affectibus ad partem poneretis, occasiones peccandi & inclinationes malas angue peius devitaretis. *Reliquit ergo hydriam suam.* Virgo, vis tuam custodire pudicitiam, & pulcherrimo virginitatis flore non spoliari? matronæ, desideratis vestrum honorem tueri, hydriam, id est, hanc vel illam peccandi & Deum offendendi occasionem deserite & fugite: imago huius vel illius iuvenis vobis abijcienda est; literæ illæ amatoriæ non recipiendæ, munera non acceptanda, & si iam domi habentur, comburenda sunt. In summa quidquid alienorum vestram deturpat ac turbat imaginationem, abolendum atque abstergendum est ex memoria vestra, & divina invocanda gratia, ne cum Dina filia Liæ pudicitiam vestram amittatis.

Audistis (vt finiam) Christum Dominum à muliere hac Samaritanâ potum petijsse, *Mulier da mihi bibere*: Ille idem hodiernâ die sic vnumquemque vestrûm alloquitur: Da mihi bibere, anima Christiana, sitit Deus, & à vobis potum petit. Quę verò sitis illa est? quis potus, quem Christo ad illam extinguendã præbere possis? Sanctus Ioan. Chrysost. hom. de Saul & David ostendit in Christi personâ crucifixi, dicens, salutem nostram esse, quam sitit. *Ego salutem mortalium sitio.* Deus aliâ siti non laborat, quàm animarum nostrarum salutis. Ergo in hoc potu illi præbendo duri ac segniores non simus; quod faciamus, cùm de commissis erroribus pœnitentiam egerimus, & futurorum ac præsentium occasionem declinaverimus, & toto corde tam amoroso Domino servire conabimur, qui omnia hæc in vita hâc largiori gratiâ & in alterâ æternâ retribuet gloriâ. Amen.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

DISCVR-

DISCVRSVS ELECTI IN SACROSANCTA EVANGELIA,

Toto tempore quadragesimali occurrentia, quibus laudes Deiparæ Virginis pro diebus Sabbatinis accedunt ad finem operis.

PARS SECVNDA.

DISCVRSVS XXII PRO DOMINICA QVARTA. QVADRAGESIMÆ,

ARGVMENTVM.

Prima parte puncto primo demonstratur, quàm magna & superabundans Dei sit providentia erga homines. Secundo, quàm fidelis sit divina providentia in succurrendo in Deo confidentibus, dum de humano desperatũ est auxilio. Secunda parte, tertio puncto docetur, quomodo de cœlo & non de terra auxilium sperãdum sit, & non in creaturis, sed in divina providentia spem nostram collocare debeamus.

Thema.

Cùm sublevasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi? Ioan. cap. 6.



AD solemnissimũ & Regale, N. N. per hodiernũ Evangeliũ à sancta Romana Ecclesia missus, vos invito cõvivium, vbi pretiosum nectar & ambrosianum Deorum vinum non apponitur, nec mensæ ciborum delicatorum varietate ornantur; nam divinæ providentiæ expensis ordinatum atque institutum est. Convivium ergo hoc est, cuius locus spaciosi sunt campi, mensæ florum varietate ornata prata. *Erat autem fœnum multum in loco.* Qui illud celebrat & accumbentes invitat, ac tractat, Christus Iesus Rex & Salvator noster est. *Facite homines discumbere.* Invitati & accumbentes circiter quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis. *Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia,* Fercula & cibi secundùm Christi paupertatem in quantitate & qualitate Convivium mirabile.

accomodati, modicum panis & parum
piſcium erant. *Eſt puer vnus hic, qui ha-*
bet quinque panes hordeaceos, & duos piſces.
Sed hi pauci panes & piſces in tantâ
quantitate multiplicati fuerunt, vt tot
hominibus ad nauſeam vſque refectis &
ſatiatis multò major abundantia quàm
appoſita fuerat, recollecta ſit, & quæ
multos alios, ſi adfuiſſent, ſaturare po-
tuiſſet. *Collegerunt duodecim cophinos frag-*
mentorũ ex quinque panibus hordeaceis, quæ
ſuperfuerunt his qui manducarant. Vnde
autem, & quomodo hæc multiplicatio
facta fuerit, variæ Sanctorum ſunt opi-
niones. Sanctus Auguſt. tr. 24. in ſanctũ
Ioannem, vult in manibus Chriſti hanc
multiplicationem, dum diſtribueret, fa-
ctam fuiſſe. Sanctus Ioannes Chryſoſto-
mus homil. 54. in ſancti Ioannis Evan-
gelium, æſtimat in Apoſtolorum mani-
bus, dum in populum dividerent, mul-
tiplicationem contigiſſe. Sanct. Hilarius
lib. 3. de Trinit. judicat in turbæ ma-
nibus eveniſſe. Sanctus Ambroſ. tam in
Chriſti, quàm Apoſtolorum & turbarum
manibus miraculoſam hanc multiplica-
tionem eveniſſe opinatur. Sed facta ſit
quomodocunque velit, hoc certum &
evidentiſſimum eſt, miraculoſam ac pro-
digioſam hanc panum multiplicationẽ
per ſolam & abſolutam Chriſti potenti-
am contigiſſe, & id ad innatam ac ſuper-
abundantem divinæ ſuæ providentiæ
liberalitatem demonſtrandam, quæ ſem-
per omnibus ad illam recurrentibus ſuc-
currere præparata eſt. Hoc ergo con-
vivium in pratis & campis ex altera
parte maris Galilææ in pane & piſcibus
cum frequentia tot millium hominum
celebratum, ampliſſimum mihi præbet
campum divinam ergo nos prædicandi
providentiam. Prima ergo diſcurſûs
mei parte ſummam illius erga nos libe-
ralitatem vobis demonſtrabo. Secun-
da parte confidentiam, quam in omni
noſtrâ neceſſitate ad Chriſtum habere
debemus, vobis exhibebo. Accedite er-
go, Auditores, huic convivio, & ſacræ
accedite menſæ, ne de ſaturitate dubite-
tis; nam omnia abundantiſſimè ſubmi-
niſtrabuntur. *Collegerunt ergo & impleve-*
runt duodecim cophinos fragmentorum ex
quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt
his, qui manducaverant. Attenti eſtote.

S. Auguſt. tract. 24. in Ioan. S. Chryſoſt. hom. 24. in Ioan. S. Hilar. lib. 3. de Trinit. S. Ambr.

PARS I.

PUNCTUM PRIMUM.

Cùm ſublevaſſet ergo oculos Ieſus & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Ioan. c. 6.

DVm cæca & fatua gentilitas in
multitudine Deorum ſuorum
gloriaretur, & tota læta ac hilaris in
eorum honorem plurima inſtitueret
feſta, erigeret ſtatuas, accenderet lumi-
naria, adoleret thus, & ſacrificia offer-
ret; ſereniſſimus Rex David Altiſſi-
mi honoris accenſus zelo ſalit in me-
dium, & eos irridendo, Deos ipſorũ mi-
ſeros, falſos, imò dæmonia eſſe oſtendit,
vt legimus Pſal. 113. *Simulachra gentium*
argentum & aurum: opera manuum hominũ.
Os habent & non loquẽtur: oculos habent &
non videbunt: aures habent & non audient.
Ecce multi cæci & ſurdi ſunt. *Pedes ha-*
bent & non ambulabunt; ecce claudi. *manus*
habent & non palpabũt; ecce cõtracti ſunt,
manus regere nequeunt. Quid plura di-
cam: *Simulachra gentium argentum & au-*
rum. Felices nos, vel ut melius dicã, fortu-
natiſſima Religio Chriſtiani eſt; nam ſi
cæca & fatua gentilitas falſos ſibi fin-
xit Deos, & ſurdos, cæcos, mutos, imò
lignum, aurum & argentum, ex quibus
facti erant, adoravit: noſtra Religio ve-
rum Deum colere nos inſtruit, qui acu-
tiſſimum habet viſum, & omnes neceſ-
ſitates noſtras perſpicit. Hoc idem

Diſparitas in Deos gentium & verum Deum.

Regius

Psal.37. Regius docet Vates suo Psalmo trige-
& 33. simo nono. *Oculi eius in pauperē respiciunt.* Et Psal. 33. dicit subtilissimum habere auditum, & omnes nostras percipere preces. *Aures eius in preces eorum.* Non est mutus, sed eloquentissimus, & ad omnibus nostris petitis respondendum promptissimus, vt atteſtatur Isaias c.
Isai.c.30. 30. *Statim vt audierit, respondebit.* Manus habet non clausas nec contractas, vt gentilitatis falsissimi Dij, sed apertas ad varias nobis præstandas gratias, & in omni necessitate nostra ad succurrendum promptissimas. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Psalm.* 39. In cursu suo velocissimus est, & expeditissimos habet pedes, vt
Psal.18. nostris subueniat miserijs. *Exultavit vt Gigas ad currendam viam,* Psalm. 18. Ni-
Psal. 39. mium sollicitus pro nobis est. *Dominus sollicitus est mei.* Ipsæmet turbæ, quas hodie benedictus Christus noster trium dierum itinere fatigatas & lassas, totas familica, & debilitatas ipsis non petentibus, sed sponte in loco supra fœnum recumbere fecit, satiavit, refecit, exhilaravit, consolatas & confortatas dimisit: huius rei testes esse possunt. Et quod divina his præstitit providentia, idem nobis singulis exhibere parata semper est: vt Regius propheta Psalmo trige-
Psal. 32 simo secundo atteſtatur. *De præparato suo*
Didym.hic *habitaculo respexit super omnes, qui habitant terram.* Id est, vt Didymus Alexandrinus hunc locum explicat. *Ad omnes qui sunt super terram, protenditur misericordia Dei, qui de prædicto habitaculo suo ipsos respicit.* Volebat dicere: Felices & fortunatissimi nos Christiani sumus, qui Deum colimus & adoramus, qui semper promptus, sem-
Divina per paratus, semper expeditus, semper
providentia sollicitus & volocissimus est ad succurrē-
omnibus dum nobis in omnibus necessitatibus no-
semper sub stris.
uenire parata est.

Quod autem non solùm, vt in hodierno Evangelio legimus, liberalem erga turbas has divina se exhibuerit providentia, verùm etiam parata semper sic id summâ agere promptitudine in liberalitate omnibus succurrere; singulariter autem ijs, qui confidunt in ipsa, varia & exempla & testimonia sacrarum litterarum testantur. Primum sit illud Sapient. cap. 14. vbi ipsemet Dei Spiritus, qui mentiri non potest, sequentia protulit verba: *Domine prævenisti eum* *Sap. c. 14.*
in benedictionibus dulcedinis, vel vt doctissi- *Agel. ex*
mus Agellius ex Hebræo legit, *In opta-* *Hebr.*
bilibus divinæ benignitatis & clementiæ. Ac si diceret: O Domine, in omni genere consolationis, benedictionis, & desiderabilis dulcedinis quàm liberalissimè per tuam divinam providentiam hominem prævenisti. In cuius veritatis testimonium notare illud Canticorum cap. 5 Sacra & inamorata Sponsa quadam vice animi recreandi & novi amoris effectus erga suum divinum Sponsum excitandi causâ de eius excellenti pulchritudine discursum format, & ipsum laudando ac præstantem eius formam describendo, singula percurrit membra, & hanc laudem incipit à capite dicens: *Caput eius aurum optimum.* at- *Cant. cap. 5.*
tingit genas: *genæ illius sicut areolæ aromatum.* Adjungit pedes & marmoreis columnis comparat. *Crura illius Columnæ marmoreæ.* Tandem ad manus pervenit, & globulo torneatoris arte fabricato confert, & plenas auro, gemmis, hyacinthis & alijs pretiosis vnionibus esse atteſtatur. *Manus eius tornatiles, aureæ* *Matth. c. 4.*
plenæ hyacinthis. Dum Evangelium prima Dominica quadragesimæ explicarem, ostendi vobis Christum dulcissimum Sponsum sanctæ suæ Ecclesiæ sat clarè, dum sathan, qui ad tentandum illum accedere ausus fuerat, vicisset, & illum confusum à se rejecisset demonstrasse aureum se habuisse caput, id est, divinam in se residere sapientiam. *Vade retro sathana, non tentabis Dominum Deum tuum.* Secunda Quadragesimæ Dominica cōsideravimus hūc Ecclesiæ

sponsum totum lucidum, splendidum, & in suo fulgore solem ipsum vincentem, vt habetur Matth cap. 17. *Resplenduit facies eius sicut sol.* Tertiâ Dominicam descripsi illum vobis marmoreas loco pedum habere columnas ob fortitudinem, quâ dæmonium illud mutum de hominis eiecit corpore, vt Luc. cap. 11. habetur: *Erat Iesus eyciens dæmonium, & illud erat mutum.* Et quartâ hâc Dominicâ contemplamur eum cum manibus tornatilibus, quibus plurimas continet vniones, gemmas, hyacinthos & alia pretiosa dona. *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Sanctus Ambrosius de obitu Theod. dicit, sponsam manus ejus tornatiles esse dicere, quia vt globus torneatoris factus manu, nunquam quietus esse potest, nisi arte aut obstaculo aliquo impediatur. Sic divini hujus sponsi manus, quæ plenæ sunt varijs donis, nunquam à bene faciendo, ac dona distribuendo cessare possunt, sed semper moventur, semper in actu bene faciendi sunt, nec quiescere possunt, nisi à vobismet ipsis impediantur. Et nunquid N. N. dum hodie tantâ liberalitate inter tot millia hominum panem & pisces dispensat & tam largiter necessitati ipsorum providet, liberalissimum & prodigum in donis suis dispensandis se exhibet? nam duplo plus, quàm ipsorum exigeret necessitas, ipsis tribuit. *Et collegerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, qui superfuerunt his, qui manducauerunt.* Certè aureæ manus sunt divini nostri sponsi, & non immeritò aureis globulis à divino Magistro formatis illas comparavit, *Manus illius tornatiles aureæ.* Hugo Cardin. in cap. 5. Cantic. dicit, sponsam per hanc comparationem vigilantiam ejus, quâ ad nostras respicit necessitates, & hilaritatem ac promptitudinem ejus, quâ nobis succurrit, indicare voluisse. Verba ejus hæc sunt: *Tornatiles ergo sunt in citò & hilariter tribuendo.*

Matth. c. 17.

Luc. c. 11.

Cur sponsus habeat manus tornatiles?

Hugo hic.

Antiquissimus & doctissimus Hebræorum Scriptor Iosephus lib. suo de antiquit. Iudæorum, mysteriosum quoddam describit velum, quod arte pictoriâ sic instructum atque dispositum erat, vt vndique plurimos apertos & vigilantes oculos haberet; hoc Iudæi locum illum Sancta Sanctorũ appellatum cooperiebant, & hoc, vt idem attestatur Auctor, gentibus & suis filijs demonstrare volebant, manum hominis ad tot oculos pingendos minimè sufficere, quot Deus retro illud velum latens habitans, ipsorum inspiceret necessitates, vtpote qui semper ad illas intuendas oculos apertos, & ad succurrendum extensam manum habet,

Iosephus de antiq. Iud.

Velũ oculis plenũ quid significet.

Fabula, & poetica fuit illa fictio, quâ antiquitas Argo Pastori cuidam centum tribuerat oculos, vt vndique vigilare, vndique circumspicere, & suo gregi operâ ejus indigenti subvenire posset. Sed veritatem Catholicam & fidei articulum esse S. Aug. lib. 3. ad Fortunatum asserere non dubitavit, Deum nostrum non centum sed mille & millenos habere oculos, quibus nostras intuetur miserias, & nostris subuenit necessitatibus. Verba ejus hæc sunt: *Deus totus oculus est, qui omnia videt.* Et cùm vndique oculis plenus sit, inde evenit, vt tam diligens & liberalis sit in providendo & nostris necessitatibus succurrendo, & non tantum videat & intueatur nostras miserias, verùm etiam liberalissimâ & prodigâ manu nobis succurrat, & quibuscunque indigemus, etiam non petentibus per divinam suam providentiam subministret. Et hanc veritatem vt Catholicæ fidei articulum ex sacris probat literis, verbis illis Sapientiæ capite sexto: *Æqualiter illi cura est de omnibus.* Ergo merito quilibet nostrûm ad Deum conversus sequentibus verbis cum Sanct. Aug. lib. 3. Confess. cap. 11. ipsum laudare & benedicere deberet: *O tu bone O mnipotes, qui sic curas vnumquem-*

Deus multos habet oculos & cur.

Sap. cap. 6.

S. Aug. lib. 3. confes. c. 11.

que

que tanquam solum cures, & sic omnes tanquã singulos. Id est, ô Magne Deus, infinitas tibi gratias reddo, eò quòd tam sollicitus sis de me solo, ac si ego solus in mundo viverem, & pro me solo cælum factum esset.

Hanc largam & prodigam providentiam, quã Deus nostris succurrit necessitatibus, benedictus noster Christus demonstrare voluit, dum curam, quã æternus Pater volatilia cœli curat, exhibuit, dicens: *Respicite volatilia cæli quæ non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater cælestis pascit illa.* Et non immeritò, nam si quis varietatem volatilium & illorum innumerabilem multitudinem, seclusis alijs terrestribus & aquatilibus creaturis, considerare velit, & quomodo Deus illa pascat, & nutriat, præsertim hyemali tempore, vbi omnes campi & horti, in quibus æstivo tempore cibum reperire poterant, in arida conversa sunt deserta, & quod nulli aliquid desit, evidentissimam Dei providentiam erga illa confiteri debebit. Quod & David Regius Propheta in suo Psalm. 144. insinuare voluit, vbi ex vniversali hac providentia divinam omnipotentiam extollere & laudare conatur, dicens: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.* Et Liranus explicando hæc verba sic habet: *Convenienti refectione.* Vnde impossibile esse infertur, dicit sanctus Ambrosius in Psalmum 118. divinam providentiam, quæ lilia atque rosas suas vestit pulchritudine, tot volatilia pascit, tot animantibus terræ, tot piscibus in abyssis maris necessaria providet, cui tanta cura de pullis corvorum est, qui passeris non vllius obliviscitur, & vermem terræ vilissimum non præterit, quin pro sustentatione eis necessaria tribuat, quin homini, qui nobilissima omnium

Matt. cap. 6.

Psal. 144.

Liran. hic. S. Ambros. in Psalm. 118.

creatura, rationabile animal, ad ejus imaginem & similitudinem creatus & pretioso sanguine redemptus est, amplissima & largissima non succurrat providentia. Verba Sancti hæc sunt: *Qui alit aves, non alet homines, quos ad imaginem & similitudinem suam fecit?* Ergo omnes confiteri debemus, magnam divinam providentiam erga nos esse, & ob hanc eum in æternum semper laudare, & cum sancto Augustino gratiarum repetere verba. *O tu bone Omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrûm, tanquam solum cures, & sic omnes tanquam singulos.*

Notastisne aliquando, N. N. locum illum Zachar. cap. 3. *Super lapidem vnum septem oculi sunt?* Dicit Proph. se mirabilem quendam vidisse lapidem innumerabilibus oculis præditum; nam cum Scriptura per septenarium numerum aliquid determinat, innumerabilem numerum indicare prætendit. Per hanc petram oculis plenam, vt Hugo Cardinalis notat in hunc locum, sancti Doctores ac Expositores Christum Dominum ac Salvatorem nostrum intelligunt, qui septem, id est, innumerabiles habet oculos ad inspiciendas necessitates, quibus invigilat, & summâ diligentiâ omnia providet, vt in hodierno Evangelio egisset reperimus, qui cùm oculos suos elevasset, & tot millia hominum trium dierum itineribus fatigatorum deprehendisset (*Cùm sublevaßet ergo oculos Iesus?*) protinus sedere ac cessare fecit, & omnia ad membrorum & corporis refectionem necessaria in abundantia subministravit.

Zach. cap. 3.

Ex hoc, N. N. intelligitur illud Scripturæ Canticor. capite secundo, vbi divina Sponsa suum laudando Sponsum, inter alia verba, quibus pulchritudinem & gratiosam ejus formam prædicat, mysteriosa hæc quoque verba habet: *Similis est Dilectus meus capreæ.* Extravagans &, parum tanto Sponso conveniens hæc Sponsæ prea,

Cantic. c. 2.

Cur sponsus comparetur capreæ,

ſæ comparatio videtur eſſe. Forſan deerant aliæ nobiliores ſimilitudines, quibus ſponſi ſui formam laudare poterat? Scio bene, varias expoſitorum eſſe opiniones in huius Scripturæ locum. Origenis vt valde ad noſtrum propoſitum Homilia tertia in Cantica percipere vobis lubeat, qui dicit, capream inter alias qualitates duas, habere admirabiles & laudabiles: Vna eſt velociſſimus eius curſus, altera acutiſſimus eius viſus; nam licèt velociſſimo curſu per montes feratur ne minimum quidem, quod eius offendere poſſit oculos, eam præterit, ſed minima quæque obvia acutiſſimo ſuo viſu penetrat. Ob has duas qualitates divina Sponſa divinum ſuum ſponſum (vt Origenes affirmat) illi aſſimilat, quia hæc in perfectiſſimo gradu in ipſo reperiuntur; nam vt viſus eius acutiſſimus eſt, quo omnes noſtras neceſſitates & ipſa etiam cordis deſideria penetrat ac intuetur, ſic etiam velociſſimus ac celerrimus, eſt ad noſtris ſuccurrendum neceſſitatibus, ita vt ſæpiùs etiam noſtras præveniat neceſſitates. Verba Origenis hæc ſunt: *Currit autem vt inveniat, & præveniat eos, qui ſuâ providentiâ indigent.* Et videtur idem dicere voluiſſe Spiritus ſanctus verbis illis capite ſexto libro Sapientiæ: *Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat.* Et paulò inferiùs: *Quoniam dignos ſeipſa ſapientia circuit quærens, & in viis oſtendit ſe hilariter & in omni providentia occurrit illis.*

Origen. in hom. 3. in Cant.

Sap. cap. 6.

Sed ſi placet, N. N. diſcurramus tantiſper, & creationis opus examinemus. Quæro, qua de cauſa Deus, dum mundi machinam creare voluit, ante hominis productionem omnia alia creavit? nam priùs produxit cœlum, terram, ſolem, lunam, mare, piſces, animalia & omnes alias creaturas. Vltimò & his omnibus factis hominem fecit. Dicam rationem. Homo debebat eſſe Rex & Dominus omnium harum creaturarum: conveniens ergo erat, vt divina providentia illi de omnibus ad ſuum regnum neceſſarijs provideret, vt in creationis puncto & regnaret, & in quos imperium exerceret, & vnde vitam ſuſtentaret, haberet. Sic priuſquam homo haberet oculos, creavit lucem, antequam pateretur ſitim, creavit aquam, ante eius vitam produxit influentias cœli, & priuſquam parva hæc mundi machina in ſua ſiſteretur perfectione, perfectam & abſolutam magni mundi machinam divina volvit ſiſtere providentia. Nunquid inſigne teſtimonium divinæ providentiæ hoc eſt? Hoc volebat dicere Spiritus ſanctus per ſereniſſimi Davidis Regis os Pſalmo vigeſimo: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: in optabilibus divinæ benignitatis & clementiæ.* Legit Agellius ex Hebræo: Et hoc ſic factum eſt, vt nos homines ſciremus, Deum noſtrum benigniſſimum eſſe Patrem, & in providendo & noſtris ſuccurrendo neceſſitatibus celerrimum, cùm in hoc opere etiam præveniat, & abundanter ad ſuſtentationem noſtram neceſſaria tribuat. Hoc Sapiens capite ſexto dicere volebat: *Tua autem, Pater, providentia ab initio cuncta gubernat.* Et ecce ad propoſitum in hodierno Evangelio claram habemus experientiam, dum non petentibus abundanter in cibo providetur. Secuti erant hi omnes Chriſtum de monte vſque ad mare Galilææ, & nullus ipſorum cibi quid attulerat præter juvenem quendam, qui paucos panes & piſces habuerat, confidentes in Salvatoris providentia; & cœleſtis hic Pater tam prodigioſo & miraculoſo facto neceſſitati ipſorum providit ac ſuccurrit. *Diſcuberunt ergo viri numero quaſi quinque millia.*

Dei providentia ab initio mundi ſe prodidit.

Pſal. 20.

Sap. cap. 6.

Ioan. cap.

Nec hîc divinæ providentiæ abundantia & liberalitas ſuum ſiſtit gradum, ſed vlteriùs pergit, non contenta eſt vniverſali ſuâ providentiâ, quâ

omni-

omnibus providet de necessarijs, sed etiam hîc & nunc superabundanter & summâ prodigalitate providere vult, vt inde magni Dei nostri cura & amor erga nos innotesceret; in cuius veritatis probationem hodierni Evangelij stupendum habetis factum, vbi prodigioso modò quinque millia virorũ exceptis mulieribus & parvulis satiat; & ex superfluo & abundanti duodecim cophinis replere facit: *Collegerunt ergo & impleverunt duodecim cophinos ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant*, vt inde prehenderemus Deum nostrum in providendo non parcum, sed liberalissimum esse. Quod sanctus Iacobus Apostolus capite primo dixit: *Qui dat omnibus affluiter.*

Iacob. c. 1.

Pulcherrima consideratio illa est apud devotissimum Abbatem Guerricum sermone primo Dominicæ Palmarum, quæ talis est. Dicit liberalitatem Dei tam excessiuam erga nos esse, vt impossibile sit illa quæ promisit, non præstare. Et hanc suam assertionem probat devotissimâ consideratione illius, quod Matthæi capite vigesimo septimo legimus; quod nimirum pecunia illa, qua Christus emptus & venditus fuerat, ager quidam *in sepulturam mortuorum* emptus fuerit. Dicit Sanctus, particulari divino instinctu hoc factũ fuisse, vt superabundantissimus providendi modus divinæ providentiæ nobis exhiberetur; nam Christus pro mortuis corporibus, quæ alias sepulturâ carerent, quia proprium non habebat locum, tantâ providentiâ providit, vt se vendi & emi pateretur, vt pecuniâ illâ ager in ipsorum sepulturam emeretur; & licèt se sciret moriturum & sanguinem suum effusurum, tamen per suam venditionem & mortem cadaveribus providere voluit. Quomodo ergo dubitare possumus de eius superabundantissimâ providentiâ, singulariter cùm in providendo nobis

Matt. c. 27.

Cur Christus vendi voluerit.

non de sanguinis effusione, non de morte agitur, & non pro nostris cadaveribus, sed nobis vivis providendum sit, & totum absque incommodo eius fieri possit. Idem hoc factum ante Guerricum Abbatem S. Aug. sermone 2. de cœn. Dom. observaverat, vbi sic habet: *Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorũ; peregrinis, inquam, qui sine domo, sine patria, & toto orbe exules iactantur, requies Christi sanguine providetur.* Idem Pater versic. illum Psalm. 102. explicans: *Secundùm altitudinem cœli à terra corroboravit misericordiam suam super timentes se.* Sic habet: *Si cœlum potest ascendere à protectione terræ, & Deus poterit non protegere timentes se?* volebat dicere: quamdiu cœlum erit, & suâ influentiâ illa quæ sub luna sunt, reget & gubernabit, Deus etiam se timentes proteget; & sicut cœlum â suis influentijs cessare non potest, sic Deus benefacere timẽtibus se intermittere minimé poterit. Quare Christiani ipsimet nunc iudicate, si maior hâc providentiâ reperibilis sit. Multo maior ac liberalior influentia huius providentiæ quam cœli est; nam in æternum non deficiet, nec cessabit beneficiorum fluxus, & nunquam in necessarijs alicui deerit creaturæ.

S. Aug. serm. 2. de cœna Dom.

PVNCTVM SECVNDVM.

ET si homo aliquando in hâc vitâ, affligitur, tribulatur & angustiatur ita vt à Deo derelictus videatur, & hîc divina latet providentia, quæ ad nostrum bonum & vtile aut mittit aut permittit sic tribulari nos; inde etiam in maximis angustijs & tribulationibus Deo laudes & gratiæ à nobis reddendæ sunt, eò quòd tantâ providentiâ bonum nostrum ac æternam procuret salutem. Angelicus Doctor in prologo lib. Iob inquirens obiectum libri huius, decernit non patiẽtiam Iob, sed Dei providentiam esse, quæ hunc Sanctum virum tanquam normam & exemplum ad imitandum affli-

ctionis tempore in patientia proposuit,
S. Thom. in Prol. lib. Iob. dicens: *Tota intentio libri Iob in eo versatur,*
vt per probabiles ratiões ostendatur, res huma-
nas divinâ providẽtiâ regi. Id autẽ quod præ-
cipuè providetiã Dei circa res humanas impu-
gnare videtur, est afflictio iustorũ. Ergoquod
Iob vir sanctus & rectus per os divinę
Affictio Iob actus providentiæ divinæ. Maiestatis canonizatus & innocens de-
claratus tantâ afflictione & angustiâ ob-
ruatur, bonis privetur, totus infernus
ad tormentandum & affligendum illum
insurgat, & Deus Dæmoni hanc suam
intentionem exequendi licentiam con-
cedat, totum ex summâ Dei agitur pro-
videntiâ, Et quod sanctus hic vir sic af-
flictus tormentatus & ab omnibus dere-
lictus non amittat suã constantiam, non
turbetur, non murmuret, non maledi-
cat, imò Deo benedicat, non moriatur
ob dolores, sed fortis & robustus per-
maneat, & constans in fide & confiden-
tia erga Deum, summa Dei providen-
tia est. Nam quomodo patientiæ cun-
ctis potuisset esse exemplum, si proba-
tus & tentatus non fuisset? & quomodo
omnibus admirationi, & norma sustinen-
di tribulationes in patientia & longani-
mitate esse potuisset, si eius constantia
sic probata non fuisset? Summa ergo Dei
providentia fuit. Ideo sanctus vir cui
talis providentia nota erat, Deum & ho-
mines non malè, sed benedixit & gratiæ
ac laudis reddidit voces.

Et in hoc euidentissimã se divina ex-
hibet providentia, cùm tantæ sunt an-
gustiæ, adeoq; affligimur, ut iam ab om-
nibus derelicti, & de humano desperatũ
auxilio esse videatur, ipse adest, & divinâ
suâ providentiâ inopinato & non spera-
to medio de angustijs eripit & liberat
& admirabilis suæ providentiæ medio
de omni malo educit. Sit nobis testimo-
nium locus ille Davidis Ps. 56 Fugiebat
David Regem Saul & ejus persecutioné,
& semper mortem quasi in dorso por-
tabat: non erant montes & valles, sylvæ
aç nemora, quæ non transiret; non spe-
luncæ & cavernæ in tota Iudæa, in qui-
bus non latuit & se abscondit; tandem
Deus illum liberavit, & divinâ provi-
dentiâ ab omnibus his angustijs liberatus
gratiarum reddebat Deo laudes, dicens:
Clamabo ad Deum altißimum, Deum, qui be-
nefecit mihi. Paraphrasis Chaldaica apud Paraph. Chald. in Psalm. 56.
Genebrardum sic habet: *Clamabo ad*
Deum, qui præcepit araneæ vt conficeret in o-
re speluncæ telam ad defensionem meam. Lib.
1. Reg. cap. 22. reperietis Davidem in
summis angustijs & evidentissimo vitæ
periculo, qui dum manus Saul fugeret,
tandem in angustijs inter montes de-
prehensus summâ diligentiâ ab inimicis
inquirebatur; quare cùm hinc inde re-
fugij quæreret locum in monte aliquo
strictissimam aliquam cavernam vel
scissuram reperit, quæ ad capiendum
ipsum vix introitum dabat; hanc intrans
Deo suam commisit vitam, & ecce sta-
tim divina providentia misit araneam, Providentia Dei liberat Davidem per telam araneæ.
quæ filando telam obduxit speluncam,
& omnem latentis Davidis suspicionem
inimicis abstulit, & ita dextrè Regem
Davidem abscondit & cooperuit, vt ini-
mici, qui ante speluncam iam erant, &
intrantis signa ob araneæ telæ inductio-
nem minimè habere poterãt, discesserint,
& Davidem liberum reliquerint; vnde
Deo infinitas reddens gratias sic dicebat:
Clamabo ad Deum altißimum, qui præcepit
araneæ, vt ordiretur telam in defensionem
meam. Id est, gratias infinitas ago tibi,
omnipotentissime Domine, eo quod
per divinam providentiam araneam
miseris, quæ telâ à se textâ me coope-
riret, ac ab inimicis defenderet, & sic
de manibus Regis Saul & omni angustiâ
liberaret.

Similé huic casui describit S. Pauli-
nus in carminibus de S. Felice, qui cum
persecutores fugeret, in speluncã quan-
dam se recepit, & ecce subitò aranearum
cooperitur telâ; quam cùm inimici de-
prehendissent, suspicione liberi longius
processerunt, & sic Sanctus Felix
inimi-

inimicorum euasit manus.

Et vbi S. illius Matronæ Susannæ apud Danielem cap. 13 exemplum relinquemus, quod præ mille alijs evidentissimam Dei providentiam erga se timentes exhibet? Reperibilisne erat casu aut termino illo ad quem Matrona hæc redacta erat, miserabilior & mœstior, aut imaginabile esse poterat evidentius vitæ periculum illo, in quo S. hæc nobilissima & honestissima versabatur Matrona? Sceleris commissi dederant testimonium oculatum personæ non cujuscunq; qualitatis ac conditionis, sed principaliores & graviores totius populi, homines senes & omnis auctoritatis, quibus ratione gradus & ætatis, cujus erant, omnis adhibenda erat fides. Tractabatur non tantum de honore, verùm etiam de vita hujus nobilissimæ Matronæ, & de optima ejus agebatur fama: non erat vllus in populo, qui innocentiæ posset adferre testimonium, & contra falsos ac mendaces accusatores illam defenderet; nam factum contigerat in loco, alij præter illam & malignos illos duos senes non fuerant. Et quis in tam extraordinario & periculosissimo casu evadendi animũ nõ perdidisset, & de vita, honore, fama & reputatione eius iam quasi perditè non desperasset? Nihilominus ipsa quò plus se priuatã omni humano cognosceret auxilio, divinâ innitebatur providentiâ, confidebat Domino, eumque invocabat in corde suo, & de adfuturo auxilio minimè desperabat, imò certissimum sibi promittebat, & secura ac certa ad mortis ibat locum, omnino divinam providentiam sibi non defuturam certò promittens. Hoc sacra attestatur Scriptura: *Quæ stans suspexit ad cælum; erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Gloss. ord. in hunc locum sic habet: *Suspexit ad cælum, quia aliunde non poterat habere auxilium, & proprium est Divinitatis, succurrere in casibus desperatis.* Præsentata iam erat vt rea in judicio, accusationes illorum magnorum senum iam à Iudicibus erant acceptatæ, iam ob testimonium falsum ab illis prolatum erat condemnata à toto populo mortis iam erat prolata sententia, & iam iam ducenda erat ad locum, vbi lapidanda erat; attamen *erat cor eius fiduciam habens in Domino.* Quid dico? iam approximabat supplicij loco; & maligni illi senes executionem maturabant suâ instantiâ; lapidatores, qui vt adulteram lapidare debebant, iam sententiæ executioni ac cingebantur, & aliud non desiderabatur, nisi vt iam iam lapides apprehenderent, & dura morte illam occiderent: attamen *erat cor eius fiduciam habens in Domino.* O generosa femina! ô admirabile veræ fidei & firmissimæ spei divini adfuturi auxilij exemplum? adeoque vt speravit in divino auxilio, ita illud obtinuit, & non dereliquit Deus confidentem in se; nec spe & confidentiâ suâ, quam in Deum habebat, privata fuit. Dictum illud Davidicum, Psal. 36. in ea verificatum fuit: *Et adiuvabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus & salvabit eos, quia speraverunt in Domino.* Nam cum ad supplicij & mortis duceretur locum, & iam nulla spes salutis aut humani auxilij superesse videretur, tunc providentissimus adfuit Pater, Spiritum suum sanctum immittens Sanct. Iuveni Hebræo Danieli, qui sistere fecit populum, & malignorum senum, qui falsis ipsam accusaverant testimonijs, fraudẽ atque mendacia manifestavit, & tot populo ejus innocentiam exhibuit. Vnde ipsa non tantùm libera & illæsa evasit, famam ac honorem suum denuò recuperavit, sed etiam honoratissima fuit in populo; at illi magni senes totam suam reputationem apud populum perdiderunt, qui & illos apprehendit, & eâdem illâ morte quâ sanctam & innocentem voluerant delere, extinxit. *Feceruntq; eis sicut malè egerant*

Mirabile ejus exemplum in Susanna.

Dan. c. 13.

Gloss. ord. hic.

rant adversus proximū, & interfecerunt eos, & salvatus est sanguis innoxius in die illâ. Hoc sat clarum exemplum nobis attestatur, Deum vt Patrem nostrum humano cessante ac deficiente auxilio suâ infinitâ potentiâ ac providentiâ confitentibus in se succurrere: quæ & Sanct. Ioann. Chrysost. in Psal. 107. confirmat. *Tunc enim Deus maximè suam ostendit potentiam non à primordio, sed quando res fuerint omnino desperatæ ab hominibus*: hoc est enim tempus divini auxilij. In novo testamento Matth. cap. 8. video Apostolos in navicula cum Christo, turbato mari periclitari de vitâ, Christus autem dormiebat & excitari non poterat, & quantò magis Apostoli laborabant, & de periculosis vndis evadere conabantur, tantò magis crescebat periculum, vndæ intumescebant, & Christus fortiùs dormiebat. *Iesus verò dormiebat.* O Domine, discipuli tui iam perditi sunt, ob tempestatem maris, iamiam navis submergetur, & dormis ac quiescis, ac si in medio aliquo versareris prato? Perditos iam se vident Apostoli, recurrunt ad te, & petunt subsidium te trahentes, & excitantes & clamantes, *Domine*, & tu taces & pergis in tua quiete, clamant: Salva nos; adhuc surdus es; tandem videntes, iam vndique vndis coopertam naviculam, vela dilacerata, malū navis disruptū, & navim iam quasi submersam, clamant altiùs, *Perimus.* Tunc Salvator evigilat, & respondit dicens: *Quid timidi estis modicæ fidei?* S. Hilar. Can. 12. in Matth. considerans hoc factum, ad Christum conversus sic discurrit: Nunc primò evigilas Domine, cur in tantâ necessitate non succurristi statim? iam peribant Apostoli, & eò quòd auxilium petierant & te excitaverant, modicæ fidei appellas? Respondit & dicit meritò in hâc occasione Apostolos à Christo obiurgatos fuisse; nam cùm omne humanum consilium deesse deprehenderant; fortiùs sperasse divinum auxilium, & de divinæ providentiæ auxilio certiores fuisse, & in nullo dubitare debuissent. Nam quò longiùs humanum abest consilium, & mundi discessit subsidium, eò magis divinum auxilium, & vicinius divinæ providentiæ subsidium est; & si aliquando non statim vt invocatur, adest, causam supradictus dat Sanctus, dicens: *Maximè autē id accidit, vt à Deo auxilium in periculi metu speremus.*

S. Chrys. in Psalm. 107.

Deus maximè adest rebus humanitus desperatis.

S. Hilar. Can. 12. in Matth.

O quàm benè studuerat huic scientiæ Doctissimus Philo Hebræus, qui cùm à suis Alexandriæ commorantibus legationis gratiâ ad Caium Romanorum Imperatorem missus fuit, vt necessitatem illorum proponeret, & remedium peteret, Imperatorem autem inclementem & valde asperum deprehendisset, ad suos conversus dixisse fertur: Socij mei, nolite duriore Imperatoris responso turbari, bonum signum boni exitus negotiorum nostrorum est; nam vbi humanis privati erimus auxilijs atque subsidijs, certo certiùs divina aderunt nobis. Verba eius hæc sunt: *Bono animo estote viri*: non deerit nobis auxilium, necesse est enim adesse divinum, vbi humanum cessat auxilium.

Philo delegat. ad Caium.

Hoc idem S. Gaudentius animadvertit, ideoque dixit, per totam Evangelicam historiam Christi providentiæ enarrationem fieri, Christumq; pre alijs omnibus qualitatibus & attributis hanc singulariter erga homines demonstrasse, qui omnium succurrebat necessitatibus, & vbi humanum deerat auxilium, suæ providentiæ subveniebat subsidio. Verba eius hæc sunt: *Pæne omnes Evangeliorum textus Dominum Christum inter homines conversantem desperatis rebus operum tulisse insinuant, & quàm maximè mœroribus adfuisse.*

S. Gaudēt. Tract. 8. in cap. 2. Io.

Quid ergo nunc ad hæc audita ac percepta dicturi sunt hi, qui aut divinam providentiam non credunt, & casui aut fortunæ omnia adscribunt; aut si credant, tamen non confidunt in Domino &

& in quacunque adverſitate & tribulatione ſpei ſuę anchoram in hanc petram non projiciunt, ſed ſtatim cadunt animo, nec his & alijs exemplis induci poſſunt, vt credant Deum benignum & amoroſum noſtrum Patrem, & nos filios ejus eſſe; & quod in omni occaſione & adverſâ fortunâ ac neceſſitate noſtrâ vt providentiſſimus Pater noſtris providere neceſſitatibus promptus ſit, & quòd nos in omni neceſſitate noſtrâ ipſius debeamus confidere providentiæ. Et dato caſu, quòd aliquãdo nos tribulationibus fatiget, & adverſitatibus viſitet, ita vt etiam omnibus malis totius mũdi obruti videamur, nihilominus in confidentiâ divini auxilij deficere minimè debemus. Sic S. egit Iob, qui inter tot tantaſque calamitates non deſpondebat animum, ſed intrepidè dixit: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.*

Iob cap. 13.

Sed dicet quis, ſe ſupra modum anguſtiatum & tribulatum, imò oppreſſum eſſe ab iſto vel illo divite, potente, & omnibus ſpoliatum eſſe, & nullam obtinere poſſe juſtitiam in judicio, aut audientiam à Principe, à nullo ſperare poſſe auxilium & ſuccurſum, ab omnibus etiam ipſis conſanguineis ac amicis eſſe derelictum, filios ac familiam alendi & vitam ſuſtentãdi iam nulla ſupereſſe media, & ad ſummam & extremam inopiam ac miſeriam ſe eſſe redactum. Reſpondeo tali: Licèt in tali conſtitutus ſis caſu, attamen recordari & firmiter credere debes, Deũ hæc omnia ſcire & videre, filios ac familiã tantis eſſe in anguſtijs, & auxilio eius indigere optimè cognoſcere, ſed tẽpus nondum eſſe, aut tibi talis ſtatus mutationẽ non prodeſſe; cùm autem tempus aderit, & tua vtilitas ejus auxilio indiguerit, certo certius tibi aderit; nam cùm Pater tuus ſit, dubitandum non eſt, quin auxilio ſuo, ſi opus fuerit, & tua exegerit vtilitas tibi ſit ſuccurſurus. Sic Oleaſt. in c. 4. Gen. docet. *Si te aliquando ab eo putaueris derelictum, recole nondum eſſe tempus, quo opus habes auxilio eius; quod cùm fuerit, non defuturum ſcito.*

Si Deus aliquando nõ ſuccurrat, inde eſt, qui nobis non prodeſt, & hoc ipſum eſt providentiæ ſignum.

Oleaſt. in c. 4. Gen.

Sed hæc hominum verba ſunt, mihi dices; ergo & Dei percipere tibi lubeat quæ apud Regium vatẽ Pſ. 49. dixit: *Invoca me in tribulationibus, eruam te, & glorificabis me.* Et ſi aliquãdo forſan tibi videbitur Deus non ſtare promiſſis, & invocantem te non exaudire, tuis neceſſitatibus non ſubuenire, & de anguſtijs tuis te minimè liberare, ne cogitare velis, ideò te dereliquiſſe, & tui non eſſe memorem, & defectum providentiæ, quam de te habet, aliquem commiſſum eſſe, ſed certo certius credas hæc fieri, quia bonum & vtile tuum hic ſuccurſus non eſſet, licèt tu id minimè cognoſcere valeas; quare occaſionem hinc de ejus conquerendi providentiâ ſumere non debes, ſed potius in gratiarum actione animum tuum exercere, & vt S. Bern. ſer. 5. in Quadrag. aſſerit, ex hac anguſtiâ materiâ ejus cognoſcendi providentiam capere. Verba ejus hæc ſunt: *Nec habes vnde cauſeris, ſed vnde magis toto affectu in gratiarum actione verſeris; quandoquidẽ tanta ſuper te cura eſt Deo tuo, vt quoties ignorans quæris quod tibi inutile eſt, non te audiat ſuper hoc ſed mutet illud meliori dono.* Et S. Ioan. Chryſ. homil. 25. in Ep. ad Rõ. certificat nos, Deum multò majorẽ curam habere de nobis, quã nos ipſi habeamus & habere poſſimus; vnde nullus differentiã erga ejus auxilium laborare, ſed firmiter ſuo tempore, & cùm noſtra id exegerit vtilitas, ſperare ſubſidium debet. Verba ejus ſic ſonant; *Majorem noſtri curam habet Deus, quàm nos ipſi*

Pſal. 49.

S. Bernar. ſerm. 5. in Quadrag.

Finis hujus primę partis accedens, auditores, hoc ſolũ dicam, plurimos his diebus reperiri, qui dũ in miſerijs ſe deprehendunt. non in Deo ſperant, nec ab ipſo auxilium petunt, verùm malã arripiunt vitã, & infamiæ media apprehendunt, vt à talibus ſe liberent anguſtijs. At reſpondeat mihi quis veſtrûm, Dum pecca-

S. Chryſ. hom. 25. in Epiſt. ad Rom.

peccatum committis, nónne confidis in Dei misericordia, & certò tenes, quòd si dolueris, ipse tibi illud divinâ suâ misericordiâ condonaturus sit? non dubito quin mihi responsurus sit, quòd sic. Et quomodo non confidis, quod idem Deus in necessitatibus tuis, cùm ejus invocaveris subsidium, auxilio suo affuturus, & te à fame & omni aliâ angustiâ liberaturus sit. Confidis divinæ misericordiæ in rebus maximis, vt est peccatorum tuorum remissio, & in gratiam denuo admissio; & in rebus minimis, vt est tuæ indigentiæ, paupertati & necessarijs ad vitæ sustentationem subvenire, ejus bonitati fidem præstare renuis; & times ne in minimis te derelinquat, qui in rebus summi ac maximi momenti suâ providâ bonitate præsto tibi fuit? Convincens pro certo tuum intellectum hoc argumentum est, Christiane, vt si infallibile est antecedens, infallibilis sit etiam sequela, quæ est tua firmissima resolutio, vt in omnibus tuis adversitatibus in Dei confidas providentia, & ab infinita ejus bonitate certum ac securum speres succursum & subsidium. Ergo hæc recogita, quæ dixi, & fructũ haurire coneris, interim quiesco,

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

CVm ergo, N. N. perceperimus, quàm velox & celer sit Deus in subueniendo necessitatibus nostris, & quàm abundans sit in suo tribuendo auxilio; semper firma debet esse, spes nostra in ejus fundata providentia, nec Christiano de ejus succursu atque auxilio dubitandum est, singulariter dum fame & alijs premimur necessitatibus. Sic nos S. Theod. de Provid. Dei, dum factum nostri Evangelij considerat, agere instruit, dicens, Christũ hoc miraculo singulos Christianos, singulariter pauperes & pusillanimes instruere voluisse, nunquam animo cadendum esse, & Deum semper nobis esse præsentem vt nostris necessitatibus, si confidimus in illo, provideat ac succurrat, vt cùm numeroso hoc egit populo, qui Dei cõfidebat providentiæ: *Ecce iam triduo sustinent me.* Verba Sancti vobis percipere lubeat. *Addiscamus ex perpetrato miraculo non fieri pusillanimes in coarctationibus paupertatis;* nam impossibile est, Deum tot pauperes, nudos, infirmos, debiles, leprosos, qui in miserijs vitam suam ducunt, posse deserere. *S. Theodor. de Provid. Dei.*

Pulcherrimè illud Davidis Regis Ps. 9. nostro servit proposito, *Tibi derelictus est pauper orphano tu eris adiutor.* Et ad mysterium in his latens verbis penetrandum & intelligendum, sciendum vobis est, leges non personis, sed rebus ac bonis decernere curatores. Sic habemus Legem copulandis C. de Nuptijs, *Curator datur rebus pupilli.* Nunc ergo divinam considerate providentiam, quæ non de rebus, sed de personis, & quidem illis qui afflicti & egeni, pauperes ac derelicti sunt, curam capit & habet, & eorum vult esse curator. *Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor*, vel vt alij legunt, *In te causas suas remittit pauper, tu curator indigentiæ eius.* Ergo Deus tutor & curator pauperum & afflictorum est, & ab illo, nõ alio, in necessitatibus & afflictionibus nostris debemus sperare auxiliũ & subsidium. Nunc non miror, N. N. Davidem in sua gloriari paupertate, vt Ps. 39. legimus: *Ego autẽ mendicus & pauper.* Causa autem ejus gloriandi erat confidentia, quam in divinâ habebat providentiâ & bonitate. *Dominus sollicitus est mei.* Alij legunt, *Dominus cogitat pro me.* Deus sollicitus est, & curam habet de mea persona. Qui ergo suæ fiduciæ radices in Dei iacit providentiam, securus est de succursu atq; auxilio ejus, & præ alijs abundãtiùs illi omnia de cœlo necessaria providebuntur; nam tales vt arbores sylvarum sunt, quę omni humanâ carent culturâ, & tamen per Dei providentiam cu-

Psal. 9. — Deus noster tutor ac curator — *L. in cap. C. de Nuptijs.* — Varia lectio. — *Ps. 39.* — Alia lectio.

rantur, ideò stabiliores, firmiores, durabiliores & magis fructiferæ esse solent, quàm ipsemet domesticæ sint, quia plus & magis divinæ providentiæ saturantur & implentur influentiâ. Sic Ps. 130. Regius attestatur Vates: *Saturabuntur ligna campi.* S. Hieron. legit: *Saturabuntur ligna Dei, id est, rationabiles homines.* Tales & hi pauperes sunt, qui sub solius Dei cura constituti, absq; bonis vllis vitam agunt; ergo non mirum hos vt sylvestres arbores prosperos Dei influentiâ abundantissimè satiari, & necessaria ad vitæ sustentationem habere. *Edent pauperes & saturabuntur,* Regius dicit Propheta. Et Euth. Ps. 103. explicans, suam concludit doctrinã, dicens: *Omnium igitur creaturarum providentiã habuit Deus tam irrationabilium, quàm ratione præditarum, terramq; ipsam satiavit, ut pinguefacta, opportuna omnibus alimenta tribueret & necessaria.*

Psal. 130. *S. Hieron. hic.* *Euthym. in Psal. 103.*

Inde Doctissimus Philo Hebræus libro de profugis asserit, magnam inter Ægypti & aliarum regionum solũ ac territorium esse differentiam: nam illa de Nili fluminis aquis & terræ montibus suã expectat fœcunditatẽ, aliæ verò regiones de pluviarum aquis suum recipiunt subsidium & auxilium, de cœlis cadentibus. Verba ejus hæc sunt: *Quod cœlum præstat aliis regionibus, hoc Nilus Ægypto.* Eadem differentia est inter Christianum, qui in Domino confidit, & eum, qui non confidit; primus de cœlo subsidium sperat & auxilium, alter verò de terrâ suum expectat succursum.

Philo lib. de Prof.

Ad hoc propositum Seneca natur. quæst. lib. 4. c. 2. asserit, nullum Agricultorem Ægypti oculos ad cœlum tollere, ut nostri facere solent, quia non de cœlo pluvias quibus terra ipsorum fertilior reddatur, sed aquas Nili expectant, quibus impinguatur. His assimilantur peccatores, qui dum de terra & non de cœlo suum expectant subsidium, cor eorum terrenis affectibus oneratum ad terram inclinatur, & semper terram aspicientes, & nunquam cœlum intuentes, quæ terra sunt, cogitant, de quibus Regius Vates Ps. 16. loquitur: *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Non sic agunt justi, quorum oculi divino intenti sunt auxilio, & cor eorum divinæ fidens providentiæ, de cœlo expectat & implorat subsidium. Idem Rex de illis scribit: *Levavi oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Et hæc ejus verba conformia sunt promissioni à Deo; populo Iudaico factæ, vt Deuteronom. cap. 11. legimus. *Terra, ad quam ingrederis, non est sicut terra Ægypti, sed de cœlo expectat pluvias.* Ergo in omnibus nostris adversitatibus Deo & liberalissimæ eius providentiæ confidendum est, & sic infallibiliter ejus experiemur subsidium.

Senec. nat. quæst. lib. 4. cap. 2. Peccatores de terra vt AEgyptij, non de cœlo expectant subsidium. *Ps. 16.* *Ps. 120.* *Deut. c. 11.*

Quam putatis, N. N. fuisse causam, ob quam benedictus Christus, cùm suos Apostolos per vniversum orbem prædicatum suum Evangelium misit, dederit inter alias instructiones etiam hanc, ne dum Apostolico hoc officio fungerentur, obviantes in via salutarent, vt Luc. c. 10. habetur, *Neminem per viam salutaveritis.* Abulensis quæst. 21. in Matth. rationẽ hujus petit considerando hunc locum, & conversus ad Dominum in hunc loquitur sensum: Quomodo, Domine, non vis, vt discipuli tui divites, potentes hujus mundi alloquantur, & reverentiam illis exhibendo amicitiam cum eis contrahant, & occasionem evangelizandi capiant? pauperes erant, sed hic modus paupertati subveniendo non est. Respondet Abulensis, & mysterium declarat dicens, Christum Dominum hoc eis dedisse præceptum, ne Apostoli corda sua in terræ & hominum, sed in Dei providentia & cœli fundarent subsidio; nam sat cogniti erant animi divitum & potentum Domino, qui in illis commovendis, vt Apostolis necessaria ad vitæ sustentationem

Luc. c. 10. *Abul. q. 21. in Matth.*

tribuerent, suam divinam providentiam demonstrare voluit. Sic cùm in Sacra Scriptura lib. Exod. cap. 3. legimus Ægyptios tam liberales & promptos fuisse in aureis & argenteis vasibus Hebræis accommodandis, divinæ erat providentiæ actus; nam Dominus illorum noverat corda, vt sacra testatur pagina. *Daboque gratiam populo huic coram Ægyptijs.* Totum ergo malum nostrum oritur ex hoc defectu confidentiæ, eò quòd corda nostra in Dei subsidio minimè fundemus, vel vt S. Ioan. Chrysost. hom. 19. ad populum ait, multum & nimium volumus, necessarijs ad vitæ sustentationem contenti non sumus. Deus necessaria nobis dabit, & quibus ad vitæ sustentationem indigemus, abundanter subministrabit, sed superflua non dabit; nam ad illa obligatus non est; ideò cupiditati nostræ insatiabili mensura ponenda & frænum injiciendum est, vt ijs, quæ divina providentia ad vitæ sustentationem subministrat, contenti simus. Hujus mentis erat Iacob, ideò Deus non tantum necessaria ad vitæ sustentationem, verùm etiam superflua ei tribuit, & tam divitem ac potentem fecit, vt Gen. c. 24. legimus: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, & vestimentum ad operiendum, erit mihi Dominus in Deum.*

Exod. c. 3.

Gen. cap. 24.

Et hæc confidentia nostra non solùm in paupertate & egestate, sed in quacunque alia necessitate in nobis vigere debet, quæcunque tribulatio adveniat, quæcunque adversitas, à Domino semper sperandum subsidium, & in ejus confidendum providentia est. Sic propheta Regius Psal. 54 vnumquemque nostrûm alloquitur: *Iacta super Dominum curam tuam*, vel vt Chaldaica habet phrasis: *Iacta sarcinam tuam in Domino*, aut vt Hebraicus habet textus: *Onus tuum, pondus tuū, tua negotia, tuas necessitates projice, repone super Deum, conquiesce in ipsius providentia.* Et quid vtilitatis ex tanta sperandū confidentia? *Et ipse te enutriet*, ac si diceret: Pondus paupertatis tuæ quæ opprimeris, in divinæ providentiæ brachia projice, & absque dubio succursum experieris. Pondus illud infirmitatis ac dolorum vbi infirmi in Dominum projicite, & ipse liberabit vos: murmurationes onus & detractionis, quo tribularis & cruciaris ab alijs, Domino committe, & ipse te saluabit; pondus illud contradictionis, pondus injuriarum, quo alij te premunt, totum Dominicis injice brachijs ipse ex omnibus his per divinam suam providentiam te eximet, ipse in omnibus te adjuvabit, & de omnibus tribulationibus tuis eripiet: *Iacta sarcinam tuam in Domino; & ipse te enutriet.*

Psal. 54. Lect. Chald. ex Hebr. apud Geneb. hîc.

Ergo N. N. & vos præsertim divites & potentes, spem vestram ac fiduciam vestram in nostris reditibus & bonis fundare minimè potestis nec debetis, quia hæc non sunt, quibus vestra sustentatur vita, sed in divina debetis ponere providentia; nam illa est, quæ vos nutrit, sustentat & alit, & omnia ad vitam tuendam necessaria subministrat. Sic in consanguineis, amicis, & potentibus confidere non potestis; nam necessitatis tempore vos derelinquent. Fortitudini corporis vestri fidere nolite; nam minima quæque infirmitas illam prosternit. In talentis naturæ & habilitate vestra ne speretis; nam absque divino subsidio nullius sunt valoris, & ne obolum quidem valent. Ah! quot his temporibus mundus alit, qui omnem suam fiduciam in creaturis fundarunt, & in falsis & non subsistentibus bonis spem suam collocarunt! ideò volentes aut nolentes, cùm deceptos se deprehendent, dicere cogentur cum propheta Isaia: *Posuimus mendacium spem nostram & mendacio protecti sumus.* Id est, in rebus transitorijs, quæ mendaces sunt, spem nostram collocavimus, & subsidium speravimus, sed decepti sumus; nam illa quæ promiserant nobis, non

Isa. c. 2[illegible]

non potuerunt præstare & mentitæ sunt nobis. Et quis non cognoscat, esse mundum mendacem, quia tanta promittit, & nullis stat promissis. Quis non apprehendat, omnes humanos favores mendacissimos esse, quia cùm ipsis maximè indigemus, nos derelinquunt. Nunquid divitiæ, dignitates, honores, excellentiæ, & quidquid mundum sapit, vanæ ac mendaces sunt, quia omnia in puncto transeunt & evanescunt.

Non sic agebat serenissimus Rex David, cujus continuus clamor & suspiria incessantia ad Dominum hæc erant: *Sitivit in te anima mea*, id est, vt S. Augustinus in hunc locum explicat: Dum fame crucior, & alijs adversitatibus tribulor atque oppugnor, spes & fiducia mea sit Dominus; nam in hoc, & non in creaturis sperare debemus. *Sitivit in te.* Non vt aliqui agunt, qui vt à fame se liberent, infames fieri minimè curant. Non sic (vt finiam) hæc felicissima Evangelica turba egit, quæ Christum tota famelica sequebatur, & in ipso sperabat, illi fidebat, & ab ipso etiam dirissimâ fame avelli non poterat: *Sequebatur eum multitudo magna.* Ergo & tu Christiane in Domino spera, & ad exemplum hujus felicissimæ turbæ constanti animo Christum sequere; nam qui huic turbæ in deserto tam lautam & abundantem instruxit mensam, tibi quoque in magno & vastissimo hujus mundi deserto per divinam suam providentiam ex omnibus, quibus ad tuam sustentandam vitam indiges, lautissimum & abundantissimum instruet convivium; & non tantum in his omnibus, quæ in hac vita ad corporis alendam vitam, verùm etiam ad æternæ salutis statum obtinendum opus tibi fuerint, liberalissimè subministrabit, & vt hîc de temporalibus, sic ibi de spiritualibus & æternis providebit, ad quæ nos divina sua providentia dignetur perducere. Amen.

DISCVRSVS XXIII.

PRO DIE LVNÆ POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Tractatur de Purgatorij pœnis, & prima parte, puncto primo atrocitas illarum pœnarũ describitur & demonstratur. Puncto secundo ingratitudo filiorum erga parentes, amicorum erga amicos, qui animabus in his pœnis detentis non subveniunt, carpitur. Secunda parte, puncto tertio media aliqua, quibus liberandæ sunt hæ animæ, exhibentur.

Thema.

Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. Ioann. cap. 2.



IVstissimo & dignissimo zelo hodierna die Christus & Dominus noster accenditur & honorem domus ac Ecclesiæ suæ zelans, ex funiculis fecit flagellum, & omnes prophanatores templi diris flagris tẽplo & Dei domo eiecit. *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Et si res tam formidabilis est & horrenda, in Dei incidere manus, vt Apost. ad Hebræos capite decimo attestatur: *Horrendum est incidere in* *Ad Heb. cap. 10.*

dere in manus Dei viventis. multo formidabilius erit in Dei irati incidere manus, cùm totus ira commotus, ardens zelo & indignatione, armatâ manu flagellum divinę vindictæ non jam de funibus aut chordis, sed de ardentissimis connexum & factum flammis, manibus tenet, tanquam leo rugiens circuit, & absque omni compassione in delinquentes animadvertit. O miseras & afflictas purgatorij animas, quæ suo damno hanc duram Dei experiuntur manum, & ictus tam formidabiles hujus igniti flagelli recipiunt! Nec absque ratione hæc dico, N. N. nam cùm doctrina illa à divina Aquila Ioanne c. 21. Apoc. adducta, verissima sit, cùm cœlestem & triumphantem Civitatem Hierosolymam describens, expressis docet verbis, nil turpe, nil absurdi, nil quod minimâ notetur maculâ, ob immensam puritatem ejus intromitti. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Dato enim casu, quòd anima Sacramentorum virtute æternas declinaverit pœnas, quia verò post hæc non fecit dignos fructus pœnitentiæ & ex iustitiæ rigore Dei offensæ non satisfecit, nec se ab omni delicto liberam reddidit, vult Deus, qui summè justus est, vt adhuc restantia illa debita solvat, & maculas illas divinæ offensionis in purgatorij igne mundet, & sic demum libera ab omni debito & mundata ab omni erroris macula, cœlum ac æternam intret gloriam. Dum ergo hæ benedictæ animæ vndique flammis circumdatas in divinæ justitiæ flagello subjectas se percuti deprehendunt, aliud scutum & medium adhibendum non habent, quàm validissimos clamores, quibus de profundissimo loco illo clamant, ac amicos pro auxilio & subsidio ex misericordia & compassione ferendo invocant, dicentes cum Sancto Iob c. 19. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Ac si dicerent: Charissimi, & fidelissimi amici, ô amantissimi parentes

Apoc. c. 21.

Iob c. 19.

& genitores, dum simul eramus in vita; quot amoris signa non exhibuistis, quibus affectibus nos non comprehendistis? eia nunc nostrorum habete compassionem dolorum; nam ardentissimis includimur flammis, quæ cùm irati judicis & divinæ justitiæ sint executores, supra modum nos cruciant atque tormentant. Ergo succursum & subsidium mittite nobis: nam nunc summi amoris, summæ benevolentiæ poteritis exhibere signa; nunc tempus est, nos veros fuisse amicos, demonstrandi. Vt ergo, N. N. animi vestri magis ad harum animarum compassionem moveantur, primâ parte, puncto primo pœnarum acerbitatem, quas in purgatorio patiuntur, considerabimus. Secundo puncto querelas, lamenta, preces, quas implorando auxilium & subsidium nostrum, ad nos transimittunt, exhibebo. Secundâ parte puncto tertio media, quibus illis subvenire possimus, demonstrabo. Materia summi est momenti: vos diligentes & attentas præbere aures.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, eiecit omnes. Ioan. cap. 2.

VAria quidem flagellorum genera sunt, N.N. quid divina justitia peccatores flagellat, vt dicit seren. rex David Psal. 31. *Multa flagella peccatoris*, omnia tamen ad tria reduci possunt. Primum genus æternitatem sapit, quo in æternum peccatores flagellantur. Secundum est temporale. Tertium mortale Primum genus flagellorum, quo divina justitia in peccatores animadvertit, fit ergo æternum, quod talis naturæ est, vt si semel inceperit, nunquã cesset, sed semper cædit, sẽper sævit in miseros peccatores. Hoc genus Isaias Propheta c. 28. ap-

Psal. 31.

Triplex genus flagellorum Dei.

appellat *flagellũ inundãs*, id est, flagellum, quod per omnem æternitatem diluvium omnium malorum & miseriarum super peccatores inducit, & innumerabilibus & inexplicabilibus tormentis miseras ac condemnatas obruit animas. Flagellum temporale tribulationes, adversitates & pressuræ hujus mundi sunt, quæ per infirmitates, paupertatẽ & alia divinæ justitiæ in nobis exequuntur sententiã, quæ si cum patientia tolerantur, *non sunt flagella* (vt S. Aug. l. de cura pro mort. agenda dicit) *sed beneficia*. Flagellũ mortis vel mortale, sicut purgatorij pœnæ ac supplicia, quibus divina justitia post mortẽ animas illas, quæ quidem in Dei discesserunt gratia, sed vt cœlum intrare possint, nondum omnibus maculis per Dei offensam contractis sunt purgatæ, flagellat & cruciat. Flagellum hoc ignitum est; flagellum hoc ardentissimæ & pœnosissimæ sunt flammæ; flagellũ tantâ acerbitate ac dolore plenum, tam efficax & penetrabile, vt si omnia mundi hujus tormenta illis compararentur, respectu illius non flagella, non cruciatus, non tormenta, sed gratia ac blanditiæ viderentur. Nam S. Aug. Ep. 16. de miraculis S. Hieron. expressis docet verbis, ignem hunc nostrum materialem, qui tantâ efficaciâ ardet & in subjecta agit, vt quidquid apprehendat, in cineres convertat, civitates consumat, metalla liquefaciat, ad comparationem purgatorij ignis non ignem, sed picturam tantùm ignis esse & umbram. Et S. Cyrill. Hierosolymitanus Ep. 26. vult eundem ignem, qui in inferno damnatos cruciat ac tormentat, etiam purgatorij ignem esse, & benedictas illas animas ad tempus per divinam justitiam illuc relegatas cruciare. Verba ejus hæc sunt: *Ignis purgatorij & inferni solâ duratione differunt: eodem igne crematur damnatus, & purgatur electus.*

S. Aug. lib. de curâ pro mort. agenda.

S. Cyril. Hierosol. cap. 26.

Et quamvis, vt S. Th. 3. parte q. 6. art. 6. docet, ignis hic corporeus sit, attamen per divinam omnipotentiam elevatur, vt divinæ justitiæ instrumentum etiam ad torquendas incorporeas & spirituales animas; vt aqua sacri fontis Baptismatis ad altissimos & suam naturam excedentes effectus producendus, elevatur, vt est gratia in animâ baptizatâ. adeoque SS. Martyrum tormenta, vt fuêre equuleorum extensiones, membrorum mutilationes, leonum dentes, ignis flammæ, & alia infinita, vt S. Aug. loco citato dicit, nullo modo eum purgatorij tormentis comparanda sunt. Verba ejus sic habent: *Numquam in carne tanta inuenta est pœna, licet mirabilia passi sint Martyres tormenta.* Confirmat hoc Venerabilis Beda in Psal. 3. pœnitentialem his verbis: *Pœna purgatorij gravior est, quàm quidquid vnquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres, vel quidquid homo gravius possit excogitare.* Vnde si quis vivus excorietur, vt S. Bartholomæus; vivus craticulæ & accensis imponatur carbonibus, vt S. Laurentius, sagittis cum S. Sebastiano confodiatur; cum S. Blasio vivus dilaceretur, cum Sanctâ Catharinâ acutissimis rotarũ cultris excarnificandus applicetur, & omnia alia tormenta, quæ excogitari possunt, sustineat, in comparatione tamen pœnarũ purgatorij meras vmbras & picturas esse deprehendet.

S. August. loc. cit.

Venerab. Beda in Psal. 3. Pœnit.

Purgatorij tormenta superant omnia hujus mundi.

Plus idem Sanctus dicit, purgatorij exaggerans pœnas, ignem solum, quem animæ illæ benedictæ sustinent, omnia illa tormenta quam longissimè superare, quæ anima corpori vnita in hoc mundo in vtraque parte sustinere posset. Sic habet lib. 2. contra Manichæos cap. 24. *Excedit omnes pœnas, quas aliquis in hac vita passus est.* Et Sanctus Anselmus tam crudâ habet verba, quæ cùm legerem, summo horrore me correptum fuisse confiteor, in primam Epistolam ad Corinthios scribens: *De quibus minimum malum maius est, quàm maximum quod in hac vita recogitari possit.* Ponite in partem vnam purgatorij tormenta, quæ illæ

S. Aug. l. 2. cont. Manich.

illæ animæ patiuntur, & ex omnibus illis minimum, & levissimum quod reperibile sit, seligite, & ex altera parte sit homo, qui per omnia discurrat tormenta, quæ vnquam in hoc mundo visa, auditaque sunt, vel humanus intellectus sibi imaginari potest, & omnia illa sic vnita, & summatim cum minimo illo purgatorij tormento comparate; minimum, & levissimum hoc purgatorij atrocitate, & dolore, & extensione, & acerbitate omnia hæc maxima superabit, atque longè excedet. Et Angelicus Doctor cit. in resp. ad 3. sententiam magnæ quoque considerationis in hac materia habet, dum dicit purgatorij pænas omnia illa tormenta, quæ Christus in passione sua passus fuerat, superare, quæ tam atrocia, & crudelia fuerunt, vt ipsemet per Ieremiæ prophetæ os incomparabilia æstimet Thren. capite primo: *Videte si est dolor similis sicut dolor meus.* Dolores qui tam atroces & crudeles fuere, vt inferni tormentis illas assimilare non dubitârit; vt in Psalmo decimo septimo habemus, vbi Christus per os David de illis conqueritur, dicens: *Dolores inferni circumdederunt me.* Dolores tales, qui totum occupaverant corpus, ita vt minima pars doloris vacua non fuerit, vt Isaias capite primo attestatur: *A planta pedis vsque ad verticem capitis non erat in eo sanitas,* nihilominùs vt Sanctus Thomas asserit, longè has pœnas superant.

Aug. Doct. cit. in resp. ad 3.

Thren. c. 1.

Psal. 17.

Isa. cap. 1.

Plurimas alias Sanctorum Patrum auctoritates, quibus veritas hæc Catholica probari potest, transibo, & solummodò Sancti Cyrilli Alexandrini libro decimo in cap. decimum quartum Iob opinionem adducam, qui dicit, pœnam sensus, quam animæ in purgatorio patiuntur, omnia mundi tormenta, & dolores, quos homines ab Adamo vsque nunc passi, & vsque ad judicij diem passuri sunt, superare. Recogitate ergo omnia illa tormenta quæ crudelissimi Tyrani excogitârunt, omnes cruciatus, quos Sancti Martyres passi sunt, & purgatorij pœnas multò majores, & acerbiores illis reperietis, & si mortali homini purgatorij pœnæ innotescerent, & ad patiendum omnia mundi tormenta, ad minimum purgatorij cruciatum condemnatus esset; ita vt illa mundi tormenta vsque ad finem sæculi portaret, purgatorij verò vno die tantùm, certum est, quod potius omnes mundi cruciatus, quam minimam purgatorij vnius diei pœnam eligeret. Verba Sancti hæc sunt: *Mallet quilibet viventium vsque ad finē mundi omnibus excruciari pœnis, ab Adam vsque adhuc, quâm vno die in purgatorio morari.*

S. Cyrillus.

Terribilitatem huius ignis prævidens Malachias Propheta, in sequentia verba prorupit: *Et purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum:* id est, vt aurifaber, cùm aurum & argentum purificare vult, igni imponit, liquefacit, & bis, vel ter colat, & sic colando purificat; sic Deus electas animas, quæ aurum, & argentum sunt, & cum aliquibus maculis de hac vita discesserunt, ignibus purgatorij imponet, liquefaciet, & colabit, & colando ipsas ab immunditia, & omni impuritate mundabit, & vt purissima aurea vasa æterno suo præsentabit Patri. Quâ similitudine voluit Propheta nobis acerbitatem purgatorij pœnarum ostendere, vt opinantur S.Hier. in hunc locum S Aug. lib. vigeſ. de civitate Dei, S.Ambros. in psal. viges. sextum, Orig. Hom. sexta in Exodi librum contra Cels. libro sexto.

Malach. c. 3.

S. Hier. hîc S. Aug. l. 20. de civ. Dei. S. Ambros. in psalm. 36. Origen. Hom. 6. in Exod. l. cont. Cels. lib. 6.

Et vt ad majores transeamus exaggerationes ad excessum, & extensionem hujus ignis vobis demonstrandum, scire debetis insufflatorē, & excitatorē hujus ignis Dei omnipotentis esse manū, quod Iob, dum in sua persona harū benedictarum animarum dolorosum deplorat statū capite decimo nono indicare voluit, gemens:

Iob. cap. 19

gemens: *Manus Domini tetigit me.* Crudeliter tormentor,& crucior (omnis purgatorij clamat anima) *quia manus Domini tetigit me.* Nec parva vobis videatur hæc exaggeratio ad purgatorij pœnarum exhibendam intentionem,cùm dicitur, *Manus Domini tetigit me.* Nam in sacris litteris reperio omnipotentem Deum vnico solo intuitu totum mundum aspexisse & totam terram tremere fecisse, vt Psalmista psalmo centesimo tertio notavit: *Qui respicit terram, & facit eam tremere.*

Qualis extensio & intensio ignis purgatorij.

Humana mens magnitudinem, & intensionem pœnæ,ac supplicij,& quæ mala secum adducat Dei manus, cùm hominem tangit, comprehendere non potest. Exemplum habemus in Iob. Plenus irâ, indignatione, ac rabie erat dæmon contra sanctum hunc virum, & rabidâ suâ crudelitate mille,& millena excogitabat supplicia, quibus eum excruciare,& tormentare valeret. Ad quem finem Deum accessit, veniam petijt, atque pro permissione supplicavit. Quale tormenti genus petijsse putatis? Sacer textus vobis dicet. *Extende manum tuam & tange illum:* ac si diceret: Non ad multa inferenda supplicia supplico, manus tua mihi sufficit, illam extende, tange illum, & sufficit: & certè hæc Dei manus extẽsio tam excessivos causavit effectus, vt similes in sacris litteris non reperiantur: nam hac non tantum filijs,& filiabus, camelis, ovibus, famulis, & famulabus, & omnibus bonis spoliatus,sanitate, & robore privatus, toto corpore plagatus fuit;verùm etiam ad tam miserum statum manus hæc ponderosissima illum perduxit, ut doloribus plenus aliam in hoc mundo consolationem non haberet, quàm sterquilinium, cui insideret, & testam, quâ saniem corporis raderet. Quos dolores ergo miseræ illæ animæ patientur,quibus cruciatibus,tormentis,& miserijs subijcientur,quas manus Domini non leviter,non vno aut altero digito,sed tota,& maximo pondere, & vehementia tetigit? *Manus Domini tetigit me.*

Iob. c. 1.

Maxima fuêre supplicia, quibus ab initio mundi Deus transgressores sanctissimæ voluntatis suæ visitavit, ac in rebelles peccatores animadvertit, vt in sacris reperietis litteris. Peccant Primi nostri parentes, & Dei transgrediuntur præceptum: subitò adest Deus, & supplicijs eorum corrigit errorem. Sed quę fuerunt illa supplicia? Primò maledictionis percutiuntur fulmine: *Maledicta terra in opere tuo.* Quanti momenti, & quot malorum causa atque origo hæc maledictio fuerit, alio examinabimus loco cùm occasio se obtulerit; hoc sufficit matrem omnium malorum, ac suppliciorum, omnium adversitatum, quas nunc patimur fuisse, insuper & de loco paradisi & voluptatis in miseriarũ vallem ejciuntur. Peccant filij Adam, & varijs modis Deum offendunt, nec minas, quas per Noë justum Deus ipsis intentavit, curant: irascitur ergo, & totum mundum cum omnibus viventibus, exceptis paucis in arca salvatis, diluuij aquis inundat, ac submersit. Gravissimis, & enormissimis impudicitijs & sceleribus incolæ Sodomæ, & Gomorrhæ, ac aliarum civitatum adiacentium Deum irritarunt, & ad maxima ipsis immittenda supplicia incitârunt: ergo ad iram commotus, ignem de cœlo pluere fecit, & civitates illas cum omnibus inhabitantibus delevit, ac in cinerem, & locum deserti. & Draconum & serpentum habitationem convertit. Peccat Hebræus populus in deserto, & ecce ignitos immittit serpentes, qui cùm Israelitas morderent, inextinguibili cruciarunt siti, & sic extinxerunt. Quales hæ fuerint angustiæ,vobis judicandum relinquo: imaginemini vobis, dum dormire vultis de strato vestro ignitos exire serpentes; dum mensę accumbitis,cibos vestros in ignitos converti

Omnia supplicia, quibus Deus peccatores in hoc mundo punit, sunt velut ventus respectu pœnarum purgatorij.

Gen. c. 3. & 4.

Gen. c. 19.

Num. c. 21.

verti serpentes, dum bibere cogitatis in poculis vestris ignitos apparere serpentes, & hos in vos insilere, mordere, & mordendo inextinguibilem sitim, & per sitim mortem acerbam causare. Peccat Dathan, & Abiron, & ecce à terra degluttiuntur. Plurima alia horrenda, & formidabilia supplicia, quibus Deus in transgredientes præcepta, & voluntatem suam magno animadvertit furore, sacra enarrat pagina, quæ omnia Sanctus Iob considerans, & ponderans capite quarto, vento cuidam quo Deus contra ipsos flabat assimilat: *Vide eos, qui operantur iniquitatem flante Deo perijsse.* Audistis quàm crudelia hæc tormenta, & tamen vento, qui de Dei procedit ore, assimilantur. Qualia ergo nunc illa, per Dei fortissimam, ac ponderosissimam manum infliguntur? quæ purgatorij tormenta sunt. *Manus Domini tetigit me.* Talia hæc sunt, atque erunt supplicia, quæ hominis imaginatio minimè capere potest. Inde idem patientissimus Iob atrocitatem tormentorum considerans, quæ Dominus infert, cùm sua ponderossima tangit manu, totus tremore plenus humillimis supplicat suspirijs, & rogat vt hæc ponderossima manus cum in peccatores sævit, à se declinare dignetur, *Manum tuam longè fac à me.*

Num. c. 16.

Iob cap. 4.

Iob cap. 13.

O quàm horribilis hic locus purgatorij est! Inde Patriarcha Iacob, vt Sanctus Hieronymus in caput vigesimum octauum Genesis dicit, cùm per propheticum Spiritum atrocissima hujus loci cognovisset tormenta, & ad demonstranda illa insufficientem se deprehendisset, commotus sequentia dixit verba: *O quàm terribilis est locus iste.* Hic locus Babylonicus ille caminus est Dan. cap. 3. cujus flammæ semper ardent, adurunt, & tamen non consumunt. Hic locus mysteriosum illud vas est, in quo divinus artifex aurum liquefacit, & purissimum, ac gratissimum Dei efficit oculis.

Gen. c. 28.

Locus purgatorij terribilis.

Hic locus pœnarum carcer in quo miselæ animæ vt in obscurissima Noe arca inclusæ tenentur, & per varias tribulationes ducuntur. In summa, locus hic infernus transitorius est, cujus ignis compendium omniū malorum est. *Ignis suppliciorum vltimum*, dixit Curtius Romanus libro sexto capite duodecimo, ac si dixisset: Humana crudelitas semper ingeniosa fuit ad nova excogitanda, atque invenienda tormenta, & hactenus plurima diversissima reperit, nullum tamen exquisitum, aut terribile, quod ignis excederet atrocitatem reperire potuit. Meritò ergo cum Iacob dicere possumus: *O quàm terribilis est locus iste!*

Curtius lib. 6. c. 12.

Verùm licèt pœnæ præter omnem humanam fidem sint intensissimæ, dolores acerbissimi, cruciatus intolerabiles, & tormenta crudelissima, quibus illæ animæ in sensu afficiuntur: attamen damni pœna, quâ affliguntur, & ad tempus aliquod beatissima illa visione Dei privantur, major, & acerbior omnibus est, vt docet Sanctus Ioannes Chrysostomus de Repar. lapsi: *Pone hic vnam solam pœnam damni, & pone hac ex parte centum ignes inferni; maior est hæc sola pœna damni, quàm ibi centum ignium Inferni.* Et ratio tantæ pœnæ hujus est intensissimum desiderium, quò animæ Deum videndi flagrant; nam quo vehementius quid desideratur, & ardentiùs optatur, tantò vehementius fruitionis ejus tarditas, cruciat, ac tormentat. Cùm ergo ardentissimo desiderio Deum videndi benedictæ illæ teneantur animæ, vehementissimum quoque ipsis causabit tormentum eò, quòd impediantur in ejus fruitione.

Habent hæ animæ etiā Pœnam damni quæ maxima est.

S. Chrys.

Et si quæcunque spes, dum differtur, animæ potentias excruciat, ut Sapiens Proverbiorum capite decim tertio dicit: *spes quæ differtur, affligit animā*, & quò certior, ac securior spes est, eo plus affligit dū executio retardatur. Cum ergo benedictarum illarū animarum Deum vidēdi spes securissima ac certisima sit & tamen

Pro. c. 13.

tamen fruitionis actus impediatur, inexplicabilis est dolor ille quem inde percipiunt, vt docet S. Bona. in quart. distinct. vigesima prima. Nam vt beatorum animæ dum Deum gloriosum intuentur inexplicabili fruuntur, ac implentur gaudio: sic animæ illæ dum ab hac visione retardantur, ac impediuntur, intolerabili cruciantur dolore. Et vt hęc beatifica visio flumine quodam omniũ delitiarum ac gaudiorum obruit animas beatorum, sic contra vehementissimo omniũ miseriarũ fluvio animę illæ cùm Deum videre nõ possunt, inundantur.

Libro Genesis capite quadragesimo tertio, legimus, Iosephum exceptos fratres, & bene tractatos remisisse in patriam, ipsis imponendo vt Iuniorem fratrem nomine Beniamin à suo patre peterent, & secum adducerent: qui cum discessissent, & summis cum difficultatibus illum à patre obtinuissent, læti cum suis asinis, & mulis vt alia emerent frumenta cum illo in Ægyptum redierunt: quos cũ Ioseph Patriarcha vidisset, & juniorem fratrem intuitus esset, subitò commota sunt viscera ejus, & præ dolore cordis sui se continere à fletu non poterat, sed in conclave suum introire festinavit. *Festinavitq; quia commota erant viscera ejus.* S. Ambro. libro de Iosepho capite decimo inquirit rationem, & causam hujus doloris, & dicit desiderium fratrem ejus amplectendi fuisse; nam cùm amatum videret fratrem ardentissimum in ejus corde desiderium complectendi, ac exosculandi eum exsuscitatum fuit, quod cùm vt in effectum poneret, aliqui humani respectus impedirent, summum in corde suo sensit dolorem, & summopere affligebatur, *Torquebantur autem viscera ejus; quia complectendi ejus, quem desiderabat, libertas differebatur.* Nunc vos cogitate quale tormentum, qualem pœnam benedictæ illæ patiantur animæ, quæ summo, & ardentissimo Deum vidẽdi desiderio tenentur, & ad id pręstandũ impediuntur.

Gen. 43.
Ambros.

Si enim etiam in hac vita, cum Deum videndi vehementissimo ardent desiderio, si illud in actum ponere non possunt summoperè cruciantur, & sperando, & expectando tormẽtantur, quia præsentiã illius, quem tantoperè amant contra voluntatem privantur, vt de Sancta Virgine Theresia legimus, quæ ob hoc vehementissimum desiderium Deum videndi tantis cruciabatur doloribus, vt sensu perdito velut exanimis, & mortua iaceret. Quid ergo de illis in purgatorio existentibus dicemus, cùm iam de beatissima illa visione certiores sint?

Hujus Doctrinæ veritatem Sanctus Iob capite decimo tertio mysteriosis illis verbis adumbrare voluit: *Cur faciẽ tuã abscondis, & arbitraris me inimicũ tuũ.* Dñe cur dum tuum desideratum vultum inspicere volo, mihi tergum vertis, & cum amicus tuus sim, me vt inimicum tractas? S. Greg. citatus à glossa hic in persona Iob sic habet: *Quia sicut amicum respiceres me, tuæ visionis lumine non privares.* Amici Dei sunt sanctæ illæ animæ, & tamen vt amicæ, cùm Dei vultus illis negatur, non tractantur, sciunt se à Deo amori, & amoris signum ipsis non exhibetur, sed vt inimicæ tractantur. O tormentum! ô pœna captũ omnem hominis excedẽs! Meritò ergo cum S. Iob quæque illarum conqueritur: *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum.*

Iob. v. 13.
S. Greg. hic à gloss. citat.

PVNCTVM SECVNDVM.

Cum ergo animæ illæ sanctæ, & benedictæ certum, & determinatum tempus, donec divinæ justitiæ satisfecerint in illo pœnarum, ac tormentorum loco detinentur, & ob demerita sua tali detentione castigentur, & seipsas cùm tempus merendi amplius non sit liberare, & sibi ipsis subuenire non possunt, parentum, consanguineorum, amicorum, & bonorum sociorum invocant auxilia, & subsidia clamando: *Miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

Iob cap. 19.

 Paren-

Parentes ad suos filios & filias, quibus omnia sua reliquerunt bona, & forsan ideo, quia nimirùm pro illis solliciti fuere, sic nunc cruciantur in Purgatorij loco: sic clamant, & ipsorũ auxilium invocant dicentes: Miseremini mei saltem vos chari nati. Et quia surdi sunt, & non audiunt, aut audire nolunt, cum summa afflictione illa Isaiæ verba addunt: *Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me.* Ac si dicerent: O nati! inclamat pater, vbi sunt verba illa quibus tot tantaque pro me facturi spargebatis? nonne laboravi, sudavi, vt vos divites relinquerem, & dolores hos, quos patior, ideò majori ex parte sustineo, quia vt vobis satisfacerem, proximum, Deum & iustitiam offendi: vbi nunc sunt auxilia vestra? vbi nunc filialis amor, qui ex justitia mihi debetur? ecce crucior, & ardeo, & non est qui guttulam spiritualis aquæ mihi mittat, & hoc pœnarum loco liberare laboret? sic matres exclamant: Filiæ charissimæ tot tantisque doloribus à nobis genitæ, tot sudoribus à nobis enutritæ, ac educatæ, & tam vehementer à nobis in vita amatæ, quomodo nunc horum omnium nulla in vobis subsistit memoria, & passione non commovemini, & nos de diris his tormentis liberandi non quæritis modos, nec in tantis cruciatibus, spiritualibus subvenitis suffragijs? Sic maritatæ ad suos clamant maritos: O charissimi, & amantissimi viri, quomodo non recordamini æstuantissimi amoris nostri erga vos? Iam de mente vestra promptissima obedientia nostra per totam vitam excidit? servitus illa tanto amoris affectu vobis exhibita, totaliter evanuit? vbi nunc relatiuus ille amor? vbi est solicitudo, & cura illa summa, quâ corpora nostra curabatis? vbi dolor, & mœstitia illa, quam monstrabatis, cùm infirmæ aut mœstæ eramus! Ecce nunc ardemus, torquemur, cruciamur, & miserrimam ducimus vitam, & vos, ac si vestræ non essemus, non curatis nos de pœnis his liberare. Sic mariti de vxoribus, filij de parentibus, amici de amicis, consanguinei de consanguineis, boni socij de bonis socijs conquerentur ac lamentabuntur.

Querelæ ac supplicia animarum in purgatorio.

Videntur mihi N. N. animæ hæ beatæ in eadem navigare navi cum illo, cujus Moyses Genesis capite quadragesimo mentionem facit. Pincerna Regis Pharaonis obscurissimo inclusus tenebatur carcere, vbi somnium habuit, quod socijs, ex quibus Ioseph Patriarcha erat, enarravit. Hoc cùm Ioseph intellexisset, divino illustratus lumine somniũ explicavit & liberationem, & pristinæ dignitatis gradum prædixit, ex quo summo gaudio affectus est pincerna, & plurima Iosepho, si vera esset somnij explicatio, bona promisit: vnicum autem tantum Ioseph cum rogavit, ut cùm pristinum obtineret gradum, Pharaoni Regi captivitatem ejus, quòd innocens contra omnem justitiam ibi detineatur indicare, & liberationem ejus procurare vellet. *Memento mei cùm tibi bene fuerit, & facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere.* Sed ingratus hic pincerna pristino honoris obtento gradu, & somnij explicationis, & beneficij accepti obliviscitur. *Succedentibus prosperis, præpositus pincernarũ oblitus est interpretis sui.*

Gen. 40.

Gen. 36.

At hæc figura, & vmbra de præteritis ad præsentia transeamus. Aliquot auxilia! quot beneficia in necessitatis tempore accepimus à nostris charis genitoribus! quàm ferventes amoris affectus dum adhuc viverent, nobis exhibuerunt! quid non fecerunt, quid non egerunt, & quas inventiones pro nostro amore non excogitarunt, quot labores, quot pericula propter nostram consolationem non susceperunt? Et cum morti iam vicini, quibus lacrymis, quibus amoris affectibus nobis animas

animas suas post discessum suum commendaverunt, quibus execrationibus nos non conjurarunt,& ad varia pio ipsorum salute facienda opera obligarunt, & si fortè nostrâ indigerent operâ, spiritualibus non deesse suffragijs obstrinxerunt. Et quis est qui horum recordetur? quis est qui toto corde illis succurrat, & si quæ facit, plura facere non obligetur? prô dolor! quot sunt, qui nec amplius de ipsis cogitant, ac si non fuissent, & *Psal,48.* ab illis nati non essent. *Relinquent alienis divitias suas*, dicit Regius vates Psal. 48. *Glossa interl. hic.* interlinealis habet *filijs*. Vult dicere: morientur parentes, & divitias suas, quas tanto labore, ac sudore congregarunt, filijs suis relinquent, qui erga ipsos se exhibebunt ac si alieni, non filij essent; & ab illis nati non fuissent, relinquentes ipsos in Purgatorij flammis, & in atrocissimis pœnis absque vllo succursu, & auxilio, atque subsidio. *Alienis filijs*. Propheta *Abacuc c. 2.* Abacuc clamat: *Lapis de pariete clamabit.* Vult dicere, lapides domus illius, quos pro tua commoditate tui parentes tanto sudore ac labore fabricarunt, clamabunt & misericordiam petent, & ad compassionem erga genitores concitabunt, & ad ipsorum necessitatibus succurrendum subsidium petent, sed tu surdus ipsorum non intelliges clamores? Clamant lapides, & tibi dicunt: Ecce domum, quam inhabitas, tuus genitor tanto sudore, ac labore extruxit, vt tu commoditate ipsius fruereris, & ecce ipse nunc in ardentissima ignis fornace torquetur, & guttulam spiritualis petit aquæ, & tu tam immisericors audire, & porrigere recusas? Tu in delicatissimo ipsius dormis lecto, & ipse inter crudelissima vigilat tormenta; tu delicatis indueris vestimentis, & ipse ardentissimis vestitur, ac circumdatur flammis; tu lætaris ac rides, quia tibi multa bona reliquit, ipse verò tristatur, ac plangit, quia vt te divitem relinqueret, erga pauperes immisericors

Ingratitudo filiorum erga parentes in purgatorio.

fuit, & divitias non licitis congregavit modis,& quia de his erroribus commissis dignas non fecit pœnitentias, & in hac vita maculas à peccatis in anima relictas per eleemosynas abluere neglexit, nunc flammis, & crudelissimis cruciatur tormentis.

S. Ambros. S.Ambros.in psal.primum pœnitentialem contra hos ingratos filios purissimis invehitur verbis, dicẽs: Pudeat vos ingratos filios, qui avis, aut canis, aut alterius bestiæ inclusæ recordamini,& ipsarũ provideris necessitatibus, & cùm servi suo tempore necessaria non porrigunt, duriùs ipsorum corrigitis negligentiam: & patris, qui vos genuit; matris, quæ vos portavit, & tantis doloribus luci edidit, tot laboribus educavit,& nunc in purgatorijs flammis ardent,& diros patiuntur cruciatus;& vestrò indigent auxilio, non habetis rationem nec misericordiam, & compassionem exhibetis, nec ipsorũ succurritis necessitatibus? O immortalis Deus! vnde tam inaudita nascitur crudelitas?

Cùm Salvator noster Lazarum resuscitare decrevisset, & ad locum vbi jace- *Ioan. c. 11.* bat pervenisset, dicit Scriptura astãtibus mandasse, vt lapidẽ, quo sepulchrũ claudebatur, amoverent: *Tollite lapidem*. Quæ verba cum Martha audisset, respõdit: *Iã fœtet, quatriduanus est*. Ah Martha, Martha! quid dicis? quę verba sunt hęc? Nõne hic frater tuus est, cui dum viveret tot exhibuisti signa amoris? nunquid dum infirmaretur, tantâ curâ, ac solicitudine ejus procurabas sanitatẽ? Nunquid in expediendo ad Christum nuntio fuisti diligentissima, atque supplicabas vt adveniens ipsum curare dignaretur? & ecce quatuor dies sunt quod mortuus est, & qui tibi tam charus erat, iam fœtet,& ne aperiatur sepulchrũ ejus, impedire conaris? qui ô Martha minus quam tibi, quæ charissima ejus soror es, fœtere deberet,& tu tamen sola illa es, quę ex tanta astantium multitudine de ejus

Pulcher conceptus de Martha ad rem.

conquereris fœtore, & dicis; *Iam fœtet, quatriduanus est.* O immortalis Deus! quàm citò parentes filijs, filij parentibus, cognatus cognato, vxor marito, maritus vxori, amicus amico, consanguineus consanguineo, socius bono ac fideli fœtet socio. *Iam fœtet, quatriduanus est.* Quę amoris signa dum viverent mutuò demonstrabantur, quàm erat correlatiuus inter ipsos amor, & ecce post mortem fœtet, non est qui recogitare, nec qui iuvare velit. O miseros, & ingratos! quorum memoriâ tam citò parentum, & amicorum evanescunt beneficia, & cum campanarum sonitu omnes amoris transeunt affectus, atque signa. Hæc est illa ingratitudo, de qua Regius Vates psalm. 9. conqueritur:

Psalm. 9. *Perijt memoria eorū cum sonitu.* Supra quæ verba Hugo Cardinalis dicit: id est,

Hugo hic. *Campanarum, & planctu; quia sicut sonitus ille citò transit sic memoria illorum citò deletur.*

Audite ingrati Isaiam cap. 1. contra

Isai. cap. 1. vos invehentem? *Audite cæli, & auribus percipe terra*, exclamat Vates: Quid dicere intendit, & quænam prædicare cogitat propheta, vt & terram, ac cœlos ipsos ad audientiam vocet? Absque dubio magni momenti verba concionis erunt. Audite illa: *Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi verò spreuerunt me.* Ac si diceret: Inauditum quid enarrabo: Vidi patrem, qui extra modum filios amabat, die ac nocte nihil aliud agebat, quàm vt filios divites, nobiles, magnos honoratos faceret, & super alios exaltaret, qui filiorum amore mille subierat vitæ pericula, in continuis fuerat laboribus, ac sudoribus, & ita amaverat, vt seipsum odio habere videretur, atque hic totā in illis fundaverat spem suam, & plurima de ipsorum sibi promiserat gratitudine, sed vidi etiam eosdē filios ingratissimos, & cùm pater eorum indigeret operâ, & in summa versaretur necessitate eum despexisse, ac si ab ipso nati non fuissent, & hęc omnia ab ipso nō habuissent, & subsidium de his omnibus ipsi negasse, & in summa necessitate recusasse succursum. Nunquid rarus, & extraneus hic vobis videtur casus? Quis vnquam simile quid audivit? Vidistisne cæli similem ingratitudinē, percepistine terra, aut deprehendisti mare simile scelus? *Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi verò spreverunt me.* Et tamen N. N. quotidie casus hic cum animabus purgatorij cōtingit, & hæc scelerata ingratitudo erga charos genitores deprehenditur, vt meritò patres, & matres in pœnis his cōsistentes ijsdem verbis prophetę de filiorum, atque filiarum ingratitudine conqueri possint. *Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi verò spreverunt me.*

Certum est hanc ingratitudinem non minimum esse tormentum earum animarum. Cui accedit summa confusio. *Cōfundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriātur in simulacris suis.* Regius dicit Vates de his suo psal. 96. Simulacra, & idola vestra, ô parentes filij, ac filiæ vestræ sunt, qui & similitudines, & imagines substantiæ vestræ sunt. Idolum tuum ô marite, charissima tua conjunx est, quam tanto amore, & ardentissimo prosequeris affectu. Ah quali induêris confusione, & pudore cooperieris, cùm in maximis illis purgatorij pœnis tantoperè ipsorum indigens subsidio, te ab ipsis derelictum deprehendes. Quid dices, quid præ verecundia incipies, dum hic psalmi versiculus tuæ menti occurret, & dæmones, qui tui erunt tortores, vt crudeliora tua efficiant tormenta hæc cantabunt: Vbi sunt filij tui, quibus tot reliquisti bona? vbi subsidia quæ ab ipsis expectas? vbi vxor tua, vbi maritus tuus, vbi amici? ecce nemo vestrûm memor esse vult, ecce quàm ingratitudinem vobis exhibent: propter quos hîc nunc excruciamini: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.*

Si quando mercatores dum maria, & alia

& alia infidelium vicina transeunt loca, capiuntur,& in servitutem abducuntur, magna ipsorum certe est miseria,summa afflictio, paupertatem illam, ac labores, quibus opprimuntur vehementissimè sentiunt; sed si filij vel hæredes bonorum ipsorum libertatem non curant, & quomodo de tot tantisque malis liberare eos possint, non laborant, sed læto sint animo, & ipsorum bona bonos ducendo dies consumant, certo certius est, novo ac intolerabili hos miseros torqueri dolore, & hanc ingratitudinem omnem aliam superare afflictionem. Ah fili ingratissimi! ecce pater tuus durissimâ tenetur servitute, & vt miserum mancipium gravissimis ac onerosissimis oneratur purgatorij catenis, & compedibus quibus atrocissimis afficitur pœnis, atq; tormentis: & tu qui tam dives es, & qui tot ab ipso habes bona, & in tanta nunc vivis affluentia de ejus liberatione non cogitas, & in redimendo ipsum non laboras? Audi ingratissime fili,quibus verbis lamentationis hic tuus pater apud
Iob. c. 29. sanctum Iob capite vigesimo nono de hac tua conqueratur ingratitudine. *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini.* Ac si diceret: O fili ingrate ac infidelis, cur eodem modo vt Deus mecum agis, & sicut ipse mihi contrarius est, sic tu es? nam vt ipse his me ob peccata commissa addixit tormentis, sic tu me liberare non curas, & in his me torquere sine vllo subsidio permittis. *Carnibus meis saturamini.* Ah ingratissimi filij, scire debetis omne id quod bibitis, quod manducatis, quo vivitis & tam delicatè nutrimini,meas esse carnes, meos esse sanguineos sudores. Nam vt vos tam divites redderem, tot labores subij, tot sudores, & angustias passus sum, vt tot vobis congregarem bona, vitam consumpsi, & hos dolores, hæc tormenta quæ nunc anima mea patitur,promerui. O summam ingratitudinem eorum, qui tantopere obligantur suis succurrere amicis & non faciunt, & illos de his liberare tormentis non cogitant.

O quæ confusio! ô quis pudor infamis ad ludendam, ad bibendum, ad lautissima instruenda convivia non deficiunt reditus,ad tot equos, canes, famulos alendos non desunt pecuniæ, ad nutriendam hanc carnem delicatissimis cibis, quæ tamen cito pòst esca vermium erit, omnia abundant, ad vanissimas, & pretiosissimas comparandas vestes, ad sumptuosissima fabricanda palatia reperiuntur sumptus, ad sustentandam, & cum tanto scandolo populi nutriendam meretricem, & concubinam thesauros habetis, & dum de liberatione animarũ tractatur, cùm his aliquâ eleemosynâ succurrendum est,vndique paupertas invaluit; dum hæ in suis angustijs aliquibus sumptibus sublevandæ sunt, omnes egent, omnes contrahunt manus.

Ergo Christiani in hac materia nulli adhibete fidem. Pater non credas filio: fili non credas patri: mater non credas filiæ; filia non credas matri; frater ne fidas fratri, amice ne fidas amico; dum vivitis, agite, quæ post mortem ab amicis vestris fieri desideratis. Ah si sciretis qualis purgatorij locus sit,quàm inenarrabilia ibi patiantur tormenta benedictæ illæ animæ; pœnarum, ne flagellorum locus est, quibus divina justitia errores in hac vita non correctos summa corrigit austeritate. Cur nunc non agitis, & pro vestra facitis securitate, quæ postea ab amicis fieri desideratis? Vbi nunc videntur jejunantes, quò pervenerunt disciplinantes, quis frequentat hospitalia, vbi eleemosynæ vbi tot pietatis opera, quæ in primitiva vigebant Ecclesia? Nunc hæc ridentur, & vita ducitur, ac si post hanc vitam nullæ sint futuræ pœnæ, & purgatorij locus fabulosus ac fictus esset. Hæc cogitate, interim quiesco.

PARS

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

POenarum atrocitatem, quas miseræ illæ purgatorij patiuntur animæ, primo examinavimus puncto. Ingratitudinem filiorum, ac amicorum erga parentes, & amicos in his detentos, si subvenire negligunt, secundo demonstravimus. Nunc tertio hoc puncto media quibus benedictæ hæ animæ per nos de dirissimis his pœnis liberari possunt, & quibus modis illis subsidia ferre possumus, exhibebo. Dico ergo cum S. Greg. Papa Ep. ad S. Bonifacium, quatuor esse media, seu quatuor nobis à Domino esse traditos modos, quibus his miseris animabus succurrere valemus, vt sacris canonibus videre est.

Media liberandi animas expurgatorio.

S. Gregor.

Missæ, preces, dona, ieiunia, quatuor ista
Absolvunt animas, quas purgandas detinet ignis,

Primum medium animas liberandi de purgatorij tormentis sanctissimum sacrificium Missæ est; secundum orationes, & preces: tertium eleemosyna: quartum jejunium, sub quo, vt mos scripturæ est, omnia pœnalia comprehenduntur opera, inter quæ tamen sanctissimum sacrificium Missæ, quę pro eorum satisfactione divinæ offertur justitiæ, primum habet locum: vt S. Ioan. Chrys. sentit Homil. in Epist. ad Philippenses, & Hom. sexagesima nona ad populum, vbi habet sequētia verba: *Non temerè ab Apostolis sancitum est vt in tremendis mysterijs defunctorū fieret commemoratio: sciunt enim illis multum contingere lucrum, vtilitatem multam.* Et S. Hier. firmiter tenet animas illas beatas, tempore illo, quo Sacrificium pro illis offertur, omnino liberas esse, & durante illo nullas percipere pœnas. Verba ejus hæc sunt: *Animæ, quæ in purgatorio torquentur, pro quibus solet Sacerdos in Missa orare, interim nullum tormentum sustinent cùm Missa celebratur.*

S. Chrys. Hom. in Epist. ad Philipp. Et Hom. 69. ad pop.

S. Hieron. in his defunct.

Si ergo cruentissimum ac sanctissimum hoc sacrificium tantam consolationem, & vtilitatem his benedictis affert animabus, non simus auari, & duri corde, aut tardi in subueniendo ipsis. Nam quia in gratiæ sunt statu, cùm ex his pœnis per nostrum subsidium liberatæ fuerint, Dei visione fruentur, & incessanter pro nobis orabunt. Sic docet S. Aug. serm. 44. ad fratres in eremo. *Ora pro defunctis, ut dum ipsi fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant.*

S. August.

Quis ergo tam crudelis, ac tā duro & lapideo erit corde, qui dum considerat, & scit animas has gravissima patientes tormenta sibi ipsis subsidiū ferre & succurrere non posse, nollet plurimas pro ipsis subire incommoditates? Certè si amor ille, quem ipsis debetis, aut charitas illa, qua erga ipsas obligamini, vos non vrget, vrgeat saltem proprium vestrum commodū, propria vestra vtilitas quam ab illis sperare potestis, Benedictæ animæ ad nos clamare nō cessant, & incessāter nostrū implorant auxilium, nostrum expectant subsidium atq; auxilium. Vt S. Aug. loco citato inquit: *Clamāt quotidie qui tacent in tormētis, clamāt, & pauci sunt, qui respondent: vlulant, & nō est qui cōsoletur eos. O quā grandis crudelitas fratres mei! ô quanta inhumanitas!* Audimus has miseras plorantes animas, & non est qui aures præbeat; lamentantur, & non est qui compatiatur; vlulant in tormentis, & non est cujus commoveantur viscera ad compassionem, incessanter invocant nostrum subsidium, & auxilium, & non est qui adiuvare, & succurrere cogitet. Nunquid magna hæc est immisericordia? Considerate nos jubet S. Aug. vbi suprà, animas has nostrorum in hac vita fuisse amicorum, ac charissimorum sociorum; parentes nostros, fratres, ac sorores nostras esse; nunc autem in summis his esse tormentis, & durissimis cruciari doloribus, & instantissimè ac incessanter verbis illis Iob lamentabili voce nostra expostulare subsidiat: *Miseremini mei, miseremini mei, saltē vos amici mei.* Et quomodo tā duro

S. Aug. hic.

duro possumus esse corde, vt ad earum non commoveamur compassionem. Audire quæ S. Augustin. loco citato dicat: *Clamant ad nos quotidie, qui dum vixerunt, multa mala pro nobis sustinere voluerunt, nec eis subvenire curamus: ô verè magna inhumanitas!* Si quis consanguineorum, aut amicorum nostrorum, sed quid dico consanguineorum, aut amicorum? si mancipiorum, aut servorum aliquis infirmatur, & ægrotat; quisque nostrûm ad pietatem, & compassionem erga ipsum movetur, vocantur medici, & omnis generis adhibentur media, vt pristinæ restituatur sanitati. Ecce enim infirmus jacet, & à medicis consolatur. Et non tantùm viscera pietatem, & compassionem inducunt, dum quis, servorum infirmatur, verùm etiam cùm bestia, aut animal aliquod, aut nostrum, aut vicini, vel amici malè habet, compassionem cum illo habemus. & sublevationis subsidia inquirimus; dicit Sanctus Augustinus: *Clamat porcus & omnes cum eo clamare non cessant.* Quis tam durus corde est, qui asinum sub onere cecidisse, & iacere deprehendit, & manus non admoveat, & sublevare curet? *Cadit asinus, & omnes eum sublevare festinant.* Sed nos fidei oculis deprehendimus in profundissimam fossam purgatorij animam fidelem, Christi sanguine redemptam cecidisse, videmus ibi amicum, consanguineum summis cruciari doloribus, & clamantem, ac invocantem subsidium nostrum lamentabili voce percipimus, & non est qui velit, aut cogitet ad sublevandum eum, extendere manum suam. Idem lamentatur Sanctus Augustinus loco citato. *Sed clamat fidelis in tormentis, & non est quì respondeat? ecce vestra inhumanitas fratres.*

S. Aug. vbi supra.

S. August. loco citato.

Quare concludit Sanctus Augustinus. Non simus tam duri corde, nec talis apud nos erga proximum nostrum reperiatur crudelitas, sed induat quisque pietatis ac compassionis viscera erga eum, & succurrere, ac sublevare illos studeat. Nam opus sanctum & ad nostram cedens vtilitatem est, actus pius est, qui Sanctis Angelis, & Deo summoperè placet. Verba Sancti Doctoris hæc sunt vbi suprà: *Eia ergo non sic, sed mementote fratres quod sancta, & salubris, pia & suavis Deo, Angelis est cogitatio pro defunctis exorare vt à pœnis quas pro peccatis patiuntur solvantur.*

S. August. loc. cit.

Ergo N. N. propter amorem hujus, qui in hac sancta suspensus hæret cruce, sitis pij, & charitativi, adhibeatis media, & suffragijs succurrite, vt vestri liberentur consanguinei, & boni ac fideles amici. Nam animæ illæ beatæ cùm in statu patriæ sint, cùm de pœnis his per nostra liberabuntur suffragia, cùm Deo præsentabuntur, incessanter pro nostra intercedent salute, & precabuntur, vt & nos in gratia moriamur & ipsis associemur. Sic docet sæpiùs citatus Sanctus Augustinus sermone quadragesimo quarto ad fratres in eremo. *Ora pro defunctis, vt dum ipsi fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant.* Vt autem animæ illæ beatæ, quæ nunc actualiter summis cruciantur ardoribus, particulare aliquod per nos sublevamen recipiant, genibus flexis, & devoto corde pro refrigerio ipsarum vnum Pater, & Ave dicere non pigeat.

S. August. serm. 44. ad frat. in eremo.

DISCVRSVS VIGESIMVS QVARTVS, PRO DIE MARTIS POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMÆ

ARGVMENTVM.

Prima parte puncto primo tractatur de iudicio temerario, & quale vitium sit, & quòd homini proximum suum iudicare non liceat, cùm Deus hoc sibi reservaverit officium, ostenditur. Puncto secundo de supplicijs illorum discurritur, qui temerè proximum iudicant. Parte secunda puncto tertio exhibentur aliqua media ad superandum, & extinguendum hoc vitium.

Thema.

Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.
Ioan. cap. 7.



Latet nonnumquam N. N. sub maris tranquillitate tempestas: habet mons Ætna nives, sed & ignes, & flammas euomit: tranquillus vultus ac serena facies latentis cordis, iræ, ac indignationis pallium est; dulcia verba, & placidi sermones aliquando traditionem celant, & tamen ad tales arrogantiæ, ac superbiæ terminos humanus pervenit animus, vt suo moderato intellectu cuncta secundum externam faciem, atque apparentiam judicet & in hoc suo judicio non falli posse sibi persuadeat. Et quis vnquam nostrûm, si experientia nos non aliter instruxisset, credere potuisset spinas producturas suaviter olentes, & visu jucundas rosas? Quis sibi de cepa alias fœtida & in terram proiecta pulcherrimum florem, vt lilium est, promittere ausus fuisset, nisi singulis annis effectus ipse id nobis demonstraret? Ideò bene in hodierno Evangelio Christus: *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudiciū iudicate.* Non est, sit quisquis velit, qui proximi sui facta judicare, & temerariè censurare præsumit, qui latronis, & furis non mereatur titulum; nam contra divinas, humanas, & naturæ leges, Christi supremi judicis officium, cujus solius mortuos, & vivos judicare est, absque pudore summa cum petulantia vsurpat. Vitium reverà nimis infame, peccatum horrendum, & dignum omni correptione, & exprobratione. Hinc Christus Dominus in hodierno Evangelio dicit: *Nolite iudicare secundùm faciē, sed iustum iudicium iudicate.* Hæc verba scopus discursus mei erunt. Videbimus ergo atque adducemus primâ parte, puncto primo aliquas rationes, quæ nobis prohibent temerariè judicare proximum nostrum, cùm hoc judicium Deus sibi soli reseruârit. Secundo puncto supplicia, quibus Deus in proximos temerariè judicantes animadvertere solet, exhibebimus. Secundâ parte puncto tertio remedium dabimus, ne alios judicemus, & ab hoc pessimo scelere liberemur. Attenti estote.

PARS I.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Nolite judicare secundùm faciem, sed iustum iudicium judicate. Ioan. cap. 7.

HIc est textus legis in hodierno Evangelio à supremo Legis-latore nobis exhibitus, qui à S. Paulo Gentium doctore in epistola prima ad Corinthios cap. quarto diviné glossatur: vbi satis esse non judicat varias rationes ad fugam humano animo hujus sceleris persuadendam reperisse, & hominibus magno zelo prædicasse, verùm etiam ad hominis animum efficaciùs movendum pro æterna memoria eas scriptas reliquit. Paucis verbis quasi in compendium eas redegit: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*

1. Corinth. 1. 3.

Prima ergo ratio, quam hic Sanctus Apostolus ponit, ob quam proximum nostrum judicare non debeamus, quæque talia temeraria vetat judicia, est hæc: Quòd lite pendente non possit dari determinata resolutio, sed tempus judicij & assignati termini expectandi, quibus à Domino vt supremo judice sententiæ prolatio terminatur. *Nolite ante tempus iudicare.* Nam illa quæ videmus, incerta, & occulta sunt, & solius Dei reservantur judicio, adeoque cùm quis in his proximi sui facta judicare præsumit, Dei vsurpat officium, jurisdictionem, & judicium, Secunda ratio, quâ homini vetatur proximum suum judicare est incompetentia, quâ non ipsi hoc judicium, sed Christo Domino, qui vniversalis judex vivorum ac mortuorum est, competit: quod his verbis Sanct. Apostolus indicare voluit: *Quoadusque veniat Dominus.* Tertia est, secretum causarum; nam cùm adhuc in corde abscondita sit, & lateat intentio, judicare non possumus; nam hæc soli Deo, cui nihil absconditum est, patet, qui die illâ, cùm mortuos, & vivos judicare venerit, cuncta manifestabit, & intentiones vniuscujusque facti exhibebit, & declarabit: quod sequentibus indicare verbis voluit Apostolus: *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Has rationes altius examinemus.

Rationes tres vetãtes temerarium judicium.

Non est dubium, Auditores, summâ hominem affici injuriâ, cùm proximi facta, ac acta ejus temerario judicio in hac vita trutinantur, & vt mala ac illicita condemnantur. Nam non tantùm humanæ naturæ, sed etiam divinæ leges id vetant, & prohibent, & divina justitia id agentibus gravissima comminatur supplicia. Et hæ leges tam sanctæ tantæque authoritatis sunt, vt Deus, cui tamen omnia licent, his contraire minimè velit, verùm ad determinatum tempus omne judicium differet. Sic nullum dum vivit judicat, omnia suffert, sustinet, dissimulat, per singulos dies nostros defectus & errores & vsque ad judicij determinatos terminos expectat.

Libro Genesis capite quarto legimus innocentissimi Abelis sanguinem ab impio fusum Caino, & à terra devoratum vsque ad Dei thronum vindictam clamasse. Dignum & justum erat, vt tam horrendum scelus subitò castigaretur, & tam innocens sanguis pro sua exaudiretur devotione, & tamen vt Sanctus Ambrosius docet, non fuit exauditus, quia *posuit Dominus in Cain signum*, signum quo per divinam bonitatem securus reddebatur à judicio, & sententia, & quo Deus ipsi indicare volebat ante judicij terminos minimè illi timendum esse, adeoque tempus haberet, quod si vellet per pœnitentiæ opera sententiæ rigorem lenire, & suæ causæ patrocinari

S. Ambros. lib. primo Hexamer.

trocinari posset. Apocalypsis capite decimo sexto aliorum quorundam innocentem sanguinem reperio divinam invocare justitiam, & de profundo altaris clamare, & petere vindictam. *Vindica Domine sanguinem nostrum.* Nec ipsorum exauditi fuerunt clamores, sed acceperunt responsum: *Expectate modicum donec compleatur numerus fratrum vestrorum.* Nulli dum curritur ad metam, aut negari, vel adjudicari potest bravium; sed cursu finito datur victoria, & victo negatur, & hic victorialiter victus ex collato judicatur præmio. Dum duo congrediuntur exercitus, iudicari non potest à cujus parte futura sit victoria, sed bene dum pars vna fugit, & altera stat, & pugnæ datus est finis. Omnes homines quotquot vivunt, ad metam æternæ currunt vitæ, vt Paulus attestatur dicens; *Omnes quidem currunt.* Omnes milites hujus mundi sunt, & pro regno æternæ gloriæ certant, & pugnant, vt dicit Iob capite septimo. *Militia est vita hominis super terram.* Igitur non dum curritur, aut pugnatur, iudicari quis debet, sed finis cursus, & pugnæ expectandus est; si verò aliter quis fecerit, & proximum suum dum currit, & pugnat, temerario suo notaverit judicio, certo hic sciat se illum esse, quem Sanctus Apostolus Paulus epistolâ ad Romanos capite decimo quarto, vt arrogantem, & temerarium durissimis increpat verbis; dicens: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum?* Quis aut qualis tu es, qui tam arroganti, & temerario animo, proximum tuum & Dei servum judicare præsumis? & ante determinatum tempus, quod nec ipse Deus facit, perditionis profers sententiam? Fortè in authoritate, & potentia Dei, qui nullum ante mortem, & tempus judicat, major, & altior es? Quomodo in alienam messem falcem, ac manum tuam mittere audes, & ante statutum tempus metere? *Nolite ante tempus iudicare,* dicit Paulus; sed Deo, cujus judicium est, remittite actum, aliter vt Glossa in hunc dicit locum, magnâ afficitur injuriâ iudex, dum servus in danda sententia Dominum prævenire præsumit. Verba hæc sunt: *Aliter iniuria iudici fit: quia iudicis iniuria est, si ante iudicium eius à servo procedat sententia.*

Apoc. c. 16.

S. Paul.

Iob c. 7.

1. Corinth. c. 4.

Et hæc secunda ratio, quâ per Apostoli verba proximum judicandi omnis accipitur potestas, & prima multò excellentior, atque efficacior est. Nam si nostrum esset, proximi nostri acta, & facta judicare, & ad hunc actum exercendum à Deo destinati essemus, si in hoc error quis committeretur, excusationi daretur locus; sed cùm Deus hunc actum pro se solo servaverit, & Christus solus omnium supremus sit vnicus judex, & censor; quot pœnis non subiacebunt, qui fratris sui facta temerario trutinant judicio? Qualia supplicia non merentur, qui sibi arroganter Dei vsurpant officium, atque judicium? *Qui autem iudicat, Dominus est.* Hoc officium, hic actus solius Christi est, & nullus nostrûm absque maxima nota illo vti potest. Nam vt princeps Apostolorum Actor. capite decimo expressis docet verbis, Christus solus est, cui hic convenit actus, & judicandi potestas à Deo tradita est, dicens: *Hic est* (id est; Christus, de quo loquitur) *qui constitutus est à Deo iudex vivorum, & mortuorum.* Scio bene judiciariam potestatem, atque authoritatem, vt Theologi docent, totius Trinitatis esse actum: nam licet tres personæ sint, vnus tamen Deus est, cui soli vt Domino supremo nos servos suos judicare convenit; nihilominus per certam aliquam appropriationem judicandi actus filio attribuitur; sicut Deo patri potentia, & Spiritui

Act. c. 10.

ritui Sancto bonitas: insuper filios vt homo hanc sibi meruit dignitatem, quam sui sanguinis pretio quodammodo emit, & hanc veritatem Ioannes capite quinto clarissimis docet verbis: *Pater omne iudicium dedit Filio, quia Filius hominis est.* Quia Deus ab æterno homo fieri voluit in tempore hanc à Deo potestatem super homines accipit; ita vt qui nunc proximum judicat, temerarius fur, & latro efficiatur, quia iudiciariam potestatem Christo debitam furatur: & vt alter Lucifer non supra stellas solium suum, sed super Dei tribunal exaltare nititur. Sic Sanctus Hieronymus in Psalmum septuagesimum quartum; & Sanctus Bernardus sermone vigesimo septimo in Cantica docent. Et ideò monet nos S. Ioannes Chrysostomus, ne quis temerariè judicando, iudiciariam dignitatem Christo rapiat, dicens: *Ne rapias dignitatem unigeniti, illi iudicij sedes servata est.* Cavete vobis viri aliorum censurare facta, cavete vobis feminæ aliorum judicare actus, quia dum hoc agitis, efficimini latrones, & fures; nam Dei filio eius rapitis dignitatem.

Inde ad nostrum hoc propositum legitur in vitis Patrum, monachum quendam ex aliquibus signis visis, & verbis auditis, malam formasse consequentiam, & intra seipsum de fratre suo temerarium formasse iudicium; dum ergo cogitationibus his oneratus sederet, & factum aliter quàm in se erat judicaret, de cœlo vocem dimissam audivit: *Iam homines rebellârunt, & in aliorum iurisdictionem se ingesserunt.* Certè actus hic summæ audaciæ, ac petulantiæ est, & vitium quod Deus supra modum odit, aliorum facta secreta investigare, & ipsasmet cordis cogitationes examinare, ac discurere velle, & supra eas ferre sententiam.

Ad tertiam rationem Apostoli transeamus, qui dicit hominem tam perspicacem non habere visum, nec lyncis oculos, vt etiam cordis cogitationes velut Deus penetrare valeat. *Qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* (1. Corinth. cap. 4.) Et hanc ob rationem bonus, perfectus, ac justus judex fratris sui homo minimè esse potest. Sæpiùs in hoc mundo vitium virtutis, & virtus vitij alicujus pallio cooperitur ac induitur, & nos qui non nisi externam videmus apparentiam, & occulta penetrare non possumus, quomodo recti, & justi iudices esse possumus? Decipitur quisquis sit, Auditores, qui tale quid sibi imaginatur, ac præsumere audet.

Vlteriùs transeo, & dico omnes illos, qui temerario modo proximum in facto aliquo judicant, directè contra Deum, & qui iudiciariam ejus vsurpant potestatem, peccare, & gravissimè divinam offendere Majestatem; nam soli sibi cordium intentiones penetrandi potestatem reservavit, & nulli vnquam dare voluit. Quod Lucæ capite decimo octavo narrat benedictus Christus de Pharisæo & Publicano: qui ambo ascenderant orationis gratiâ ad templum; Pharisæus altari approximans magnâ sterit arrogantiâ, & cùm se vt peccator humiliare, & Domino suo crimina fateri debuisset, in tantam elevatur superbiam, vt longâ virtutum suarum factâ narratione super omnes alios se efferret, sequentia dicens verba: *Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.* (Luc. c. 18.) Id est, Domine summas, & immensas tibi gratias ago, quod alijs hominibus similis non sim, nec vt ipsi vivunt, ego vivam. Non furor, non adulteror; non occido, nec vlli injustitiam aliquam facio, & vt paucis dicam, non infamem vitam duco, vt hic Publicanus, qui præ confusione, & verecundia ob tot commissa scelera oculos suos cœlum versus elevare non audet.

S. Doroth. serm. 6.

Sanctus Dorotheus hîc subintrat, & considerans arrogantiam hujus Pharisæi, dicit verum esse, Deum multâ patientiâ, & longanimitate arrogantiæ, & laudis verba Pharisæi attendisse, & impertinentem ejus fastum tolerasse; nihilominus cùm ad illa verba venisset, quibus se super Publicanum efferebat, dicendo, *Velut etiam hic Publicanus* (sit mihi licitum vt sic loquar) tunc omnis defecit in Deo patientia, & diutius ejus arrogantiæ verba tolerare non potuit. Verba Sancti sermone sexto hæc sunt: *Neque ex hoc ille damnatus eò quòd dixit: Non sum vt cæteri hominum, sed quia conversus ad Publicanum dixit: neque vt hic Publicanus. Tunc enim peccatum eius gravatum est, & ipse indicatus, quia iudicavit personam illius, & eius animi affectum, ac totam denique vitam.* Vult dicere: Causa, ob quam Deus arrogantem hunc reiecit ac condemnavit, fuit vsurpatio divinæ jurisdictionis, & quod interna Publicani judicare præsumpserit. *Quia iudicavit personam illius, & eius animi affectum, ac totam denique vitam*, vt hujus Pharisæi condemnatione cautiores facti, intelligeremus, temerarium judicium, quo proximi nostri facta censurantur, gravissimum esse scelus, & alia peccata in malitia longè excedere. *Quid enim gravius? quid hoc vitio molestius, atque infamius? Quid magis aversatur, & abominatur Deus, quàm crimen hoc?* Et tandem doctrinam hanc suam concludit: *Vsque adeo grave est proximum iudicare, vt verè omne peccatum excedat.*

In hujus veritatis confirmationem audite quid Lucas capite septimo refert. Invitatur Christus à quodam Pharisæo ad prandium; paret Christus & Pharisæi accedit domum. Quod cùm Maria Magdalena, quæ tunc in civitate vt publica habebatur peccatrix, intellexisset, celeri passu domum Pharisæi accedit, intrat, & non petitâ veniâ Christum accedit, & ad pedes ejus se proijciens, vehementissimè plorare cœpit, ita vt lachrymis de oculis fluentibus Christi lavaret pedes, & aureis suis capillis illos abstergeret. *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat.* Dum Magdalena pietatis huic incumberet officio, convertitur Christus ad Pharisæum, & discursum formans sic incepit: *Simon habeo tibi aliquid dicere.* *S. Chrysost. Serm. 44.* Sanctus Petrus Chrysologus sermone nonagesimo quarto de Magdalena considerat hoc factum Christi, & totus admirabundus dicit: Quis vnquam vidit medicum dum aliquem curat actu, mentem, oculos, vultum, ac cogitationes aliò vertere, & non totâ mente infirmi curæ, qui ipsum accedit, attendere? Ecce Magdalena est infirma, tota ægra, & plena plagis, & vlceribus, & cœlestis Medici pietatem invocat, & pro sanitate supplicat, & Christus illam curare vult. Quomodo ergo Christus aversus ab ipsa, ad Pharisæum convertitur? Respondet Sanctus, Christum ideò ad Phariseum conversum fuisse, & Magdalenam reliquisse, quia Pharisæi infirmitas gravior, & multò periculosior erat Magdalenę gravissimis afflicta erat vlceribus anima Magdalenæ, sed gravioribus Pharisæi: periculosa, & mortalis erat Magdalenæ infirmitas; sed periculosissima & mortis certissima erat Pharisæi, nam hic judex factus fuerat temerarius, & periculosissimo hoc laborabat morbo: cùm enim ad Christi pedes Magdalenam prostratam cerneret, & Christum tactum ejus, quæ publica habebatur peccatrix, admittere deprehendisset, intra semetipsum tale formabat judicium: Quomodo hic Dei filius esse potest? Nam si talis esse, sciret vtique hanc fœminâ publicam meretricem, & tam immundam, vt ejus contactum non admitteret. Verba textus hæc sunt: *Videns autem Phari-*

sæus qui vocauerat eū, ait intra se, dicēs: Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix est. Deprehendens ergo Christus tam gravi, ac periculoso labore morbo Pharisæum, & inter duos infirmos consistentem se cernens, vt inter Magdalenam, quæ lasciviæ laborabat febribus, & Pharisæum, qui temerarij judicij laborabat lethargo, lasciuam Magdalenam relinquit, & ad temerarium judicem se convertit, & prius infirmitatem ejus vt magis periculosam, & perniciosam, quam alterius sanare voluit. Verba Sancti hæc sunt: *Mulier habebat vulnus; sciebat illud; & ideò totaliter tanti vulneris medicum perquirebat: Pharisæus perfidiæ morbo saucius, per phrenesin se nesciebat insanum. Hinc est, quod Christus illuc primùm curam vertit, vbi ignota sæviebat infirmitas.*

S. Chrysost. serm. 44.

S. Augustinus psalmi centesimi octavi versiculum considerans, vbi Regius Propheta in Christi loquitur persona: *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi,* observat non dixisse: *Pro eo vt me diligerent, occiderunt me.* Id est, non dixit, Cùm me ob tot, tantaque beneficia accepta diligere, & amare debebant, odio habuerunt, & occiderunt, sed dixit, mala de me opinati, & locuti sunt, murmuraverunt, & detraxerunt mihi, me & mea acta & facta sinistrè interpretati sunt, & temerariè iudicarunt, vt intelligeremus non minus Hebræos commisisse peccata, cùm temerario modo facta ejus judicarunt, ac cùm ipsum occiderunt, & crucifixerunt. Verba Sancti hæc sunt: *Maius peccatum fecerunt, cùm temerariè iudicabant de verbis, & operibus Christi dicentes: Blasphemat, in principe dæmoniorum eijcit dæmonia, quàm cùm eum crucifixerunt.* Et rationem reddit dicens, his detractionibus populum fecisse alienum à Christo, & ipsorum conversionem impedivisse: nam cùm malè obloquerentur Christo, non credebant quæ Christus de salute prædicabat, & sic occidebant animas proximorum, quorum vitam ac salutem Christus procurabat, ac inquirebat. *Quia in his auertebant proximos ne crederent, & animas eorum interficiebant, quorum salutem Christus quærebat.*

S. August. in psal. 102.

Sed si, Auditores, novi quid vobis adferrem, & dicerem proximi acta & facta sic facilè, & temerariè judicare, vt his fit temporibus, euidentissima damnationis, & reprobationis signa esse, defficulter mihi crederetis: sed veniamus ad probationem. Luc. cap. 16. legitur, divitem Epulonem post mortem in inferno fuisse sepultum. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Et cùm in medijs tormentis consisteret, vidit mendicum illum Lazarum, quem dum viveret tantoperè despexerat; gloriosum Abrahæ sinum insidere, & beatam ducere vitam, qui subitò vt rabidus canis præ summa quâ torquebatur siti conversus ad Abraham, sic eum allocutus fuit: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremam digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quâ crucior.* Id est, humiliter supplico, vt Lazarum illum, quem ego in hac vita contempsi, mittere digneris, vt tantillum aquæ adferat, & linguam meam, quæ vehementissimo æstuat ardore, refrigeret. Nunc peto quis ille sit, à quo refrigerium, ac favorem hunc dives in inferno expectet, & habere desideret? Absque dubio Lazarus ille est. Si ergo à Lazaro refrigerium desiderat, cur ad Abraham, & non rectà ad Lazarum recurrit? Doctissimus Theophylactus in hunc locum admirabilem hujus reddit rationē dicendo; judicium temerarium esse actum damnati, ideò divitem Epulonem non recurrisse ad Lazarum: nam vt damnatus malè judicabat de Lazaro, dicendo apud semetipsū? Hic est ille mendicus, quem in mundo despexi, & malè tractavi toties à mea

Luc. 16.

 reijciendo

reijciendo domo dum panem peteret: ſi nunc hunc pro refrigerio interpellare voluero, abſque dubio ſe vindicabit, & vt ego ipſi negavi panem, ipſe guttam aquæ negabit; ideò non ad Lazarum recto tramite, ſed ad Abraham ibo, & ſupplicabo, vt pro me intercedat, & Lazarum mittat. Audite S. *At cur non vertit ſermonem ad Lazarum, ſed ad Abraham?* (Theoph. hic.) *Confundebatur fortaßis, exiſtimans fortaſſe Lazarum vindictæ avidum: & ex ſuis cauſis vindicabat illum. Si enim ego tanta felicitate fruens, contempſi illum tantis malis coanguſtatum, & neque micas ei communicavi, multò magis ipſe contemptus vindicabit in me & annuet vt mihi beneficium concedatur, propterea ad Abraham facit ſermonem.* Ex hoc facto ergo manifeſtè latet, temerarium judicium proprium damnatum eſſe actum, ità vt damnatorum malum fugiendum Chriſtus noſter in hodierno Evangelio nos admonet. *Nolite iudicare ſecundùm faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate.*

Sed rogo aliam conſiderationem huic noſtro propoſito accommodatam quæ S. Auguſtini eſt, percipiatis. Suſpenditur Salvator mundi in crucis patibulo, & in monte Calvariæ inter duos latrones tum cruce erigitur, & dum in his aſperrimis verſaretur tormentis, vni latronum qui bonus dicitur; quia converſus fuit, promittit cœleſtem gloriam & (Luc. c. 23.) paradiſi gaudia, dicens: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Alter verò vt damnetur juſtiſſimo ſuo judicio permittit. De hoc facto, & diverſo horum fine & exitu S. Auguſtinus ſic argumentatur: Ambo erant latrones, & ad idem condemnati ſupplicium, & in omnibus erant æquales; nam & hic pro malefactis mortis ſuſtinet pœnas, ſic alter quoque, cur ergo vnus ſalvatur, & alter damnatur? Reſpondet nequam illum latronem condemnatum falſo, & temerario modo Chriſti Salvatoris judicaſſe facta, & non Dei filium, ſed malefactorem ſimilem ſibi judicaſſe; ideò ipſi dicebat: *Si tu es Chriſtus ſalvum fac temetipſum, & nos.* Ex altera parte bonus latro cùm hoc perverſum & temerarium iudicium de Chriſto, quem ipſe verum filium credebat, percepiſſet, ſocium increpat, & correctionis alloquitur verbis: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Et publicè Chriſtum Dei filium confitendo, vt cùm in ſuum pervenerit regnum, ejus recordati velit, humiliter ſupplicat: *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum.* Legite S. Auguſtin. ſerm 127 (S. Aug. ſer. 127.) & totum hunc, quem audiſtis reperietis diſcurſum & doctrinam.

Cùm ergo proximum temerè judicare tam enorme ſit ſcelus, & adeò odibile Deo, meritò nobis fugiendum eſt, & tantò magis; quia qui proximi ſui nititur judicare facta, ordinariè in judicio fallitur, ac decipitur; nam impoſſibile eſt, hominem cordis poſſe eſſe judicem, & ejus penetrare intentiones. *Mendaces filij hominum in ſtateris.* Dicit Rex David Pſalm. 61. (Pſal. 61. Euthym. hic.) Euthymius hunc pſalmum explicando, expreſſis docet verbis decipi omnes, qui proximi ſui intendunt judicare facta, & de factis ejus ferre judicium volunt, & ſemper mendaces deprehendi. *Mendaces ſunt in eorum iudicijs; per ſtateras enim ipſorum iudicia intelligit,* Et veriſſimæ hujus doctrinæ mille in ſcriptura habemus exempla: Vagas Holofernis cubicularius, qui Iudith ſanctam, & honeſtam fœminam cum ſuo Domino incluſerat, credebat illam Holoferni condormire, & omnino ſic judicabat, ſed illa abſciſſo capite ejus jam diſceſſerat, atque ad ſuam redierat civitatem; pura, & munda acceſſerat Holofernem vt ſacræ teſtantur litteræ. *Ideo mendaces filij hominum in ſtateris.* (Iud. c. 14.) Heli ſacerdos cùm Annam Prophetæ Samuelis matrem plenam amaritudine flentem & orantem ante Dei conſpexiſſet tabernaculum, temulentam, & ebriam judicabat. *Exiſtimavit eam temulentam.* Ipſa autem erat

erat afflicta, & gestus illi, quos faciebat, non ex vini surgebant abundantia; nam quia sterilis erat, ab alis iniurias recipiebat, & affligebatur. *Ideò mendaces filij hominum in stateris.* Iudæi in sacratissimo festo Spiritus Sanct. Apostolos ebrios, & temulentos judicabant, & illa quæ faciebant, ex nimia abundantia vini processisse; ipsi autem adhuc ieiuni, sed bene Spiritu sancto pleni erant, & illa quæ agebant, ex abundantia Dei procedebant Spiritus. *Musto madere deputant, quos Spiritus repleverat.* Cantat sancta Ecclesia in suo hymno. *Ideò mendaces filij hominum in stateris.* Capite vigesimo octavo Act. Apostolor. legimus Sanct. Paulum Apostolum in insula Melita à vipera læsum fuisse, quod cùm incolæ vidissent, intra semetipsos temerarium de Paulo formabant judicium, & qui Deo erat vas electionis, latronem, & homicidam opinabantur. Discurrite per sacras litteras, & plurima alia similia reperietis exempla atque facta. Nam Deus vult nos cognoscere mendaces homines esse in suis judicijs, & falli, ac decipi; ipsum verò solum, & rectum esse judicem, qui abscondita cordis penetrat, & rectè, ac justè judicat: vt de semetipso Ierem. cap. 17. *Ego Dominus scrutans corda.*

Actor. c. 2.
Ecclesia in hymn. Pent.
Actor. c. 25.
Ierem c. 17.

Cùm ergo hoc solius Dei officium, atque potestas sit, tu cùm proximum tuum temerè judicas, & per actus externos, internas ejus vis penetrare, & censurare intentiones, Dei vsurpas potestatem atque jurisdictionem. Id tibi S. Paulus exprobrat. *Tu quis es, qui iudicas alienum servum?* qualis conditionis tu es, qui fratrem, atque proximum tuum temerè judicare, & acta ejus sinistrè censurare prætendis? Sanct. Bonavent. de profectu Religiosorum lib. 1. c. 1. ex his S. Pauli verbis pulcherrimam elicit conclusionem. Verba ejus omnium Christianorum cordibus insculpta optarem. Dicit hic Sanctus justo Dei judicio permitti illos, qui alios temerè judicant, & mala suspicantur, non tantùm in similia, verùm etiam multò peiora cadere. Verba ejus hæc sunt: *Sæpè enim merentur temerarij iudices aliorum, vt aut in similibus, aut in gravioribus excessibus cadere permittantur, vt discant ex sua infirmitate compati alienæ.* Ideò quisquis sit, dicit sanctus, angue peius temerarium fugere debet judicium, & præ omnibus cavere proximi judicare facta, singulariter cùm nescitur, quâ intentione, & qua de causa, & ratione agantur & fiant. Verba sancti hæc sunt: *Cavere debet ne iudicet facta aliorum, maximè vbi nescit, qua de causa vel intentione fiant.* Et doctissimus ac prudentiss. Seneca Ethnicus licet fuerit, pulcherrimam, & æternâ dignam memoriâ in hac materia nobis reliquit doctrinam, quam lib. 2. de ira cap. 24. scribens, hunc securè agere qui nil credit, nec judicat, nisi quod oculis manifestũ sit & proprijs tangit manibus. Verba ejus sic sonant: *Nihil nisi quod in oculos incurret, manifestumq; erit, credamus.* Et tantò magis temeraria judicia nobis cavenda sunt, cùm hic actus proprius sceleratorum, ac pessimorum sit hominum, & qui alium temerè judicat, hoc ipso inhonestum, ac infamem se esse attestetur: nam Dei servi, & homines boni ac honesti nullum judicant, nulla proximi verba sinistrè interpretantur, & de nullo malè quid ominantur aut suspicantur. Ideò Isaias c. 33. inter alios actus, qui justum gloriosum reddunt, hunc ex principalibus enarrat, *Qui claudit oculos suos ne videant malum.* Quem locum explicando S. Hieron. sic ratiocinatur: *Felix iusti conscientia, quæ mentis oculos claudit, ne aliquid videat, quod sinistrè iudicet de proximo suo.*

Rom. c. 14.
Damnati & perversi homines temerariè judicant, non justè.
S. Bonavent. de prof. Rel. l. 1. cap. 1.
Senec. lib. 2. de ira c. 24.
Isa. cap. 33.
S. Hieron. hic.

Legite S. Ioannis caput quartum, & reperietis Apostolos de civitate Samaria cum cibarijs redeuntes, & quia Christum ad fontem Iacob cum sola discurrentem deprehenderant, totos admi-

admirabundos, & suspensos fuisse. *Et continuò venerunt discipuli eius, & mirabantur quia cum muliere loquebatur*, Attamen judicium suum suspendebant, & mali nihil de Domino suspicabantur. Quod S. Augustinus in hunc locum notavit: *Tamen malum non sunt suspicati.* Rarum quid certè, mirantur attoniti, stupent, & non suspicantur, non judicant, non censurant hunc Christi actum, nec in malam interpretantur partem. Vnde hoc? Apostoli erant justi & sancti: ergo vt talibus aliena erat omnis mala opinio, & factorum sinistra interpretatio.

Anast. Syna. Et vt manifestius & clarius malum hujus vitij vobis exhibeatur, quanti momenti sit, illo liberum esse, sciatis, brevibus verbis illa recitabo, quæ Sanct. Anastasius Synaita in oratione de sacra Synaxi apud Baronium tomo octavo, anno quingentesimo nonagesimo nono enarrat. Sub sancti Patris hujus disciplina vixit quidam monachus habitum quidem Ordinis portans, sed moribus religiosis minimè correspondebat; dissolutæ enim erat vitæ. Cùm morti vicinus esset, & nec alicujus horroris, aut timoris minimum daret signum; astantes, quibus ejus vita nota erat, pleni erant mœstitiâ ac dolore, timentes, & auspicantes malum finem, & sic cogitabundi & anxij. Tandem vnus, qui alijs prudentior erat, propiùs accedens his ipsum allocutus est verbis: Charissime frater, non mireris, nos tam anxios, & dubios tibi assistere; nam mores, & vita tua nobis nota est, & constat omnibus tua negligentia in monasticæ disciplinæ observantia, & nunc videntes tuam securitatem, & quod nullius timoris ob mortem tibi iam præsentem signa des, de tua timemus & anxij sumus salute; nam tempus, & hæc hora, lachrymas, dolores, gemitus, & suspiria exigit, & non tam fatuam securitatem, & lætitiam, vt apud te deprehendimus, admittit. Quæ cùm moribundus, & iam iam exhalans animam percepisset, subridens, & hilari respondet vultu: Sic res se habet vt dicis charissime, & venerande Pater, nec nego illa quæ dicis: vixi hucusque non vt debui, & negligenter consumpsi tempus; sed scire debetis hæc eâdem horâ, qua me sic lætum deprehendistis, Dei Angelum mihi astitisse & chartam, in qua omnia mea peccata scripta, ac notata erant, exhibuisse, & interrogasse num hæc mea, & à me patrata cognoscerem: quæ cùm negare non possem, respondi omnia mea esse, & me summopere dolere sic vixisse. Sed audite Angeli, habeo quid residuum à Deo mihi promissum. A prima illa die, quâ monachus factus sum, si non fallor, non possum recordari aliquem temerè me judicasse, aut injuriam aliquam acceptam memoriâ meâ retinuisse, ideò supplico vobis vt verba illa Salvatoris Luc. c. 6. pro mea parte, & salvatione mihi adducere liceat: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: dimittite, & dimittetur vobis.* *Luc. cap. 6.* Quæ cùm Angeli percepissent, chartam illam in minimas lacerarunt partes: ideò nunc spe plenus æternæ vitæ, totus lætus finem hujus vitæ, & alterius principium expecto. Quæ cùm moribundus dixisset, summâ pace, & serenissimo vultu Deo reddidit spiritum. Videtis auditores quanti momenti sit, aliorum non judicare acta, & quantum intersit de proximis nostris numquam mala, sed semper bona opinari. Ergo *nolite iudicare, & non iudicabimini*: & qui errare, & decipi non vult, à temerario abstineat judicio, & aliorũ facta sinistrè no interpretetur.

Qui non judicat feliciter sortitur vitæ finem.

PVNCTVM SECVNDVM.

AVdistis quale vitiũ sit, temerè proximum judicare, sed hoc summopere dolendum, ac deplorandum est, tam vniversale hoc esse scelus, & vix tempo-

tẽporibus his aliquem reperiri, qui illo non laboret. Et hæc non mea sententia est, auditores, sed S. Ioannis Chrysost, qui Hom. 5. in caput 2. ad Rom. sequentia habet verba: *Non facilè reperies quemquam expertem huius erroris.* Et S. Augustinus serm. 102. de tempore: *Maxima pars generis humani indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta, & parata probatur; cùm tamen non ita velit ab alijs iudicari, quomodo vult alios iudicare.* Id est, faciles sumus in notando aliorum defectus, faciliores in reprehendendo; in judicando autem facillimi: cùm verò id nobis ab alijs contingit, malè habemus, & idem quod alijs facimus, nobis fieri non patimur. Tandem S. Ioan. Chrysost. ho. 2. de compunctione cordis tam gravia habet verba vt stulto, & fatuo ad dissuadẽdum hoc scelus sufficientissima sint. *Si nullum peccatum à nobis aliud admissum fuisset, pro hoc solo gehennæ nos tradi, satis abundeq; sufficeret: quippe qui in aliorum delictis seueri iudices residemus, nostras autem trabes oculis infixas proprijs non videmus.* Volebat dicere Sanctus, si Christianus aliud quàm hoc peccatum non committeret, hoc vnicum ad æternam ejus perditionem sufficientissimum esse; nam in aliorum erroribus notandis accuratissimi, & in reprehendendis severissimi sumus: crimina verò ac scelera maxima propria non curamus, & si ab alijs nobis demonstrantur, corrigantur, malè accipimus, & trabes ex oculis nostris extrahi, vt Christus dicit, nolumus. Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?

S. Chrysost. Hom 5. in c. 2. ad Rõ.
S. Aug. ser. 102. de tẽp.
S. Chrys. lib. de cõpunct. cord.
Quam commune sit hoc vitium.
Luc. cap. 6.
Matth. c. 7.

Si ergo auditores, qui nostrûm salutis attingere desiderat terminos, hoc judicandi officium Domino committat, & suis invigilet actibus, & factis vt secundùm Dei voluntatem ac præcepta dirigantur. O æterne Deus, cur tam prompti sumus ad judicandum proximum nostrum, & tam faciles ad condemnandos fratres nostros; in judicandis verò nostris criminibus ac sceleribus, & in nostris notandis erroribus tantâ laboramus negligentiâ? In hanc formam Sanct. Augustin. libr. 10. confess. c. 2. conqueritur: *Curiosum genus humanum ad cognoscendum vitam alienam, desidiosum ad cognoscendum suam.* Vult dicere: Magno pudore ac confusione teneor, considerando quousque humanam fragilitatem curiositas perduxerit; certus enim sum si divina justitia per præceptum, aliorum investigare facta nobis ordinasset, vt duro, & intolerabili tergiversaremur: nunc verò cùm Deus id prohibuerit idque sub æternæ damnationis pœna tantâ facilitate fieri, & tantâ promptitudine in hac materia dæmoni obedientiam præstari, non parva hominis est confusio; imò summo gusto, summâ facilitate, & delectatione talia judicia peragimus; & non est qui summum suum damnum & ad æternæ damnationis barathrum rectissimam hanc esse viam consideret; multò minus quod hoc assimilemur ipsis diabolis. Nam proximi investigare facta, proximi notare errores, fratris judicare opera, non hominis, sed dæmonis officium, ac naturalis inclinatio est. Sic ipsemet apud Iob cap. primo de se fatetur: *Circuiui terram & perambulavi eam.* Nam ille est, qui omnium investigat opera: ipse est ille spiritus nequam, qui etiam Sanctorum facta in malam interpretatur partem, & de justis mala suspicatur; ipse est qui sanctorum, ac justorum virtuosos actus, peccaminosos judicat: & cùm hoc vitium proprium dæmonibus sit, inde natum est, vt sanctus Augustinus in psalmum centesimum decimum octavum dicit, quod David illud opprobriosum nuncupet scelus. *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum.* Ac si diceret: Ah Domine libera me de hoc opprobrioso vitio, quod me similem dæmoni efficit,

S. Aug. l. 10 Conf. cap. 2.
Iob, cap. 1.
Aug. in Ps. 118.

liberum me fac de hac inclinatione malum de proximo suspicandi. Verba Sancti hæc sunt: *Hoc itaque opprobriũ petebat auferri quod in se senserat, & in alijs fuerat suspicatus: ut non esset diabolo similis, qui de occultis sancti Iob suspicatus est, quòd non gratis Deum coleret, quem poposcit tentandũ, vt crimen quod obijceret inveniret.*

Est propriũ diaboli.

Similis ergo dæmoni efficitur, quisquis aliorum investigat facta, & in sinistram partem illa interpretatur, ac temerè judicat; è contrario, Deo similis statuitur, qui omne id, quod proximus agit, in bonam partem vertere studet, & semper bonum de fratre suo judicat. Ergo Christiane bonum de proximo tuo semper cogitare tibi cordi sit, hîc labora, & suda, & sensibus fidem ne tribuas, qui semper veritatis inimici, & falsitatis amici fuêre. Sit, vt tu dicis ac vis, proximus tuus malus: sint actiones ipsius pessimæ ac infames, sit fraudulentus; forsan cum tempore melior te erit, forsitan hos suos errores emendabit, & planget, ac dolebit de mala transacta vita, & erit sanctus. Sanctus Paulus Apostolus fuerat persecutor Dei ac ejus fidelium; tandem Deo vas electionis, Apostolus gentium, & fortissimus Dei Ecclesiæ propugnator factus est. Erat Magdalena norma impudicitiæ, & publica meretrix; conversa fuit, & facta est tam magna sancta, & pœnitentiæ speculum. S. Cyprianus fuit pessimus magus, dæmonum cultor ferventissimus; conversus est ad fidem, & factus est Martyr. Ideò nolite secundùm faciem judicare. Excusate fratres quidquid in proximo non rectum deprehendetis; nam illi, qui hodie inferno digni sunt, possunt cras facere actum Paradiso dignum. Ah! N. N. Dei judicia profundissima, & secreta ejus occultissima sunt, ideò ipsi soli hæc cura relinquenda est, & nobis ad nostra negotia, actus, & opera attendendum, ac verba illa, quæ Christus in hodierno Evangelio dixit, observanda sunt: *Nolite secundùm faciem judicare, sed iustum iudiciũ iudicate.* Nam qui aliorum præsumit judicare facta, maxima sibi congregat supplicia: ergo hæc mentibus vestris ruminate. Interim quiesco:

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

Vidimus parte 1. N. N. quòd falsa non sint ferenda judicia de fratrum nostrorum operibus, cùm Deus sibi soli hanc reservaverit potestatem, atque auctoritatem. 2. Examinavimus supplicia, quæ tales temerarij judices, dum temerè proximi judicant actus, sibi procurant. Nunc hac 2. parte puncto 3. remedia ne proximum tam facilè judicemus, vobis exhibebo. Primum ergo sit, vt quisquis tentatur proximi judicare facta, suos proprios errores atque defectus intueatur, atque bene inspiciat. S. Basilius in catena S. Thomæ in caput 7. Ioannis docet nostrum intellectum oculis similem esse, & ipsi in judicando contingere, quæ oculis in aspiciendo. Oculus alia videt ac intuetur, seipsum verò minimè videre, ac inspicere potest: sic intellectus noster dum illa, quæ extra ipsum sunt, examinat, scrutatur, ac judicat; illa quæ intra ipsum sunt, & sibi propria, nec inspicere, nec judicare potest. Verba Sancti hæc sunt: *Neque enim solus exterior videns super se visu non vtitur, sed & ipse noster intellectus cùm alienum coniectat peccatum, lentus est erga propriorum perceptionem defectuum.* Ergo non proximi, sed suos quisque examinare debet errores: nam nimis verum est, hominem aliorum factorum examinatione occupatum, suorum inspectionem minimè habere posse; & qui diligens est in notando, quæ proximus committit, in examinãdo quæ ipse facit, negligentem ac inconsideratũ esse.

Media contra temerarium judicium.

Ioannis cap. 8. deprehendetis quosdam homines Christum accedentes & in gra-

in grauiſſimo ac maximi momenti negotio ejus petentes auxilium qui ſecundùm exteriorem faciem ſancti ac zelo pleni videbantur; intus autem, & in cordibus erant maligni ac nequiſſimi-Hi ſic alloquuntur Chriſtum: *Magiſter, hæc mulier modò deprehẽſa eſt in adulterio: in lege autem Moyſes mandavit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* ac ſi dicerent: Mulier hæc marito ſuo infidelis fuit, quod in matrimonij contractu promiſit, minimè ſervavit; fidelitatis vincula rupit, & corporis ſui poteſtatem, quæ mariti erat, alteri tradidit; & vt eo certior ſis, hujus defectus ecce nos teſtes ſumus, qui in adulterio ipſam deprehendimus. Lex noſtra, vt noſti, morti ipſam adjudicat, & ab vniverſo populo, vt publicum ſcandalum lapidibus obrui debet. Nunc vellemus tuum in hoc caſu judicium percipere, an hæc femina mori debeat, vel à morte liberari poſſit: *Tu ergo quid dicis?* Cùm benedictus Chriſtus accuſationem intellexiſſet, & zelum ſecundum externam apparentiam deprehendiſſet, & internam illorum falſam malitioſam intentionem penetraſſet, dicit Scriptura S. ſe terram verſus inclinavit, & quia ad manum lignum, aliud non habebat, proprio digito in pulveribus terræ aliqua ſcripſit verba: *Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.* Inſtant maligni accuſatores, vrgent de novo Chriſti ſententiam, & varij intentionibus ejus extorquere conantur judicium. Quod eum Chriſtus animadverteret, vt Scriptura dicit, ſequentibus verbis ſuum tulit judicium, & ſententiam pronuntiavit; *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, priùs in illam lapidem mittat.* Et quis veſtrûm qui ſine crimine eſt, & peccatum non fecit, & divinam non offendit Maieſtatem, aut contra legem in aliquo non fecit vt hæc mulier? hic ſit primus in legis executione & lapide arrepto feminam hanc petat. Et hoc dicto iterum ſe inclinavit in terram de novo alios formans characteres. *Et iterum ſe inclinans ſcribebat in terra.* Sed quid N. N. benedictus Chriſtus noſter in terram ſcribebat? quos myſterioſos formabat characteres? Sanctus Gregorius Papa libro decimo quarto moralium, dicit Chriſtum etiam occultiſſima peccata horum malignorum calumniatorum, & accuſatorum, quæ forſan quoque adulteria erant, ſcripſiſſe, & hæc oculis ipſorum oppoſuiſſe: ita vt quilibet in illis characteribus ſua ſcelera, quæ ipſe commiſerat, & tot graviſſimas legis tranſgreſſiones inſpicere valeret. Quæ cùm maligni illi æmulatores legis inſpexiſſent, & ſimiles, vel maiores ſe eſſe tranſgreſſores deprehendiſſent, nullus de mulieris amplius ſollicitus fuit caſtigatione, ſed proprio intuentes defectus pleni confuſione, & pudore diſceſſerunt, & mulierem dereliquerunt. Audiamus Sancti verba: *Inſidiantibus quibuſdam, & punendam adulteram deducentibus dicitur: Qui ſine peccato eſt veſtrûm, priùs in illã lapidem mittat. Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & ſua relinquebant.* Parcite N. N. cum S. Ioanne Chryſoſtomo vos alloqui cogor, *Vitam tuã ô homo animadverte, in tuam ipſius conſcientiam deſcende.* Tuos actus, tua facta, ac opera, ô homo diligenter conſidera, examina, & manum tuam proprio immitte ſinui, & multo plura ac forſan maiora, ac graviora, quàm apud proximum tuum deprehendes; quod cùm feceris abſque dubio in aliorum judicandis factis, & operibus non tam facilis, ac temerarius eris.

Si ergo Chriſtiane tantâ vehementiâ ad judicandum à dæmone impelleris, vt tibi id non facere impoſſibile videatur, judica in nomine Domini obſerva, nota, examina, cenſura facta, & opera; ſed tua, & non aliena. Hoc Sancti Ioannis Chryſoſtomi con-

Ioan. cap. 8.

Levit. c. 20.

Gregor. lib. 14. Moral. c. 13.

S. Chryſoſt in c. 7. Mat.

filium est: *Vis iudicare tua iudicia? Nemo accusat, si teipsum condemnes; accusat, si teipsum non arguas.* Vis, ô Christiane, vt in die iudicij non accuseris, non iudiceris, teipsum accusa & iudica: si autem aliena accusaueris, & iudicaueris facta, & tua accusabuntur, & iudicabuntur.

Idem hom. 21. in epist. ad Heb.

Et Sanctus Bernardus sermone 40. in Cantica ad suos dicit: Illa quæ videtis, & auditis, non iudicate, sed excusate, quantum possibile est; & si facta tam clarè mala sint, vt excusari nequeant, intentionem excusate, & cogitate, ex ignorantia, aut inaduertentia, aut casu contigisse, aut factum fuisse; cogitate tentationem nimis vehementem, ac magnam fuisse, & si quis vestrûm sic tentatus fuisset, multò peius egisset. Verba eius hæc sunt: *Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio: quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?*

Et S. Bern. serm. 40. in Cantica.

Finio N. N. Sancti Ambrosij doctrinâ, quam nobis sermone 20. in Psal. 118. dedit: *Iudicet de alterius errore, qui non habet quod in se condemnet: iudicet ille, qui non habet eadem, quæ in alio putaverit punienda, ne cùm de alto iudicat, in se sententiam ferat.* Qui aliena vult judicare, facta, & actus censurare, non homo sed angelus esse debet; nam nil in ipso reperiri debet, quod censurari, aut judicari possit. Nam si quis proximum judicat & acta ejus censurat, cùm homo sit, & sine errore aliquo vivere non possit, seipsum judicat, & contra se sententiam fert; nam illa quæ in alio punienda, & mala æstimas, eodem modo tibi fieri à Deo expostulas. Cùm ergo tam sanctus non sis, & ab omni malo innocens, si temetipsum bene consideraveris, plura mala, quàm in proximo reperies, & illa quæ bona, ac sancta tibi videntur, plena defectibus, ac erroribus deprehendes. Vestra ergo judicate facta, hæc ruminate, & iudicate, & aliorum excusate. Ite in pace, & Deus vos benedicat. Amen.

S. Ambros.



DISCVR-

DISCVRSVS VIGESIMVS QVINTVS,

PRO DIE MERCVRII POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Prima parte puncto primo exhibetur malitia peccati, & quomodo cæcitate percutiat peccatorem, demonstratur. Secundo puncto porrigitur remedium curativum, quod divinus intuitus est. Parte secunda puncto tertio remedium præservativum datur, quæ Dei continua præsentia est, nos ab omni cæcitate à peccato induci solitâ præservans.

Thema.

Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à nativitate. Ioan. cap. 7.

Cæcitas summa miseria.



Miserabilius ac compassione dignius obiectum homine cœco, sub sole reperiri posse non existimo; & tale hodiernum nobis exhibet Evangelium: *Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à nativitate.* Postquam Deus summus Monarcha vniversi mundi machinam de nihilo produxisset, non erat lux, sed quidquid erat, tenebris coopertum, & cuncta in confusione erant; vt habetur Genes. cap. 1. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Et ecce iubet vt in medio harum tenebrarum ad totam illam confusionem dispergendam, & divinum illum ac admirabilem exhibendum, atque demonstrandum ordinem, lux oriatur, dicens: *Fiat lux.* Et protinus *facta est lux.* sic confusionis loco divinus & admirabilis in omnibus apparuit ordo, atque eximia pulchritudo creaturarum. Formatâ atque creatâ machinâ hâc maximâ mundi, creat ac format Deus hominem, vel ut cum Sancto Gregorio Nazianzeno oratione decimâ octavâ in Christi Nativitate loquar, alterum mundum, & quasi epilogum omnium suorum mirabilium, in parvo magnum in terra constituit; sed absque luce: & hic homo erat, & Dei mirabilia videre non poterat; hinc omnia ipsi inutilia fuerant; nam, vt Sanctus habet Chrysostomus Homiliâ quinquagesimâ quintâ in Ioannem, *quod sol mundo, hoc est oculus corpori; amisso sole omnia perduntur, amissis oculis omnia inutilia.* Vnde non immeritò tantas doloris ducebat lamentationes, & querelas senex Tobias capite quinto, qui-

Gen. c. 1.

S. Gregor. Naz. Orat. 18. in Christ. Nativit.

quibus perditionem visûs deplorabat: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo & lumen cœli non video?* Talis est Evangelicus noster cæcus, qui, vt Sanctus Augustinus tract. 14. in Ioan. asserit, humani generis per peccatum, & culpam cæci facti symbolum est; *Genus humanum est ille cæcus: hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum.* Vix Adam primus viventium Pater in lucem proditus, & per divinam manum formatus, ac vt Dei simulachrum in paradiso, vt quidquid sub luna viveret, ipsi obediret, collocatus fuerat, sic rebellis atque divinum transgreditur præceptum, quo facto protinus visûs lumen amisit, & vt Sanctus Cyrillus libro 6. in Ioannem capite nono dicit: *Mens eius tenebris, atque cæcitate obducta, atque ad nos omnes transfusa est.* Quæ ignorantiæ tenebræ in tantum excreverunt, & tam densis nebulis humanum obscurarunt intellectum, vt velut alteræ Ægyptiacæ tenebræ manibus palpabiles sint, & hominem nunc in hoc, nunc in illud præcipitârint vitium, ac scelus. Hanc cæcitatem serenissimus Rex David & ejus effectum expertus est, & Psalmo trigesimo septimo, summo cum dolore & sensu deplorat: *Afflictus, & humiliatus sum nimis, cor meum conturbatum est in me.* Et quare spiritus tuus affligitur & cor tuum conturbatur ô Rex? *Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum* Hæc internæ animæ cæcitas scopus mei discursus erit. Prima parte puncto primo, quàm grande malum sit, examinabimus. Secundo puncto media aliqua curativa porrigemus, quæ à divino intuitu, atque aspectu proveniunt. *Vidit.* Secunda parte puncto tertio præservativa dabo remedia, ne lumen mentis nostræ perdatur. Attenti estote.

S. Cyrill. Alex. lib. 6. in Ioan.

Exod. c. 22.

Psal. 37.

PARS I.

PUNCTUM PRIMUM.

Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à nativitate. Ioan. cap. 7.

TAm grande, atque inexplicabile malum mentis cæcitas, & animæ tenebræ per peccatum, & culpam causatæ sunt, vt non semel, sed sæpius Deus homo factus ex compassione excæcati, fluvios lachrymarum ex sanctissimis suis oculis emiserit. Accedens civitatem Hierosolymam, protinus vt à longè intuitus illam est, in amarissimas prorupit lachrymas. Sic habemus Lucæ c. 19. *Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, videns civitatem, flevit super illam.* Sed motivum tot lachrymarum quod fuisse creditis? Fortè quia Ierusalem brevi tempore occupanda, & spolianda erat à Romanis sub Tito ac Vespasiani imperio? Forsan quia robustissimi muri ejus destruendi, ac diruendi erant? Forsan quia templum tantis sumptibus fabricatum, tantâ magnificentiâ adornatum, ab infidelibus profanandum erat? Forsan quia Ierosolymitani incolæ vilissima erant mancipia suorum inimicorum? Forsan quia Romanorum gladio morti tradendi futuri juvenes ac senes; nobiles ac ignobiles, pauperes ac divites, viri ac feminæ, parvuli & magni à morte, ac Romanorum gladio depascendi erant? Non, Auditores, has deplorabat Christus miserias, sed alias multò maiores; nempe internam incolarum cæcitatem, qui peccatorum tenebris excæcati, miserabilem suum statum ac animæ suæ internam destructionem minimè inspicere, ac deprehendere poterant. Sic Sanctus Evangelista attestatur; *Videns civitatem, flevit super illam, dicens: Si cognovisses & tu.* Sanctus Gregorius Papa Homiliâ trigesimâ octavâ in Evangelia considerans, & explicans hunc

Luc. cap. 19.

Cæcitas hominis Christo excussit lachrymas.

Luc. 19.

hunc locum sic habet: *Flebat Redemptor ruinam civitatis, quam ipsa sibi civitas non agnoscebat esse venturam, cui à flente Domino rectè dicitur: Quia si cognovisses.* Et licet hoc lamentum interruptum fuit Christo solum dicente; *Si cognovisses*; mihi tamen ansam præbet illud prosequendi, & Christi intentionem vobis latius aperiendi: ideò ac cæcum peccatorem conversus dico: *Si cognovisses* peccatum mentem tuam tenebris obduxisse, animam perdidisse. *Si cognovisses*; peccando te Deum provocasse ad iram, Christum denuò cruci affixisse, Angelos contristâsse, ac mœtore incolas cœli affecisse, cœlum tibi clausisse, ac inferni aperuisse portas. *Si cognovisses* hanc ruinam ac desolationé animæ tuæ, quot lachrymarum flumina tui emitterent oculi, quot suspiria de profundissimo tuo procederent pectore! sed ô miser, quia cæcus es, & tenebris mens tua obducta est, ideo tot mala animæ tuæ non vides, non deprehendis, non plangis, & hunc miserum animæ tuæ statum minimè deploras: sed lætus ac securus vivis, dies & annos tuos in lætitia transigendo.

S. Grego. Hom, 38. in Evang.

S. Gregor. Addit S. Gregorius libro decimo septimo Moralium capite decimo tertio, evenire nonnunquam vt consuetudo peccandi etiam intellectu, atque rationis lumine hominem privet, quod clarissimis verbis Iob indicavit: *Auferetur ab impiis lux tua.* Quæ verba explicando S. Doctor ait: *Aliquando prius oculus intellectus obtunditur, & postmodum captus animus per exteriora desideria vagatur, vt cæca mens quò ducitur nesciat, & carnis suæ illecebris sese libenter subdat.* In cujus veritatis probationem considerate vobis lubeat Salomonis sapientissimi hominum miseram cæcitatem per peccatum caussatam, Sapientissimus hic omnium erat totius mundi, tamen consuetudo peccandi, ad tam miserum statum, atque animæ cæcitatem eum perduxit, tam palpabilibus mentem atque rationem obduxit tenebris, vt totus fatuus factus, & idola permiserit, atque illis ac Dæmonibus sacrificarit, & sumptuosissimas domus in Dei sui despectum, à quo tot tantaque receperat bona, ædificaverit, vt sacræ testantur litteræ libro tertio Regum capite vndecimo.

Iob. cap. 38. Peccatum verè excæcat. Probatur hoc multis exemplis.

3. Reg. c. 11.

Nec minori fortissimi Sampsonis casus, vt libro Iudicum capite decimo sexto legimus, admiratione dignus est, quem vnus disordinatus affectus, cui non restitit, sed ejus consuetudinem admisit, taliter excæcavit, ac omni rationis privavit lumine, vt Dalilæ, quæ iam toties Philistæis inimicis eum prodiderat, secretum fortitudinis suæ aperiret. Ergo veritas est, vt S. docet Chrysostomus Homilia decima in epistolam ad Corinthios, sub sole nil stultius, nil amentius, nec dignius catenis, ac carceribus esse peccatis, quia tot tantisque tenebris hominis obducit mentem, tantaque percutit animam cæcitate, vt quasi toto rationis lumine privet. Et hoc justo Dei permittitur judicio: nam vt S. Augustinus libro decimo de libero arbitrio docet, dignum, & justum est vt rationis privetur lumine, qui faciliter illo ad bene operandum vti poterat, sed per malitiâ noluit. Inde nascitur N. N. peccatorem paulatim Dei, ac Creatoris sui perdere cognitionem, & vltimi sui finis amittere scientiam, & per consequentiam à salutis aberrare via, vt Sanct. Iob capite quarto, vbi attestatur verbis illis: *Ipsi fuerunt rebelles lumini,* quibus mox addit: *Nescierunt vias eius, nec reversi sunt per semitas illius.* Aberrârunt à vijs salutis & illas amplius non cognoverunt, quia mentes eorum per peccati consuetudinem excæcatæ fuerunt, & sic per pœnitentiam non redierunt in viam salutis. Ex quo facto (vt Sanct. Gregorius Papa libro sexto Moralium capite vigesimo

Iudic. 16.

S. Chrysost. Hom. 10. in epist. ad. Corinth. c. 1.

S. Aug. l. 10. de lib. arbit.

Iob. cap. 4.

simo quartò docet) justum Dei apparet judicium, vt hi qui studio rationis repugnant ac rebellant, lumine rationis digno Dei judicio priventur, & cæci, ac fatui fiant. Verba ejus hæc sunt: *Qui enim prius sciendo rebelles sunt, post modum cæcantur vt nesciant.*

Pro cujus veritatis confirmatione Sanctus Ioannes Chrysostomus Homiliâ decimâ septimâ in Genesim, Adami casum nos jubet considerare, cujus mens patrato peccato protinus tantâ obducta est cæcitate, vt tota ejus sapientia in fatuitatem mutata sit; nam à Deo se abscondi, & fictâ ac mentitâ excusatione suam defendi posse iniquitatem existimabat. Hoc idem contigit Davidi. Prudentissimus, ac sapientissimus hic erat Rex, & vir secundum cor Dei, & sancto Spiritu plenus, protinus ac cecidit in adulterium, & homicidium commisit, summâ mentis cæcitate, & ignorantiæ percutitur tenebris, vt ipsemet confitetur. *Cor meum conturbatum est in me: dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Glossa moralis hunc locum sic explicat: *Lumen oculorum meorum, scilicet mentalium non est mecum.* Et Hugo Cardinalis in psalmum trigesimum septimum sic habet: *Quia peccatum excæcat mentem hominis.* Ergo David dicere intendebat: Cor meum conturbatum est, virtutem meam, & lumen oculorum mentis meæ perdidi ac amisi. In qua cæcitate, & mentis tenebris, mansisset ac perseverasset, nisi divina bonitas misericordiæ oculis ipsum aspexisset, & per prophetam suum Natan de profundissima hac cæcitate extraxisset, ad clarissimæ veritatis lumen, & de infinita ignorantia ad cognitionem suæ miseriæ & infelicissimi status, & per consequentiam ad pœnitentiam reduxisset.

Glossa, & Hugo hic.

2. Reg. c. 12

Legite Soliloquia Sancti Augustini Episcopi, & reperietis eum nil tam amarè deplorare, quàm cæcitatem, atque ignorantiam illam, quâ ante suam tenebatur conversionem. vnde alloquendo Dominum dicit: *Serò te cognovi lumen verum, serò te cognovi. Erat autem nubes magna, & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ, ita vt videre non possem solem iustitiæ, & lumen veritatis. Sic volvebar in tenebris, filius tenebrarum: tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam: cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam.* Tardè veritatis lumen se cognovisse Sanctus deplorat Augustinus, oculos suos tenebrosâ quâdam vanitatis, ac ignorantiæ nebulâ obductos, vt verum Deum videre non potuerit, confitetur. Filium se tenebrarum fuisse, & in tenebris ambulâsse, & de vno in aliud se præcipitâsse malum, expressis attestatur verbis. Videns autem postea de tanta cæcitate se liberatum, & per divinam misericordiam de hoc cæcitatis atque ignorantiæ statu eductum, sic Domino gratias reddebat: *Lumen verum, lumen sanctum, lumen admirabile, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ecce video, gratias ago: ecce video lumen cæli, interlucet oculis mentis meæ radius desuper à facie luminis tui, & lætificat omnia ossa mea.*

S. Aug. lib. Soliq. c. 35.

Idem ibid. c. 34.

Sed ad nos redeamus N. N. & ad hominem argumentemur. Scit peccator, & sat clarè ipsi constat, quam summum malum sit peccare Domino, & quòd dum peccat, Deum, qui ipsum creavit, offendat, ac iniuriâ sanguinem Christi afficiat, qui ipsum redemit, æterna se privet hæreditate,

ditate, in terra miseram, & infelicem ducat vitam, & reum se faciat æternæ mortis: nihilominus tam liberè peccat, & tam facilè offendit Deum. Quid hoc sibi vult? N. N. Quale hoc signum est? Manifestissimum signum est, illum ignorare sua facta, & quid agat nescire; cæcum esse & mentem ejus, atque intellectum densissimis ignorantiæ tenebris offuscari. Audire lubeat quid Sanctus Ambrosius sermone tertio de his tenebris dicat: *Non sunt tales tenebræ noctis, quales illæ sunt, quæ de confusione veniunt peccatorum.* Ergo in tenebris ambulant, viuunt, & morantur omnes peccatores, & quod dolendum ac deplorandum est, in luce ambulare sibi persuadent, cæci sunt, & videre se judicant ac credunt, & cæcos se esse cognoscere nolunt.

S. Amb. ser. 3.

Seneca doctissimus vir epistola quinquagesimâ ad Lucillum amicum suum Romæ residentem ad propositum nostrum lepidam enarrat historiam. Primò illi nova aliqua occurrentia significat, quibus finitis vt amico casus, & successus domesticos communicet inter eos, sat lepidum, & simul prodigiosum enarrat, scribens, seruam, seu mancipium habere, quæ casu fatua, ac insana facta est, vt se minimè cæcam esse credat, & cùm omnino nihil videat, omnia ad vnguem videre, ac inspicere firmiter sibi persuadeat. *Incredibilem tibi narro rem, sed veram. Nescit se esse cæcam.* Omnia se videre, ac perlustrare judicat, cùm nil videat, & pro iniuriâ habet, si quis manum ad ducendam eam porrigere, aut in periculoso loco, vt sibi caveat admonere velit. *Subinde pædagogum suum rogat vt migret.* Non sum cæca, dicens, omnia sat clarè video & operâ tuâ, cùm omne periculum videam, non indigeo; nam vbi pedes mihi ponendi sunt, ad amussim certo; ideo discede, & ne videntem vt cæcam ducere præsumas. *Subinde pædagogum suum rogat vt migret.* Et miserabilis nunc caput muro allidit, nunc scamno impingit, nunc per scalas cadit, & cùm persuadere ipsi omnes conemur cæcam esse, & nil videret, & rogemus vt pædagogi ac assignati vtatur operâ, & ne aliquando per gradus cadens brachium, vel collum planè sibi frangat, ipsa nos ridet, & fatuos esse judicat, dicens se cæcam minimè esse, sed se omnes fenestras, ac portas domus obserasse, & omnem lucis aditum impedivisse. *Ait domū tenebrosam esse.* Rogat vt fenestræ aperiantur, vt lumen adferatur, & lucis aditus ne impediantur, tunc se optimè visuram, ductore non opus habituram firmiter asserit. Ridebis amice, dicit Seneca ad Lucillum, sed magis in nobismetipsis eundem casum, ac fatuitatem ridere debemus, & quod in illa lepidum judicamus, in nobis lepidissimum admirari convenit. *Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi.* Nam casus, qui nos omnes etiam sapientissimos concernit. Quisque nostrûm cæcus est, & tamen perspicacissimum se habere visum judicat. aquilæ oculos nos, alios noctuæ habere credimus, & atomos penetrare posse, alios verò omnes nil videre nobis persuademus. Nos solos in luce, mundum verò totum in tenebris ambulare omnino apprehendimus. *Nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum.* Si quis auarus, talis esse non vult; si cupidus, minimè credit: si lasciuus, castissimum se esse opinatur: si vindicatiuum dico, pro iniuria habetur. Quisquis qualis est, talem se esse minimè credit. Nunquid Lucille, dicit Seneca, summa hæc cæcitas, & lepidissima, sed perniciosissima simul fatuitas est? *Quid nos decipimus? cur ita* stulti, ac fatui sumus? *Non est extrinsecum malum nostrum: intra nos est; in visceribus*

Senec. ep. 50. ad Lucill.

Cæca se non vult credere cæcam.

sceribus ipsis sedet. A nobis hæc fatuitas, & malum hoc originem habet; *& ideò difficulter ad sanitatem perveniemus, quia nos ægrotare nescimus.* Nam quomodo sanitas speranda est, vbi infirmitas non cognoscitur: aut remedium adhiberi potest, vbi plaga non exhibetur, & medico patet? O miseros nos! cæci sumus, & videre nos credimus.

Num. 22. Cæcitatis hujus symbolum libro Numerorum capite vigesimo secundo reperietis. Pergebat Balaam Propheta à Rege vocatus, vt Israeli malediceret; obuiat ipsi Angelus, & in via se disponens prohibet ne progrediatur. Balaam nil videns, asinum, aut jumentum, cui insidebat, percutit, & ad progrediendum impellit; sed asinus, qui angelum justè minantem in via vidit, eò magis retrocedebat: sic asinus, qui bestia erat, Angelum tam enorme factum, vt erat Israeli maledicere, prohibentem adesse animaduertit, ac vidit; Balaam verò Propheta minimè id apprehendit. Rarum certè, & admiratione dignum quid. Homo ratione præditus Propheta non videt, non cognoscit, non deprehendit, quod asini oculis clarum erat. Totum hoc malum de spirituali ejus proveniebat cæcitate: nam anima ejus caligine atque tenebris culparum oppressa erat, ideò quod spirituale, & sibi proficuum, & ad salutem erat, minimè videre poterat.

Ita omnes agunt peccatores.

Rem verbo. Nesciunt peccatores quid agant; nam vt cæci, qui lumine carent, ambulant, ideò, vt qui de nocte in periculosis ambulat locis, facilè præcipitatur, collum frangit, & vitam perdit; sic ipsi vt cæci in caligine culparum per inferni præcipitia ambulant,

Sophon. c. 1. vt Sophonias attestatur. *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccaverunt.* Cur putatis lasciuum vsque ad aures in immunditijs immersum esse? Auarum totam suam pecuniam ac substantiam ad publicas dare esuras? Vindicatiuum pertinacissimum esse, & potiùs æterna velle subire pœnas quàm iniurias remittere, & inimico reconciliari? Cæci sunt, lumine rationis vt fatui carent; & miserabilem statum, ac æternæ damnationis periculum, ac imminens præcipitium minimè vident, ac cognoscunt. Nam, vt Sapiens capite secundo dicit, peccata in quibus sunt, spirituali ipsos privârunt luce, & rationis lumine orbârunt. *Excæcavit enim illos malitia eorum.* Quia intellectus ipsorum obtenebratus, & ignorantiæ caligine confusa ratio est, non est mirum in tot tantaque cadere mala, nunc libidinis luto, ac cæno vt sus immergi, nunc in desperationis cadere barathrum, & in mille alia cadere vitia. *Excæcavit enim illos malitia eorum.* Sunt cæci, nil vident, nil cognoscunt, nil apprehendunt; & quid ex hac immensa cæcitate sperandum, aut expectandum est? Nihil: vltimum malum, extrema perditio, quæ animæ mors est. *Excæcavit enim illos malitia eorum.* Sapi. c. 2.

Peripateticorum Princeps Aristoteles libro primo de natura animalium capite quarto dicit, talpam animal avarissimum esse, & dum vivit cæcum esse, nil omnino videre, & semper per terræ viscera vagari: & quia timet ne sibi desit sustentatio, nunquam satiatur; tanta illi inest avaritia: sed dum moritur aperiuntur ejus oculi, & maximam mundi videns machinam, miserabiliter deceptam se fuisse deprehendit, & hanc cæcitatem perditionis suæ fuisse causam, atque originem, cognoscit. Sed serò sapiunt Phryges, & cùm morimur, tarda est mali cognitio. Arist. lib. 1. de nat. an. cap. 4.

Peccatores sunt talpæ.

Ad amussim hoc peccatoribus accidit, qui dum vivunt, rationis carent lumine, & miserum suum statum, in quo sunt, minimè comprehendere possunt: ideo ut talpæ ad alia non attendunt, nec quid ipsis curæ est, nisi per terrenas vagari cupiditates; ut S. Apostolus Paulus

Paulus ad Philippenses capite secundo asserit, *Qui terrena sapiunt*. Sed dum ultimum suum attingunt finem, qui mors est, tunc incipiunt aperire oculos suos, sed nimis tardè; nam illos tunc lumen hoc parum adjuvat: ideo cum miseris illis plorantes, & dolentes dicent: *Erravimus à via veritatis: ambulavimus vias difficiles.* Quoties dives ille Epulo pauperem, ac mendicum Lazarum ad fores domus suæ iacentem, & subsidium petentem, transibat, & non videbat? Post mortem autem vix oculis elevatis statim vidit, & protinus cognovit; sed quia ut talpa in morte aperuit oculos, nullius utilitatis Lazari erat cognitio, imò pœnarum erat augmentum. *Elevans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.* Ergo parum, vel nil juvat mortis tempore aperire oculos, si in vita nunquam aperire voluimus.

Ad Philipp. cap. 2. — *Sap. 2.* — *Sap. cap. 5.* — *Luc. cap. 16.*

Dicite mihi N. N. quale tempus erat dum primogeniti per Ægyptum angelicâ manu percutiebantur, & morti tradebantur! fortè post aquarum Nili fluminis in sanguinis mutationem, vel post inundationem ranarum, quibus tota operiebatur Ægyptus? Non Domini mei, factis tenebris facta fuit primogenitorum occisio; totâ Ægypto caliginosis coopertis nubibus ac nebulis, ab angelo percussa sunt omnia primogenita. *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti*, Exod. cap. decimo. Origenes in hunc locum tenebrarum harum reddens causam, dicit: *Et mentis eorum cæcitas arguatur.* Sed quid N. N. hoc facto insinuare, aut dicere prætendo? Quando creditis Christiani animarum vestrarum evenire, atque contingere perditionem, ac mortem? Forsan post tot clamores Concionatorum, ad quos surdi estis? Forsan post tot per Angelos vestros internas factas admonitiones, quibus corda vestra clauditis? Forsan post tot fraternas admonitiones, quas despexistis? Forsan post tot, tantasque infirmitates, adversitates, cruces, tribulationes, quibus Deus ad salutis viam vos reducere conabatur, & vos intelligere, & apprehendere renuistis? Non, Auditores, sed tunc tua perditio proxima est, tunc æterna mors præ foribus est, cùm de anima tua, id quod de Ægypto scriptum est, dici poterit: *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti.* Id est, anima peccatoris, cujus terra hæc symbolum est.

Exod. c. 10. — *Orig. hic.*

Et ecce clarissimum hujus veritatis exemplum in Iuda apostata habemus. Quando adfuit ejus perditio? Quo tempore in desperationis cecidit barathrum? Quando gehennæ factus est filius? Apostolatum perdidit & laqueo se suspendit, ac crepuit medius? S. Ioannes Evangelista capite decimo tertio expressis dicit verbis: *Cùm ergo accepisset ille buccellam, exivit continuò: Erat autem nox*, Cùm sol obscuratus esset, & tenebræ universam cooperuerant terram, *Erat autem nox*, tunc perditus Iudas in effectum posuit suam pessimam intentionem, innocentem in manus tradidit latronum Christum, & Sanctum vendidit impijs, & suam sibi causauit perditionem. *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* Audire vobis lubeat S. Athanasij verba, cujus hic conceptus est: *Infelix Iudas propter unius noctis iniquitatem, omni præteriti temporis labore privatus est.* Et Christiane animum habebis, ac præsumes, in tot tantisque peccatorum habitare tenebris, cum tam evidenti animæ tuæ præiudicio?

PUNCTUM SECUNDUM.

IN te ergo reversus peccator aperi mentis tuæ oculos, & statum tuum, atque periculum in quo moraris considera, ac inspice, & si vires tuæ per peccata debilitatæ, & potentiæ animæ tuæ culparum caligine obductæ ad id

præstan lum insufficientes sunt, invoca Dei omnipotentis auxilium, & cum Davide Rege canta: *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte.* Supplica, & pete à Domino, vt misericordiæ suæ oculis te respicere dignetur: nam oculi respectus ejus potentissimus est ad illuminandam omnem caliginem, & cæcitatem abigendam; vt idem Regius attestatur vates: *Dominus illuminat cæcos.* Ecce exemplum in hodierno habemus Evangelio in nostro cæco nato, cujus illuminationem à Christo factã sanctus Evangelista describens sic habet: *Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à nativitate.* O respectus felicissimus, & fortunatissimus pro nostro Celidonio! virtute cujus incorporei, ac mentis illuminati fuerunt oculi. Inde elicio N, N. sub luna nil tam efficax ad cæcum illuminandum esse, quàm pijssimi Domini nostri oculi, dum hi eum respiciunt. Pro hujus veritatis probatione notate, quæ in Petri contigerunt negatione. Negat Petrus, periurat Petrus, & in hac permanet cæcitate, immò pergit, & juramento confirmat se hominem nescire, id est, Christum, de quo interrogabatur, nec discedere à proposito suo, aut pœnitentiam agere cogitat, & ecce pietas ipsa in tanta cæcitate Petrum suum constitutum cernens, & tantâ culparum caligine Apostolici collegij Principem circumdatum deprehendens, subitò prijssimis respexit oculis, & ecce vix illos elevat, vix illis Apostolum in tenebris sepultum respicit, culparum dispergit caliginem, cæcitatem ejus illuminat. Petrus statum in quo est cognoscit, fugit Principis palatium, quod scandalum, & origo cæcitatis ejus fuerat, & amarissimis lachrymis sua incipit deplorare peccata, & lachrymarum flumina ob commissum scelus de suis emittens oculis, vt Luc. c. 22. habetur: *Et conversus Dominus respexit Petrũ, & recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat: quia priusquàm Gallus cantet, ter me negabis; & egressus foras Petrus flevit amarè.* Sanctus Hieronymus hunc explicans locum, sic habet; *Post negationem respicit Salvator Petrum, & intuitu suo eum ad amaras lachrymas provocavit, nec fieri poterat, vt in negationis tenebris maneret, quem lux respexerat mundi.*

Psal. 12.

Respectus Christi optimus modus illuminandi cæcos

S. Luc. c. 22.

S. Hier. hîc

Enimverò quæ caligo tam obscura, quæ tenebræ tam palpabiles esse possunt, quas lucidissimi Christi oculi non resoluunt. Ecce clarissimum virtutis hujus exemplum Luc. 15. Prodigus filius tantâ peccatorum caligine erat obrutus, vt quæ ageret, minimè cognosceret; ideo vt cæcus totam dissipat substantiam, mille se immergit immunditijs, & demum tantâ caligine culparum circumdatur, vt qui in patris domo vt nobilis vivere poterat, in aliena porcorum custos esse, gratiam existimet. Sed quis ille fuit, qui caliginem hanc magnam oculis ejus adhærentem abegit? Cœlestis Patris pijssimi fuerunt oculi. Sic Sanctus Petrus Chrysologus sermone quinto, & trigesimo habet: *Patris visus illustravit filij venientis aspectum, vt tota fugaretur obscuritas de reatu.* Quis caliginosam nebulam auaritiæ Matthæi in telonio sedentis abstulit, & ab oculis ejus removit, si non oculi divini solis Christi Salvatoris nostri? Hoc attestatur Ioannes cap. 19. *Vidit hominem sedentem in telonio.* Supra quæ verba Sanctus Chrysologus: *Mox publicanus Apostolus*, id est, intuitus Christi, ex publico peccatore justum, ex perdito electum, ex mancipio diaboli, Christi ac Dei fecit ministrum. Quis vsurarum dispersit tenebras, quæ mentem Zachæi circumdederant, nisi Dei oculi, & Salvatoris nostri intuitus? *Suspiciens Iesus vidit illum.* Quis Lucæ, & Cleophæ discipulorum caliginosos reseravit oculos; quando præ nimia obscuritate mentis Christum Magistrum suum cum illis ambulantem

S. Chrysol. ser. 5. & 30.

Matth. c. 19

S. Luc. c. 19.

rem, & colloquentem agnoscere non poterant? *Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent*, si non sol ille clarissimus oculorum Dei ac Salvatoris nostri? Sic S. Ambrosius psalmo centesimo decimo octavo dicens: *Gravati erant somno, sed excitante Maiestatis fulgore divinæ, oculos cordis aperuerunt.* Et vt legimus in hodierno Evangelio, respicit cæcum natum. *Vidit hominem cæcum à nativitate.* Et sic illuminat, vt protinus genibus flexis Christum recognosceret, & quem Iudæi blasphemabant, ipse vt eum adoraret, dicendo: *Credo Domine, & procidens adoravit eum.* Ergo N. N, cùm doctrina verissima sit, genibus flexis, vt cæcus hic, Christum adoremus, & cum serenissimo Davide Rege psalm. octuagesimo nono dicamus: *Respice in servos tuos.* Pietatis oculis ô misericordissime Christe nos respicere digneris, quibus hunc respexisti cæcum, vt miserum statum, in quo vivimus, cognoscere, & de spirituali peccatorum cæcitate liberari nos emendare valeamus. *Respice in servos tuos.*

S. Luc. 24.

S. Ambros. in psal. 118.

Ioan. cap. 9.

O efficacissimum intuitum Redemptoris nostri, à quo omnis nostra descendit salus! Legite Cantica Canticorum, & reperietis capite sexto dilectam sponsam à Christo elongatam, per mundi, & creaturarum vagantem delectamenta, quam divinus respiciens sponsus revocat, & ad suos invitat amores dicendo: *Revertere Sunamitis, revertere, vt intueamur te.* O anima Christiana, quæ per mundi obiecta vagaris, in illis requiem tuam requirens, *revertere, vt intueamur te.* Redi ad me vt amoroso intuitu meo cor tuum feriam, & cæcitatem mentis tuæ illuminem, & te mihi semper adhærere faciam. *Revertere, revertere vt intueamur te.*

Nunc N. N. locum illum Genesis capitis quadragesimi noni tot tantisque difficultatibus scatentem intelligo, vbi legimus Iacobum filio suo Iudæ sequentibus benedixisse verbis: *Pulchriores oculi eius vino.* Id est, oculi filij mei Iudæ in pulchritudine vinum excellunt. Quis vnquam audivit, aut percepit oculos vino assimilari? Secundùm meum judicium, melius, ac aptius duabus lucidissimis firmamenti stellis comparare potuisset, vel Soli, & non vino, cùm nulla horum sit proportio, atque similitudo. S. Ambrosius in Cantica divinè solvit hanc difficultatem, dicens, Iacobum optimè dixisse, & non Iudam; sed Messiam, qui de sanguine ejus nasci debebat, intellexisse; ideo mysteriosam hanc fuisse comparationem, & oculos Messiæ vino assimilasse; nam vt hoc virtutem ac efficaciam habet corda illorum, qui illud bibunt, occupandi, ac illis dominandi: sic divini oculi corda illorum peccatorum, quos respiciunt, occupant, & ijs dominantur, & fugere mundum, & Christo servire faciunt. *Ideo oculi eius pulchriores vino.* Hanc efficaciam oculorum Dei lucidissimè penetraverat Rex David centesimo decimo octavo psalmo; ideo dicebat: *Respice in me & miserere mei.*

S. Amb. in Cant.

Psal. 118.

Nam protinus ac divina bonitas pijssimis misericordiæ oculis per prævenientem gratiam respexerit Davidem, cæcitas, & mentis caligo de oculis ejus cadent; & miserum statum, in quo vivit, & versatur, videbit & cognoscet. Et remedium nostrum cura suum erit, quo Christus vsus est, vt Sanctus Ambrosius dicit, dum in terram spuens ex saliva sua luto facto cæci oblinivit oculos, atque sanavit. *Fecit lutum ex sputo, & linivit oculos eius, & vidit.* Sic spiritualiter facit dum præveniente gratiâ oculos peccatoris aperit, & periculosum statum in quo versatur, demonstrat. Hoc Sanctus Ambrosius libro tertio de Sacramentis capite secundo asserit: *Et tibi imposuit lutum, hoc est, considerationem fragilitatis tuæ.*

S. Amb.

Cum

Cùm igitur divina illa pietas pijſſimis oculis per prævenientem nos reſpicit gratiam, quodammodo lutum facit, & oculis mentis noſtræ imponens, cæcitatem ejus à peccatis cauſatam curat, vt iam ſe deformem cognoſcat, & miſerum ſtatum, in quo verſatur, deprehendat: cognoſcat,inquam,ſtatum feliciſſimum, in quo per Baptiſmũ ſacrum poſitus fuerat, quem per peccatum perdidit, & miſerum, in quem per peccatum cecidit, intueatur.

In vita S. Catharinæ Senenſis legimus, vidiſſe illam quadam vice animam iam de hoc mortali carcere liberatam totam ſplendidam, & glorioſam cœlos aſcendere; quæ cùm ſplendore, & luce ſolis excederet claritatem, præ nimio gaudio, & lætitia quaſi extra ſe facta, Deum cœleſtem ſuum ſponſum ſic allocuta fuit: O amantiſſime Sponſe, ceſſabunt in me admirationis actus, quos tam frequentes elicere ſoleo, dum tuam conſidero paſſionem, & flagella, ſpineam coronam, irriſiones, blaſphemias, mortem ipſam, & alia infinita tormenta pro humano genere à te tolerata contemplor; nam ſi nil aliud per hæc obtinuiſſes, quàm tam exceſſiuam pulchritudinem, quâ glorioſa hæc anima gaudet, hæc omnia tormenta ſufficientiſſimum accepiſſent præmium. At hæc N. N. pulchritudo per peccatum perditur in anima, quæ cum peccat, & Dei amittit gratiam, carbone ſit turpior ac nigrior, & quæ priùs lucidiſſimum repræſentabat paradiſum, nunc obſcuritatis, ac caliginum locus eſt, vti atteſtatur Hieremias in Threnis: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in platea.*

Noli ergo peccator iam amplius cæcus eſſe, ſed caligines culparum deſere; ſat iam in tenebroſis, & obſcuri inferni ambulaſti vijs, aperi oculos, & tuos cognoſce errores, & vitam emenda, ſi vis vt divini te intueantur oculi, ac illuminent, vt hodiernum Evangelicum noſtrum cæcum, qui, vt S. Cyrillus Alexandrinus libro ſexto in Ioannem aſſerit, typus peccatoris culparum tenebris excæcati eſt. Dic mihi per fidem tuam peccator, à quanto tempore iam diviniſſimi Salvatoris noſtri oculi te miſerum in tua ambulantem cæcitate intuentur, ſalutis te lumine volentes illuminare? Et tu quomodo correſpondes? Audi quibus verbis Salvator tuus de hac tua duriſſima obſtinatione conqueritur: *Nunquid qui cadit peccando* (dicit Gloſſa interlinealis) *non reſurget? Et qui averſus eſt, non revertetur?* Ac ſi diceret: Eſtnè poſſibile tantam duritiam, ac obſtinationem ineſſe peccatori, vt ſi ſemel peccare incipiat, in æternum deſiſtere nolit? ſi ſemel per culpam à me auerſus fuerit, per pœnitentiam reverti nunquam cogitet, & malit in ſua durare cæcitate quàm à divinis & pijſſimis meis oculis per pietatis gratiæ intuitum reſpici? *Nunquid qui cadit peccando, non reſurget? Et qui auerſus eſt, non revertetur?* Ah infeliciſſime peccator! egredere tandem de caliginoſo peccatorum barathro, & tot culparum tenebris offuſcatus aperi oculos. Ecce Chriſtus te intuetur illuminare volens, aperi oculos tuos vt divinam hanc lucem recipere valeas, & dic ipſi cum Davide Rege: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.*

Ierem. c. 8. *Gloſſ. inter. hic.* *Pſal. 12.*

Finio hanc primam partem N. N. & hoc vnicum factum quod in hodierno Evangelio cæco nato contigiſſe legimus, aliquantulum conſidero. Narrat S. Ioannes cæcum hunc iam illuminatum ab alijs minimè cognoſci potuiſſe & in tantum formam, ac ſpeciem vultus ſui mutaſſe, vt totus alius videretur: ideò vicini ejus toti admirabundi ad invicem dicebant: Nunquid hic noſter convicinus eſt, qui cæcus natus fuit, & qui mendicando vitam ſuſtentabat

tabat

tabat? *Nónne hic est qui sedebat, & mendicabat* ? Imò quidam omnino illum esse negabant, sed similem aliquo modo esse affirmabant, ita vt magna inter illos exorta fuerit altercatio, quoniam hominem amplius non cognoscebant. *Alij dicebant: Quia hic est. Alij autem : Nequaquã, sed similis est ei.* Hæc ergo mutatio N.N. signũ illuminationis est: quamdiu peccator taliter non fuerit mutatus, & per vitæ mutationem, aliam non assumpserit formam, vt iam dissolutus, lasciuus, vindicatiuus, auarus ille, qui prius fuerat, sed totus alius, vt modestus, castus, misericors, mansuetus, liberalis in pauperes videatur, non dat singna illuminationis, sed adhuc cæcus est, & in culparum ambulat tenebris.

Ioan. 1.8.

Hoc pulcherrimo illustravit exemplo S. Ambrosi. Notate obsecro, dicit, iuvenem in civitate quadam, in qua per tempus aliquod habitarat, cum inhonesta muliere non licitam contraxisse familiaritatem; cùm verò in se redijsset, & vitæ mutationem apud semetipsum resolvisset, id commodius agendi causá civitatem ad tempus deseruit, & aliò se contulit; cùm verò intervallo aliquo temporis redijsset, & inhonestam illam sibi obviam habuisset; illa vt agnovit, protinus accessit & amorosis, & antè consuetis salutat iocis. Cùm autem iuvenis illam cognoscere dissimularet, sequentia protulit verba: *Ego sum illa, quam tu tam tenerè amabas.* Quomodo non me cognoscis ? non recordaris quanto tempore in amore viximus? quoties hæc mea te constrinxere brachia? & nunc dicis, Non te cognosco. *Ego sum illa, quam vt idolum tuum adoraveras.* Cui iuvenis paucis sequentibus respondit verbis: *Si tu es illa, ego non sum ille.* Ac si diceret: Si tu mulier illa absque pudore, & verecundia es, ego non sum ille iuvenis, qui absque pudore, & verecundia tibi cohabitabam. Si tu fœmina illa es quæ cæcæ in lasciviæ volveris

S. Amb. lib. 2 pœnit.

Signum illuminati peccatoris est, iam totum aliam, esse, hoc probatur exemplo.

cæno, iam ego ille iuvenis non sum, qui in eodem tecum iacebam: nam Christus meus me illuminavit, & cæcitatem abegit, & iam præter Christum nil in corde meo habeo, nec habere volo: *Ergo si tu ipsa es, scito me illum non esse.*

Hoc ergo signum evidens est, ô Christiane, ex quo quivis cognoscere poterit te à Christo illuminatum esse, & cum cæco nato mentis tuæ recuperasse salutem, si vitam ita mutaveris, vt dicere possis cum hoc juvene; *Si tu illa es, ego non sum ille.* Si morum ac conversationis formam ita mutaveris, vt iam non ille, sed totus alius vt cæcus natus, videaris, & idem de te homines, quod de illo dicturi sint. *Alij dicebant: Quia hic est: Alij autem: Nequaquã, sed similis est ei.*

Mala itaque de spirituali cæcitate nascentia satis percepistis, quid ergo faciendum nobis ? Peccatum fugiendum, occasiones devitandæ, Christus invitandus, qui nostrum illuminet intellectum, oculos ad bonum aperiat, ad malum claudat, vt quæ ad salutem necessaria sint, cognoscere valeamus.

Ioan. cap. 9.

PARS II.
PUNCTUM TERTIUM.

HActenus examinavimus animæ cæcitatem, eiusque causas & originem, quod peccatum est. Proposuimus etiam remedium curativum, qui divinus intuitus est; nunc superest vt medicinam præservativam vobis exhibeam, ne in posterum quisquam vestrûm, cùm illuminatus fuerit, lumen hoc amittat, nec mens ejus peccatorum cæcitate, ac culparum rursus obducatur caligine. Hoc efficacissimum est, si in mente nostra Deum nobis præsentem, & omnia videntem imaginemur, & cogitemus. Hoc nos docet benedictus Christus verbis illis, quibus ad cæci interrogationem; *Quis est Domine, vt credam in eum ?* respondit; *Et vidisti*

Remedium præservativum ne cæci fiamus præsentia Dei.

Ioan. cap. 9.

disti eum, qui tecum loquitur, ipse est.

Veritas hæc tam infallibilis est, vt etiam ab ipsismet gentibus cognita fuerit, Deum vbique esse, omnes actus nostros videre, ipsasmet cogitationes nostras penetrare. Nam apud Laertium in vitis Philosophorum legimus, Thaletem vnum de septem Græciæ sapientibus suos docuisse credere omnia à superis videri, & actus nostros qualescunque, sit etiam secretissimus, ab illis penetrari; & hoc quia vniversum suâ essentiâ implere Deos putabat. Verba ejus hæc sunt: *Homines sibi persuadere debent, Deos omnia cernere, Deorumq; esse plena.* Et mox addit præsentiam Dei ac continuam hanc considerationem efficacissimum esse remedium, vt piè, & castè vivamus. *Vt coram ijs castè, & sanctè vivamus.* Eandem veritatem penetravit eximius ille moralis philosophus Seneca, Epistola decima sic asserens: *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat.* Et videntur Philosophi à Salomone hujus veritatis habuisse cognitionem, qui Proverbiorum libro, capite decimo quinto sic habet; *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos,* id est, Dei oculi semper vigilant, & inspiciunt omnes nostros actus, & opera bona, vt præmijs condignis coronent; mala, vt secundum meritum castigent. In cujus confirmationem sanctus Augustinus sermone decimo de verbis Domini sequentia scripsit verba, *Velis, nolis, videt te, & ab eius oculis non est vbi abscondas te.*

Apud Laert. in vita Phil.

Senec. epist. 10.

Prov. 15.

Hoc excellentissimum illud præservatiuum medium est, quo serenissimus Rex David vtens, sanum se à peccatis, atque lucidos oculos suos conservabat: illud negligens infirmabatur, & mentis oculi varijs culparum circumdabantur tenebris, vt ipsemet confitetur suo psalmo centesimo decimo octavo, *Servavi mandata tua & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Hoc quoque curativo remedio sanctus ille vir in terra Hus suam præservavit innocentiam, ac mentis acutissimum lumen retinuit, & justitiam custodivit, & cum in omnibus suis actibus Deum sibi præsentem judicabat, & cogitationes suas penetrantem minime dubitabat, ab omni malo abstinuit, & cunctas etiam potentissimas inimicorum vicit tentationes. Sic ipsemet attestatur capite trigesimo primo: *Nonne ipse considerat vias meas & cunctos gressus meos dinumerat?* Legite Danielis prophetæ caput decimum tertium & deprehendetis sanctam Susannam studiosissimam Dei præsentiæ, mirabiles ejus sensisse effectus. Lavat corpus suum in hortulo suo Hebræorum more: pudoris gratiâ ancillam discedere, & portas obserare jubet. Ecce adsunt duo libidinosi senes; qui in horto absconditi erant: tentant mulieris pudicitiam, atque castitatem. Quam cùm ad preces, & lenocinia silice duriorem reperissent, alia arripiunt arma, & novis modis ejus expugnare conantur pudicitiam; mortem minantur & sceleris commissi se illam accusaturos jurant, nisi voluntati ipsorum consentiat. Vani ipsorum erant insultus: nam mulier hæc Dei armata erat præsentiâ, remedium hoc curatiuum sumpserat, & sic pestilens illorum corruptio minimè ipsi nocere poterat: ideò millies mortem subire elegit, quàm in Dei sui conspectu, quem sibi præsentem, & astantem firmiter credebat, tale quid committere. Hinc perfidos illos senes sic alloquitur: *Melius est mihi incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Vnum ex duobus mihi subeundum video, aut mortem per falsas vestras accusationes, si vestræ non consensero voluntati: aut Dei offensum, si fecero; quæ petitis. Malo ergo non semel, sed millies mori, quàm Dei, qui mihi præ-

Psal. 118. Quinam hoc remedio vsi sunt

Iob 31.

sens

sens est, me intuetur, subire offensam.

O N. N. si omnes tam fœlices essemus vt ad omnem iniquam, aut injustam cogitationem hac armati consideratione, & efficacissimo hoc præservativo muniti remedio cum Susanna Deum nos videre cogitaremus, absque dubio longè à nobis esset omnis consensus. Libro Genesis capite decimo septimo legimus Deum Abraham vocasse, & salutis aliqua tradidisse monita ad spiritualem perfectionem assequendam: inter quæ vt præcipuum hoc erat: *Ambula coram me.* Id est. Abraham volo te plurima mirabilia agere, & per te meam ostendere omnipotentiam; sed vt aptum harum mearum mirabilium operationum possis esse instrumentum, perfectus esse debes. *Esto perfectus.* Ad id verò præstandum mea præsentia te adjuvare debet, ideò in omnibus tuis actibus, & cogitationibus me tibi adstantem, & te videntem cogita. *Ambula coram me.* In tali sensu doctissimus Hugo Cardinalis, Oleaster, Abulensis hunc explicant locum; vltimi cujus hîc ponam verba: *Ambula coram me: id est, sic ambula in tua conversatione, vt si me coram te semper videres: & istud est præcipuum, quod hominem tollit à peccato; scilicet continua Dei memoria in actibus nostris.* Et doctissimus Liranus sic loquitur hunc explicans locum: *Si enim Dominum præsentem, & omnia videntem & vindicantem cogitaremus, aut vix, aut nunquam peccaremus.* Et Sanctus Hieronymus in caput octavum Ezechielis, hominem nunquam peccaturum ait, si dum peccatum committere decernit, Deum sibi præsentem, & se videntem crederet. *Certè quando peccamus, si cogitaremus Deum videre, & esse præsentem, nunquam quod ei displiceret, faceremus.*

Gen. 17.

Hugo Card. Oleast. Abul. hîc. Liran. hîc.

S. Hieron. in cap. 8. Ezech.

Sed ô miseriam sanguineis deplorandam lachrymis, & fatuitatem mille dignam catenis hominum! qui omnis Dei respectus obliti, & ac si Deus non esset, & oculos non haberet qui omnia videt, & notat; tantâ protervià, & audaciâ offendunt, & in conspectu ejus infinita committunt scelera. Magna certè hæc cæcitas atque fatuitas hominum est. Credunt peccatores Deum se peccantes videre, & firmiter tenent, dum mala agunt. Quid aliud hoc est N. N. quàm factis negare, quæ & corde, & mente credunt? Hi certè cum illo, quem Ecclesiasticus capite vigesimo tertio describit, dicunt: *Quis me videt? tenebræ circumdant me & nemo circumspicit me, quem vereor?* Et vt verum me dicere deprehendatis; cogitate & considerate apud vosmetipsos, quot peccata commisistis, quæ in hominum præsentia nunquam fecissetis. Ergo vnius hominis oculi & intuitus, qui forsan maiora nobis commisit crimina, mala impedienda efficaciores Dei sunt, & tantum vobis pudorem ingerunt, cùm vos intuentur, vt à malo abstineatis, & altissimi cœlorum Monarchæ, qui vos semper intuentur, non sunt sufficientes vestras immundas, ac illicitas refrænare cupiditates? Signum evidentissimum debilis fidei est & tales nomine magis, quàm professione Christianos esse, qui Deum se videre profitentur, operibus autem demonstrant minimè id credere. Audite quid idem Sanctus de similibus falsis Christianis, & de summa illorum cæcitate capite citato dicat: *Et non cognovit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi hominum corda intuentes in absconditas partes.* O hominum fatuitatem & deplorandam cæcitatem! Dei oculos, qui nos iudicaturi, & punituri sunt, non vere-

Eccli. c. 23

mur: Dei intuitum, qui nos condemnaturus est, si peccamus, non timemus; & hominis oculos, qui nos increpaturus, aut infamaturus est, fugimus, & in ejus præsentia indecorum quid agere summopere cavemus. O Christiani, quantâ iniuriâ, dum sic agimus, Deum afficimus! quàm graviter ejus offendimus præsentiam, cum pijssimos ejus oculos minori reverentiâ, atque respectu dignos, quàm hominum judicamus!

Legistisne aliquando Isaiæ verba capite tertio, quæ de peccatoribus, qui peccando Dei præsentiam dehonorant, & ad iram provocant, habet: *Provocarent oculos Maiestatis eius*? Cor & non oculi N. N. ad indignationem provocantur; quomodo ergo hic propheta oculos Dei ad indignationem provocari dicit? Vt vobis iniuriam, quâ Dei afficiuntur oculi, dum in eorum peccamus præsentia, exhiberet. Et non immeritò hanc iniuriam divini sentiunt oculi, & tacitè similibus verbis peccatorem alloquuntur: Quid agis peccator? tam modico nos honoras respectu? si putas nos tuos non penetrare actus, Deum tuum, cæcum & oculos non habentem æstimas. Et si credis nos te intueri, omnes tuos actus penetrare, cur ergo in nostra præsentia non æquè ac in hominis vnius, qui forsan plura te commisit mala, pudore confunderis? Vivite ergo Christiani, vt Deo semper præsentes, & hunc, qui omnia videt, vobis semper adstare cogitate, nec aliquid oculos ejus celare posse. Nam, vt Sanctus Apostolus Paulus ad Hebræos capite quarto asserit, *omnia nuda, & aperta sunt oculis eius*. Nam sic agendo, à peccatis, & Dei offensa securi eritis, & hîc dum vivitis, varijs gratijs; in alia vita æternâ præmiabimini gloriâ, ad quam vos & me Dei amorosi oculi perducere dignentur. Amen.

Isa. cap. 3.



DISCVR-

DISCVRSVS VIGESIMVS SEXTVS,

PRO DIE IOVIS POST QVARTAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

Tractatur de morte, & parte primâ puncto primo ostenditur, illam esse potentissimum frænum, quo libera vita hominis sponte ad præcipitium currentis cohiberi potest. Puncto secundo demonstratur, illam esse singulare donum Dei ad procurandã salutem nostram. Secunda parte puncto tertio discurritur de suavi, ac jucunda morte justorum.

Thema.

Ibat Iesus in civitatem quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus Matris suæ. Luc. cap. 7.

DVm mentis meæ oculis hodierni Evangelij luce illuminatis civitatẽ Naim intueor, atque contemplor, ad portas ejus miserabile ac mæstum deprehendo spectaculum: effertur juvenis nobilis, vnicus bonorum hæres, magnæ expectationis, sola & vnica spes atque consolatio matris, qui in flore ætatis suæ obierat, mortuus ac iam fœtidus; mater vidua mœsta, & dolorosa nigris induta vestibus, afflicta, & angustijs plena flens, plangens & vsque in cœlum emittens lamentationis voces, iuvenis, ac mortui filij cadaver iam-iam terræ mandandum comitatur. Et ecce inter tot tenebras, & caligines divinus emicat Sol, & lux vitæ Christus Salvator noster adest; qui imperio divini sui verbi caligines, ac tenebras mortis dispergit, & novâ vitæ luce iam à morte tenebrosum factum cadaver illuminat, & vitæ restituit, & redivivum afflictæ donat matri filium. *Ibat Iesus*: ecce Dominus & vitæ largitor: *in civitatem, quæ vocatur Naim*: ecce locus & civitas vbi contigit spectaculum: *ecce defunctus efferebatur*: ecce funestum & dolorosum spectaculum: *filius vnicus matris suæ*: ecce caussa tot lachrymarum, & fletus: *& hæc vidua erat*: & ecce aliud doloris principium, atque origo mæroris: *Noli flere*: ecce quomodo à Domino confortatur. *Resedit qui erat mortuus*: ecce miraculum à Domino factum. *Propheta magnus surrexit in nobis*: ecce vndique applausus hominum. Mors hujus juvenis, qui in flore ætatis suæ contigit, ansam mihi porrigit de morte vt vltimo vestro fine meum formandi discursum. Primâ itaque parte puncto primo vobis demonstrabo mortem vnicum, & potentissimum frænum esse, quo hominis vt indomiti, & absque

absque fræno ad æternæ damnationis præcipitium currentis equi celer cursus sistatur. Secundo puncto vt singulare donum de cœlo ad animæ salutem, & bonum demissum vobis exhibebo. Secundâ parte puncto tertio naturam mortis examinabimus, & quàm dulcis, & suavis justis, & benè viventibus sit, vobis ostendemus. Estote attenti.

PARS I.

PUNCTUM PRIMUM.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. Luc. cap. 7.

ÆGyptiorum olim Hieroglyphicorum amantissimi suis filijs ad mortis exhibendam naturam, ac conditionem, feminam ætate iuvenculam, pulchram ac formosam oculis funesti, atque lugubris coloris obductis velo, surdam & absque auribus, manibus arcum, & sagittam tenentem, pedibus alatis depingebant, vt Pierius libro septimo Hieroglyphicorum titulo *Mors* asserit. Iuventuti insinuare volebant cupiditatem mortis, quâ in iuventutis invehitur carnes; nam licet sagittæ ejus vniversales sint, & tam in juvenes, quàm in senes dirigantur; nihilominus frequentiùs juventutis, quàm virilis ætatis tangunt corda, & de carnibus juventutis crudum, & sanguinolentum exhibent macellum. Sic in sacris deprehendimus litteris primum ejus, quem in mundo de homine duxit triumphum, de pulchriore, & iuniore iuvene mundi fuisse, & primas carnes, quas devoravit, pulcherrimi, nobilissimi, delicatissimi, & floridæ ætatis fuisse adolescentis, qui innocens, & sanctus erat Abel, vt legimus Genes. c. 4. Cæcam & oculis velo clausis ac bene obligatis illam repræsentabant, vt nobis ejus indiscretionem exhiberent. Nam nullam respicit ætatem, nullum curat statum, nullum intuetur, nullum veneratur, sed omnium æqualiter depascit carnes, & nobiles ac ignobiles, parvulos & magnos, senes ac juvenes, pauperes ac divites, fortes ac debiles, dominos & subditos occidit atque interficit. Vt de ipsa cantat Poëta:

Pier. lib. 7. Hierogl. tit. mors.

Æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumq; turres.

Horat. Carm. 4.

Absque auribus fingebant, vt sciremus ipsam surdam esse, & ad omnium etiam doctissimorum argumenta clausas & obduratas habere aures, & ad omnem fletum, planctum, querelas implacabilem esse, ac inhumanam. Alatam demum ipsam faciebant ad insinuandum, volando illam venire, & vix hoc extincto iam in alterius occisione esse occupatam. Certè N. N. rarum, & ingeniosum hoc simulachrum mortis fuit, & tantò maiori laude dignum judico, quantò naturaliùs in hodierno Evangelio illud verificari video; nam gloriosum iuvenem victoriæ trophæum manibus tenentem se exhibet: *Adolescens tibi dico surge.* Cæcam & oculis clausis se præsentat, quia qualitatem personæ non respexit; nam quem occiderat, vnicus ac charissimus filius viduæ erat. *Et hæc vidua erat.* Cæcam, & surdam ipsam video, quia mulieris planctum audire noluit, & ad lamentationis voces commota non fuit. *Mulier noli flere.* Alatis tandem accelerat pedibus, dum quantocyus terræ mandandum juvenem comitatur, ut hoc expedito spectaculo ad aliud exhibendum se accingat. *Et ecce defunctus efferebatur.*

Hoc simulachrum N. N. quisquis nostrûm cordi suo insculptum secum ferre deberet, & absque intermissione conditiones eius suâ revolvere memoriâ: nam admirabiles & saluberrimos in homine causaret effectus; quorum primus hic est; vt omne quod mundus

mundus adorat, colit, ac æstimat, despiciat & nihili faciat. Quem Serenissimus Rex David mortis memoriæ inesse Psalmo septuagesimo secundo docuit, dicens: *Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns.* Volebat dicere: Cùm peccatores, & iniquos falsas has mundi excellentias æstimare cernerem, & in ipsis summam reperirem pacem, & quietem fortiter ad imitationem illorum impellebar, & tentatus ad idem agendum, *zelavi super iniquos.* Sed singulari de cœlo gratiâ mihi adveniente in momento hæc me dereliquit atque evanuit tentatio: nam causa atque origo vnde tam grandis ac perniciosus oritetur error, menti meæ revelata fuit. Quæ ergo ô serenissime Rex illa est? *Quia non est respectus morti eorum.* Sanctus Hieronymus hic sic vertit: *Quia non respiciunt ad mortem.* Ergo quod peccatores terram, & terrena ament, excellentias mundi plus animæ suæ salute æstiment, in creaturis pacem, & quietem quærant, & in illis se reperire opinentur totum; inde veniat atque oritur quia simulachrum mortis non considerant; naturam & conditiones ejus non contemplantur; nam si mortem sibi omnia afferre crederent, ea non tantopere æstimarent, atque amarent.

Psal. 72.

Horat. Carm. 4.

S. Hier. hic.

Memoria mortis remedium contra omnia vitia.

Regnabit forsan in aliquo superbia, atque præsumptio: putatis ne hunc mortis habere memoriam, & ejus considerare naturam? Minimè. Legite caput secundum libri secundi Regum, & reperietis, mortuo Saule Deum mandasse Davidi Regi, vt solium regni sui in Hebron poneret, & inde illud inciperet gubernare. Nunc peto an non magis ad propositum fuisset & ad rem, si solium Regni sui in Metropoli Iudæorum Hierosolymitana civitate posuisset, ac fundasset? vel in Bethel, qui locus civitas, & patria erat Davidis? Non dicit Deus: In Hebron volo vt David ponat solium regni sui, & inde incipiat gubernare: *Ascende in Hebron.* Vultis scire causam? dicit doctissimus Liranus, hunc considerans locum, quia in hac civitate quiescebant, & sepulti erant quatuor ex antiquis Patriarchis. Verba ejus hæc sunt; *Quia in illa civitate sunt sepulti quatuor principales Patriarchæ, propter quod Dominus voluit, quod ibi inciperet Regnum David.* Vult ergo Deus in illo loco Davidem suum stabilire regnum, in quo tot celeberrima erant Patriarcharum mausolæa, vt hic continuæ mortis memoriæ occasionem haberet, & vt efficacissimo remedio illa omnes superbiæ, atque mentis elevationis motus reprimeret, quibus in dignitate Regali exponebatur: & vt nos inde doceremur superbiam radicem omnium malorum hoc vnico supprimi medio. Audiamus rogo verba certè aurea, quæ beatus Petrus Damianus opusculo 15. cap. 23. in hanc scripsit confirmationē, *Superbiæ spiritus inflat? Sepulchrum in mente redeat: necessariò illic rigidæ cervici tumorem premimus, vbi cinerem procul dubio pulveremq; pensamus.*

Lib. 2. Reg. 2. Liranus hic.

Secundo, contra superbiam

P. Damian. opusc. 15. c. 23.

Moritur pulcherrima mulierum Rachel, & à charissimo suo Iacob ad viam, & quidem publicam terræ mandatur. Sic ipsemet confitetur lib. Genesis c. 48 dum jam morti vicinus filium suum charissimum Ioseph alloqueretur, & quæ post obitum suum fieri vellet, ordinaret, dicens: *Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, & sepelivi eam iuxta viam Ephrathæ.* Mysteriosum, & admirabile hoc mihi videtur factum. Possibiléne est Iacob magis proportionatum, & aptiorem locum reperire non potuisse vbi dilectissimam suam mortuam conderet Rachel, quàm ipsammet viam, supra quā Deo spiritum reddiderat. Liranus in hunc

hunc locum dicit, non casu, sed cum summo mysterio id egisse Iacob. Ad viam ergo, dicit Doctor, illam sepelivit, quæ plurimum à transeuntibus, & iter facientibus ac peregrinis diversarum nationum frequentata erat; qui dum Mausolæum in Rachelis memoriam erectum inspiciebant, veniebat ipsis in memoriam excessiva illa pulchritudo Rachel, quam in fœtidam ac in cineres conversam sub Mausolæo illo contemplabantur, & simul intuebantur nil sub sole stabile, & idem ipsis eventurum, atque expectandum fore. Confusi ergo & humiliati hac consideratione discedebant, & alijs quæ viderant enarrabant, & ad easdem cogitationes mentes illorum excitabant. Verba Doctoris hæc sunt: *Mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, & sepelivit eam iuxta viam Ephrathæ; ita quod transeuntes poterant videre sepulturam eius, & memoriam eius ad alios deferre.*

Tirin. in hunc locum.

Et certè quis dicere velit efficacius remedium à peccatis abstinendi mortis memoriâ sub sole non reperiri? Pro hac tam enixis precibus Rex David in suo Psalmo trigesimo octavo supplicabat: *Notum fac mihi finem meum, vt sciam quid desit mihi.* Da mihi gratiam Domine, vt continuò, & absque intermissione mortis, atque finis mei memoria menti meæ inhæreat, vt meam possim accommodare conscientiam, & meos corrigere, atque emendare errores. S. Antonius Paduanus mirabili mentis acumine hanc explicat Scripturam, & sic loquitur: *Vt sciam quid desit mihi, vt valeam meos defectus emendare.* Nam sciebat S. Propheta nil efficacius mortis memoriâ ad vitæ emendationem. sic & S. Antonius concludendo dicit: *Nihil enim sic movet peccatorem ad emendandum suos defectus, & corrigendum peccata sua, quàm notitia, & memoria mortis.*

Psal. 38.

S. Anton. de Pad. serm. Dom. 11. post Pentec.

Nec hîc N.N. mortis memoriæ efficacia imperij terminos figit; se multo vlteriùs protrahit, atque extendit; nam & de ipsamet sensualitate triumphat, cuius pugna tantò periculosior, quantò ipsa hominibus charior; atque acceptior est. Consideret quis idolum illud, quod ob vanam, ac mendacem carnis formam ad Dei adorat, & honorat despectum, & pro illius fruitione animam suam perdere minimè curat, post diem, post mensem, post annos etiam aliquos in putredinem, atque horrorem convertendum esse; non dubium, pulchritudo illa ipsi in nauseam vertetur, & ansam, & causam de honesta, pudica, ac angelica ducenda vita præbebit. Non mea est hæc doctrina, sed S. Petri Damiani, qui epist. 34. sic loquitur: *Non est libidini diversorium, in qua versatur mente sepulchrum.* Fugit mentem mortis memoria munitam libido, & vbi hæc suum fixit thronum, sordibus pedes impudicitia ponere non audet. In huius confirmationem S. Bernardus saluberrimam vobis dedit doctrinam serm. 7. de tentatione dicens; *Si te luxuria tentat, si te libido ad peccatum incitat, objice tibi memoriam mortis.* Si cato te infestet, libido animum tuum pulset, & vanis illecebris te oppugnet, vt vltimum, & efficacissimum remedium, & inexpugnabile scutum mortis illi objice memoriam; sic victor eris, & defœtidissimæ Sirenis illius incantationibus salvaberis.

3. Contra libidinem.

S. Pet. Dam. epist. 34.

S. Bernard. serm. 7. de tent.

Expertus hoc fuerat Sanctus Augustinus, qui Deum alloquendo de se ipso libro sexto confessionum capite decimo sexto sequentia habet verba: *Nec me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, qui nunquam recessit de pectore meo.* Plurimis vsus est medijs Sanctus Augustinus, vt de durissimo libidinis carcere animum suum liberare valeret, sed efficacius mortis memoriâ reperire nihil potuit.

S. Aug. lib. 6. Conf. cap. 16.

Plutarchus in problematibus enarrat gentilium fuisse morem, res omnes ad funera & mortuorum honorem pertinentes ad portas templi Veneris vendere; & hoc fiebat ad libidinis motus talium aspectu refrænandos.

Refert Plinus lib. 4. Historiarum naturalium, Nili fluminis aquas nonnunquam talem fragorem, ac sonitum edere, vt in vicinia habitantes cœli mugitus, & tonitruum fragorem minimè percipere valeant. Et ego dico, si homines consideratione, & mortis memoriâ fluminis illius aquas, quæ nunquam firmantur, sed semper currunt, habitarent, quarum mulier illa 2. Reg. cap. 14. mentionem fecit: *Omnes morimur, & sicut aqua dilabimur*, pro certo caro cum suis illecebris clamare, & tonitruorum more vociferari posset, & tamen surdi ad ejus clamores futuri essent homines tales in vicinia mortis habitantes; imò velut falsas, deceptorias omnes oblatas despicerent voluptates, & ipsamet caro videns se taliter contemni, spiritui se subderet, & spiritualis fieret, quæ priùs carnalis erat. Hunc effectum ac virtutem memoriæ mortis sanctus ille vir Iob, cùm his aquis proximis habitaret, se expertum fuisse sequentibus verbis sat clarè attestatur: *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, & concutit carnem meam tremor.* Ac si diceret: Cùm sonitum mortis aquarum percipio, & naturam illarum considero, concutiuntur carnes meæ, & timore implentur viscera mea: caro quæ priùs superba, & inobediens erat, protinus humiliatur, & rationi subditur, & quæ prius tota insolens, & petulans spiritui contradicere audebat, tota confusa silet, & ab omni libidinis cessat motu. Similes effectus N. N. ieiunia, cilicia, disciplinæ, & aliæ carnis asperitates in se continent, & aptissima ad carnem subiugandam instrumenta sunt, sed mortis memoria ipsorum excedit virtutum, & in nullo ipsis comparanda est: nam hæc sola ipsi scit injicere frænum, hæc sola illam domat, & præ omnibus alijs spiritui subdit, & obedire facit.

Apud Danielem capite decimo tertio legimus duos senes, quorum caro rebellis rationi minimè subdita erat, pudicitiam castissimæ matronæ Susannæ & adulationibus, & amorosis gestibus, immò etiam minis, & quidem mortis impugnasse, & omnes suas tentasse vires. Quid facit casta & pudica mulier? ad mortis currit memoriæ arma, mortem sibi imaginatur, ac considerat, quam lex adulteris imponebat, per quam fortiter restitit, & victoriam obtinuit. *Si enim hoc egero, mors mihi est*, *scilicet debita* (vt Liranus explicat) *quia in lege Moysi præcipitur adultera lapidari.* Et per hujus efficaciam perversis his senibus portas cordis sui clausit, & ipsorum falsis persuasionibus minimè locum dedit, sed à se rejecit, & salva remansit. Hæc consideratio Davidi, & Bethsabeæ in horto se lavanti deerat, quam si habuissent, ipsa consensum non præbuisset, & David adulterium, & homicidium non commisisset. Hanc si Salomon præ oculis habuisset, tot scelera non perpetrasset, & suam salutem tam euidenti periculo non exposuisset. Et nos N. N. si hæc continua nostra esset socia, & amasia nostra, & tam firmiter menti nostræ inhæreret, vt impudica & fœtida aliqua persona, absque dubio nec tot scortationes, adulteria, & alia enormia inter Christianos fieri perciperemus crimina. Quare Sapiens hanc semper vt efficacissimum medium quodcunque superandi scelus præ manibus tenere, nos sequentibus obsecrat verbis: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccli. c. 7.

Admirabilem hanc efficaciam ad omnes libidinosos reprimendos motus Pater

Liran. hic.

tus Pater noſter Adam expertus eſt; qui cùm filium ſuum dilectiſſimum Abel occiſum per Cain, & mortuum ante ſuos deprehendiſſet, & inſpexiſ- ſet pedes; tantus horror, atque tremor occupavit eum, vt juramentum perpe- tuæ fecerit caſtitatis, & abſque dubio executioni mandaſſet, niſi à Deo per Angelum de cælo miſſum contra- rium accepiſſet mandatum. Sic opinan- tur, atque tenent authores graviſſimi, vt Strabo, Magiſter Hiſtoriæ Scholaſti- cæ, Liranus & alij citati à Gloſſa in caput quartum Geneſis; vt intelligere- mus mortis memoriam omni ſenſuali- tate hominem privare. Et hæc tam in- dubitata veritas eſt, vt Seneca aliàs gen- tilis etiam ipſam cognoverit, qui epiſto- lâ nonâ ad Lucillum ſic habet: *Libidinis incendium continebis, ſi te moriturum cogno- veris.*

Strab. Mag. Hiſt. Schol. Liran. & alij cit. à Gloſſa in c. 4. Gen. Senec. epiſt. 9. ad Lucillū.

Et quam cauſam putatis eſſe N. N. his temporibus tam paucos at- que raros reperiri, qui toto corde animæ ſuæ invigilent ſaluti? Quia pauci & rari reperiuntur, qui mor- tis memoriæ ſtudent, & hanc vt vl- timum ſuum finem & miſeriam om- nium miſeriarum mentibus ſuis ru- minant; cùm tamen, vt Origenes in libro ſexto Numer. aſſerit, *nihil cer- tius morte, nihil incertius horâ eius.* Quòd omnes morituri ſimus, quotidiana nos docet experientia; mortem & horam incertiſſimam infinita nos do- cent exempla: quæ duo ſinguli ſum- mâ ponderatione conſiderare debe- remus. O miſerrime & infeliciſſime peccator, qui vivis ac ſi nunquam mo- riturus: qui ſic in delitijs es, ac ſi nun- quam illæ te derelicturæ eſſent: erras miſer cum talia tibi imaginaris. Au- di quid Veritas ipſamet Lucæ 17. di- cat: *Stulte hac nocte animam tuam re- petent à te.* Iuvenis fortis, robuſtus, ſanus, pulcher es, plurimos tibi in delitijs promittis dies; ſed erras, for- ſan hac nocte morieris, & non an- nos, non menſes, non dies, quos ti- bi promittis, obtinebis, ſed nec ho- ram forſan: *Quæ autem paraſti cuius e- runt?* Et has divitias, quas contra Dei legem, proximi charitatem, per fas & nefas congregaſti, cujus erunt? Quis illis fruetur? Tu non; nam non vives, ſed morieris. Has delitias, hortos amœnos, palatia ſumptuo- ſiſſima, tot pretioſas picturas, ex pau- perum ſanguine comparata quis ha- bebit? quis his fruetur? Tu non; nam non vives, finita non videbis tua pa- latia, fructus tantarum vinearum & agrorum à pauperibus raptorum mi- nimè guſtabis; nam ante maturitatem earum morieris. Forſan filiorum tuo- rum aut conſanguineorum erunt? & ipſi morientur. Vis peccator ſaluber- rimum à me ſuſcipere conſilium? Vni- cum dabo: Mortis horam menti tuæ infixam habeas: finem tuum, qui mors eſt, conſidera: fac pœnitentiam, & non in divitijs, ſed operibus pijs con- gregandis labora. Quod ſi feceris, bea- tus eris; ſin minus, miſer, & infeliciſſimus, & idem tibi eveniet quod Regi Antio- cho.

Origenes.

De quo libro primo Machabæ- rum capite ſexto legimus, quòd ob inſignes victorias in Ægypto habi- tas, & civitates occupatas ſuperbia ac cordis elevatione inflatus, in redi- tu cùm Iudæam tranſiret execranda patrarit ſcelera; nam domos, & tem- plum ſpoliavit in Regia civitate Ie- roſolyma, ſacrarium atque domum Dei profanavit, aurum & argentum, vaſa quoque pretioſa, & totum the- ſaurum Domini, & quidquid pul- chrum, & pretioſum in templo & ci- vitate erat, abſtulit: juvenes, & ſe- nes occidit, nec ſexui, nec ætati par- cens. Atque his execrandis ſceleri- bus patratis domum redibat. Deus, qui iniquitatum, & iniuriarum mi- nimè

nimè obliviſcitur, & opportuno tempore vindictam ſumit, atque in illos, qui ipſum offendunt, ſeverè animadvertit, viſitavit hunc ſuperbum regem, & acrem ipſi immiſit infirmitatem, atque mortem ei vicinam eſſe, & iam pro occiſione ejus paratam eſſe oſtendit. Quam ſibi cùm præſentem deprehendiſſet, protinus malorum, quæ in Ieruſalem fecerat, recordatus fuit, & principes ac ſatrapas ſuos vocans, ſic ipſos allocutus eſt: *Nunc reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem.* Iam mala, ac ſcelera illa, quæ in civitate ſancta Ieroſolyma patravi, menti meæ occurrunt, quæ vndique me anguſtiant, & ſat clarè video, ac deprehendo ob illa malum hoc mihi evenire, & me debere cum ſummo meo dolore atque mœrore mori in terra aliena. Verba Scripturæ hæc ſunt: *Cognovi ergo quia propterea me invenerunt mala iſta, & ecce pereo triſtitiâ magnâ in terra aliena.* Idem tibi ô peccator continget, ſi vitam, mores non mutaveris, nam cùm morti vicinus eris, dæmon tibi aderit, & illa, quæ dum committebas, vt nulla depingebat, nunc vt maxima mala repræſentabit, & velis, nolis, cum impio Antiocho Rege ad deſperationis tendens barathrum, ſequentia verba dicere cogeris: *Nunc reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem.* Nunc pondus peccatorum meorum, quæ priùs nihili æſtimabam, ſentio: nunc paruum reſpectum, & æſtimationem, quam de Dei habui legibus, cognoſcere incipio, & quàm Die tranſgredi leges maximum ſit; nunc video quàm peſſimè egerim, dum meis impudicis oculis & aſpectibus; fabulis, & non decentibus colloquijs Dei profanavi Eccleſiam, & quam magnum meruerim ſupplicium ob ſummam illam irreverentiam quam ſanctiſſimo Sacramento exhibui.

Miſer exitus illorũ qui de morte non cogitãt niſi in fine vitæ.

Ecce nunc propria me accuſat conſcientia, & vindictas de inimicis meis ſumptas mihi repræſentat. *Nunc reminiſcor* hujus vineæ, illius agri, & domus, quam contra omne ejus acquiſivi, & teneo; nunc pecuniæ, quas ſanguine, & ſudore pauperum congregavi, ardent in anima mea, & ſummis afficiunt doloribus: nunc tot illiciti contractus oculis meis ſunt præſentes, & pauperum à me oppreſſorum clamor confundit aures meas. O me miſerum, & afflictum? quomodo tot tantiſque malis circumdatus & tot ſceleribus oneratus, Dei me ſiſtere potero tribunali, & quale inter tot anguſtias potero habere remedium? *Nunc reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem,* O peccator, & peccatrix dolebis tunc de erroribus commiſſis, & totus in mœrore poſitus eris; deflebis ſcelera tua, planges, ſed ſine fructu; nam dolor hic non contritio, ſed attritio erit; non quòd Deum, qui ſummum bonum eſt, offenderis, mæror atque triſtitia erit, ſed quia inferni tibi imminent ſupplicia, & mori debes. Talis impijſſimi Antiochi fuit pœnitentia, de quo Litteræ ſacræ ſic habent: *Orabat ſceleſtus ad Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Hic finis eorum eſt N. N. qui dum ſani ſunt, & de hora in horam viciniores fiunt morti, tamen de illa cogitare, & ipſius conditiones conſiderare non curant.

O ſtulte, & fatue peccator! vis vivere in ſtatu, in quo mori times, cùm tamen ſcias improviſum, & celerrimum mortis eſſe adventum. Exemplum in hodierno Evangelio habes in Iuvene, quem mors in flore ætatis dum minimè cogitaret, aggreſſa eſt, vicit, & proſtavit, *Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ.* O quàm celer curſus temporis eſt! volando morti acceleramus. Vita noſtra vmbra eſt, & homo qui vivit ſumma vanitas, dum minimè putat,

Luc. cap. 7.

transiens, & evanescens. Hoc David Psalmo trigesimo octavo attestatur: *Veruntamen vniversa vanitas omnis homo vivens.* Ergo filij Adam cur superbiâ inflamini, & mente elevamini, si post tres aut quatuor dies cineres eritis, & tota substantia carnis vestræ, in qua confiditis, in pulveres convertetur? Cur tam elatæ vobis cogitationes sunt, cùm in nihilum redigendi sitis? Quid vos iuvat excellentes fuisse in dignitatibus, magnos in divitijs, eximio in honore, si hæc omnia in momento perduntur, & obscuro includendi estis tumulo, vbi non erit differentia inter nobilem & plebeium, divitem & pauperem: sed promiscuè consumptis à vermibus carnibus hominum iacebunt ossa? Conceptus aut consideratio sancti Zenonis est: *Intuere, & inspice* (inquit) *sepulchra, si poteris discernere, quis sit dominus, quis pauper, quis sit dives. Discerne ibi, si potes, plebeium à Rege, virum fortem ab imbecilli, decorum ab informi.* Et tandem concludens subiungit: *Si ergo horum omnium memor fueris, nulla tibi orietur elationis occasio.*

Psalm. 38.

S. Zenon. serm. de præcept. Attende tibi.

Oculos ergo vestros, peccatores, priusquam à morte claudantur, aperite; adulantibus, & beatos vos prædicantibus fidem negate: Deo, litteris sacris, sanctis Dei servis vobis prædicantibus, & admonentibus fidem date: mortem celerrimo insidentem equo ad vos annihilandos currentem inspicite. Et quia mors celerrimo currit cursu, prævenite illam: divitias pauperibus elargiendo cœlum emite; viam Dei præceptorum magnis currite passibus; mundum, cuius delitiæ breves, & bona vana sunt, despicite: & tandem recordamini Deum ex particulari sua providentia, vt sanctus Gregorius Papa libro duodecimo Moralium attestatur, voluisse finem nostrum occultum esse, vt omni tempore, & horâ parati & dispositi essemus. Verba ejus hæc sunt: *Ad hoc conditor noster latere nos voluit finem nostrum, vt dum incerti sumus quando moriemur, semper ad mortem parati inveniamur.* Quis vestrûm, nunc peto, iam mori paratus est, & in cunctis requisitis sic dispositus, vt venienti morti in brachia vt amico ruere præsumat? Ah misera humana sors, quæ ad peccandum magis, quàm ad moriendum inclinata est! Credite mihi mundi sequaces, ratione caretis. Id valde ad rem Moyses libro Deuteronomij capite trigesimo secundo de illis dixit: *Vtinam saperent, & intelligerent, & novissima præviderent.* Et eos David ijsdem pene increpat verbis: *Stulti aliquando sapite.* Sint vobis negotia salutis vestræ cordi, cogitate vos morituros & parati estote, ut benedictus Christus vos admonuit: *Estote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet*; vt cùm à Christo ad rationem reddendam vocandi estis, parati & prompti ad illam, & mortem acceptandam sitis.

S. Gregor. Papa lib. 12. Moral.

Deut. c. 32.

Psalm. 93.

Luc. cap. 12.

Mirum certè, hominem per peccatum tam fatuum ac cæcum factum esse, vt propriæ salutis oblitus, propriam non consideret naturam, & se moriturum non credat? Estnè possibile tales reperiri homines, qui cùm patrem, matrem, filios, parentes, sorores, fratres, cognatos, amicos, quotidie mori deprehendant, se quoque ipsos subsecuturos non credant? Et vt paucis dicam, estnè possibile tantam inesse fatuitatem hominibus, quòd cognoscant se homines esse, & morituros se ignorent? Ah Deus meus! sciunt, & nimis sciunt, sed scire nolunt, & agunt ac si nesciant. O charissimi mei fratres, aperite tandem aliquando oculos vestros, & mentis vestræ acuite visum, & tot mortuorum aspicite tumulos, & quid intus contineatur, considerate, vt mortis continuam habeatis memoriam; nam hæc sola omnes superbas deijcit cogitationes, mentis deprimit elevationem,

nem, divitias despicere facit, odia dimittere persuadet, & veram peccatorum inducit fugam. Sic sanctus Augustinus libro de speculo peccatorum capite sexto docet : *Consideratio mortis destructio est superbiæ, extinctio invidiæ, effugatio luxuriæ, euacuatio vanitatis & iactantiæ, perfectio sanctimoniæ, præparatio salutis æternæ.* Vult dicere Sanctus : Homo ille, qui mortem sibi vicinam imaginatur, & sæpiùs naturam ac conditiones ejus mente revolvit, si superbus est, fit humilis; si inuidus, sanatur, ac de proximi gaudet felicitate; si lasciuus & luxuriosus, hac convertitur, & fit castus ac pudicus; si vanus ac levis, fit gravis & modestus; si iactantiam olent verba ejus, humilitatis condiuntur pigmento, si salutis negligens hæc calcaria sunt, & tandem via ad æternam gloriam se & illam acquirendi est.

S. Aug. lib. de spec. c. 6.

PUNCTUM SECUNDUM.

Sed vt secundum punctum in principio à me propositum transeamus, dico, Deum maiori beneficio viventem afficere non posse, quàm vitâ illum privando, & inter omnes gratias, quas Deus post justificationes homini præbet, hanc summam, & maximam esse, dum hominem mori facit: nam per illam ab omnibus miserijs, laboribus vitæ hujus hominem liberat, & à quotidianis angustijs, quibus premitur, sublevat. Veritatem hanc Christus in hodierno Evangelio mentibus nostris imprimere voluit, dum Naimiticam viduam, cujus filius in flore ætatis suæ mortuus fuerat, à fletu cessare exhortatur, & mortuum deplorare prohibet, dicendo: *Mulier noli flere.* Ac si diceret : Amarissimi tui fletus, ô mulier, nullam habes causam; nam mors, quæ tibi filium abstulit, non vt inimicus nimirum vt mala tibi inferret, se gessit, sed vt amicus, vt plurima tibi adferret bona, in ejus morte egit; nam de quotidianis miserijs atque angustijs, quas homines experiuntur, ipsum liberavit, & portas vitæ veræ aperuit; *ideò mulier noli flere.* Veritatem hujus doctrinæ etiam ipsimet infideles cognoverunt. Vnde Plautus sic cantat:

Summa gratia, mori estò.

Quem Dij diligunt
Adolescens moritur.

Plaut. Bacch. 4. serm.

Nascitur homo, & vix de obscœno carcere vteri materni liberatus, primus actus oris clamor, ac lamentationis voces, & oculi lachrymarum sunt riuuli; & harum, vt sanctus Augustinus attestatur sermone de nativitate Domini, solæ miseriæ, ad quas homo nascitur, causa, atque origo sunt, *Lachrymæ infantium testes sunt nostræ miseriæ,* Et Seneca de Cons. ad pol. capite vigesimo tertio dicit ex hoc planctu hominem concludere posse, quales miserias, atque angustias humana illi promittat vita. *Qualem vitam vobis natura promisit.*

S. August.
Seneca.

Inde Spiritus sanctus dixit : *Melior est dies mortis, die nativitatis.* Et doctissimus Hugo Cardinalis hunc explicans locum, rationem hujus sententiæ assignat, dicens : Mors enim nihil aliud est, quàm exitus de carcere, finis exilij, laboris consummatio, ad portum applicatio; peregrinationis finis, omnium periculorum evasio. Hujus evidentissimæ veritatis Thraciæ populi his cæremonijs testimonium dederunt : Dum homo nasceretur, mœsti, ac tristes flebant, & adventum ejus deplorabant ; cùm verò moreretur, lætitiæ varia dabant signa. Legite primi libri Regum decimum octauum caput, & reperietis hujus veritatis evidentissimum testimonium. Peccante Rege Saul, reijcitur à Deo in angustijs positus. Cùm Samuelem Prophetam, qui angustia-

Eccl. cap. 7.
Hugo hic.

1.Reg.c.28. rum ejus semper fuerat portus, eum mors abstulisset, Pythonissam reperit, cujus incantationibus, & arte (Deo sic permittente) Samuel excitatur, & cùm Regem Saulem aspexisset, sequentibus in eum animadvertit verbis: *Quare inquietasti me vt suscitarer?* Dicere volebat: Curô Saul, denuò me, qui mortuus in pace & quiete eram, inquietas, & miserias hujus mundi denuò me vis probare? *Quare inquietasti me vt suscitarer?* Tot tantisque miserijs ac laboribus humana vita plena est, vt quisque sapiens, ac intellectum habens, mortem beneficam, & non maleficam æstimet. Hac veritatis doctrinâ dum Rex David suam imbueret animam, sequentibus allocutus
Psal. 114. est verbis: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Id est, O anima mea mortem timere noli; nam non mala, sed plurima bona tibi secum adferet, quia de omnibus malis, & cunctis angustijs, quibus caro te stringit, absolvet, & liberabit, atque vitæ, pacis, ac quietis aperiet portas. Sanctus Ioannes Chrysostomus Homilia
S.Io.Chrys. Hom.32.in Matthæum. trigesima secunda in sanctum Matthæum, notat mortem ex singulari Spiritus sancti instinctu requiem, & beneficium appellari. Ideò Tiberius Cæsar, cui mortis natura sat nota erat, illam vt summam gratiam, ac beneficiorum omnium maximum cuidam
Sueton. in eius vita Tiber. inimico suo negabat, vt Suetonius in ejus vita refert. Cùm semel carceres, vbi malefactores & inimici, qui ejus offenderant personam, visitaret, & quidam generosus, cui captiuitas morte durior videbatur, mortem à Cæsare peteret, respondisse fertur: *Nondum mecum in gratiam rediisti.* Ac si diceret: Tu inimicus meus es, & gratiam à me petis, immò summam gratiam quam præstare potero: erras, inimico non exhibeo talem gratiam, nec simile confero beneficium. Considerate ergo Christiani an non mors beneficam erga nos se exhibeat, cùm suo adventu omnium angustiarum & laborum vitæ nostræ scindat filum.

Gen. c. 3. Legite caput tertium libri Genesis, & reperietis Adamum Dei transgressum præceptum, prohibitum gustasse pomum, & à Domino ex paradiso ob hoc crimen fuisse eiectum. *Eiecitq; Adam.* & Angelum Cherubim igneo armatum gladio ligni vitæ posuisse custodem. Sed qua de causa hæc Deum egisse & tali supplicio Adamum castigasse creditis? Forsan quia iratus, atque indignatus erat contra Adamum, eò quòd ejus fuisset transgressus præceptum? Minimè; sed pietatis, ac misericordiæ hic fuit actus: nam cùm Deus hominem ob inobedientiam tot miserijs subiectum deprehendisset, misericordiâ, & passione erga ipsum commotus, extra paradisum eiecit, & vitæ arboris potestatem ipsi ademit: nam si de ea gustasset, semper vixisset, & semper miser ac infelix fuisset. Hinc in mortis relegatur vallem, & ne semper miser vivat, brevem ipsi ordinavit vitam; ideò Angelo vitæ lignum ad custodiendum tradidit; *Ne mittat manum suã, & sumat de ligno vitæ, & vivat in æternũ.* Quem locum sanctus Gregorius Nazianzenus considerans, oratione trigesima octava in Christi nativitate, sequentia protulit verba: *Atque hic quoque tamen mortem, ac peccati præcisionem eluctatur, ne malum immortale esset; ita pœna ipsa in misericordiam cecidit.* Quam considerationem doctissimus Eutherius libro primo in Genesim capite tertio sequentibus confirmat verbis: *Verè vt clementissimus Dominus eisdem dignatus est consulere ad salutem, vt fortè per transgressionem indigni iam facti, de ligno vitæ præsumerent edere, & ad perpetuum viverent cruciatum.* Ergo misericordiæ, & pietatis

S. Greg. Nazianz. orat. 38. in Christi Natiu.

Euther. lib. 1. in Gen.

pietatis Deus exercuit actum, quando hominis inobedientiam morte punivit. Sic opinantur sanctus Isidorus Pelusiota, devotissimus Rupertus Abbas libro de divinis officijs, & alij. Et Plinius doctissimus naturæ Philosophus, curiosissimus investigator dicit, Deum majus non potuisse homini conferre bonum, ac donum, vitæ brevitate; nam quò brevior vita, eò citiùs miseriarum atque laborum attingitur terminus.

S. Isidorus. Rupertus. Plinius.

S. Ioan. c. 11. Apud sanctum Ioannem capite vndecimo reperietis Christum Lazarum resuscitasse à mortuis, & vitam restituisse, atque hoc actu amarissimè flevisse. *Et lachrymatus est Iesus.* Sed N. N. causam fletus, atque planctus hujus scire vellem? Sanctus Hieronymus epistolâ ad Tyrasium reddit rationem, & dicit Christum flevisse, quòd Lazarus aliàs sibi amicus charissimus ad labores hujus exilij, & tormenta hujus vitæ rediturus esset. Verba Sancti hæc sunt: *Ille nolebat reddere laboribus, quem dilexerat. Vnde apparet solâ eâ causâ fuisse commotum, quód ad hostilem vitam charissimum revocare denuò vrgebatur.* Idem Sanctus Cyrillus Alexandrinus affectuosissimis asserit, & attestatur verbis: *Tristem Lazari deflebat sortem ad hanc vitam mortalem plenam miseriæ, & doloris revocandi.* Et doctissimus Petrus Blesensis epistolâ centesimâ septuagesimâ quartâ in confirmationem harum opinionum sequentia scripsit verba: *Christus non pro morte ipsius Lazari, sed pro revocatione ad miserias temporales planxisse dicitur.*

Epist. ad Tyrasc.

S. Cyrillus Alexand. l. 7. in Ioan. c. 21.

Mors ergo N. N. à mortalibus vt summa felicitas, atque Dei singulare donum habendum, atque existimandum est. Veritas hæc poterit exemplo aut facto illo à Cicerone in oratione Tusculana de contemptu mortis enarrato confirmari. Contigit in civitate Romana matronam quamdam sacerdotem, & à sacrificijs Iunonis, diligentissimam & zelosissimam in cultu suæ Deæ, die quadam cum sacrificio adesse deberet, & iam iam illud celebrandi tempus instaret, eò quòd equi, qui currui jungi debebant, prompti non fuissent, summoperè commotam, & indignatam fuisse. Quòd cùm duo filij ejus, quos habebat, deprehendissent, & matrem in angustijs positam conspexissent, matrem currum, seu lecticam intrare coegerunt, & quia pedes officij ratione iter ad templum absolvere non licebat, ipsi jumentorum loco currui se accommodarunt, & matrem, ne Deæ tardaretur sacrificium, ad Iunonis traxerunt templum. Quem pietatis actum cùm mater deprehendisset, tota amoris affectu erga filios exardescens, sub sacrificio à Dea sua, cui sacrificabat, maximam, & summam gratiam, quæ mortalibus conferri possit, rogabat illis dare atque tribuere dignaretur: & sic finito sacrificio cùm filios respicere, & alioqui vellet, mortuos in templo deprehendit. Quod cùm hæc prudentissima cognovisset matrona, sepeliri fecit, & lachrymarum loco plurima lætitiæ, atque gaudij dedit signa, quibus mortem non tantùm vt summam felicitatem, summum bonum, quod mortali in hac lachrymarum valle concedi possit, recognovit, sed talem esse cunctis demonstravit.

Pulchrum factum Romanæ matronæ in morte filiorum, & filiarum in matrem.

Toto tempore, quo in hoc misero carnis detinemur carcere, ne horam vnicam quietis, aut pacis habemus, sed semper in continuis sumus tribulationibus, nunc persecutionibus, nunc amici alicujus morte, nunc parentum amissione, nunc paupertatis angustijs, nunc infirmitatibus varijs, nunc hac, nunc illâ vexamus tribulatione. O quàm misera? ô quàm infœlix vita hominis est? quæ non vita, sed mors potius ob infinitas, quas secum adducit angustias, atque tribulationes.

tiones dicenda est. Sic opinatur S. Augustinus supra Psalmum quadragesimum octavum: *Vita hæc est vita ærumnosa, mise-*
S. Aug. sup. *rijs plena, quæ est vita dicenda, sed potiùs mors, in qua momentis singulis per varios mutabilitatis defectus morimur.* Et Sanctus Basilius oratione de morte: *Quòd si ob eas res, quæ nobis acerbæ accidunt, lamentari, atque continuò lachrymari vellemus, profectò ad eam rem omne tempus vitæ nostræ nequaquam nobis sufficeret.* Quis ergo nos à tot augustijs, totque laboribus liberat? quis nos à tot tantisque curat incommoditatibus, atque infirmitatibus? Sola mors. Inde Angelicus Doctor Sanctus Thomas de Aquino secundâ secundæ, quæstione vigesimâ quintâ, articulo sexto ad secundum docet, mortem cunctis mortalibus vtilissimam, ac proficuam esse; nam justorum laboribus, & angustijs, perfidorum peccatorum malis, & peccatis finem imponit; inde tam justi, quàm peccatores mortis lucrantur adventum, ideò vt cunctis vtilissima, à cunctis desideranda, atque optanda est. Vnde pœnientiæ speculum Sanctus Hieronymus summam mortis vtilitatem considerando, sic scripsit ad Cromatium: *O*
S. Hieronymus ad Cromatium. *mors desiderabilis! ô mors omnium malorum præsentium finis! ô mors laboris clausura, quietis principium! quis cogitare queat tuarum vtilitates beatitudinum?*

Ergo animæ electæ, non durum aut arduum vobis mori videatur, sed desiderio ejus accensi dicat quisque nostrûm cum Sanct. Apostolo ad Romanos
Ad Rom. 7. c. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sic mori nobis summæ erit consolationis, & mors ipsa dulcissimus atque gratissimus nobis erit hospes, & magis corde quàm ore cum Serenissimo Rege David absque intermissione sequentia Psal. 4. dicemus verba: *Quando veniam & apparebo ante fa-*
Psalm. 4. *ciem Dei?* Ah Sanctissime Deus, quando felicissima illa ventura est hora, quâ portæ hujus obscuri carceris aperientur, & miser de tot liberatus angustijs, tuam sanctissimam intueri valeam faciem? quando mors mihi iam dudum desiderata aderit? quando de tot laqueis & angustijs me liberatura est? quando tot laboribus, tot miserijs, tot afflictionibus, ac doloribus, & tandem peccatis & erroribus meis finem impositura est? animæ meæ ad veram requiem & quietem, ad æterna gaudia erit ductrix? O Christiani, vim facite vobis, vt benè vivatis; non dubitate, quin benè & sanctè moriemini: mors vobis non dura & amara, sed dulcis & acceptatissima erit, & quisque vestrûm, cùm illam præsentem adesse inspexerit, amorosis aspiciet oculis, & sequentia cū Rege David dicet verba: *In pace in idipsū* Psalm. 4.
dormiam & requiescam. Requiescamus & nos.

PARS II. PVNCTVM TERTIVM.

Vidimus N. N. hactenus, mortis memoriam vnicum esse frænum, ad licentiosæ hominis vitæ cursum cohibendum & frangendum, ne Deum offendat. Exhibuimus etiam mortem, vt singularissimum Dei donum, & primum favorem, quem Deus homini præstare potest in hac vita. Nunc superest, vt vobis demonstremus, quàm suavis, dulcis, ac accepta sit mors justis, qui mediâ bonâ & sanctâ vitâ suâ, quam in hoc mundo egerunt, promptos ac paratos se ad ejus reddiderunt adventum: ideò verè beatos tales benedictus nosterChristus Luc. 12. vocat: *Bea-* Luc. cap. 12.
ti sunt servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Et Salomon Sap. c. 4. Sap. cap. 4.
Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Beata mors justorum, quare? Felicissimus ergo erit finis illorum qui continuò mortem sibi ob oculos ponunt, & naturam ac conditiones ejus considerant, & in bonis se exercent operibus. Sanct. Chrysostomus homil. trigesima

gesimâ secundâ in Matthæum de felicissima justorum morte discurrens, & verba illa, *Non est mortua puella, sed dormit*, considerans, sequentia protulit: *His verbis docet non timendam esse mortem, cùm ad conditionem somni redacta sit.* Ergo post Christi adventum mors minimè timenda est; nam justi acerbitatem ejus per opera sua bona ex Christi gratia præstita, in somni mutarunt dulcedinem. Sic idem in alio loco dicit: *Nunc autem propter gratiam Christi, quia mors facta est somnus, & consummatio, queis, quasi de vita in vitam transferendi, sic exultemus.* Vult hic Sanctus, lætos nos agere dies, quoniam mors conversa est in dulcissimum somnum & quietem. *Mors facta est somnus.* quia est quies ab omni labore, finis ac terminus omnium angustiarum, tribulationum, ac virtutum & bonorum operum, in quibus justi in hac vita se exercent. Ideò *iustus*, vt idem Sanctus dicit, *cùm tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit.* Vult dicere: Iustus non timet mortem, nec cùm signa adventus ejus apparent, turbatur, aut tristatur, sed totus hilaris exultat, quia vt finem laborum & terminum angustiarum, ac principium quietis, consolationis, & præmij suorum laborum illam considerat. Ideò Sanctus Ioannes in libro Apocalypsis, qui sic moriuntur, & in tali statu advenientem mortem acceptant, beatos vocat, dicens: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* & mox beatitudinis hujus rationem reddit: *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Et sic mors nō est dura & acerba timenda; nam dulcissimus somnus est, quem æterna sequitur hæreditas. Sic mellifluus ac Sanct. Doctor Bernardus in sermone de varijs, illam describit: Venit quidem mors, sed somnus erit dilecto Dei, & ecce hæreditas ejus erit ianua vitæ, erit initium refrigerij, & ingressus in locum tabernaculi.

S. Chrysost. homil. 32. in Matth. Matth. c. 8.

S. Chrysost. hom. Glos. in. cap. 49. Genes.

Apoc. c. 14.

S. Bern. in serm. de varijs.

Nunc intelligo, quidnam S. Apostolus Paulus ad Philippenses capite 1. de se ipso loquens dicere intendebat: *Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum.* Cùm vivo, Christum habeo; cùm morior, lucror. Sed quid dum moreris, ô S. Paule luctaris? Christū Deum meum; post hanc vitam, facie ad faciem visurus sum. Sic docet beatus Laurentius Iustinianus de triumpho Christi agonis dicens: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Nam mortem carnis animæ lucrum putat Paulus, dum relicto huius seculi ærumnoso exilio, in cœlestis aulæ patriam lætus progressurus ingreditur.* Ideò Sanctus Hieronymus tempore mortis suæ exclamans, dicebat: *O quantum lucrum mihi est mori! Ecce de tenebris ad lucem, de inopia ad divitias, de prælio ad victorias, de tristitia ad gaudium.* Et cùm iamiam resolutionis instaret tempus, totus lætus in sequentia prorupit verba: *Abijcite vestimenta luctus & tristitiæ: Psalmum dicite Domino: Ecce portum attingo, iā redeo ad patriam, de tristitia ad gaudium, de prælio ad victoriam.*

B. Lauren. Iustinian.

S. Hieron.

Et Sanct. Bernardus de morte sancti sui fratris Gerardi, qui cantando moriebatur, discurrens ait: *Vidi exultantem in morte, & insultantē morti, Vbi est mors victoria tua? vbi mors stimulus tuus? iam non stimulus, sed iubilus; iā cantando moritur homo, & moriendo cantat.* O quàm fausto atque felix justorum mors est! nam non moriuntur, sed suavissimo ac dulcissimo obruuntur somno. Eandem hanc veritatem agnovit & Seneca licet infidelis; nam hisce ad suum Lucillum scribit: *Stultus moriendo mortem incipit, sapiens moriendo mortem vincit.* Per stultum infidelis hic Philosophus peccatorem, per sapientem justum intelligit. Stultus ergo peccator vitæ suæ attingens terminos, reverà moritur, & pro tota æternitate mori incipit; vt semper crucietur & miser æternæ mortis experiatur miserias; sed sapiens qui iustus

S. Bernard.

Senec. Epist. 24. ad Lucil.

stus est, cùm terminos vitæ suæ attingit, non moritur, sed mortem vincit, vt in æternum vivat: angustijs atque doloribus finem ponit, vt in æternum lætetur ac gaudeat: laboribus ac tribulationibus valedicit, vt æternas capiat consolationes atque quietem sempiternam possideat. Vincit ergo iustus mortem, & dum oculos claudit, iam victoriam cantat, & dum pugnat, & occumbit, triumphat, & dum moritur in carne, æternæ gloriæ incipit vitam, vt habetur Apoc. c. 14. *Vt requiescant à laboribus suis.*

Veritatem hanc docere nos voluit benedictus Christus Ioan. cap. 8. dum de justorum discurrens morte, dicebat: *Si quis sermonem meum servabit, mortem non gustabit in æternum.* Mirabile dictum. Omnes morimur, boni & mali, & ipse Christus mortuus est, qui iustus iustorum erat, & tamen dicit, quòd iusti, qui sermonem ejus servant, nunquam morituri sint. *Non morietur in æternum.* Ecce mysterium latet: peccatores moriuntur, sed non iusti: claudunt quidem oculos electi Dei, & oculis nostris videntur mori. Sapientiæ c. 3. *Visi sunt oculis insipientium mori*, at non moriuntur, sed dulcissimo ac suavissimo sopiti somno requiescunt, & æterna perfruuntur pace. Sic asserit Spiritus sanctus eodem loco: *Illi autem sunt in pace.* Vnde S. Bernardus horum considerando mortem, totus admirabundus exclamans, in sequentia prorupit verba: *Felix mors quæ vitam non aufert, sed in melius transfert. Mors somnus iustorum, requies amicorum Dei.*

Sap. cap. 3.

S. Bernard. serm. 52. in Cant.

Quisquis ergo nostrûm N. N. bonam satagет ducere vitam, hic bene morietur. Non seducamur, vt perfidus ille orientis magnus Propheta falsus Balaam, qui impiam cùm duceret vitam, bonam sperabat mortem, dicens: *Moriatur anima mea morte iustorum.* Quod cùm Liranus considerat, dicit: *Mali enim homines, licet nolint vivere vitam iustorum, appetunt tamen mori morte eorum.* Sed miserrimè miserrimi decipiuntur; nam si quis vult bene mori, omnino bene vivere cogitandum est. Vnde Oleaster in hunc locum irridet fatuum illum peccatorem, qui dicit: *Moriatur anima mea morte iustorum*, & exhortando ipsum ad vitam talem, qualem mortem sibi precatur, ducendam, sic ipsum alloquitur: *Vtinam diceret potius, Vivat anima mea morte iustorum, quàm, moriatur anima mea morte iustorum*, ac si dixisset: O stulte! melius profectò ageres, si iustorum duceres vitam; sanctum, iustum, ac innocentem in omni actu tuo te exhiberes, quàm quòd dicas: *Moriatur anima mea morte iustorum.* Et rationem hujus suæ admonitoriæ doctrinæ reddens, sic asserit? *Dominus enim non consuevit dare mortem iustorum, nisi iustis; sicut neque mortem impiorum, nisi impijs*, vult dicere, Rarò, qui malè vixit, benè moritur, & qui benè vixit, malè moritur; nam non solitus est Deus tam dispares vitæ mortes dare. Audite S. Augustini verba, libro de doctrina Christi: *Non potest bene mori, qui malè vixerit, & vix bene moritur, qui malè vixerit.* Et tandem dicit: *Qui in peccato mori non vult, in peccato non vivat.* Et idem in tractatu trigesimo octavo in Sanctum Ioannem rationem reddens, sic dicit: *Sæpissimè antequam agat pœnitentiam, iusto Dei iudicio in peccato moritur, vt mors sit vitæ sceleratæ consentanea.* Sæpiùs dicit Sanctus contingere, peccatores ante pœnitentiam mori, sic Deo iusto suo iudicio permittente. Et non immeritò; nam mors vitæ correspondere debet. Ergo si quis malè mori non vult, bene vivat. Hinc idem sermone vigesimo-quarto de verbis Domini exhortatur omnes, qui bonam desiderant mortem, dicens: *Vivite ergo bene ne moriamini malè.* Hæc mentibus vestris inscripta ac cordibus

Num. c. 23.

Oleaster hic.

S. Aug.

bus vestris fixa semper maneant: & vt bonam obtinetis mortem, bonam satagite ducere vitam, quam vobis & mihi concedat semper benedicta & intemerata Sanctissima Trinitas. Amen.

DISCVRSVS XXVII.

PRO DIE VENERIS POST QVARTAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ

ARGVMENTVM.

Discursus huius punctum primum miserabilem obstinati peccatoris statum continet, qui per quatriduanum Lazarum figuratur. Secundo puncto difficultates adducuntur, quas, dum converti vult, diabolus obijcit. Secunda parte puncto tertio fœtor, quem peccator emittit, & media curativa, quibus Christus ad sanandum vtitur, exhibentur.

Thema.

Et lachrymatus est Iesus. Ioan. cap. 11.

Non decēt lachrymæ viros, multò minùs Reges aut Imperatores.



Flet & plangit benedictus noster Christus in hodierno Evangelio, qui heri Naimiticam viduam flere nolebat, dicens: *Mulier noli flere.* Et cùm Monarcha vniversi sit, absque dubio non mediocris, sed maximi momenti causa fletus ac planctus esse debet: nam regalem maiestatem minimè decent lachrymæ, & coronæ non conveniunt planctus. Inde Sanctus ille patriarcha Ioseph, cùm ex teneritudine amoris erga fratrem suum Benjamin lachrymas continere non potuisset, ne dignitatem vilitatis aliquâ notâ macularet, se retraxit, & conclavis sui secreta intravit, & ibi lachrymarum emisit fontes, vt habemus Gen. c. 43. *Festinavitq; quia commota fuerant viscera sua super fratre suo, & erumpebant lachrymæ, & introiens cubiculum flevit.* Legimus Imperatorem quendam Romanum, cùm ob mortem charissimi cuiusdam amici amarissimè fleret, licèt à Philosopho quodam excusaretur, dicendo, imperialem dignitatem hominis naturâ eum minimè privasse; severè tamen fuisse correctum à quibusdam amicis, ac si quid indignè contra imperialem commisisset dignitatem. Ideò apud Barbaros hæc vigebat lex & rigidissimè observabatur, si quis honestus vir aut dignitate aliquâ notatus fleret ac plangeret mortem alicujus amici, vel aliud infortunium cogitaret, virili deposito habitum muliebrem assumeret, & toto tempore, quo plangere prætenderet, illo vteretur. Sic Romani, vt refert Seneca, feminis mortem maritorum suorum plangendi ad annum, & non vltrà concesserunt tempus; viris verò suos consortes aut amicos deflendi, nec horam. Verba ejus hæc sunt: *Annum feminis ad lugendum constituêre maiores, non vt tam diu lugerent, sed ne diu-*

tius: *Viris nullum legitimum tempus, quia nullum honestum.* Et nihilominus, vt in hodierno audivimus Evangelio, lachrymatur & plangit Christus. *Et lachrymatus est Iesus.* Nec dignitas personæ, nec officij & status, nec circumstantia cum retardat à planctu, sed amarissimè absque omni plangit respectu. Quæ verò tam vrgens causa tantarum lachrymarum in eo? Puto Lazarum mortuum, sed vt peccatoris figuram iam obstinati ac inveterati, in peccandi consuetudine considerabat. Et hic conceptus est sancti Augustini sermone quadragesimo quarto de verbis Domini: *Quatriduanus Lazarus significat peccatorem in peccati consuetudine sepultum, & quasi desperatum.* Et certè si homini cordato planctus licitus esse potest: solus hic casus est; nam nil sub sole deflendum magis ac plangendum est, quàm status peccatoris inveterati in consuetudine peccandi, & cujus iam quasi conversio desperata est, cùm consuetudo difficillimam reddit conversionem. Quam veritatem primâ parte hujus concionis vobis exhibere resolui: secundâ verò parte memedia & modos, quibus Christus in resuscitando Lazaro vsus est, examinabimus. Attenti estote, & incipio.

Senec. ep. 33.

PARS I.

PUNCTUM PRIMUM.

Et lachrymatus est Iesus.
Ioan. cap. 11.

Trium resuscitatorū à Christo faciunt tantùm mentionē Evangelistæ.

NOn est dubium N. N. quin benedictus Redemptor noster, cum in hac mortali nobiscum degeret vita, plurimos resuscitarit mortuos; attamen tres tantum à sacris Evangelistis commemorari in sacra Evangelica deprehendo historia; virum vnum, juvenem vnum, & vnam virginem. Resuscitationem virginis, quæ filia Archisynagogi erat, Sanctus Marcus capite quinto describit: Iuvenis mortui, & resuscitati, quis filius viduæ Naimiticæ erat, Sanctus Lucas capite septimo meminit. Lazari mortem, & ad vitæ per Christi potentiam restitutionem in hodierno Evangelio Sanctus Ioannes enarrat. Omnes tres à Christo fuerant resuscitati, sed quisque illorum diversimodè, atque singularibus cum cæremonijs. Filia Archisynagogi fuit à Christo absque multo labore & cum summa facilitate resuscitata: nam cùm de morte ejus certior esset factus, respondit non esse mortuam, sed dormire ac quiescere: *Non est mortua puella, sed dormit.* & intrans domum & locum vbi mortua iacebat puella, vnico tactu, & manus applicatione vitæ restituit, vt sine magna verborum ambage sacer attestatur Textus: *Tenuit manū eius, & surrexit puella.* Secundus fuit filius Naimiticæ viduæ; cui etiam vitam restituit, sed non tam citò vt filiæ Archisynagogi: nam cùm bajuli cadaveris, & turba, quæ ipsum comitabantur, extra portam obuiassent, sistere eos jussit, & non tantùm manum tactu vsus est, & tumbam seu loculum cadaveris tetigit, vt Sanctus Lucas attestatur: *Tetigit locum, & qui portabant, steterunt,* sed etiam voce & verbis vsus est, dicendo: *Adolescens tibi dico, surge.* Tertius fuit Lazarus, cujus resuscitatio multò differebat ab alijs, & multò maiorem laborem atque difficultatem Christo exhibuit: nam cùm locum vbi sepultus iacebat, accessisset, dicit Evangelista totum fuisse commotum, & quasi extra seipsum factum infremuisse spiritu: *Infremuit spiritu.* Deinde totus fuit turbatus: *Turbavit semetipsum.* Tandem flevit, & amarissimas emisit lachrymas: *Et lachrymatus est Iesus.* Demum summâ voce exclamans Lazarum proprio appellans nomine, de sepulchro vocat: *Voce magnâ clamavit: Lazare veni foras.* O immortalis Deus! quid sibi tot tantæque

Marc. cap. 5.

Luc. cap. 7.

Ioan. cap. 7.

Tres mortui resuscitati designant tres status peccatorum.

tæque volunt difficultates? & cur tot cæremonijs opus est in Lazaro resuscitando? Ad resuscitandam puellam paruulam solus Christi sufficit tactus; ad restituendam vitam juveni tactus & verba Christi sunt efficacissima atque sufficientissima; ad reviuificandum Lazarum non sufficiunt verba, non tactus; sed fremitus, gemitus, fletus, planctus, lachrymæ, conturbationes, adesse debent. Vnde hoc? Variæ sunt responsiones ad hanc difficultatem Sanctorum Patrum. Vnam S. Augustini proposito nostro accommodatam adducam, quam sermone quadragesimo quarto de verbis Domini reperietis: per hos tres diversos mortuos resuscitatos, tres status peccatorum denotari dicit Sanct. Doctor. Puellula, quæ adhuc teneræ erat ætatis, peccatoris, qui recenter peccare Deum offendere didicit, figura erat. Iuvenis vel adolescens, qui iam perfectioris est ætatis, figura peccatoris erat, qui iam peccare incepit, & in peccatis demoratur, atque pergit Deo offendendo, Lazarus demum, qui iam perfectæ erat ætatis, quatuor dies iam habens in monumento, evidentissima figura obstinati peccatoris est, qui Deum non tantum mille & mille gravissimis offendit sceleribus, verùm etiam pedem in illis fixit & per frequentes habitus continuam consuetudinem peccando acquisiuit. Ad convertendum ergo peccatorem, qui recenter in peccata cecidit & Deum offendere didicit, non tantus requiritur labor: contactus vnus manûs Altissimi sufficit, id est, vnica infirmitas, vna pœna, flagellum, tribulatio vnica, quam Deus immittit, ad conversionem ejus sufficientissima est. Ad conversionem peccatoris iam aliquantulum inveterati in peccatis, non sufficit tactus & manus Altissimi, id est, flagella & tribulationes; sed debent accedere verba, id est, correctiones, admonitiones, quæ turpitudinem vitæ oculis ipsius repræsentent, & ob patrata scelera Dei adesse manum demonstrent. Denique ad conversionem Lazari iam quatriduani, iam putrefacti & fœtentis, id est, peccatoris in peccatis per longam & continuam consuetudinem Deum offendendi, habituati, hic labor, hoc opus est; non quidem ex Dei & Altissimi, sed peccatoris parte. Et hæc difficultas non à peccatore iam in peccatis habituato & obstinato oritur. Hic non est sufficiens Dei manus, id est, tribulationes, supplicia, & tormenta, non vox & verba Altissimi, id est, reprehensiones, increpationes, admonitiones, conciones, obsecrationes; sed fremitus, gemitus, lachrymæ, & spiritus Altissimi conturbationes advenire, & adesse debent. Hoc ipsemet Christus dum Lazarum, qui figura talis peccatoris erat, resuscitaret, docere & instruere nos voluit. *Infremuit spiritu: turbavit semetipsum; lachrymatus est Iesus.* Potéstne quid vltrà ex Dei parte desiderari? Quis vnquam similem deprehendit difficultatem? voluit Deus creare cælum & terram, & quidquid in illis est, vt Genes. cap. 2. legimus. *Dixit & facta sunt*, nulla suboritur difficultas. Et in conversione inveterati peccatoris contactus, & Dei verbum non sufficiunt, sed debet fremere spiritu, turbari & lachrymarum emittere flumina. O immortalis Deus! quàm difficilis inveterati peccatoris conversio est! Sed percipere vobis Iubeat N.N. S. Augustini verba, vbi suprà, Ejus hic conceptus est: *Venit ergo Dominus, cui vtique facilia erant omnia, & difficultatem quandam ostendit: ibi infremuit spiritu, ostendit multo clamore obiurgationis opus esse, ad eos, qui consuetudine duruerunt.* Et Glossa ordinaria in vndecimum caput, Evangelicæ historiæ Sancti Ioannis Apostoli, in eiusdem loquitur confirmationem,

Margin notes: *Luc. cap. 7.* — *Ioan. cap. 7.* — Tres mortui resuscitati designant tres status peccatorum. — *Ioan. c. 11.* — *S. Aug. ser. 44. de verb. Dom.* — *Gloss. ord. in c. 11. S. Ioan.*

tionem, dicens: *Fremuit, lachrymavit, clamavit, quia difficilè surgit, quem moles malæ consuetudinis premit; sed tamen post magnam vocem surgit, quia per magnam Dei gratiam vivificatur, dum pœnitet.*

PVNCTVM SECVNDVM.

EX doctrinæ hujus veritate atque intelligentia, sensus cognitio, atque significatio varia mundatorum labiorum Ieremiæ & Isaiæ descendunt, vt Sanctus Hieronymus in caput sextum Isaiæ anima advertit. Conquerebatur Sanctus Propheta immunda se habere labia, dicens: *Vir pollutus labijs ego sum.* & ecce subitò de cælo devolat Spiritus Seraphinus; accedit altare holocausti, vbi accensi tenebantur carbones, & apprehenso vno labia ejus tangit, mundat, atque purificat. *Ecce tetigit hoc vt auferretur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Mittitur propheta Ieremias, vt Dei intimet voluntatem Israeli, & ecce excusat se, dicens: *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Deus hunc quoque sanat, sed nec ignem, nec forcipes adhibet, sed tantùm dulcissimâ ac suavissimâ suâ tetigit manu, vt sacræ attestantur litteræ. *Misit manum suam & tetigit os meum.* Vnus in ambobus curatur affectus, sed diversis medijs non absque magno mysterio, sic Deo ordinante, qui nil casu facit, sed omnia ad nostram vtilitatem ordinat ac disponit. Hi duo Prophetę symbola sunt duorum diversorum peccatorum: Ieremias adhuc puer & juvenculus, incipientis; Isaias iam vir ac provectioris ætatis, consuetudinarij habituati, & iam in profundo hærentis iniquitatum. Ambobus divina succurrit manus, & de peccati exeundi fræno præbet auxilium, se diversimodè. Puero, id est, incipienti sufficit tactus vnus manû Altissimi, id est, vnica infirmitas, vnica interna afflictio & mœstitia, quæ sufficientissima est, incipientem cum Dei gratia de peccati statu liberare. Sed vt senex & vir, id est, peccator per malam consuetudinem & frequentissimos habitus iam inveteratus, ac obstinatus curetur, & de misero suo statu liberetur, maioris opus est laboris ac difficultatis; Seraphinus debet venire, qui forcipe de altari accensos capiat carbones & adustionis adhibeat remedium; id est, plurima & maxima requiruntur supplicia ac tribulationes. Audiamus verba Sancti Hieronymi in hunc locum: *Quoniam Sanctus hîc, Hieremias puer erat: ad castigandum autem puerum sufficiunt dumtaxat leui manu inflicta. Ad resistendum ictibus peccati incipientis, non tanta est difficultas: at propheta Isaias senex erat. Ad medendum autem ægritudini peccati inveteratæ & in anima radicatæ, opus est divinâ fornace, forcipe, malleo, igne, atque optimo artifice.*

Isaie c. 6.

Mundata labia Isaiæ & Ieremiæ diversimodè de diversos denotant modos curandi peccatores.

S. Hier.

S. August.

Imò, dico peccatoris obstinati adeò difficilem esse conversionem, ob vitia, atque scelera, quæ ipsum ligatum atque captiuum tenent, vt quasi non possit à peccatis abstinere; imò quod plus est, quasi necessiretur ad peccandum. Sanctus Augustinus libro octavo confessionum capite quinto pessimam suam transactam vitam deplorans, ad Deum conversus sic loquitur: *Suspirabam ad te, ligatus non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me, quia ex voluntate perversa facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Audistis cujus hæc sit exaggeratio? non mea, sed sancti hujus Doctoris est. Suspirabat hic Sanctus & conquerebatur de sua captiuitate, quam non carceris aut catenarum, sed malæ voluntatis fuisse attestatur, quam peccando inimico tradiderat, & quâ inimicus veluti catenis de peccato in peccatum ipsum trahebat

Peccator habituatus quasi necessitatur ad peccandũ.

trahebat. Sed quid multis opus est probationibus, cùm quotidiana experientia manifestissimè hoc doceat? Contingit iuvenem vel feminam, quod multò absurdius & intolerabilius est, hodie iurare & blaspehemare semel, & scelus hoc non æstimare, de commisso non dolere peccato, nec firmum facere propositum id, imposterum relinquendi, crastinâ die cadit bis, tertiâ sexies, quartâ vigesies, & sic paulatim acquirit habitum, vt vix verbum ore proferat, quod non comitetur iuramentum, aut blasphemia, & ita in hoc pessimo habituatur scelere, vt etiamsi velit duo vel tria verba absque iuramento & blasphemia proferre, nequeat. Numquid talem necessitate & perversâ ac malâ suâ consuetudine cogi ad peccandum dicemus? Alius hodie videns feminam exardet in concupiscentia illius: cras duas, perendie decem lascivo concupiscit intuitu, hodie duo loquitur verba lasciua femina, cras sex vel octo, denique tota loquela ejus fit lasciva, ita vt nil loquatur, nil cantet, nil cogitet nisi lasciua, alter nil agat, nil operetur nisi luxuriæ opera. Vnde tanta abundantia malorum? Actus frequentes consuetudinem induxerunt, consuetudo necessitatem genuit, & sic obstinati his hærent vitijs, vt vel summâ difficultate liberentur, vel obstinati in illis moriantur. Ergo non mirum vobis videatur, cùm dixero summæ difficultatis obstinati peccatoris esse conversionem; & vt dicam quod sentiam, Dei ad talis peccatoris conversionem requiritur miraculum. Percipite, obsecro, quid beatus Thomas de Villa Nova de talium peccatorum dicat conversione: *Peccatores obstinati & indurati in peccatis quasi miraculo saluuntur,*

S. August.

B. Thom. de Villanova ser. 6. post. Dom. 7. Quad.

Legite sacras Evangelicas Historias Matth. capite vigesimo septimo, & alias, & reperietis in morte Christi plurima occurrisse vel contigisse miracula: nam sol fuit obscuratus, terra tremuit, Templi velum scissum est, montes divisi & petræ scissæ sunt, sepulchra mortuorum aperta & plurimi mortui resuscitati sunt. Nunc peto, an præter ista, quæ Evangelistæ in miraculorum ponunt numero, aliud sit, quod ab ipsis non vt miraculum enarretur? Dico quod sic, & quidem maximum & horum omnium summum. Sed quale hoc fuit? Sanctus Ioannes Chrysostomus Homiliâ primâ de cruce & latrone dicit conversionem boni latronis fuisse, qui semper vsque ad mortem, & momentum illud, quo Deus ipsum convertit, obstinatissimus in varijs sceleribus ac peccatis vixerat. Audiamus verba Sancti? *Et enim vniversam terruit creaturam, & petras, saxaq; disrupit, & omnium lapidum insensibilitate animam duriorem ad se traxit, & ad meliora convertit.* Et Sanctus Augustinus sermone centesimo trigesimo de tempore, post longam ac accuratam hujus miraculi considerationem sequentia protulit verba: *In eodem enim tempore passionis crucifixus universam creaturam turbavit & saxa dirupit; duriorem verò lapidibus animam detraxit pariter, & honoravit, dicens: Hodie mecum eris in paradiso.* Ergo vt audistis, secundum Sanctorum Augustini & Chrysostomi opinionem, conversio latronis & peccatoris obstinati omnia alia in Christi morte excessit. Solis obscuratio magnum fuit miraculum, majus latronis conversio. Terra tremuit, petræ scissæ sunt, lapides atque saxa disrupta sunt, sepulchra mortuorum aperta sunt sponte, & qui in cineres conversi fuerant, redivivi resurrexerunt. Magna hæc & summa fuerunt miracula; sed majus & maximum latronis, qui iam in peccatis per malam consuetudinem habituatus & obstinatus fuerat, fuit conversio.

S. Chrysost.

S. August.

Quodnam maximum miraculum in morte Christi.

Meritò igitur Ieremias cap. 13. dicit facilius

facilius Æthiopem, qui naturâ niger est, album assumpturum colorem, & pardum, qui à natura vario tinctus colore est, suam mutaturum pellem, quàm peccatorem per consuetudinem iam habituatum, & in peccatis obstinatum convertendum. Verba Prophetæ hæc sunt: *Si mutare potest Æthiops* (glossa interlinealis explicat *niger in peccatis,*) *pellem suam, aut pardus varietates suas* (glossa interlinealis, *diversitates vitiorum*) *vos poteritis benefacere cùm didiceritis malum, quia studio peccandi nō potuerunt mutare naturam.* Concludi glossa: Ergo si Æthiops nigrum suum mutare poterit colorem, & pardus varietatem pellis deponere: vos peccatores, qui obstinati vivitis in peccatis, & per consuetudinem peccandi iam quatriduani & fœtentes estis, converti, & ad gratiæ vitam redire poteritis. Actus hic, ô miseri! tantæ difficultatis est, vt quasi impossibilis sit, & vt in effectum ponatur, omnipotentia Dei, cui omnia possibilia sunt, sola id efficere possit. Doctissimum Hugonem Cardinalem percipite, quàm claris id dicat verbis: *Per nigredinem pellis Æthiopis, intelligitur eorum mala consuetudo, quæ vix aut nunquam evellitur.* Et pro exemplo ad propositum nostrum adducit Lazarū mortuum quatriduanum, ac iam fœtidum, qui vt resuscitaretur, debuit benedictus Christus flere, gemere, lachrymari, & spiritu turbari. *Lazarus quatriduanus cum magnis lachrymis & clamore & gemitu valido suscitatus est.*

Peccator habituatus est velut AEthiops aut Pardus.

Hugo hic.

Ad hæc quæ dixi N. N. addere mihi liceat, peccatoris iam habituati per consuetudinem in actu peccandi cor veluti silicem indurari. Hoc Altissimi confirmat testimonium, qui per os Ieremiæ capite trigesimo sequentia dixit verba: *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, durà facta sunt peccata tua:* id est, & vt Angelicus Doctor secundâ secundæ quæstione nonâ, articulo tertio dicit, cor tuum induratum est & obstinatum factum. Verba ejus hæc sunt: *Dura facta sunt peccata tua quantum ad obstinationem,* & quod habitus & consuetudo peccatorum duritie quadam adamantinâ cor peccatoris obducant, idem Propheta Threnorum capite tertio sat claris attestatur verbis, dicens: *Dabit eis scutum cordis laborem suum.* Liranus hic, *obdurationem in peccatis.* Dixit hoc Altissimus, vt nos sciremus, Deum, cùm hominem vult summo affligere supplicio, justo suo judicio permittere, vt cor ejus in scutum convertatur, ad omnes ictus verbi Dei ac inspirationum reijciendos, & sic obstinatus moriatur. Ideò Sanctus Hieronymus ex Hebræo legit: *Dabis eis cor proscuto.* Et interlinealis: *Dabis eis scutum cordis, ne penetretur iaculo prædicationis.* Volunt dicere, peccatores hos, qui de consuetudine peccati exire non curant, Deus justo suo judicio permittet vt obstinati fiant, & licèt conciones audiant & Dei percipiant verbū, in cor ipsorum non intrent; nam vt à fortissimo scuto sagitta missa resilit, sic Dei verbum à corde ipsorum iam obstinatorum obdurato retrogredietur, & sic miseri in obstinatione sua morientur.

Cor peccatoris habituati velut silex.

Ierem. cap. 30.

S. Thomas.

S. Hieron.

Glossa.

Hanc veritatem quoque Sanctus Bernardus libro primo de consideratione ad Eugenium nos docet, dum dicit: *Primùm tibi importabile videbitur aliquid; processu temporis si assuescas, iudicabis non adeò grave; paulò post & leve senties; paulò post & delectabit: ita paulatim in cordis duritiem itur, & ex illa in accersionem,* Vult dicere Sanctus: Sub principium peccatum peccatori sat abominabile & execrandum repræsentatur, commmisso illo sentiet remorsum conscientiæ maximum; justus deprehendet vermem corrodentem ejus viscera, in mente & corde percipiet amaritudinem extremam, in animo mæstitiam summam, dolores maximos; & iam in inferno se positum sibi imaginatur: cum tempore, dum peccando

S. Bernard.

peccando pergit, & conscientiæ cessat vermis, & dolor ac mœstitia paulatim evanescit, & levius ipsi peccatum videtur, & tandem scelus etiam si gravissimum, vt nil apprehendet, & Deum offendere nil æstimabit, sed vt aquam deglutit; & quæ prius cum horrore, & aliquo timore committebat, & post commissa dolorem & mœstitiam sentiebat, nunc delectatione committet, & in illorum reminiscentia gustabit, atque delectabitur: & cum scelesto illo apud Ecclesiasten capite quinto sequentia si non ore, saltem corde proferet verba: *Peccavi & quid mihi accidit triste?* & ad iam miserabilem perveniet cæcitatem, vt commissi sceleris non pudeat, sed & de ipso glorietur, & hoc vel illud scelus, hoc vel illud commissum peccatum honori sibi ducat: sic & in tali misero & deplorando statu Sapiens suo libro Proverbiorum capite secundo, illos describit, dicens: *Qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Et sic paulatim ad obstinationem & cordis pervenitur duritiem, vt Sanctus Bernardus loco citato dicit: *Ita paulatim in cordis itur duritiem.* Ergo non immeritò in hodierno Evangelio legimus benedictum nostrum Redemptorem amarissimè flevisse & de suis divinis ac lucidissimis oculis flumina emisisse lachrymarum supra miseram quatriduani Lazari mortem, qui peccatorem iam inveteratum ac obstinatum in peccatis figurabat, qui difficulter iterum ad salutis reducitur viam. *Et lachrymatus est Iesus.*

Eccl. cap. 5.

Prov. cap. 2.

S. Bern. loc. cit.

Ioan. c. 11.

Et hac consuetudine & habitatione sequitur atque oritur summa quædam facilitas peccandi, quæ hominem cum tanto gustu ac sapore ad peccandum allicit vt sitibundus homo frigidæ aquæ poculum exhaurit, vel heluo dulcissimi vini scyphum evacuat. Sic Iob attestatur capite decimo quinto: *Bibit sicut aquam iniquitatem.*

Iob cap. 15.

Vult dicere, vt sitibundus cursor vel itinerans, dum ad frigidum pervenit fontem, summo impetu, ac gustu, frigidam haurit aquam; sic obstinatus peccator summo gustu, delectatione ac consolatione peccata committit, & de scelere in scelus ruit. In hanc conformitatem Doctissimus Hugo Cardinalis hunc explicat locum, dicens: *id est, citò, & sine mora facit peccata.* Nil facilius peccatori, quàm mille & mille committere peccata, & tantâ facilitate atque gustu mille committit scelera ac sitibundus poculum aquæ frigidæ exhaurit. In summa in peccando timoris frenum excussit, peccat absque mensura & modo. Vidistisne aliquando potatores vini & heluones, quorum venter & stomachus dolium repræsentat, quantâ facilitate pocula euacuent? sciunt enim se tam facilè non inebriari. Sic agunt peccatores obstinati, absque mensura bibunt & deglutiunt peccata. Sic Glossa in hunc locum habet: *Bibit sicut aquã iniquitatem, id est, committit peccata absque fræno timoris & mẽsura. Ille enim qui bibit vinũ, quia timet inebriari, bibit temperatè, sed bibens aquam, hoc nõ timet, propter hoc nõ curat de tali temperamento.* Reperiuntur prô dolor! homines tales, qui summè aliorum ebrietate delectantur; ideò frequentia instruuntur convivia, sed ne ipsi inebrientur, aquas ad vini similitudinem conficiunt, de quibus bibunt nunc ad hujus, nunc ad illius sanitatem, & sic ad perniciem accumbentium exhauriuntur pocula, sed diversimodè hospites ac invitati, qui fortissima coguntur bibere vina, cum timoris fræno, & quantum possibile est, in mensura bibunt: timent enim ne inebrientur; sed convivij dominus, qui securus est de sobrietate cùm aquam bibat absque timore se inebriandi, non bibit, sed exhaurit pocula. Sic nonnulli peccatores; si peccant, cum fræno timoris, & mensura peccant, habent certas ac moderatas

Hugo hic.

Peccatores habituati hauriunt iniquitatem.

Glossa hic.

miserias & fragilitates ; sed obstinatus & in consuetudine habituatus absque timoris fræno & mensura, ut ille qui aquam haurit, peccata & scelera committit. Quid ergo de his dicemus; quale iudicium de illis ferendum? certè summopere timendum, ne aliquando scelus, dum deglutitur, in gutture hærens, spiritum illis auferat, & in æternum contemnentur.

Libro Iudicum capite decimo sexto reperietis fortissimum Sampsonem. sæpiùs & varijs modis ligatum ac captivum fuisse, sed ipse semper & funes
Iud.cap.16. & catenas rumpens plurimorum occisione liber; tandem nimium suæ fortitudini confidens, captus & ligatus est, & cum denuò ut alias agere putaret, à se fortitudinem recessisse deprehendit; sic miser libertatem & oculos, quos ipsi extraxerunt, perdidit. Hic Sampson, ut Sanctus Augustinus in Psalmum octuagesimum octavum asserit, figura animæ peccatricis est, peccata sunt funes & catenæ quibus anima fortissimè stringitur ac ligatur. Sic Sapiens libro Proverbiorum capite quinto
Prover.c.5. attestatur: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Dæmones sunt Philistæi, permittunt peccatores à Dæmonibus peccatorum funibus se ligare & captivare, suæ propriæ confidentes fortitudini, sperantes ad placitum hos sumpturos funes & à peccatis liberos se reddituros; & faciunt aliquando, divinâ concurrente gratiâ & pietate; rumpunt funes peccatorum & liberi evadunt ad Dei redeuntes castra; redeunt ad vomitum, iterum ligantur, & de-
Sampson figura peccatoris habituati. mum Dei gratiâ adjuvante solvuntur & liberi fiunt; redeunt denuo, & tam diu à dæmonibus peccatorum funibus ligantur, donec tales faciant nodos & nexus quos solvere non possunt, & suâ se privatos reperientes fortitudine, quæ Dei gratia est; miseri captivi & ligati abducuntur, & ne salutis viam reperire valeant, spirituales extrahuntur oculi, ut non nisi carnis videbant, & sic secundum carnem ambulant donec in carne & cum carne moriantur, dæmonibus remaneant in prædam & spolium. Et forsan hæc quæ dico, vera non sunt? Ah quot innumerabiles peccatores sic in æternum perditi sunt! quot millia millium æternâ cæcitate ab infernalibus Philistæis sunt percussi, & spirituales ipsorum excæcati sunt oculi! quot sunt qui in divinam sperarunt misericordiam, pœnitentiæ sibi deputantes tempus, & interim se infinitis peccatis ligare & religare permiserunt, & cùm sua putabant confiteri peccata, ad inferni portas deportatos se deprehenderunt! Percipere vobis lubeat, quid Sanctus Hilarius in Psalmum centesimum decimum octauum, prædicta explicans verba, *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*, dicat. Verba ejus hæc sunt: *Modo funis ex pluribus minimis crescentis in multum, peccata tanquam longo fune tenduntur; sunt hæc delictorum vincula, de quibus in proverbiis scriptum est: Fascijs peccatorum suorum vnusquisque constringitur: stringit enim nos, atque alligat & his peccatorum funibus diabolus implicat.*

Ergo nunc peccator, alacriter habenas ad peccandum pro placito tuo laxa, fortiter in misericordiam Dei, eò quòd infinita sit, confidendo, cùm computum feceris & debita quæ congregasti, inspexeris, infinitam quoque esse deprehendes. Dissimulat nunc Deus, atque tacet Altissimus; sed rogo erige aures tuas, & verba illa, quæ propheta Ieremias capite vigesimo quinto dicat, percipe, *Facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ.* Id est, vt Glossa *Hierem.c. 25.*
moralis explicat; Peccandi inde non sumatis occasionem, eò quòd Deus sit misericors; nolite esse securi, quia iam Deum non leonem, vt in antiquo e-

rat te-

tat testamento, sed columbam habetis: nam vel columbam factum timere. *A facie iræ columbis* Glossa *scilicet, ab ira Dei*. Timete ergo & cavete vobis ab ira huius columbæ: nam quem nunc in cruce brachiis extensis ut mansuetissimam columbam aspicitis, in fine vitæ iratum deprehendetis leonem: sitis nunc surdi ô dissoluti iuvenes! & aures vestras ad Dei obdurate verba, timeo ne hæc surditas vestra ac cordis durities sit æternæ vestræ damnationis prognosticum.

Pec atum habituale Lethargus

Vidistis'ne unquam infirmum lethargo laborantem? qui tam fortiter dormit ac si mortuus esset, & malum caput taliter invasit, ut omnibus iaceat privatus sensibus. Accurrunt consanguinei & amici, vocant & revocant, sed surdas præbet aures; ad manus, ad pedes, ad nares & capillos trahunt, nil sentit; tandem pungunt, & funiculis ad pedes ligatis fortiter premunt: & ecce movetur, evigilat, unum aut alterum profert verbum: Hola quid vultis? cur me ita cruciatur & protinus obdormit fortius quàm antè. Redeunt ad prima excitandi media, iterum evigilat, sed protinus obdormit. Venit medicus, & profundissimo sepultum deprehendens somno, venarum apertionem, & ignis adustionem ordinat, si fortè vehementiâ doloris excitetur: sentit dolorem & evigilat, sed vix oculos aperit, protinus in profundissium cadit somnum, & sic dormit & dormiendo moritur.

Iudicate nunc an non vos in eadem sitis navi, & summo laboretis lethargo. *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis: & claudit oculos vestros*, Dicit Isaias capite vigesimo nono, Sanctus Bernardus sermone quinquagesimo quinto in Cantica considerando hunc locum, dicit, hominem qui interius à Deo tangitur & non sentit, mille modis vocatur & surdus est, mille flagellis flagellatur, & non excitatur, alio morbo interno non laborare quàm mortifero somno à peccato causato, qui profundissimum somnum in anima peccatoris introducit ac causat. Peccatores vultis videre veritatis huius praxim? Singulis annis vocantur & adducuntur Concionatores, ut Dei vos vocantis percipiatis voces, qui ex Dei parte vos vocant, arguunt, obsecrant, increpant, & omnibus conantur vos de peccati mortalis excitare somnno, dicentes & clamantes: *Surge qui dormis & exurge à mortuis*. Auditis quidem voces vocantes vos, & aliquantulum à pestifero & periculoso somno vestro excitamini; elevatis aliquantulum capita vestra, & vitæ mutationem proponitis, ac statuitis; sed quantum durat? Vix momentum unum, & protinus ad peccati reditis somnum. Redeunt Dei præcones & fortius vos aggrediuntur, æternæ damnationis intimantes sententiam, Dei supervenietis iræ vos certificantes, & variis modis timorem incutere vobis nituntur, & tam fortiter vos aggrediuntur, vt varia emittaris suspiria, lachrymarum de oculis vestris fluant fontes. Auditis, percipitis aliquantulum vocantium voces, confitemini peccata vestra; sed Deus scit, quomodo: recipitis sanctissimam communionem, sed quid fit? operaturne aliquid in vobis hoc spirituale antidotum? certè nihil: nam protinus, ut canis ad vomitum & peccatorum somnum redeunt, & summa quiete & pace in ipsis dormiunt & quiescunt. Hoc dicere vult Propheta ô miseri peccatores his verbis, *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis.*

Isai. cap. 29.

Dicite mihi Christiani: Quoties à Domino de statu peccati ad salutis statum vocati estis? quot Concionatores quisque vestrûm percepit? quot annis iam vocati, & vt salutis viam ambuletis, obsecrati estis? Et quis fructus tantarum Dei vocum? Clamarunt, sed

idem fructus sequutus est, ac si saxis hujus domus concionati essent; & non tantum emendationis signum datur, verùm etiam peiores facti estis. Audite quid de talibus Propheta Ieremias capite quinquagesimo primo dicat: *Curavimus Babylonem & non est sanata: derelinquamus eam.* Doctissimus Hugo Cardinalis explicat hunc locum de prædicatoribus, dicens: *Dicunt ergo prædicatores: Curavimus Babylonem, id est, remedia curationis adhibuimus orando, prædicando, exemplum bonum demonstrando, & tamen non est sanata, quia non vult obedire; unde non est culpa prædicatoris, sed peccatoris.* Tandem suum discursum concludens dicit, Prædicatores in hoc casu eodem modo agere ut medici, qui dum infirmi curam suscipiunt, quam diu spes salutis apparet, in nullo desunt, nunc medicinas expulsivas, nunc digestivas; nunc confortativas ordinant, nunc venas aperiunt, nunc alijs modis malos humores & putridum curant extrahere sanguinem; in summa omnem movent lapidem, ut sanitati infirmum restituant: sed quando desperationis advertunt signa, & incurabilem deprehendunt infirmitatem, decenti modo valedicunt, & infirmum ut iam desperatum derelinquentes discedunt. Verba eius hæc sunt: *Sicut medicus corporalis quãdo habet spem de ægri curatione apponit curam; quando autem videt morbum insanabilem, relinquit ægrum.*

Iere. c. 5. 1.

Hugo hic.

O animæ peccato excæcatæ & profundissimo scelerum oppressæ somno quænam Deus non fecit, ut de hoc perniciosissimo vos excitaret somno; Ecce vos dulcibus vocavit verbis, rogavit, increpavit, & toties portam cordis vestri pulsavit & repulsavit, & vos peccati somno oppressæ semper insensatæ, semper surdæ, semper inexorabiles & lapidibus duriores exstitistis. Considerate & cogitate Christiani, quod nunc dico: Quis scit an non hæc ultima sit futura quadragesima, quã vivitis; pro dolor! quot sunt, qui præterito anno ad pœnitentiam fuerunt vocati, & quia surdas Dei vocibus præbuerunt aures, nunc in inferno cremantur: Ad quemcumque vestrum N. N. loquitur Deus, dum dicit *Lazare veni foras.* Christiani nunc misericordiæ patet ianua: ergo nunc pius est de peccatis dolere, atque pœnitentiam agere, & aliam incipere vitam, & nunc statim, cum vocem Dei auditis, dicentis, *Lazare veni foras,* ut ipse surrexit, & vos vocati surgere debetis. *Statim prodijt, qui fuerat mortuus.* Sed vix unus vel alter movetur, semper aliqui firmi in solo malo manent proposito, & pertinacissima voluntate.

Ad quemcumque peccatorem dicitur Lazare veni foras.

Sanctus Iob capite quinto comparat peccatorem obstinatum, secundum expositionem Olimpiodori, flori solari, dicens: *Ego vidi stultum firmã radice fixum in terra.* Addit interlinealis, *& maledixi pulchritudini eius statim.* Flos solis æmulus solis est, ideò ipsum in omnibus æmulatur, & licet firmissimè radices eius terræ infixæ sint; attamen cervicem admotus & concursus solis mouet & vertit, ita ut facie suã semper ad æmulum suum aspirare velit & usque ad occasum cum fidelissimè insequitur. Talis peccator obstinatus est, qui suã obstinatione solis redditur æmulus longè à Deo, & interim fortiter obstinatur; & per consuetudinem ad peccandum radicatur. Videbitis talem frequentantem Ecclesias, adeuntem congregationes, libenter & cum gustu audientem Dei verbum; sed radices eius firmissimè terræ & terrenis infixæ sunt: semper obstinatus, semper cor durum habens, nec hanc nec illam malam cogitat derelinquere consuetudinem. Hospitalis quidem visitat, frequens est in Ecclesiis, sed concubina remanet domi: facit quidem eleemosyna, sed pecunias & bona malè acquisita & injusto titulo

Peccator ut flos solaris.

S. Aug. serm. de. adu. Dom

titulo occupata restituere non cogitat. Ah miseri ! flores solis estis : facies quidem vestra pulchra, & decora, Deum respicit, & videtur amantissima & obsequentissima divini solis, sed radices vestræ firmissimè peccatis per obstinationem infixæ sunt. Ideò ad rem sanctus dixit Iob: *Ego vidi stultum firmâ radice & maledixi pulchritudini eius statim.*

Audistis quàm dificilis conversio obstinati peccatoris, & quàm periculosus status eius sit. Sed quærat quis, his positis, unde nascitur: ut peccatum & peccati status ab hominibus vix aliquid aut penitus nil æstimetur; Sanctus Augustinus sermone de Adventu Domini respondet, & rationem reddit dicens, tales similes esse illis malè affectis, quorum corporis pars ob malignum aliquem humorum defluxum emortua & pudrida est, quæ nec dolet, nec sensum habet, nec ullam adfert molestiam. Verba Sancti hæc sunt: *Omne enim peccatum consuetudine vilescit, & fit homini, quasi nullum sit: obdurruit iam dolorem perdidit, & valde putre est, nec dolet.* Et vt illi qui in corporis aliqua parte offensi vel læsi sunt, dolorem non sentiunt, secundum Hippocratem aphorismo secundo evidentissimum medico gravissimi ac incurabilis morbi signum præbent: sic enim loquitur: *Qui in aliqua corporis parte habent ægritudinem, & illam non sentiunt, satis ostendunt, & signum est, illos longe majorem ægritudinem retinere.* Sic dum homo, qui jam consuetudinem peccati habet in culpis obstinatus est, damnum quod causat peccatum, minimè sentit: Ergo in bona consequentia non tantum maximus & periculosissimus animæ erit morbus, verum etiam incurabilis. Sic sanctus affirmat Bernardus libro primo de consideratione ad Eugenium, eadem utens metaphora: *Longius a salute membrum abest quod obstupuit, & ægrotus se se non sentiens, periculosius laborat.* Ideò Augustinus tractatu quadragesimo quarto in Ioannem sic ratiocinatur: *Quod non dolet, non pro sano habendum est, sed pro mortuo computandum.* In summa, efficitur peccator verus & naturalis Lazarus quatriduanus, qui fœtet.

Peccator habituatus sicut ægrotus non sentiens dolores morbi,

Hippocr. Aphoris.

Hanc eandem doctrinam vel veritatem apud sanctum prophetam Ieremiam capite trigesimo, vbi de obstinato peccatore sermonem habet, reperietis. Verba ejus hæc sunt : *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua: non est qui iudicet iudicium tuum ad alligandum : curationum vtilitas non est tibi.* Sanctus Hieronymus hunc locum pulcherrimo explicat simili, dicens: Infirmatur quis in dignitate positus, vel divitijs plenus ; aduocantur pro consilio non tantùm civitatis medici, verùm etiam de longinquo nominati & celebres in scientia & praxi adducuntur, fit consilium, tanguntur partes vitales corporis, vnus post alterum apprehendit manum pulsum venarum notantes, inspicitur ab ipsis lingua, intuentur oculos, attendunt ad symptomata, examinatur vrina, extractus discutitur sanguis, & plures alias adhibent diligentias : quibus actis derelinquunt infirmum, in cameram aliquam descendentes, inter se disputant ac argumentantur hic pro, ille contra, nunc ex Galeno, nunc Hippocrate adfert rationes: hic in praxi similia se vidisse & habuisse affirmat. Tandem multis habitis altercationibus, vnanimiter concludunt morbum esse periculosissimum, & nullam adesse spem salutis, nec ipsis, nec medicinis opus vitrà esse. Quid sibi Sanctus hac dicere vult similitudine, nisi in eodem statu esse peccatorem obstinatum, qui iam per consuedinem in peccatis inveteratus est. Hic miser in culparum prostratus iacet lecto : clamant concionatores, reprehendunt, increpant & correctionibus aggrediuntur; & tangunt vitales miseri partes ; sed nullum reperitur signum salutis. Ah miseri ! vnde nascitur hæc

insensatio? mala & perversa consuetudo peccandi hanc in vobis causavit obstinationem; ideò non mirum, concionatorum clamores vanos esse, admonitorum exhortationes & amicorum obsecrationes irritas esse, eò quòd nec concubina licentietur, nec per vsuras acquisita restituantur, nec aliquando confiteri peccata & vitam mutare cogitent. Ideò valdè ad rem sanctus dicit Propheta: *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua: non est qui iudicet iudicium tuum ad alligendã curationem tuam, vtilitas non est tibi.* Sit ergo, ô miser! tibi cordi
Ierem. c. 30. salus tua, & salutis fortiter age negotium, & dum tempus habes, peccata desere, & ne in illud tempus cùm ad peccandum inhabilis eris, pœnitentiam differ. Et consilium à Sancto Ambrosio libro secundo de pœnitentia capite vltimo, qui sic habet, amplectere & firmiter observa, vbi sic loquitur: *Etsi sic ages, securus eris, quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti*

PARS II.

PUNCTUM TERTIUM.

DVbium non est N. N. quin obstinati peccatoris & iam per consuetudinem in hoc vel illo crimine habituati, non tantùm difficillima, verùm etiam qua impossibilis sit conversio, quia cor & mens ejus in adamantem conversa est, qui quò magis malleorum impetitur ictibus, durior atque fortior fit, dicens: *Nulli cedo.* Hanc veritatem imprimis Sanctus Iob attestatur, qui capite quadragesimo primo de ob-
Iob. cap. 41. stinato peccatore sic loquitur, dicens: *Cor eius indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Inde nascitur, quod similia iam in peccatis invecterata corda, nec flagellis, nec castiga-
Peccator habituatus vt Adamas. tionibus, & diversis à Deo immissis supplicijs, nec divinis inspirationibus cedant, aut commoveantur, semper in corde suo, summa cum obstinatione dicentes: *Nulli cedo.* Et hæc doctrina non mea, sed melliflui Doctoris Bernardi *S. Bern. l. 7*
est, qui libro primo de consideratione *de cons. ad*
ad Eugenim sic habet: *Cor durum est* *Eug.*
quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis no cedit, exemplis non inducitur, beneficijs induratur, flagellis non eruditur. O sancte Dei & mellifluc Doctor Bernarde, quàm miserum nobis exhibes his verbis obstinati peccatoris statum! cor ejus adamante durius est, quod licet compungatur, tamen non resolvitur: pietate perfunditur, & non emollitur, nec pietatis liquoris quid recipit: minis limatur & vndique aggreditur: erroris lima & nullas obstinationis dimittit limaturas: aliorum casu non fit prudentior, sed semper in sua manet obstinatum fatuitate; beneficijs si afficitur, non fit melius, sed peius; si flagellis impetitur, non ad emendationem, sed ad desperationem serviunt.

Sed quod peius est (vt Sanctus Au- *S. August.*
gustinus tractatu decimo nono in Io- Peccator
annem capite vndecimo afferit) ob- habituatus
stinatus & iam per consuetudinem vt cadaver
habituatus peccator, similis est cada- fœtidum.
veri mortuo, & divinis naribus fœtet, atque putridus est: ideò, vt in hodierno toto Evangelio, cùm Christus de mortuo Lazaro interrogaret, dicens: *Vbi posuistis eum?* responderunt illi ejus sorores: Ne locum sepulturæ interroges: *Iam fœtet, quatriduanus est.* Hic noster frater iam à quatuor diebus mortuus est, ideò intolerabiliter fœtet Hic Lazarus mortuus, vt à principio iam aliquoties diximus, figura peccatoris, iam per prauam consuetudinem & obstinationem in peccatis mortuus est, qui ob gravissima, ac nimis enormia commissa scelera atque crimina fœtet. Desideratis scire quantæ efficaciæ fœtor ac malus odor peccatoris sit? Audite verba, quæ Rex David

Psalm. 37. vid Psalmo trigesimo septimo, qui in peccatis erat, de semetipso dicat: *Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt.* Sanctus Basilius hunc explicans locum, vult per hos amicos & proximos David Regem sanctos Angelos intellexisse, qui dum ille in peccatis erat, ab ipso se elongaverant, & propter intolerabilem fœtorem, quem anima ipsius exhalabat, à longè adversus illum obturatis naribus, ad nostrum loquendi modum, stabant. Verba Sancti hæc sunt: *Quinam isti erant, nisi illi, qui ob propria eius bona lætabantur? Angeli scilicet boni, & ministri Dei, ex hominum salute lætitiam capere consueti. Hi ergo omnes David amici, cùm ipse peccavit, recesserunt adversantes.* Fœtet ergo peccator & intolerabilem de se emittit odorem, quem si nos, quia etiam peccatores sumus, non sentimus & percipimus, attamen Deus est qui illum percipit; & Dei Angeli, atque Sancti omnes, qui amici & proximi nostri sunt, ipsum percipiunt; qui tã horribilis atque execrabilis est, vt plurimi Sanctorum adhuc in carne illum perferre non potuerint vt in vitis Sanctæ Catharinæ Senensis, & Sancti Philippi Neri, & aliorum plurimorum legimus.

Bern. l. 7 conf. ad Eug.

Aug. Peccator habituatus vt cadaver fœtidum.

Plin. lib. 2. Ælian. l. 1. var. hist. c. 7. At vultis scire causam tanti fœtoris de anima in peccatis constituta procidentis? Audite quæ Plinius libro secundo, ac Ælianus libro primo de varijs historijs capite septimo referunt, & de leonis natura scribunt. Dicunt hi Auctores, nullum animal de carnibus illis manducare quas leonis tetigére dentes. Et dant rationem, dicentes, protinus ac à leonis tanguntur dentibus, intolerabilem de se emittere fœtorem. Idem accidit cum anima: nam cùm à pessimo peccati leone mordetur, & carnes ejus dilacerantur, protinus intolerabilem de se emittit fœtorem. Et videtur conceptus hic Spiritus sancti esse, qui apud Ecclesiastic. capite vigesimo primo dictis illis verbis, *Quasi à facie colubri fuge peccatum,* protinus subiungit sequentia, *Dentes leonis, dentes eius.* Id est, cùm quis serpentem videt, pro viribus fugit, & ne mordeatur, ipsum declinat. Sic omnis peccatum declinare tenetur; nam non solùm vt serpens mordet animam, pestiferum mortis immittens ei venenum, verùm etiam cùm dentes ejus, dentes leonis sint, qui protinus ac mordent, animam peccatoris inficiunt, subitò horridum ac intolerabilem emittit fœtorem. *Eccles. 21.*

Vt autem hoc clariùs percipiatis, legite caput quintum Levitici & reperietis Deum Aaroni ordinasse, vt toties quoties pro populi peccatis sacrificare vellet, agnum aut capram; & si pauperes essent, par turturum, aut duos pullos columbarum, aut saltem aliquid Ephi, id est, furfures farinæ sumeret & id offerret; oleum autem aut thus nullo modo superponeret & sacrificij immisceret. Verba textus hæc sunt: *Quod si non quiverit manus eius offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret partem Ephi decimam. Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro decimo quinto de ador. in spirit. rationem atque causam hujus prohibitionis indagat; nam cùm Ephi pars pro peccato offerenda erat, & peccatum naturâ suâ pessimi erat fœtoris, thuris & olei impositione vt suaveolentibus emendandus erat intolerabilis ille fœtor: valde ad rem respondet, dicens, tantum esse peccati fœtorem, vt etiamsi totus Arabiæ aromatum thesaurus ejus minimæ immisceretur parti, ad mitigandum tantum, non dico tollendum fœtorem, insufficientissimum esse, ideo vt rem perditam, prohibuit. Quam opinionem Doctissimus confirmat Oleaster in

Intolerabilis fœtor peccati.

Levit. c. 5.

S. Cyril. l. 15 de ador. in spirit.

c. 5. Levit.

Olcast. in c. 5. Levit. c. 5. Levitici sequentibus verbis: *Prohibet thus, tam horribile & fœtidum est peccatum, vt quibuscumque odoribus illud misceas aut respergas, fœtorem non perdat.*

Nunc N. N. causam penetro, cur prodigus filius cum cognito errore ad patrem redire concluderet, ad pietatem & misericordiam impetrandam sequentia elegerit verba: *Pater peccavi in cœlum.* Peccaverat hic in terra, & non in cœlo; nihilominus tantus peccati erat fœtor, vt ad cœlum vsque pertingeret. Sic habet Sanctus Bernardinus Senensis parte prima sermone quinquagesimo quarto, articulo 2. cap. 2. *Dixit, Peccavi in cœlum, quia cœlum infecit peccati fœtore.* Et Magdalena adhuc peccatrix, dum Christum accedere vellet, & Pharisæi intrasset domum, vt Sanctus enarrat Evangelista, retrò Christum se posuit, manu vas suavissimo odore plenum tenens: quia vt S. Hieronymus cap. 23. S. Matthæi explicans dicit, verebatur Christi nares peccatorum suorum offendere fœtore. Verba Evangelistæ hæc sunt: *Stans retrò secus pedes eius, vnguento vngebat*: nam licet pretiosissimis munita accesserit, vnguentis, nihilominus ne benedicti Christi offenderet nares, & lasciviæ suæ offenderet fœtore; retrò effudit suavissima odoramenta. Inde reddit rationem Sanct. Isaias, cur Deus peccatoribus tergum vertat, dicens: *Peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis.* Contingit nobis sæpius dum itineramur, aut in læta obambulamus societate, putridum obviare cadaver: protinus ac deprehendimus, non tantum nares, ne ejus fœtore, verùm etiam oculos, ne ejus horrore ac turpitudine lædantur, & offendantur, avertimus. Eodem modo res cum peccatore se habet: protinus ac Deus eum videt, faciem suam retrahit, ac tergum vertit, & ob horrorem ac fœtorem aspicere minimè potest. Audite quàm insigniter hunc Isaiæ locum explicans Sanctus Hieronymus id dicat: *Hoc ostendit, quod fœtorem peccatorum, & iniquitates eorum ferre non potuerit, sed auerterit faciem suam, ne eorum turpitudinem cerneret.*

Luc. c. 15. — Bernardin. Senens. — Luc. cap. 7. — S. Hieron. in cap. 23. sancti Matth. — Isai c. 59. — S. Hier. hic

Nunc ergo peccator, certè si tu miserum tuum cognosceres statum, non sic pacificè viveres, sed diu noctuque tua defleres peccata & sanguineis lachrymis pro remissione apud divinam supplicares Majestatem. Et vt verum esse credas, inspice Christum, Lazarum mortuum, cùm tantùm peccatoris esset figura, tam amarissimè deflentem, cujus tantus erat fœtor, vt proprijs sororibus causaret horrorem; ideò dicunt: *Iam fœtet, quatriduanus est.* Hinc suadeo tibi, cùm tempus habes, vitæ incipere emendationem, ne fortè morte præoccupatus & tu quatriduanus fias Lazarus, & omnes dicant: *Iam fœtet, quatriduanus est.* Non audis quod Salvator mundi dicat: Tollite lapidem, tollite lapidem: amoveatur ponderosissimum obstinationis saxum, dissolvatur pessimæ consuetudinis vinculum, & peccandi detur finis. *Quiescite agere perverse*, clamat Sanct. Isaias, & si benedictus Christus altissimâ clamavit & vocavit voce Lazarum de sepulchro, eodem affectu, ijsdem lachrymis, eâdem voce clamat atque te vocat, dicit S. Hieronymus. Isai. cap. 1. — S. Hier. in c. 11. S. Ioan.

Ad te ergo conversus peccator, qui in horrido obstinationis iaces sepulchro, dico, cum Christo, *Veni foras*, ad lumen gratiæ, *veni foras.* Vt Magdalena Christi accedens pedes sua confitebatur peccata, sic tu ad Sacerdotis, qui Christi loco sedet, pedes accumbe, & singula debito more enarra & confitere peccata tua, vt anima tua iam pridem in peccatis mortua, ad gratiæ redeat vitam. *Veni foras*, dicit Sanctus Gregorius Papa: *ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum* S. Gregor. Homil. 26. in Evang.

tum tuum intra conscientiam tuam abscondis? Foras iam per confessionẽ egredere, qui apud te interius per negationem lates. Plangit hodie Christus peccata tua & amarissimarum lacrymarum flumina de sanctissimis ejus erumpunt oculis, sed miser, veniet tempus, vt non conversus, alijs illa deplores lachrymis. Clamat hodie benedictus Christus: *Lazare veni foras*, sed omnes surdi sumus. Ah miseros nos! venit tempus, cùm audire volemus, sed justo Dei judicio Christus non amplius clamabit: *Lazare veni foras*, sed, *Recedite à me in ignem æternum*. Audite quæ verba in hunc sensum Sanct. August. proferat: *Veniet tempus in quo peccator vellet pænitere, & non poterit, quia quando potuit, noluit, & propter malum velle, perdidit bonum posse.* Faxit Deus, ut tandem aliquando tuam abomineris obstinationem, labores vitam in aliam mutare. Ecce ex parte Dei tibi promitte gratiam atque remissionem, quòd anima tua de peccatorum sepulchro ad æternæ vitæ resurget gloriam: Ergo nunc cùm omnes peccatores simus: nam scriptum est, *Omnis homo mendax*; omni cordis affectu ad Dominum nostrum, qui in cœlis est, cujus hîc crucifixi prototypon habemus, conversi mecum dicite:

S. August. serm. 58. de temp.

Dulcissime mi Iesu, *ecce quem amas infirmatur*. Anima mea à te in hoc crucis patibulo durissimâ morte redempta, & ab æterna liberata morte, infirmatur: & quidem gravissimâ & periculosissimâ infirmitate. Sed quid dico, infirmatur? mortua est, & vt Lazarus iam fœtet in obstinationis sepulchro: *Iam fœtet, quatriduanus est*, Ah benignissime Deus! nunc altâ voce me voca, dicendo: *Lazare veni foras*, spero quod tuam exaudiet vocem, & de mortuis resurget & de obstinationis sepulchro exibit. Non percipitis peccatores Christum in cruce clamantem, ac dicentem: *Lazare veni foras*? Cur ergo divinæ ejus non obsequimini voci & de peccati exitis sepulchro? Non sic agite peccatores: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, sed promptam reddite vestram voluntatem; sic à mortuis resurgetis & vitam æternam obtinebitis quam ipsemet vitæ auctor vobis concedat.

Apostrophe ad Crucifixum.

Psalm. 94.

DISCVRSVS XXVIII.

PRO DOMINICA PASSIONIS.

ARGVMENTVM,

Primâ parte, puncto primo, de innocentia ac impeccabilitatẽ Christi tractatur. Secundo puncto exhibetur abominatio & horror peccati, quod ideò in Christo, qui puritas ipsa erat, locum habere non potuit. Secunda parte, puncto tertio tractatur de perversitate peccatorum, qui peccatis suis, vt IudæiChristum durißimis impetere saxis non desistunt.

Thema.

Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & principibus Sacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. cap. 8.



Vid sibi hic color, quo hodie Sãcta vtitur Ecclesia, velit; quid vela hæc, quibus sacra cooperiuntur altaria, & sacratissima illius imaginis figura, cujus faciem, vt Sanctus Petrus dicit, Angeli sancti intueri desiderant: *In quam desiderant Angeli prospicere*. *S. Petrus* abscondita significet, penitus ignoro. Recordor bene ex libro Esther, Aman illius

Epist. 1. c. 2.

Esther. c. 7.

illius cùm iam morti addictus esset, & supplicij accepisset sententiam, nigro velo coopertum fuisse vultum. *Et statim operuerunt faciem eius.* Idem nunc contingere video benedicto nostro Christo, quem cùm nunc sic velatum inspicio, & causam interrogare velim, dicetur mihi à Iudæis, iam morti addictum esse & supplicij crucis accepisse sententiam. Et verum est N. N. velum hoc, quo Christi sacra cooperitur facies, Hebræorum significare resolutionem & decretum, quo Christum morti adiudicarunt: Ergo signum est Christum debere mori. Ita est, mori debet, & morietur, sed non propter sua delicta aut culpas commissas; nam sanctus & innocens est, vt attestatur Apostolus ad Hebræos dicens; *Purus, innocēs, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Ergo *Christus*, vt Primasius explicans hunc locum habet, *fuit ab omni peccato immunis & à cōversatione peccatorū segregatus; quia alij cum peccato concipiuntur, & nascuntur, atque ab hoc sæculo, cum peccato transeunt: hic autem sine peccato conceptus natus vixit:* Ergo sanctus, purus, immaculatus & innocens est, & tamen morietur pro salute hominis. Sed N. N. quid benedictum Christum ad hanc resolutionem capiendam impulit atque invitavit? Charitas atque amor. Sic sanctus attestatur Apostolus Epistolâ ad Ephesios c. 2. dicens: *Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Hoc ipsum est, quod vobis in præsenti discursu exhibere & Spiritus sancti concursu probare prætendo. Nam si Christus moritur & occiditur à Iudæis, non vt reus aut culpam aliquam habens, sed vt innocentissimus Agnus pro peccatis nostris moritur atque occiditur; ideò vt in hodierno Evangelio legimus, magnâ constantiâ ac securitate suos alloquitur æmulos, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Secundi puncti discursus de peccato erit, vbi ejus abominationem, & enormitatem examinabimus. Parte 2, puncto 3. perversitatem peccatorum, qui enormissimis peccatis suis quasi Iudæi incessanter duris lapidibus atque saxis Christum impetere non cessant, vobis exhibebo; attenti estote.

Hebr. c. 7. *Primas. hic.* *Ad Eph. c. 2.* *Ioan. cap. 8.*

PARS I.
PUNCTUM PRIMUM.
Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. cap. 8.

CVm pulcherrima Sponsa filiabus regiæ civitatis Ierusalem dilectissimi sui sponsi pulchritudinem describere atque exhibere conaretur, inter alia exaggerationis verba, quibus varias pulchritudinis ejus celebrat laudes, etiam hæc habentur: *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Hic subintrat Ven. Beda & hunc locum explicans notat, atque considerat, sponsam primò albedinem atque candorem, secundò rubedinem posuisse. *Dilectus meus candidus & rubicūdus.* Et dicit cum mysterio egisse: nam cùm sponsus ejus humani generis Redemptor erat, priùs candor, puritas atque innocētia ejus hominibus innotescere debuit quàm sanguinis ejus effusio ex amore humani generis facta. Verba ejus hęc sunt: *Candidus, quia in carne apparens, peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius, rubicundus, quia lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et doctissimus Philonius Carpathius locum hunc Canticorum explicans, similiter sequentia habet verba: *Ob id ex millibus electus, quòd ipse solus, ex totius humani generis stirpe sine peccato vllo natus, & inventus, suâ iustitiâ ac sanguine peccatores omnes pientissimè redemit.*

Cantic. c. 5. Innocentia Christi variè declaratur. Primò ex colore eius candido ac rubicundo. *Beda hic.* *Phil. Carp. hic.*

Pergit vlteriùs dilectissima Sponsa & pulchritudinis sponsi sui encomia celebrans dicit, manus habere rotundas torneatoris arte factas. *Manus eius tornatiles.* Quem locum Sanct. Gregorius Nazian. explicans, dicit, *manus eius pu-*

Cantic. c. 2. *Gregor. Nazianz.*

ras,

2. Ex manibus ejus tornatilibus. *ras peccati expertes, alienas ab omni vitiositate.* Quibus puritatem & impeccabilitatem Christi voluit denotare, & eius inculpabilem innocentiam nobis exhibere. Et alio in loco dicit Sponsa divina, se suum dilectum vidisse stantem: *Et ipse stat post parietem nostrum.* S. Bernardus dicit, non immerito sponsam Christum in pedibus stantem vidisse: *Bene stat, quoniam solus verè in carne stetit: qui carnis peccatum non consensit.* Semper firmus stetit pedibus suis benedictus Christus, quia numquam in peccatum cecidit. Ideò mysteriosè sereniss. Rex David de illo dicebat, vivum intra mortuos, liberum inter captivos fuisse, Psalmo 88. *Inter mortuos liber.* S. Augustin. in hunc locum dicit: *Inter peccatores sine peccato.* Id est, Christus vixit in hoc mundo, carne indutus ut peccator, sed non peccavit, & innocens inter peccatores vixit: meritò ergo in hodierno dicit Evangelio, *Quis ex vobis arguet me?*

S. Bernard. serm. 56. in Cant. Psal. 87.

3. Ex ejus statione.

Tertull. de carde Christ.

Antiquissimus Tertullianus longo discursu antiquorum Patriarcharum examinat vitas, & in cunctis quid dignum reprehensione reperit. In Adamo inobedientiam, apud Noë intemperantiam, in Loth concupiscentiam, apud Ruben & alios fratres invidiam, in Moyse debilem fidem, & apud Regem David omnes nobis notos defectus, ita ut omnes etiam sanctissimi ex ipsis aliquid reprehendendum habuerint. Soli Christo Redemptori nostro hoc convenit privilegium, dicit Tertullianus, qui peccatum facere non poterat. Verba eius hæc sunt: *Soli Dei Filio servabatur sine delicto esse.*

4. Ex comparatione cum Patrarchis.

S. Ioan. cap. 14.

Apud S. Ioannem benedictus Christus discipulos suos de adventu inimici præmonet, qui iam itineri accinctus erat, ut ipsius vitam examinaret, & si quid reprehensibile apud ipsum reperibile foret, indagaret, dicens: *Venit princeps huius mundi & in me non habet quicquam.* Et S. Augustinus hæc verba explicando sic habet: *Princeps quis, nisi diabolus? Non habet quicquam, quia sine peccato.*

S. Aug. tract. 9. in Ioan.

Legite Proverb. caput 3. & reperietis Sapientem tria non potuisse penetrare, nec eorum agendi modum percipere: quorum primum erat, ambulandi modus colubri lapidem transeuntis, nec transitus sui relinquentis aliquod signum. *Viam colubri supra petram.* S. Ambros. explicans hunc locum, per serpentem dæmonem intelligit. *Serpens quod occultè serpat.* Lapis quem transgressus est, ac perambulavit, & suæ ambulationis nec minimum reliquit signum, fuit Christus. *Petra autem erat Christus.* Prætendebat quidem dæmon signum aliquod peccati figere, & sanctissimam ejus humanitatem, ut aliorum, inficere; sed minimè valuit, & omnis veneni sui effusio nullius fuit effectus. Verba Sancti hæc sunt: *Serpens in corpore hominis, quod omnipotens Deus induerat, nulla malitia sua potuit imprimere vestigia, quamvis illud ausus fuerit sæpè tentare* & hoc factum atque à Deo permissum fuit, ut totum, quod in Christo erat, puritatem esse cognosceremus.

Prov. cap. 3.

5. Quia petra erat

S. Ambros. hic.

Hujus veritatis quoque Sanct. Propheta Isaias testimonium perhibet, dum dicit: *Ascendet Dominus super nubem levem.* Vultis scire, dicit Ambros. quænam sit hæc nubes? Sanctissima fuit Christi humanitas. Sed cur levis dicitur? Respondit in Psalm. 18. dicens: *Levis erat, quam nulla sua gravabat peccata:* levis erat, quia peccati pondus atque onus minimè sentire aut percipere potuit. *Quomodo enim peccatis gravaretur suis, qui auferebat omnia peccata populorum?* Volebat dicere, quomodo ille peccatis onerari poterat; qui ut aliorum portaret atque auferret peccata, in hunc descenderat mundum.

Isai. c. 19.

S. Ambros.

6. Quia nubes levis.

Nunc causam percipio, N. N. cur undæ maris Christum, cum supra illas

ambularet, ut firmissimum tenebant solum, & submergere vel absorbere non volebant, ut habemus Matth. c. 14 *Ambulans super mare.*

Matth. c. 14.

Ne quis miretur, dicit Ven. Beda, hunc considerans locum, Christum undis maris, ut firmissimo solo obambulasse? cum nullius peccati gravaretur pondere; & innocentia atque puritas ipsum sustentaret. Verba eius hæc sunt: *super mare obambulat, ut ostenderet, quod haberet corpus ab omni peccato liberum.*

Beda hic.

Psalm. 88.

Huius evidentissimæ veritatis ipse æternus Pater luculentissimum perhibuit testimonium, cùm sacratissimam filij sui humanitatem Soli comparavit. *Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo.*

8. Quia sol erat.

Summa reperitur differentia Solis respectu nostri & Dei respectu: respectu nostri noctis obscuratur tenebris, & nobis non apparet luminosus; sed respectu Dei semper est lucidus, semper clarus atque luminosus, & numquam obscuratur. Hoc mysterium est, dicit S. Ambrosius. Sol ille erat, humanitas Christi; sed non respectu nostri, sed bene respectu Dei, semper purus, nitidus, clarus, luminosus, & numquam peccati alicuius maculâ eclipsatus.

S. Ambr. in Psal. 118.

Nam in sanctissima illa humanitate numquam tenebræ vel umbra saltem aliqua alicuius peccati apparere potuit. Audite verba eius: *Soli enim huic, quem quotidie cernimus, nox tam tenebrosa succedit. Sol autem iustitiæ nunquam occidit, quia sapientiæ numquam succedit malitia.* Quia, ut Apostolorum princeps sanctus Petrus attestatur, *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.*

Petr. Epist. 1. cap. 2.

Et idem Christus hanc suam nobis manifestavit innocentiam per os serenissimi Davidis Regis, dum diceret: *Quæ ignorabam, interrogabant me.* S. Aug. hunc explicans locum, quæstionem movet, dicens: *Quæ ignorabas Domine;* Christi resumens personam ad quæstiones eius prolata verba sic respondet: *Ignorabam peccatum.* Nam hoc Christus non cognovit, nesciebat quid esset, sola culpa & peccatum ipsum latebant; nam erat sanctissimus, innocentissimns & justissimus in sua humanitate; imò illa humanitas, ipsamet puritas atque innocentia erat.

Psal. 34. 5.
S. Augu. hic.

9 Quia ignorabat peccatum.

Et Origenes dicit, nullum hominem se à peccato liberum esse iactare posse; nam omnes peccatores sumus, sed solum Christum liberâ mente atque audacter dicere posse: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Verba ejus hæc sunt: *Nullus hominum hoc dicere potuit, nisi Dominus noster, qui peccatum non fecit.*

Orig. tract. 25. in Ioan.

Vacca illa à Moyse Legislatore pro populi peccato in sacrificium Deo oblata, fuit Christi Redemptoris; qui pro vniverso populo oblatus fuit, symbolum, atque figura, vt docet Eusebius Emissen. supra hæc verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* sic habens: *Hoc significabat vacca illa rufa, quæ sine macula fuisse describitur.*

Euseb. in c. 8. S. Ioan.

Observare atque notare vobis lubeat similitudines cum Christo, Vacca colore erat rubra. *Adducent vaccam rufam.* Et de Christo Redemptore nostro lego apud Sanct. Prophetam Isaiam, etiam rubedine indurum fuisse. *Quare rubrum est indumentum tuum?*

Num. c. 19
Isai. c. 63.

10 Quia figurabatur vaccâ illâ rufâ.

Vacca non debebat esse vitulus nec senex, sed perfectæ ætatis, *ætatis integræ.* Et de Salvatore nostro cantat S. Romana Ecclesia in Hymno Dominicæ passionis: *Lustris sex, qui iam peractis, tempus implens corporis.* Vacca debebat non fuisse sub jugo. *Nec portaverat iugum.* Sic Christus sempet liber fuit à peccati jugo, cujus Ecclesiastes mentionem facit, dicens: *Iugum grave super filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum.*

Num. c. 16.
Ecclesiast. cap. 40.

Illa offerebatur, atque sacrificabatur extra castra & habitationis locum. *Immolabit extra castra.* Et de Christo dicit Sanct. Apostolus Paulus: *Extra portam passus est.* Illa offerebatur pro totius populi salute, & reconciliatione. De Christo habet Sanct. Paulus: *Propter nimiam charitatem suam,*

S. Apostolus Paul. ad Hebr. 13.
S. Paul. ad Ephes. c. 2.

quâ

quâ dilexit nos, tradidit semetipsum pro nobis. Illa tandem destinata erat ad mortem, non quidem ob proprios commissos errores aut defectus; nam debebat esse pura, vt verba illa significant, *sine macula*; sed tantùm pro populi peccatis atque salute & reconcilatione cum Deo. Et si Christus mortuus est, non fuit hoc ob propria peccata, aut errorem, vel defectum aliquem commissum; quia semper fuit purus, innocens & absque peccato. Sic S. Paulus vbi suprà attestatur, *Sanctus, innocens impollutus, segregatus à peccatoribus*, propter hominis salutem & reconciliationem cum Deo ad divinæ justitiæ satisfaciendum, moritur. Hoc significabat vacca illa rufa; quæ sine macula fuisse describitur: nam vt verissimum tenendum est: *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.*

S. Aug. serm. 58. de temp.

11. Quia omnes ejus fatebantur inimici.

Matt. c. 22.

Et si tot tantaque non sufficiunt testimonia ad innocentiæ Christi probationem à me adducta, *inimici eius ipsi sunt testes.* Dicit S. Augustinus: *Interrogentur Iudæi & respondeant ipsi.* Audite quid Pilati respondeat vxor: *Nihil tibi & iusto illi.* & ipse Pilatus clarissimis verbis ejus manifestat innocentiam, dicens: *Ego nullam invenio in eo causam.* & iterum: *Mundus sum à sanguine iusti huius.* Imò hoc ipse fatetur Iudas traditor, dicens: *Peccavi tradens sanguinem iustum.* & Scribæ & Pharisæi fatales ejus inimici hujus innocentiæ, velint aut nolint, testes fuerunt, dicentes: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Imò ipsimet dæmones de obsessorum exeuntes corporibus, ad innocentiam Christi prædicandam constringuntur, & illam manifestant dicentes, vt apud S. Lucam legimus: *Quia tu es filius Dei.* Ah dicit S. Augustinus: *Inimici eius ipsi sunt testes.* Pessimi ac iurati Christi hostes manifestissima de ejus innocentia reddiderunt testimonia, dicentes cum S. Paulo: *Peccatum non fecit, nec inventus est in ore eius dolus.*

Luc. cap. 4.

S. Paul. ad Heb. cap. 7.

Genes. c. 31. legitur Laban amisisse sua idola, & suspectum habens generum suum Iacob, aggressus est ipsum, idola repetens. Cui vt satisfaceret, & suam ostenderet innocentiam, omnes angulos domus suæ, cistas, sarcinas & supellectilem ejus, vt Scriptura dicit, perscrutatus est, & cuncta examinavit loca, & nihil invenit. Verba Scripturæ hæc sunt: *Scrutatus est omnem supellectilem domus suæ, & nihil invenit*, omnes cistas, sarcinas, omnes saccos aperuit coram Laban, vt suam demonstraret innocentiam, vt se nil, quod ipsius esset, habere exhiberet. S. Augus. hunc locum considerans dicit, Laban dæmonem figurasse, Iacobum verò Christi symbolum fuisse. Sic enim loquitur: *Laban typum diaboli gerebat, Iacob autem typum Domini.* Ergo hic Laban, id est, dæmon omni diligentiâ factâ, nil quod suum erat apud Iacob, id est, Christum, reperire potuit. Hinc addit Sanctus. *Diabolus perscrutus Christum, nihil de rebus eius apud ipsum invenit.* Fecit diabolus quantum potuit, inquisivit per omnia membra, per omnes potentias sanctissimæ humanitatis Christi; sed nil quod ipsum saperet, reperire aut deprehendere potuit. *Nihil invenit.* Ideò ipsemet dixit Christus apud S. Ioannem: *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Verum est dæmones & Hebræos omnem lapidem movisse Christo Redemptori nostro notulam aliquam, licèt minimam, imponere, sed in vanum laboraverunt. Nam nec dæmones quidquam in Christo potestatis habuere. *In me non habet quicquam.* nec Iudæi vmbram quidem imperfectionis in benedicto Christo deprehendere potuerunt. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Gen. c. 31.

S. August. serm. 8. de temp.

S. Aug. ser. 18. de temp.

Ioan. c. 14.

Hinc rationem aut causam N. N. comparationis illius à Christo apud S. Ioannem factam & adductam penetrare poteritis; vbi benedictus Redemptor

Ioan. cap. 3.

demptor noster semetipsum æneo illo serpenti à Moyse erecto comparat atque assimilat, dicens: *Sicut Moyses exaltavit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* B. Petrus Damianus dicit, serpentem hunc æneum Christum figurasse. Verba ejus hæc sunt: *Serpens æneus Dominum figuravit.* Nam vt ille figuram atque formam serpentis habebat, & tamen nullum ipsi inerat venenum: sic Christus assumpsit quidem figuram peccatoris, sed peccatum aut culpam non cognovit; videbatur peccare posse, quia venerat, vt Apostolus dicit, *in similitudinem carnis peccati*; sed peccati venenum in persona ejus minimè locum reperit, quia semper fuit sanctus, purus & innocens. Verba Sancti, quibus concludit comparationem suam, audite: *Serpens æneus similitudinem quidem serpentis habet, sed venenum serpentis non habet, & Redemptor noster in similitudinem quidem peccati apparuit, sed peccati venenum in eo locum habere non potuit*, quia, vt Apostolus dicit ad Hebræos, *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.*

12. Quia serpens æneus erat.

B. Pet. Dã. serm. de exalt. s. Crucis.

Rom. cap. 8.

Hebr. c. 7.

Thronus ille, cujus rex David meminit, dicens: *Et thronus eius sicut dies cœli*, symbolum fuit benedicti Redemptoris nostri. Sed cur aut qua de causa cæli & non terræ comparavit dies? Sanct. Maximus rationem reddit, dicens, magnam differentiam esse inter terræ & cæli dies, Terræ dies noctem præcedunt & subsequuntur, at cœli dies nec nox præcedit, nec subsequitur; nam cœlum tenebras & obscuritatem noctis non cognovit, Omnes sancti hujus mundi (beatissimâ Virgine exceptâ) fuerunt dies terræ; nam in principio, antequam cœli per sanctum nascerentur Baptisma, nox peccati originalis præcessit, vita spirituali atque gratiâ acceptâ, iterum tenebris actualis peccati si non mortalis saltem venialis, fuerunt obvoluti, & sic nox, peccati dies hos præcessit, atque subsecuta est. At benedictus noster Christus dies cœli fuit; nã ab originalis peccati tenebris; & ab actualis peccati obscuritate omnino liber fuit; sic nec ante nativitatem ejus, nec post noctis alicujus obscuritatẽ passus est, id est, ne minimâ culpâ maculari potuit. Verba Sancti hæc sunt: *Quis est autem dies cœli, nisi Christus Dominus? semper enim dies cœli splendet, neque aliâ potest obscuritate concludi: ita & lumen Christi micat, nec aliquâ potest delicto ũ caligine comprehendi*, quia, vt Apostolus ait, *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.*

Psalm. 88.

13. Quia fuit dies cœli.

S. Maximus hom. 2. de Paschate.

Percurrite novi testamenti historiam & reperietis æternum Patrem bis Christi innocentiæ dedisse testimonium, & ejus puritatem vitæ attestatum fuisse, Primus attestationis actus fuit ad ripas fluminis Iordanis, vt habemus apud Sanct. Matthæum cap 3. Secundus in vertice montis Thabor, vt idem cap. 7. refert. Attestationis verba hæc fuere: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Ven. Beda explicans atque considerans verba, addit illa sequentia verba: *In quo ñihil vitij, quod me offenderet.* Ergo N. N. concludere nos oportet, Christum Redemptorem nostrum semper fuisse innocentissimum. Hinc non immeritò in hodierno Evangelio suam aducens innocẽtiam summâ libertate Iudęos alloquitur sequentibus verbis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Ven. Beda in caput 5. Cant corũ.

PVNCTVM SECVNDVM.

SEd ad singularia descendamus. Non poterat Christus de culpa aut peccato aliquo accusari aut notari; nam peccatum intrinsecè & ex natura sua quidquid sub luna est, abominatione atque horrore excedit, & hæc erit materia secundi puncti nostri discursus. Hæc veritas clarissima est, & nullâ indiget probatione; nam ipsimet infideles illam cognoverunt. Pater Romanæ elo-

Nihil in mundo horribilius peccato.

Cicer. lib. 6. Epist. vlt. famil. Lactant. Firm. l. de ira Dei. eloquentiæ Cicero de peccato discurrens, sic habet: *Præter culpam & peccatum nihil potest accidere, quod sit horribile & pertimescendum.* Ideò Lactantius Firmianus optimè & sanctè docet, vmbram, nomen, & aspectum etiam peccati supra omnia mala, fugiendum esse. *Ipse peccati aspectus indignus est.* Hic Sanct. Anselmus generosum suum animum & turpitudinem peccati ostendere volens, non dubitavit peccati horrorem ipsiusmet inferni præferre; nam expressis dicit verbis, si ex vna parte peccatum, & ex altera infernus poneretur, & constringeretur vnam vel alteram eligere sortem, malle viventem in infernum descendere, quàm abominatione & turpitudine peccati suam offendere aut maculare animam. Verba ejus hæc sunt: *Si hinc peccati pudorem, & illinc gehennæ cernerem horrorem, & necessariò vni eorũ deberem immergi, prius me in infernum immergerem, quàm peccatum in me admitterem.* Vnde S. August. justissimam habuit causam dicendi, nil pejus & execrabilius sub sole, peccato reperibile esse, cum animam divinâ spoliet gratiâ, atque spirituali vitâ, & ad æternam deducat mortem, & in inferni supplicia. Verba ejus appono. *Peccatum mortale est multo magis detestandum, quàm infernus damnatorum.*

S. Anselm.

S. Anselm.

S. August. in Psalm. 6.

Ven. Beda in caput 5. Cant. corũ.

Et si turpitudinis atque abominationis hujus majora vultis habere signa, atque plures probationes, spatiosum scripturarum mare intrare mecum non pigeat, vbi plurima & evidentissima veritatis hujus testimonia reperietis. Lib. 1. Moysis legimus Sanct. Patriarcham Iacob iam morti vicinum omnes suos convocasse filios & ad lectum suum congregasse, vt paternam reliqueret singulis singularem benedictionem. Et ecce dum ad Ruben pervenit, sequentia protulit verba: *Ruben primogenitus meus, & principium doloris mei;* volens dicere: Tu ô Ruben ingratissime fili vnica causa doloris mei, tu primus fuisti qui me tormentasti; qui me afflixisti, & in summas duxisti angustias, & hoc fecisti, quando enorme illud scelus commisisti. Rupertus Abbas hunc explicans locum, dicit Iacobum plurimos ante hoc Ruben peccatum passum fuisse labores, atque adversitates sustinuisse; nam ex fratris persecutione de regione in regionem fugere debuit, & exul in continuo timore manere & plurima alia toleravit mala: Ergo primus dolor Iacobi non peccato Ruben originem habuit, sed à fratris persecutione. Quomodo ergo dicit Ruben peccato suo primi doloris ejus causam fuisti; *Ruben primogenitus meus & principium doloris mei.*

Nihil in mundo horribilius peccato.

Rupert. Abbas lib. 9. in Genes.

Cur Iacob vocet Ruben principium doloris sui.

Audite quàm divinè devotissimus Abbas Rupert. ad hoc nobis respondeat dubium. Plurima mala fuisse passum Iacob, antequam Ruben peccaret, dubium non est, dicit Rupertus & in plurimis doloribus, ac variis angustiis suam duxisse vitam: sed hæc omnia respectu doloris per Ruben peccatum acquisiti, nullâ malâ, nullos labores, nullas afflictiones æstimasse. Solum peccatum Ruben sensit, & ideo, quia hic inter filios primus fuit, quia graviter peccavit, bene dicit illum primi doloris atque afflictionis fuisse causam: non solum peccatum verũ malũ, vera ruina & perditio, & summas miserias causat, ideo summoperè abominabile & horrendum est. Verba devotissimi Abb. hæc sunt: *Ruben principiũ doloris mei extitit, nõ quod in nulla antea doluerit, sed quia verus dolor de plaga peccati, primũ in domo ejus de isto accidit.*

Rupert. Abbas lib. 9. in Gen.

Ergo supra omne malum, abominabile peccatum, & nil quod sol illuminat, sic fugiendum ut peccatum est; nam omnem turpitudinem suo horrore atque intrinsecâ abominatione excidit. Quã veritatem Christus ipsemet passionis suæ tempore sat claram esse demonstravit extrinseca signa horroris atque abominationis

tionis ejus dans atque demonstrans: nam vix hortum ingressus, protinus in terram cecidit, & sanctiss. suum vultum terram versus inclinans abscondit. Sic dicit S. Lucas: *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam orans.* Subintrat hic S. Isidorus clarius, & quærit cur Dominus protinus ac in hortum pervenit, in terram prociderit & sanctissimum suum vultum absconderit. Respondet, causam hujus horrendam quamdam visionem fuisse, nempe peccatorum, quæ dum orare vellet, ipsi repræsentata fuit, sub qua omnia scelera mundi, & gravitatem & enormitatem eorum vidit ac cognovit, quæ omnia proprio suo sanguine delere, & pro omnibus post pauculas horas divinæ debebat satisfacere justitiæ; quorum aspectus, quia tam horrendus ac abominabilis erat, non potuit aspicere, nec valuit divinos suos oculos fixos tenere, sed horrore obrutus, atque tam enormi abominatione confusus in terram procidit, & sanctissimum suum vultum abscondit. Verba Doctoris hæc sunt: *Nostri generis scelera ante oculos proponens, tanta ac tam horrenda intuebatur, vt faciem abscondere cogeretur.*

S. Luc. cap. 22. S. Isidor. orat. 39. in Luc.

Christus peccatum intueri non potest.

Quàm ergo timendum atque fugiendum peccatum est, quod tot tantorumque malorum origo & causa est. Nam hoc nos Dei creatoris, & omnes boni nostri inimicos constituit: per hoc cœlum perdimus, & paradiso excludimur; infernum meremur, & acquirimus æterna mala; horror simus Angelis, odiosi & abominabiles reddimur Sanctis & omni creaturæ, & nisi divinâ impedirentur misericordiâ, ipsæ petræ atque lapides aliàs insensibiles, & motu carentes peccatores aggrederentur & obruerent. Et vt paucis dicam, anima illa, quæ ante peccatum albedine suâ lunam, & splendore suo solem, & pulchritudine suâ firmamentum tantâ stellarum varietate ornatum superabat, peccato patrato non solum splendorem ac pulchritudinem illam protinus amittit, verum etiam tantâ turpitudine inducitur, & tam horrida atque abominabilis efficitur, vt illâ inspectâ, homo protinus moreretur, & præ nimio horrore atque dolore ex ejus visione causato, viuus absque singlari Dei concursu manere non valeret; nam cum dæmone eamdem inducit turpitudinis formam.

Et tamen tot sunt, qui non vno, sed infinitis peccatis & gravissimis sceleribus suas fœdarunt animas, & in tanta vivunt pace, in tanta dormiunt securitate, & in tanta dulcedine quiescunt, ac si nullum haberent peccatum; imò tempus totum nugis, & in lætitia ducunt ac consumunt, & viuunt ac si animas non haberent, vel ipsæ mortales essent. Legitur de Angelico Doctore Sancto Thoma, ipsum non potuisse capere, quomodo hoc sciens se esse in peccato mortali lætus esse aut ridere posset, & quomodo auderet non annis, sed vnicâ tantum nocte in peccato tali dormire & in periculoso statu manere; & tamen nimis verum est, vt Sapiens dicit, quod *quasi per risum stultus operatur scelus*, ac si nugæ & comœdia esset; animæ perduntur, & æternæ traduntur damnationi. Doctissimus Hugo Cardinalis hæc verba explicans, sic habet: *Stultus gaudens scelus operatur, non prævidens quòd sceleris gaudia sequatur vltionis pœna.*

In vita S. Thom. Aq.

Prou. c. 10.

Et omnis hæc animarum ruina atque desolatio oritur atque generatur ex eo, quòd turpitudo & horror, atque abominatio peccati à nobis non consideretur. Hoc erat quod S. Ieremias deplorabat, dicens: *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Nam si homo benè damna ac mala per peccatum ipsi adducta consideraret atque inspiceret, & pœnas, quæ subsequuntur, contemplaretur, & rationem

S. Ierem. c. 12.

Miseria ac ruina peccatorum est peccata non agnoscere. tionem reddendam intueretur, impossibile esse, tot eum peccata posse committere. Ideò benè dicit Propheta, *quia nullus est, qui recogitet corde*, Hugo Cardinalis hunc explicando locum sic dicit: *Quia nullus est, qui causam tantæ desolationis attēdat*, id est, peccata sua perpendat, & proponat emendare.

Ergo ò miseri peccatores! qui pestifero ac mortali lethargo oppressi estis, & dormitis in peccatis; euigilate, & de misero hoc exite statu, & de æternæ damnationis periculo vos liberare satagite. Nunquid stultum diceretis hominem, qui dum securè & absque timore dormire vellet, putei profundissimi ori se apponeret, & ibi absque vllo præcipitationis timore membra extendere, & quieti se tradere vellet? Sed magis mente captum & insanire dixero illum miserum, qui cùm in peccato mortali se esse sciat & infernum ante pedes suos apertum videat, securus & absque præcipitationis evidentissimæ periculi timore dormire audeat; imò quod magis stupendum atque admirandum est, vt sacrilegus, impius, profanus, ac infidelis iocos dicat & divinam irridere præsumat justitiam, ac si cœlum iam fulmine careret, & divina justitia non haberet vnde supplicia immittere valeret. Ah miseri! advertite tandem aliquando hanc Dei longanimitatem summum futurum furorem: dissimulat nunc Deus & connivet, vt in æternum castiget, & incredibilibus afficiat tormentis.

Video bene, & vos miseri peccatores non animaduertitis summum esse à Deo immissum supplicium, ita in delitijs ac peccatis somno sopitum jacere, vt ex illo evigilare minimè quis cogitet. Ideò Isaias ad rem valde dixit: *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis*, Interlinealis explicans hunc locum, habet *alienationem mentis*. Vinum sensualitatis & delitiarum, ô miserrime & infelicissime peccator! sepultum peccatorum somno te habet, ac tenet. Tu cùm cæcus sis, ruinam & præcipitium ante pedes tuos minimè vides, & miserabiles calamitates tuas non cognoscis, ac in tantum, ô miserrime! peccatorum pondus te premit, ac aggravat, vt quasi intolerabile pondus terra te portare recuset, & se aggravatam esse conqueratur. Quod autem hoc verum sit, lege Scripturam & reperies singulare maledictionis genus, quo Deus in peccatores animaduertit, Deuteron. cap. 21. *Maledictus homo qui pendet in ligno*. Quæ verba alium sensum non habent; quàm si dixisset, Maledictus sit homo ille à Domino, qui suspensus hæret patibulo. Doctissimus Oleaster ex Hebræo legit, *Alleviatio terræ suspensus*. Vult dicere: dum impius quispiam suspēditur aut alio supplicio exterminatur, terram aliquo modo alleviari & tanto pondere & gravamine liberari. Sic dicit Oleaster. Videtur enim terra onerata malis hominibus alleuiari, cùm ipsi ab ea eliminantur.

Peccatum pondere suo gravat terram ac cœlum.

Sed quid de terra dico? cœlum ipsum licet chalybe durius sit, non potest peccatorum sustinere pondus; nam Luciferum cùm peccavit sustinere non valuit, sed cecidit & cœlos penetrans pondere suo in infernum vsque penetravit. Audite verba S. Antonini, cujus hic conceptus est: *Adeò grave est peccatum vt cœlum & terræ superficies non valeat sustinere peccatorum. Lucifer existens in cœlo empyreo, ita gravatus est per superbiam, quod de cœlo lapsus in centrum terræ ruit*.

S. Antonin. 2. par. lib. 30.

Sed percipere vobis lubeat N. N. mirabile quid: Tantum peccatorum gravamen atque pondus est, vt ipsemet Deus, qui palmo suo cœlum & terram & vniversi machinam portat, ad hoc tolerandum pondus insufficiens sit, & hoc se aggravari & premi confiteatur ac conqueratur. Sic habemus apud S. Propheram Ieremiam, qui peccatores onus ac pondus Dei vocat,

Imò Deus illud sustinere non valet.

Margin notes (left): In vita S. Thom. Aq. — Prov. c. 10. — S. Ierem. c. 12. — Isai. cap. 29.

Ierem. c. 23. cat, dicens: *Onus, onus Domini*, quem locum Doctissimus Liranus explicans,
Liran. hic. sequentia apposuit verba: *Onus scilicet importabile propter peccatorum vestrorum pondus.* O Sancte Deus! mirum certè homines nunc reperiri, qui Christi humeris tam dirè vulneratis, gravissimum onus imponere non dubitant. Hoc erat onus illud, quod crucis augmentabat pondus; ideo Christus ad portandum illud insufficiens fuit, & solus portare nō valuit, sed coadiutorem habere debuit Cirenæum.

O omnium creaturarum infelicissime ac miserrime! quomodo tam cæcus es, vt miserum ac periculosum statum tuum non cognoscas? redeas tandem aliquando ad saniorem mentem & considerationis aperire oculos te non pigeat, & deprehendes te in medio dæmonum esse, iamque infernum os suum ad deglutiendum te aperuisse. Ecce maligni & horribiles illi tenebrarum dracones aperto ore, magnâ auiditate exspectant, vt tuas dilacerent carnes: ecce infernus sepultura tua est, vbi in æternum includeris; nam cœlum, quamdiu in peccatis vivis, indignatum contra te est, & quamdiu non converteris, & Dei adiutus gratiâ peccata relinquere studebis, & pœnitentiæ exercere opera conaberis, aditum præbere negat.

Sed ô miserrime hominum! quomodo ausus es offendere Deum tam bonum, tam benignum, qui te ex nihilo fecit, qui pretioso suo sanguine te redemit, & æternæ gloriæ hæredem constituit? Et tu ingratissime hominum! tot tantaque non cognoscis beneficia, imò cum Hebræis, qui in hodierno describuntur Evangelio, lapides apprehendis ad lapidandum summum tuum bonum. *Tulerunt ergo lapides,*
Ioan. cap. 8. *vt iacerent in eum.* Et in quo offendit benedictus Christus, quòd lapidibus ipsum impetere audeas? Hæccine est gratitudo tantorum beneficiorum acceptorum? Admiramini ô cœli horum Hebræorum & omnium peccatorum erga Deum ingratitudinem. Eusebius S. Polycarpi describens historiam, dicit Sanctum, quia idolis maledixerat & publicè despexerat apprehensum & judici adductum fuisse, qui examinatus & Christianus deprehensus, jussus fuit idola adorare & Christo maledicere. Quod non solùm maximâ generositate præstare renuit, verùm etiam audacter respondit: Quomodo, ô Proconsul! audes ad Christum blasphemandum me incitare, cui iam octoginta sex servivi annis, & non tantùm molestiâ vel malo aliquo ab illo non impetitus, verùm etiam mille & millenis donatus fui gratijs ac beneficijs? Et ergà tam bonum Dominum ingratum me exhibere jubes? Miror certè tuam crudelitatem, & stultitiam, quòd rem tam injustam & indecentem à me exigas. Verba Sancti hæc sunt: *Octoginta sex annus servivi Christo, & nihil me læsit vnquam: quomodo ei maledicam?* Et vos ô ingratissimi peccatores, quid mali in persona dulcissimi & innocentissimi Christi deprehendistis, quòd tot tantisque continuo maledicatis peccatis? Hæc est tot tantorumque acceptorum beneficiorum pensitatio? Ergo ô Christiani ingrati ingratine simus, sed multâ gratiarum actione & firmo proposito ad peccati vomitum non redire statuamus. Interim quiescamus.

Euseb. l. 4. c. 15.

S. Polycarpus Deum verè agnovit summū bonum.

PARS II.

PUNCTUM TERTIUM.

PRimâ parte discursus mei, N. N. benedicti Christi nostri innocentiam & impeccabilitatem demonstravi, cujus sacram humanitatem non solùm de ordinaria, verùm etiam Dei absolutâ potenti mali vel culpæ quid inficere non potuit: Secundo puncto horro-

horrorem atque abominationem intrinsecam & naturalem peccati vobis exhibui. Nunc hac secunda parte summam illam Hebræorum temeritatem, cùm lapides sumerent, vt Christum lapidarent, attingam, *Tulerunt lapides, vt iacerent in eum.* Temeritas certè hæc tanta, quâ maior excogitari non potest, homines lapidibus Deum suum obruere velle. Rationabiliter & meritò in Iudæos hodie animadvertere & temeritatem ipsorum duris corrigere deberem verbis; sed quia cæci erant & Christum non cognoverant, ad illos, qui fidei lumine illuminati sunt, & Christum pro Deo & redemptore suo habent & cognoscunt, & nihilominus non semel, sed horis singulis ac momentis, durissimis peccatorum lapidibus impetere non cessant, & quantum in se est, per peccata sua Deum annihilare conantur, convertam, & ipsorum temeritatem vobis exhibebo,

Lib.2.Reg. cap. 16. Legimus Serenissimum Regem David, cum à filio Absalon ad mortem quæreretur, salutem suam fugæ commisisse, & versus montes se convertisse. Quos cùm ascenderet, & domum cuiusdam inimici sui Semei, qui filij partes tenebat, transiret, exijt hic Semei, & non tantum maledictionis verbis, verùm etiam lapidibus & mille impetebat Regem iniurijs. In quam temeritatem cùm Abisai animadvertere & morte Regis iniuriam vindicare vellet, noluit Serenissimus Rex, & rationem reddens, Abisai allo- *2.Reg.cap. 16.* quutus est: *Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam, quantò magis nunc filius Iemini?* ac si dicere voluisset; Si Absalon, qui proprius meus filius est, me persequitur, & vitam auferre conatur, quid mirum, extraneum & de linea & sanguine inimicæ domus descendentem id agere? Ah Christiani! quanto cum maiori ratione Christus his temporibus, cùm vndique

Dolendum, est quod etiam Christiani, Christum lapidibus impetat.

à Christianis iniuriatum se & varijs peccatorum lapidibus impetitum deprehendit, similibus vti poterit verbis, & dicere: Quid mirum, quòd Hebræus iniurijs & maledictionis verbis me afficiat, & lapidibus obruere conetur? nam à sanguine semper Deo & Patri meo inimico, & linea semper maledica & odiosa descendit, cui cùm benefeceris, peior fit. Nam & Christianus pretioso meo sanguine redemptus, cui tot tantaque contuli beneficia & dirissimâ morte in durissimo crucis patibulo æternam vitam denuo procuravi, me persequitur varijs iniurijs, & maledictionis afficit verbis, & peccatorum durissimis lapidibus incessanter impetere non cessat, & mortem mihi denuo inferre omnibus conatur viribus. *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum.* Ioan, cap. 8. Quæ verba considerans Sanctus Hilarius, sic alloquitur Christianum: *Quantò tu irreligiosior Iudæo? lapides ille in corpus levabat, tu in spiritum: ille in hominem, vt putabat, tu in Deum: ille in conversantem in terris, tu in throno virtutis sedentem: ille in ignoratum, tu in confessum: ille in moriturum, tu in iudicem sæculorum.* Vult dicere; Millies & millies peiores, & mille infernis digniores sunt Christiani peccatores Iudæis, qui hodie Christum lapidare decreverant: illi lapides ad Christi humanitatem lapidandam apprehendebant; hi divinitatem ejus, quantum ex ipsorum parte est, lapidibus impetere & annihilare conantur: illi putabant hominem mortalem lapidare; at peccatores Christiani, Deum, qui ipsos creavit, & proprio redemit, sanguine, & propriâ sustentat carne, lapidibus petunt & occidere conantur. Audite Glossæ verba, quomodo mecum consentiat, quæ sic habet: *Quotiesquis in peccata mortalia cadit, toties in Deum, quo ad se, lapides occisionis mittit.* Ideò benedictus Christus se abs-

S. Hilarius l. de pat. & fil. vnit.

Quomodo hoc faciant

Gloss in Ioan. cap. 8.

abscōdit. *Iesus autem abscondit se*, non quod lapides aut mortem timere, sed quia conscientias tot tantisque enormibus sceleribus inquinatas pati & inspicere non valebat; vt etiam in Ægyptum fugerat, non quod mortem sibi ab Herode inferendam effugeret, sed quia tam scelerati peccatoris faciem pati & videre non poterat. Sic docet Sanctus Chrysologus his verbis: *Herodem Christus, non vt euaderet, sed ne videret, aufugit.* Sic se incarnatum abscondit Verbum ne tot tantorumque Christianorum scelera inspiceret, & diabolicam illam audaciam atque temeritatem, quam lapidando eum (id est, tot tantaque committendo peccata) ostendunt, videret. Quid sunt inhonestates illius juvenis, vanitates illius fœminæ, negotiationes illicitæ illius mercatoris, vsuræ illius negotiatoris, deceptiones atque fallaciæ illius artificis, iniustitiæ illius judicis, simoniæ illius Ecclesiastici, si non tot durissimi lapides, qui summâ temeritate ab ipsis in Christum iaciuntur? Hæc ratio atque causa Christi fugæ fuit; ideò Hebræorum fugit aspectum omniumque eorum Christianorum, sic eum lapidantium oculos fugit. *Iesus autem abscondit se.*

S. Chrysol. serm. 152.

Ioan. cap. 8.

At percipite, quid Sanct. Augustinus de his Christianis, dicat: *Væ illis, à quorum lapideis cordibus Deus fugit.* O anima Christiana! quid absque Deo de te agetur? & si hic à te fugerit, quid eris? quomodo audes absque illius vivere præsentia? Quàm dura Dei hæc absentia animæ sit, agnovit Iob, dum dixit: *Cur faciem tuam abscondis & arbitraris me inimicum tuum?* Ergo peccata Dei impediunt aspectum & sanctissimi ejus vultus subtractionis causa atque origo sunt. Sic N. N. *Iniquitates vestræ divisevunt inter vos & Deum vestrum*, dicit Isaias. Peccata, vestra hoc nigro velo sanctissimum Dei ac Redemptoris nostri operuerunt vultum, & gratiosissimo suo aspectu nos privarunt. Ah maledicta sint omnia peccata, maledicta superbia, maledicta acedia, maledictum tandem omne id quod nos sanctissimo & gratiosissimo Dei vultûs aspectu privat. Venite ergo omnes, & humilibus mecum vocibus Christum Salvatorem nostrum, cujus hîc imaginem & prototypon habetis, alloquimini, dicentes: *Ostende faciem tuam & salvi erimus.* Cùm bona venia ô amantissime mi Iesu te discooperio. Videte & inspicite peccatores, ad qualem miserum statum peccata nostra Deum & Redemptorem nostrum & vniversi creatorem reduxerint. O mi Domine! iam satclarè video superbias nostras, acutas spinas tuum sanctissimum pungentes ac transfigentes caput esse; gulositates nostras fel & acetum esse, tuum dulcissimum os summâ implentes amaritudine; odia & rancores nostros, diros esse clauos, sanctissimos tuos pedes & delicatissimas tuas transfigentes manus; auaritias nostras, flagella, tuas innocentissimas dilacerantia carnes esse; vanitates nostras esse lictores illos, tuum sanctissimum denudantes corpus: in summa, peccata nostra hos esse homicidas, qui te in cruce occiderunt & crucifixerunt. Ergo non mirum, Christiani, Christum hodie suum à nobis subtrahere atque abscondere vultum, & nostram fugere præsentiam, vt Ioannes dicit: *Iesus autem abscondit se.*

S. August. tract. 49. in Ioan.

Iob, cap. 13.

Isai. c. 59.

Hic discooperiatur crucifixus.

Psalm. 79.

Ergo meritò hoc velo tuum corporis sanctissimum vultum, & quasi scutum tot tantisque lapidum ictibus, quibus Christiani peccantes te impetunt, opponis. Sed dic mihi Christiane quid ages? quid incipies, dum Dei perdis atque privaris aspectu? Ah Christiani, si vestra corda lapidea ac adamantina sunt, moveant vos viscera Christi vestri, tot tantosque pro vobis

Ioan. cap. 8.

Hic cooperiatur crucifixus.

bis passa dolores, à peccatis desistere & crudos lapides è manibus vestris tenentes ejicere: & si effectus quid habent, abjicite lapides, quibus hodie adhuc hunc benedictum Christum vestrum lapidare decrevistis: desistite à peccatis & sceleribus, quæ patrastis & adhuc patrare meditamini in cordibus vestris, & oculi vestri flumina emittant lachrymarum, & cum sanctissimo pœnitente Rege David humilibus vocibus veniam petentes sic supplicate: *Ne auertas faciem tuam à me.* Deus meus: vt quid abscondisti te, & sanctissimum tuum vultum atque aspectum tuum subtraxisti? qui horrendis peccatorum lapidibus petere te conabatur populus hic; ecce lapides ex manibus rejecit, & peccatum dereliquit, & ad tuos sanctissimos prostratos pedes totus confusus, contritus, humilibus vocibus & gestibus pro venia, pietate, & misericordia supplicat. Ne timeas peccator, non negabit tibi Deus aspectum sanctissimi vultus sui; nam tui causâ non retraxit à sputis, colaphis, iniurijs, ac varijs despectibus, vt Sanct. Augustinus dicit. Placare obsecro, & miserere mei, & non auertas faciem tuam à me, qui pro me redimendo non auertisti faciem ab increpantibus, & conspuentibus in te.

Psalm. 26.

S. August. medit. c. 29.

Sursum ergo, ô Christiani! aperite oculos cordis vestri, & respicite in hanc gratiosam & sanctissimam Dei faciem, quæ paradisus deliciarum, animarum vestrarum consolatio est. Non sit, ô Christiani! ex vobis cujus cor aspectu hujus Redemptoris nostri crucifixi non emolliatur; non sit, qui non plurimos contritionis faciat actus, & firmam vitæ proponat emendationem, & singularem in Dei servitio fervorem & virtutum ac bonorum operum exercitio diligentiam; sic ex Dei parte vobis veniam peccatorum, bonorum operum retributionem, bonæ vitæ vestræ futuræ æternum promitto præmium. Dicat ergo mecum quisque paucula hæc verba: Dulcissime Iesu & sanctissime mi Redemptor, sat mihi constat me vnum ex temerarijs his esse Hebræis, qui toties te lapidibus petij & tuam sanctissimam bonitatem tot tantisque sceleribus offendi: malè feci & pessimè egi mi Domine: ecce doleo quod hoc egerim, non quia inferni metui pœnas & paradisum perdidi; sed quia summum bonum offendi. Parce ergo Domine, da gratiam, ne amplius id agam, sed potiùs te amare, tibi servire & in æternum te videre valeam, Amen. Ite in sancta pace.



DISCVRSVS XXIX.

PRO DIE LVNÆ POST DOMINICAM PASSIONIS.

ARGVMENTVM,

PRimâ parte hujus discursus mundi rerum ad nostrum satiandum appetitum demonstratur insufficientia. Secundâ parte demonstratur sola æterna bona animas nostras consolari posse, & perfectè quietare valere appetitum nostrum.

Thema.

In novissimo autem die magnæ festivitatis, stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Ioan cap. 7.

INsufficiens fuit N. N. omnium antiquorum Sapientum acumen ad proportionatum fallacitatis terrenorum bonorum symbolum inveniendum atque excogitandum: solus Serenissimus Rex David, secundùm Sancti Augustini opinionem, peraptam & naturalem reperit similitudinem, dum mundum hunc horrido comparat deserto, & hominem viatori siti & fame cruciato, ac in illo summâ æstate & ardentissimo calore erranti, atque clamanti: Aqua, Aqua, & quod peius est, iam aberranti & viam reperire non valenti, assimilat, dicens: *In terra deserta & invia & inaquosa: sic in Sancto apparui tibi.* Et non extra terminos sanctissimus Rex loquitur: nam certissima atque indubitata veritas est, omnes nos, quamdiu huic immoramur mundo, vt veros viatores esse, & quidem sterile, horridum, siccum, & omni verâ consolatione vacuum obambulare desertum, accensore inextinguibili desideriorum siti, laborantes ac modum aut viam veras illas inveniendi aquas, quæ animarum sitim extinguere valeant, invenire nescientes. Infelicissima ergo sors nostra, ô Christiani, & misertima conditio nostra filiorum Adami est, quòd in tam horrido atque sterili loco dies nostros agamus & annos vitæ nostræ consumamus. Sed læti estote: nam tam infelix ex hac parte sors nostra non est, quin ex altera, fortuna nobis arrideat, & felicissimos ac fortunatissimos precetur successus; nam in medio hoc deserto, quasi perditi & toti famelici, sitibundi, lassi, & exhaustis viribus vix spiritum trahentes, obambulantes dulcissimam Redemptoris nostri percipimus vocem, quâ ad ipsum vocamur, & consolationum verarum & gratiæ, aquæ porrigendæ nobis promittuntur. *Et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Erigite ergo corda vestra, & animorum præparate ora, vt divinam hanc aquam Salvatoris & verarum consolationum dulcedinem gustare & mundi illecebrarum amaritudinem deprehendere valeatis. De his ergo diversis fontibus & aquis meus formabitur discursus, & harum bonitatem ac dulcedinem & aliarum malitiam

Omnes in hoc mundo sumus vt viatores siti vehementi laborantes.

S. Aug. in Psalm. 62.

Ioan. cap. 7.

tiam exponam, probando quòd mundi aquæ ad animarum nostrarum sedandam sitim insufficientes, aquæ divinarum gratiarum sufficientissimæ sint, Attendite, & incipio.

PARS I.

PUNCTUM PRIMUM.

In novißimo autem die magnæ festivitatis, stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me & bibat.

Ioan. cap. 7.

DVplices N. N. insufficientiæ mundi bonorum, & ejus consolatiuarum aquarum reperio rationes, atque tot causas cur ad appetitum & sitim animarum nostrarum sedandam invalidæ sint. Prima se tenet ex parte nostræ capacitatis: secunda in defectu & debilitate ipsorum bonorum fundatur.

Quæ causæ cur mundi bona satiare nequeât.

Et quantum ad primam attinet, quæ capacitas nostra est: Certum est, liquorem illum, qui sitim hominis extinguere valeat, sitim valore, efficaciâ, viribus: & potentiam debere excedere, & maiorem habere activitatem; quibus deficientibus non extinguet, sed magis accendet & augebit. Sic quotidianâ docemur atque instruimur optimâ veritatis magistrâ experientiâ, paucas guttulas igni iniectas non extinguere ardorem, sed potius accendere, & vehementiorem facere. Sic cum animabus nostris res se habet; animæ nostræ sunt infinitæ capacitatis & aptæ ac proportionatæ ad infinitum capiendum bonum, Deus est; inde ad sitim illarum extinguendam omnes aquæ mundi bonorum insufficientissimæ sunt: nam terminatæ & finitæ sunt; ideò omnia bona mundi & quidquid sub luna continetur, animarum nostrarum sitim ac desideria extinguere & pacificare non valent, sed ad modum aliquarum guttularum iniectarum maximo & flagrantissimo igni, fervorem ejus magis excitant, atque exasperant, quàm pacificât & extinguunt. Ergo Deus, vt infinitum ipsarum obiectum, ad famem ipsarum satiandam & sitim extinguendam solus sufficientissimus est.

Et si altioris placebit discursus aperire portas ac cum S. Thoma & animæ ac voluntatis nostræ considerare obiectum, dico illud esse omne bonum, secundùm quod serenissimus rex David judicare voluit, dicens: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Ergo cùm bona mundi sint finita & limitata, carent ratione omnis boni, & sic vt finita & terminata entitas, & respectu capacitatis voluntatis nostræ, veluti aliquæ pauculæ guttulæ, sitim illius minimè exstinguere valent. Quo fundamento posito, convinco omnes hos homines, qui his satiari intendunt bonis, & aquis illorum suam extinguere sitim, hydropicos esse, qui quò plus bibunt, & aquas hauriunt, vehementior in illis excitatur sitis. De quibus Poeta sic cantat: *Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Sic filijs Israel euenisse legimus, qui cum in deserto à Domino detinebantur, desideria desiderabant, & concupiscentias concupiscebant. Verba Prophetæ hæc sunt: *Et concupierunt concupiscentiam in deserto,* vel vt clarius ex Hebræo Sanct. Hieron. vertit, *desideraverunt desiderium.* Volebat dicere, Hebraicum populum in continuis semper vixisse desiderijs; & nunquam satiari potuisse. Ratio autem hujus insatiabilitatis erat insufficientia aquarum bonorum temporalium; quarum activitas nimis debilis ac invalida est ad tam ingentem sedandam sitim; & desideria continua moderanda nunquam sufficere, nec cor humanum quietare potest.

S. Thom 1. parte q. 2. artic. 8.

Psalm. 102

Iuven. Sat. 14. Ps. 105.

Hujus doctrinæ veritatem Philosophorum princeps Ethic. 9. penetravit & docuit: *Infinita est natura cupiditatis, ac si*

Arist. Ethic. cap. 9.

si diceret; objectum desiderij humani debere esse infinitum; nam nihil finiti illud satiare potest. Hæc doctrina, N. N. in memoriam mihi revocat factum illud, quod prophanæ historiæ de Scytharum legatis narrant: qui dum Alexandro Macedonum Regi mundi acquisitione occupato assisterent, in conversatione quadam in hac materia eum sic alloquuti feruntur: *Quid tibi divitijs opus est, quæ te esurire cogunt?* Sic Plutarchus habet, ac si dicere voluissent: Cur in acquirendis bonis, quæ te satiare, & tuum appetitum quietare non possunt, tot labores assumis, tantisque te exponis periculis, & his inhias, quæ te non satiant, sed maiori cruciatura sunt fame? Vnde meritò mellifluus Doctor Bernardus in illos, qui terrenorum bonorum aquis satiare desiderant, sic invehitur: *Fatui filij Adam, qui siliquas porcorum comeditis, & non esurientes pascitis animas, sed esuriem pascitis animarum*, Et ad rem loquitur Sanctus; nam quis nostrûm stolidum non dixerit, ignem igne extinguere volentem, aquâ aquâ exsiccare nitentē? Sic agunt qui terrenis bonis bonam cumulant, & horum aquis sitim illorum extinguere conantur; nam sitis illa, quâ animæ nostræ crucian-tur, mundi bonis minimè exsaturari valet.

Plutarch. in vita Alex.

S. Bernard. serm. 21. in Cant.

S. Thomas Aquinas non miram nobis hanc insufficientiam videri vult: nam aquæ hæ non dulces, sed salsæ sunt, quæ potius sitim augmentant, & accendunt: imò veneno plenæ sunt, quæ bibentibus mortem causant. Pro probatione & veritatis testimonio doctrinæ hujus cap. 2. libri 4. Regum legere jubeat, vbi justissimas querelas & compassionis divinissima lamenta afflictissimorum inhabitatorum Iericho civitatis, ad Prophetæ Elisæi pedes, jacentium & de summis, quibus obruebantur miserijs, liberationem petentium, percipietis. Verba Textus hæc sunt: *Ecce habitatio civitatis huius optima est, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis*. Civitas hæc nostra pulcherrima est, situs amænus, territorium satis amplum ac spatiosum, habitatio commoda atque iucunda; vnum deest, & illo deficiente, omnia alia languent: aquam habemus non sanam, & bonam, sed ingratam, nociuam, & vltra modum damnosam, terram reddentem sterilem; vnde omni cibo & necessariâ sustentatione & consequenter vitâ privamur. *Aquæ pessimæ sunt, terra sterilis*, & hæc causa atque origo lachrymarum, querelarum, ac lamentationum nostrarum est. Sed N. N. quæ aquæ pessimæ sunt istæ? quæ terra? quæ sterilitas? & quænam hæc civitas Iericho est? qui sunt habitatores hujus civitatis? quæ querimoniæ & lachrymæ istæ? & quæ lamentationis voces istæ sunt? Ecce mysterium latet, & vt à civitate Iericho incipiam, reperio apud Sanctum Hieronymum civitatem hanc interpretatam lunam, ac mundi hujus naturâ suâ volubilis fallacis, fugacis, & semper absque intermissione, vt fortunæ rota, nunc de delicijs in dolores, de consolationibus in afflictiones, de dulcedine in amaritudinem defluentis, circumgyrantis ac labentis figuram ac symbolum esse. Habitatores verò civitatis hujus nos miseri, ideò meritò cum illius civitatis habitatoribus cœlum versus clamare & dicere possumus: *Habitatio civitatis huius optima est*. Id est, locus & situs mundi aptissimus est ad operandum bene, Mundus malus non est, sed bonus, cùm illo ad bonum operandum vtimur; nam vt Genesis capite 1. habemus: *Vidit Deus vniversa quæ fecerat, & erant valde bona*. Sed aquæ hujus mundi, divitiæ, honores, & deliciæ dulces, nobis videntur, sed decipimur: nam Scriptura sic habet: *Sed aquæ pessimæ sunt & terra sterilis*; nam perversis suis qualitatibus plurima nobis in operibus bonis

S. Thom. Aquin. loc. cit.

Symbolum bonorum mundanorum aquæ Iericho sunt.

4. Reg. c. 2.

S. Hieron. de nominib. Hebr.

Gen. cap. 1.

bonis agendis injiciunt obstacula & impedimenta, atque difficultates excitant, &tantam sterilitatem operum bonorum in nostris animabus causant, vt plurimæ defectu spiritualis alimoniæ, quæ Dei gratia est, moriantur, & si aquæ hæ pessimæ non essent & per solum animæ nostræ defluentes, sterilitatem hanc inducerent, animæ nostræ voluptatis essent paradisi; *sed aquæ pessimæ sunt & terra sterilis.*

In summa; quæ mundi hujus similes sunt illis maris aquis, de quibus in Exodo fit mentio quæ claræ, crystallinæ, & secundùm apparentiam jucundissimæ erant; attamen cùm gustarentur, erant salsissimæ & amarissimæ, vt facer attestatur textus. *Nec poterant bibere aquas de mari, eò quòd essent amaræ.* Item similes illis, quas S. Ioannes in sua Apocalypsi describit; quæ quidem clarissimæ & gustui accommodatæ videbantur, sed amarissimæ erant, & illos, qui ijs vtebantur, occidebant? Verba textus hæc sunt: *Multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.* Sed vt verum me dicere sciatis, verba summi Pontificis Innocentij Tertij in illa verba Proverb. c. 14. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* percipere lubeat, quæ hæc sunt: *Semper mundanæ delitiæ tristitiâ repentina succedit: & quod incipit à gaudio, desinit in mœrore; mundana quippe felicitas multis amaritudinibus respersa est.*

Exod. c. 15.
Apoc. cap. 8.
Innoc. l. 1. de contemptu mundi c. 12.

Ergo non absque re nec sine summa ratione sapientissimus ille Philosophus Seneca Epistolâ trigesimâ primâ, bona hujus mundi non absolutè vt bona aliqua cognoscit, sed tantum *bona secundum quid*, vt nos sciremus bona hæc non vera, sed apparentia esse bona. Ideò S. Augustinus bona & non bona vocat. Verba ejus hæc sunt: *Illa bona sunt* (id est, cœli) *Quare bona sunt? quia æterna sunt. Ista* (id est, bona terræ) *bona sunt & non sunt, quia labuntur & fluunt.* Ergo cœli bona, vera bona sunt, & terræ bona, falsa, apparentia & mendacia sunt. Ideò sanctus Isaias propheta volés de omnibus bonis mundi quasi quintam extrahere essentiam, flori comparat, dicens: *Omnis gloria eius quasi flos agri.* vbi interlinealis habet: *Iuventus, potentia, & cætera omnia, vanitas vanitatũ, & omnia vanitas.* Omnes gloriæ mundi, omnia bona terræ, omnis sæculi potentia, omnis fortitudo, honor, & quidquid sub luna est, quasi flos nunc floret, nunc statim tabescit, & putrescit, & ad nihilum reducitur. Audite sanctum Gregorium, cujus verba in hunc sensum sonant: *Quia carnalis gloria dum nitet, cadit; dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur.*

S. Aug. in Psal. 106.
Isa. c. 40.
Interlin. hic
Omnia mundi bona flos.
S. Greg. lib. 16. moral. c. 5.

Hanc veritatem etiam sanctus Apostolus Paulus confirmat, vbi omnes nos ad fugam bonorum mundi & vilipendentiam ipsorum exhortatur; & rationem assignans sic dicit: *Præterit enim figura huius mundi.* Vult dicere: Omnia mundi bona, sive honores, sive divitiæ, sive juventus, fortitudo, sanitas, nobilitas sit, sunt meræ figuræ liquidæ impressæ ceræ, quæ ad calorem ignis evanescunt, vel arenæ aut pulveribus impressæ imagines, quæ adveniente pluuiâ diluuntur, vel vento flante dissipantur. In hoc sensu Theophylactus hunc locum explicans, dicit: *Mundi verò dixit figuram, quia eius bona solo terminantur aspectu & apparentiâ sunt, & nullo fundamento subsistunt.* Vult dicere, totum à mundo productum, in sola consistere apparentia; quæ quia sola & ficta est, quantocyus euanescit: Ideò sanctus Gregorius expressis docet verbis, mundi dilitias & omnia bona ejus falsã & fraudulentam esse vmbram. Verba ejus hæc sunt: *Vana sunt gaudia sæculi, quasi manentia blandientes, sed amatores suos cito transeundo decipiunt.*

1. Corinth. c. 7.
Figura.
Theoph. hic.
S. Greg. in l. 1. Reg. c. 12.

Idem serenissimus Rex David dicere intendebat, dicens: *Veruntamen*

in imagine pertansit homo; id est, ad modum imaginis, quæ videtur in speculo & cito disparet: vt explicat Hugo Cardinalis in hunc locum, volens dicere: Humana excellentia aliud non est, quam imago speculo impressa, quæ quantocyus recedit & evanescit.

Ne ergo, ô Christiane! mundo fidem adhibere velis: nam vmbra est: vix faciem exhibet & tergum vertit: vix adest, & ecce abest. Mundus quod vnâ manu tibi præbet, aliâ tollit. *Ierem. c. 48.* Sic apud Ieremiam reperietis sequentia verba: *Date florem Moab*. Chaldæus habet: *Date & auferte*. Nicolaus Liranus in hunc locum mirabili acumine dubium hoc solvens, dicit: *Date florem Moab*, id est, *dicite eum similem flori, cujus pulchritudo marcescit & deficit subitò*. Vult ergo secundùm Liranum Propheta dicere, quod mundus dat, protinus tollit & aufert. Præbet tibi florem honoris, aut alicujus gustûs transitorij. *Date florem Moab.* & aufert tibi coronam æternæ gloriæ *Auferte coronam*. Alia littera legit: *Date alas Moab*. Et meritò: nam omnes excellentiæ, honores, gustus, quos tibi mundus porrigit, alas habet & protinus auolant. Sanctus Augustinus tales deprehendisse se dicit atque affirmat sequentibus verbis: *Lætitia sæculi vanitas est: transeunt omnia, sicut fumus euanescunt. Væ qui talia amant.* *S. Aug. tract. 7. in Ioan.* Similem quoque opinionem de illis David habet, vt sequentibus attestatur verbis: *Filij hominum vsquequò gravi corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* vult dicere: O Mundani homines, *Vanitas,* quousque corda vestra terreni occupabunt affectus, & pravissimo suo supprimemt pondere, ne ad cælum volare valeant, & desideria mundi, ac bona ejus sequimini, quæ mendacia sunt; nam felicitates ac prosperitates, *Mendacium.* quas promittunt, non dant. Sic doctissimus Hugo Cardinalis hunc locum explicat, dicens: *Temporalia dicuntur mendacia, quia promittunt beatitudinem & faciunt miserum.*

Imò plus dicam: Mundus lachrymarum *Gen. c. 20.* vallis est, convivia ejus vllam ignorant lætitiam, & veras nesciunt nec experiuntur consolationes. De regno ejus per primi nostri parentis errorem proscripta, sunt omnia gaudia; & tamen tam temerarius est, vt ab omnibus vt verus ac vnicus provisor omnium verarum consolationum atque gaudiorum cognosci velit atque præsumat. *Tenent tympanum & citharam* (dicit Iob cap. 20) *Iob cap. 20.* *& gaudent ad sonitum organi: ducunt in bonis dies suos.* Vult dicere sanctus Vir: Festivos vobis mundus exhibet dies, varijs musicalibus instrumentis exhibens gaudia & lætitias, ac si omnium bonorum ac consolationum mater esset: sed decipit & vos seducit, Christiani, dicit Sanctus. Nam hic lætitiæ dies sunt apparentes, gaudia ejus sunt falsa, oblectamenta ejus sunt transitoria; & respectu æternorum velut punctum vnicum sunt. *Hypocrita.* *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Hypocrita alius est, & alium se demonstrat; at exhibet. Quandoque superbus est, & tamen humilem se exhibet; nunc sensualis, & castum se demonstrat; auarus est, & liberalem se vendit. Sic mundus agit, & talis hypocrita est: gloriosum se fingit, cùm sit vituperosus: pium se exhibet, cùm sit totus crudelis: patrem consolationum & matrem gaudiorum se vendit, cùm pater angustiarum & mater lachrymarum sit: falsa sua gaudia ac lætitias summas ac maximas prædicat, & tamen minimum ac indivisibile punctum sunt. *Gaudium hypocritæ instar puncti.* Glossa ordinaria sic habet: *Apparet ad momentum, disparet in perpetuum.*

Ergo sanctus Vir Iob omnia mundi gaudia & bona ejus puncti instar judicat. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.*

Domini philosophi, quid est punctum? Dicetis, esse quid indivisibile, partibus carens. Ergo indivisibile punctum mundi sunt deliciæ atque gaudia, & quidquid promittit, nihil est. Quomodo ergo animas vestras, quarum capacitas infinita est, vno puncto gaudiorum, quæ dum præsentantur, evanescunt, atque trãseunt, explere potestis? *Ad instar puncti, nullius durationis seu momenti*, vertit Liranus, & S. Cyprianus eiusdem sententiæ est, & elegantissimis probat verbis, dicens: *Semper gaudium huius mundi properat ad fugiendum, nec potest moras ferre lætitia.* Et verò, quis hominum diem integrum absque mœroris nota lætum habuit? Audiamus quid Salomon dicat: Divitias congregaverat infinitas; palatia exstruxerat sumptuosissima, vineas atque hortos plantaverat delitiosissimos; Reges circumuicinos sibi tributarios effecerat; Principes atque Barones in famulatum congregaverat plurimos; & tandem quidquid deliciarum atque bonorum humanum cor desiderare poterat, obtinuerat, atque possederat. *Omnia quæ desideraverant oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaveram.* Liranus hunc locum explicans sic habet: *Exponendo me omnibus delicijs.* Ecce quibus fruebatur & in quibus veram suam consolationem & quietem quærebat. Sed audiamus conclusionem, & quæ experientia ipsum docuerat: *Cumq; me convertissem ad vniversa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Percepistis serenissimi Regis Salomonis de mundi bonis atque delicijs sententiam: intellexistis proprij oris confessionem, qui quidquid sub sole est, & humanus appetitus desiderare potest, vanitatem atque meram fallaciam esse attestatur. Ecce quomodo omni spe suâ deceptum se confitetur, & tranquillitatis ac quietis loco, quam anxiè in his quærebat, maiores repererit inquietudines, atque angustias animi. Rationem reddit doctissimus Liranus hunc explicans locum: *quia tales delectationes sunt momentaneæ.*

Punctum.

Lira. in c. 10. Iob. 5.

Cypr. lib. 2. Epist. 5.

Eccl. cap. 2.

Ergo vita hæc mera vanitas, & animi afflictio est, quia homo nunquam desideriorum suorum terminum attingere potest: nam oculus videndo non satiatur, aures audiendo non quietantur, os gustando non contentatur, manus palpando non implentur, & vt finiam, voluntas desiderando, & volendo, ac cor concupiscendo nunquam terminos reperire possunt. Sic idem Salomon testatur, dicens: *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Ponderando hæc verba doctissimus Hugo Cardinalis, insatiabilitatis hujus rationẽ reddit, dicens: *Quia affectus hominis maius quid, quàm sit mundus, desiderat: capax enim Dei est, nec minus ei sufficit; vnde miro modo nec cor humanum toti mundo sufficit, nec totus mundus cordi humano.*

Liran hic.

Eccl. cap. 1.

Hugo hic.

Ergo bona mundi hujus & quidquid à Luna regitur, vt Luna ipsa inconstantissima sunt, & licèt hominibus solida ac firma videantur, tamen transitoria sunt. Veritatis huius testimonium apud sanctum Ezechielem deprehendo, vbi admirabilem illam visionem refert de quatuor animalibus currum trahentibus, quibus quatuor mundi Monarchiæ figurabantur, & tandem omnibus ad amussim descriptis & enerratis ex aqua currûs rotas fabricatas se deprehendisse affirmat, dicens: *Rota ex aqua, & aspectus rotarum & opus earum, quasi visio maris.* Subintrat hic antiquissimus Sanctæ Ecclesiæ scriptor Procopius, interrogans cur rotæ hujus currus non de lignis cedrinis naturâ durabilioribus, sed de aquis naturâ fluidis formatæ fuerint, vel ex aliquo ligno, quod firmitatem

Ezech. c. 1.

& stabilitatem aliquam promittere potuisset, & non ex aquis, quæ nullius stabilitatis spem dare possunt. *Et aspectus rotarum, & visio earum quasi visio maris*: vt non tantum in apparentia, verùm etiam re ipsâ volubiles & inconstantissimæ ostendantur. Verba Procopij hæc sunt: *vt quod tibi tantum fictitium videbatur, opere comprobetur.*

Procop. hic.

Sanctus Ambrosius libro de Elia ad propositum nostrum pulcherrimam adducit comparationem, dicens, bona mundi, non tantum in volubilitate & in constantia maris aquis similia esse, verùm etiam superare; nam aquæ maris non semper inquietæ sunt, & licèt aliquando turbentur & inconstantes sint, tamen aliquando pacificantur, & securum atque constans præbent navigantibus iter; sed mundi bona atque res semper inquietæ, semper periculosæ & inconstantes sunt. Et in confirmationem conceptus sui Isaiæ locum adducit, vbi civitati Sidoni exprobrat mare, dicens: *Erubesce Sidon, ait mare*, vult dicere: Confundaris ô Sidon! quæ omnem spem tuam in divitijs ac honoribus ponis qua solidum & firmum quid haberent; sum quidem naturâ inconstans, & volubile, attamen non semper inquietum & intranquillum, sed sæpius pacificum; at tui cives & inhabitatores semper turbati, semper inquieti & varijs inordinatis exagitantur desiderijs & affectibus. Audiamus verba Sancti: *fatigati vox elemēti ista est, dicentis: Erubesce Sidon, hoc est, meos fluctus negotiator arguis, cùm sit ipse fluctibus inquietior. Erubesce & pudeat, quoniam periculo non moueris.* Nauclerus non semper vndas frangere debet; nam quandoque quietæ & pacificæ sunt, & tu miser semper laboras, semper anxiaris, semper fatigaris & nunquam quiescis.

S. Amb. l. de Elia, c. 19.

Isai. 23.

Libro Iosue reperietis ad sonum tubarum fortissimos muros civitatis Ierico funditus dirutos adusque ad fundaméta subuersos esse. Verba Scripturæ hæc sunt: *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox, sonitusq; concrepuit, muri illicò corruerūt.* Non dubium, quin civitas hæc, vt Palæstinæ metropolis, fortissimos habuerit muros, & propugnacula: nam populosa & potentissima erat civitas. Quid ergo indicare vel significare vult hoc; ad tubarum sonitus protinus corruisse? Ecce mysterium adest, à Sancto Isidoro in hunc locum penetratum. Dicit hic Sanctus: *Iericho luna interpretatur: Luna verò mundum significat, quia sicut luna menstruis completionibus deficit, ita hic mundus ad consummationem temporum currens quotidianis defectibus cadit.*

Iosu. cap. 6.

Lyra;

Pulcherrimam etiam considerationem proposito nostro accommodatam apud Sanct. Ambrosium reperio. Considerat Deum in principio solem, & lunam creasse, vt libro Genesis capite primo reperietis. *Fecitq; Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei*: (& deinde addit vel subiungit) *& luminare minus, vt præesset nocti.* Magnum quid, & dignum consideratione, atque ponderatione hîc reperio, dicit S. Ambrosius: paulò antè vocantur hæc, *duo luminaria magna*: & ecce vix mentio lunæ facta fuerat, cùm iterum repetenda est, *Luminare minus* vocat, & iam maximum in illa reperit defectum. *Et vbi lumen dixit, inde decrementum sumpsit exordium*, vt nos sciremus mundi omnia bona in luna symbolizata, inconstantissima esse & plena defectibus.

S. Ambr. l. 4. Hex. c. 4. Gen. c. 1.

Sic & Sanctus Gregorius Papa Nabuchodonosoris statuam considerans, affirmare videtur, caput cujus erat aureum, brachia & pedes argentum, venter æs aut metallum, crura ferrum, pedes verò lutum. Hic sanctus vir mentem suam elevat & humanas considerat miserias; in statua hac, pro qua perficienda vt firmius & stabilius fundaretur, tantum ferri reperibile non e-

S. Greg. lib. 5. Moral. cap. 7.

rat

rat sub cælo, vt pedes etiam ferreis fabricarentur, sed ferri loco lutum supponere opus fuit. Ergo nullus miretur, dicit Sanctus Gregorius: *Omnis quippe humana felicitas paulatim declinat in minora metalla, nec vna, nec diversa potens est consummare hominē vnum fictum, quomodo consummabit Dei capacem!* Ah! dicit Sanctus, quàm gravis humana vel mundi miseria est, quæ tantum metalli, vt statua vna perficiatur, dare nō potest, sed opus est ejus defectum luto supplere! quomodo animā naturā suā insatiabilem, & quæ Dei capax est, satiare poterit?

S. Theodor. in c. 2. Dan.

Sanctus Theodoretus in hunc locum scripturæ pulcherrimam habet subtilitatem. Quærit tot diversorum metallorum congeriem, in statuæ hujus fabricatione, causam atque rationem dicens: *Quærendum, qua de causa in imagine multiplicis materiæ vidit compositionem?* Respondet Imaginem figuram & non rem ipsam continere. *Imago figuras, non res habet.* Talis, dicit Sanctus, præsens vita est, in qua nil stabile aut firmum reperitur. Verba hæc sunt: *Talis est præsens vita, quæ nihil habet perpetuum, neque stabile.* Ergo veritas summa est, bona mundi nullatenus animam satiare & inextinguibilem sitim ejus extinguere posse: verùm vt aquæ aliquæ guttæ igni maximo iniectæ, potiùs flammas eius accendunt atque augent. Hoc dicere vult Salvator apud Ioānem, sæculi atque mundi hujus intelligens bona: *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.*

Ioan. cap. 7.

Denique dico omnibus mundi bonis tantum possibilitatis non inesse, ut cor humanum satiare & contentum in toto reddere valeant. Ex parte vna varijs accumulant honoribus aut divitijs, ex alia parte his ipsis illud affligunt & cruciant. Ad quod propositum apud Sanctum Ieremiam sequentia reperio verba: *Locutus sum ad te in abundantia tua.* vbi septuaginta legunt: *Locutus sum ad te in ruina tua.* Quæ vel qualis convenientia est inter abundantiā & ruinam! Paucis dicam: Volebat demonstrare Spiritus sanctus ipsam abundantiam divitiarum, ruinam atque perditionem divitum esse, & minimè cor hominis satiare posse.

Ierem. c. 22. Lect. Heb.

Hæc veritas tam clara perspicua est, vt ipsimet mundi cultores eam publicè profiteantur, vt apud Sapientem reperimus: *Coronemus nos rosis antequam marcescant.* O fatui & stulti! tempora prætenditis coronare rosis, quæ protinus marcescunt? Ah summa hæc est fatuitas! Ideò Sanct. Basilius in illa verba, *Mendaces filij hominum in stateris,* hæc sequentia habet: *Malè libram expendis, mala pro bonis eligens, vana veris anteponens, momentanea perpetuis peiora ducens, transitoriam denique voluptatē pro lætitia numquam desitura, præeligens. Mendaces ergo homines in stateris iniquitatis.*

Sap. cap. 2.

S. Basil. in Psalm. 61.

In summa N. N. mundus plenus miserijs, & vacuus consolationum est; vndique reperiuntur summæ angustiæ, & nullibi vera oblectamenta: ideò nullus hominum reperibilis est, qui se vnum diem plenum consolationis, absque mœroris commixtione habuisse affirmare potest. Percipere vobis Jubeat Innocentium Tertium, quid de hac veritate sentiat: *Quis vnquam diem totum duxit in sua delectatione iucundum, quem aliqua iactura, vel offensa, vel passio non commoverit?*

Innoc. 3. l. 2. de contempt. mund. c. 20.

Tam miseri & infelices sunt dies nostri, vt meritò Rex David secundum sancti Augustini opinionem illis verbis dicere possit: *Quis est homo qui vult vitam? diligit dies videre bonos.* Quis homo ille est, qui gloriari poterit se vitā vivere felicem? adsit & in mea compareat præsentia, os ipsi obturabo atque fabulas esse, imò manifestissima esse mendacia probabo: *Prohibe linguam tuam à malo & labia tua ne loquantur dolum.* Verissimum ergo est, vitam hanc felicitatem non possidere, nec dies habere bonos; imò infini-

Omnes dies vitæ hujus infelices.

Psalm. 33.

infinitis scatere laboribus atque angustijs. In hoc sensu Sanctus Augustinus loco citato aliquorum obturabat ora, qui gloriosos in felici vita antecessorum suorum se prædicabant, & in ipsorum prosperitatibus plurimum gloriabantur, dicentes: *Apud parentes nostros fuerunt dies lætiores: fuerunt dies meliores.* His S. August. respondit, dicens: *Ah fallimini omnes; hi laboraverunt.* In factis hallucinamini & erratis filij Adam: nam & ipsi amaritudines hujus mundi experti sunt: semper vixerunt in miserijs & angustijs, & infelicissimam duxerunt vitam. Ergo si quis felices optet dies, & quietam sibi precetur vitam, non in lachrymarum hac valle quærere debet, quia nusquam reperit. Verba Sancti hæc sunt: *Quis est homo qui vult vitam, & diligit videre dies bonos? Non hic quærat dies bonos. Bonam rem quærit, sed non in regione ejus illam quærit.* Ergo impossibilis in hac vita felicitas est, & dum vivit homo, absque labore esse non potest.

S. Aug. hic.

S. Aug. loc. cit.

Sed dicite mihi: Quid mundus homini dare potest, cujus certitudo vera incertitudo est, stabilitas vera instabilitas, constantia vera inconstantia, invariabilitas vera varietas, immutabilitas vera mutabilitas, fortitudo summa debilitas atque vanitas est? Sic habet Sanctus Ambrosius, dicēs: *Quid sæculo potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula?* Et Seneca, qui infidelis erat, sic habet: *Inter peritura vivimus.*

S. Ambros. l. 4. in Luc. cap. 14.

Solus Deus nos satiare potest.

Ergo concludamus, solum Deum illum esse, qui cordis nostri desiderijs satisfacere potest. Sic ipsemet dicit Canticorum secundo: *Ego flos campi*, ubi alia litera dicit: *Ego flos satietatis.* Ergo qui sitim suam extinguere desiderat, ad fontem viventium aquarum accurrat quæ omnem mundi extinguunt sitim, & capacissimum cor nostrum implere & satiare valens. Ad has vivas & divinæ gratiæ aquas à benedicto Christo in hodierno invitamur Evangelio, dicente: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Ecce Rex David experientiâ loquitur: *Dedisti lætitiam in corde meo:* ac si diceret: Tu solus Domine cor meum verè satiasti & implevisti lætitiâ; nam alia mundi bona quid consolationis quidem ac gaudij mihi adferre possunt, sed ab extrinseco; sed tu tantum cor meum alias capacissimum implere & satiare potes omni delectamento. *Dedisti lætitiam in corde meo.* Igitur ut S. Augustinus dicit in hunc locum: *Non foris in vanis, sed intus ubi habitat Deus, quærenda est lætitia:* ut sciremus veras & stabiles lætitias atque consolationes & finem non habentes in Deo solo reperiri. Sic Sanctus Chrysostomus: *Non dixit simpliciter lætitiam, sed in corde meo: ostendens non esse in rebus externis lætitiam, quia hæc non est cordis, sed oculorum.* Gaudium quod benedictus Christus immittit, non vulgare est: nam intima cordis replet; è contrario mundi gaudium extrinsecum, & tantum in apparentia est & in oculis terminatur; ideò in bona consequentia gaudium falsum & non verum est. Audiamus quid illa Anna de gaudio à Domino immisso dicat: *Exultavit cor meum in Domino.* Legunt Septuaginta: *Confirmatum est cor meum in Domino.* id est, cordi meo infixæ radicitus sunt lætitiæ cælestes & æternorum bonorum gaudia, quæ semper duratura sunt.

Psalm. 4.

S. Aug. hic.

S. Chrysost. in Psal. 4.

1. Reg. 2. Lect. Sept.

Sed ut hanc primam partem finiam, si causam scire desideratis, cur solus Deus ad humani cordis cupiditatem extinguendam sufficiens sit, & solus famelicum animum nostrum satiare possit, sancti Bernardi rationem adductam vobis percipere lubeat. Hic dicit mundum ad sitim nostram extinguendam vinum præbere, at Deum lac. Differentia autem hæc inter vinum & lac est: lac semper in abundantia ex pectore fluit, at vinum deficit in vase, & radices illas, quas lac in pectore habet, non

S. Bern. ser. 9. in Cant.

non tenet. Quâ differentiâ temporalium ac vanorum gaudiorum indicare voluit vanitatem: mundi enim gaudia per vinum symbolizata protinus minuuntur, aut evanescunt; at gaudia à Deo immissa, & per lac symbolizata, semper durant & terminos aliquos nesciunt. Audiamus Sancti verba, quæ melliflua sunt. *Meritò proinde carnis, sæculive amore afferuntur vbera sponsæ, quæ nullo vnquam lactentium numero arefiunt, sed semper abundant de visceribus charitatis, vt iterum fluant. Si quidem flumina fluant de ventre eius, fitq; in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Experientiam hujus in hodierno habemus Evangelio, dum Christus noster ad tales indeficientes invitat aquas, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Surgite ergo & Salvatoris accedite fontes, & dum animas vestras reficitis, ego quiesco.

Ioan. 7.

PARS II.

PUNCTUM SECUNDUM.

AVdistis N. N. primâ parte insufficientiam aquarum mundi bonorum, & quomodo cor nostrum satiare & animi sitim extinguere non valeant; sed solum aquam divinarum gratiarum hujus virtutis atque efficaciæ esse, vt ipsemet Christus in hodierno Evangelio attestatus est, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius, fluent aquæ vivæ.* Et nihilominus, ô infinita hominum fatuitas! has dulcissimas & delitiosissimas nauseant aquas, & anxij ac auidi ad mundi hujus alias turbidas, putridas, ac fœtidas anhelant, illasque inquirunt. De his fatuis apud Ieremiam Deus conqueritur: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cesternas dißipatas, quæ aquas continere non valent.* Nunquid insanum dixerit quisque vestrûm hominem illum, qui ad dulcissimi fontis & clarissimarum aquarum originem habitans, locum desereret; & in arena foveas ad pluuiales congregandas aquas faceret, quæ aquam continere non possunt; aut si retinent, protinus marcescant, & ad illas habitationis figeret locum? Sic vos agitis, qui divinarum gratiarum, dum peccatis relinquitis aquas, & nauseatis, & putridas ac fœtidas mundi inquiritis, volo dicere tales, fatui estis, cùm ob temporale bonum Deum offenditis, & æterna perditis gaudia atque oblectamenta. Nunquid pudor hic summus est, Christianos tam fatuos ac stolidos esse? Dei percipite verba, quæ per Ieremiæ profert os. *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* quibus tuam, ô Christiane, summam stoliditatem, atque fatuitatem exprobrat. Ergo ne vanis promissis mundi hujus decipiaris; nam aquæ ejus sitim tuam extinguere non valent. Et forsan quotidiana experientia hanc tibi sefficienter non probat veritatem. Vidistine vnquam auarum, qui verbum illud, *sufficit*, dicere valuerit: ambitiosum, qui honoribus potuit contentari: mundanum, cui delicijs satisfieri potuerit: lasciuum, cujus cupiditas terminos habuerit? Charissime frater, persuadere tibi conatur mundus aquas ejus crystallinas & clarissimas esse, sed fidem ne præbeas; mendax enim est: paludum, fossarum turbidæ, putridæ & fœtidæ sunt aquæ. Ideò meritò per Isaiæ os tales fatuos arguit, dicens: *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?*

Ioan. cap. 7.

Ierem. c. 2.

Quales aquæ sint mundi?

Vultis mundi bonorum aquæ percipere descriptionem? Ecce ad amussim faciam. Potus est te allectans superficiali aliquâ dulcedine, sed cùm exhauris atque sumis, viscera tua summâ atque extremâ implet amaritudine. Legite Apocalypsim & reperietis

rictis verum esse. Apparet mundus in pulcherrima matronæ forma, & manu tenens poculum aureum, potum suis propinat imitatoribus. Cur aureũ autem pingitur poculum, nisi quia amarum est, & cùm liquoris amaritudo absterreat, pulchritudine auri allicere laborat ac conatur. Verba scripturæ hęc sunt: *Habebat poculum manu suâ.* Conceptus hic nõ meus, sed sancti Ambrosii est, qui sic habet: *Calicem aureum excogitauit, vt quia potus placere non poterat, auri pretium alliceret, propinavit de vino suo, cui metalli suffragia requisiuit.*

Apoc. c. 17.

S. Ambros. in Psalm. 1.

Antiqui philosophi, hominis considerantes excellentias, atque prærogativas, eum sublunarium vocarunt præsidentẽ, aut vivum retractum ac prototypon sui factoris, & tandem aliqui concluserunt, paruulum mundum appellari debere vulgato illo verbo *Microcosmos*. Sed sanctus Richardus de Sancto Victore his non consentit & metam tetigisse negat, & errasse æstimat. Nam non paruus, sed magnus, imò maximus debet vocari mundus: capacitas enim ejus tam vasta ac ingens est, vt respectu ejus mundus hic nimis parvus sit. Verba ejus hæc sunt: *Nónne Philosophi videntur errasse qui hominem microcosmos dixere?* Et mox rationem reddit: *Maior mundus dicendus est ille animus, quem totus mũdus nullâ sui dilatatione, nullâ sui multiplicatione satiare potest.* Solus Deus hoc sibi reservavit privilegium, cor hominis satiandi.

Homo non paruus, sed magnus mundus appellari deberet, & cur.

Richard. de S. Vict. p. 1. cap. 33.

Insufficientiam horum obiectorũ S. Augustinus non tantum experientiâ cognovit, verũ etiam docuit alios, vt libro decimo confessionum reperietis, vbi expressè affirmat, mundi aquas humanam non posse extinguere sitim, nec animabus nostris perfectum afferre posse gaudium, sed solius hoc Dei esse potentiæ atque virtutis. Verba ejus hęc sunt: *Absit Domine, absit à corde servi tui, vt quocũque gaudio gaudeam, beatum me putem.*

S. Aug. l. 10. conf. cap. 22.

Nullum gaudium ô Domine mi! cor meũ satiare potest: & si omnia cor meũ contineret, attamen beatum me non redderent, & subiungens rationẽ, dicit: *Est enim gaudium quod non datur impijs, sed eis qui te gratis colunt, quorum gaudiũ, tu ipse es.* Vult dicere: Vna sola atque perfecta est lætitia, quæ non impijs ac peccatoribus, verùm ijs, qui absq; alio interesse tot colunt atque amant, & hæc tu ipse es ô Domine mi! Et paulò antè idem sequentia habet verba: *Qui non de te gaudere volunt, quæ sola vita beata est, non vtique vitã beatam volunt.* Vult dicere Sanctus: Clarissimum argumentum est, vitam beatã non desiderare hunc hominem, qui in te, qui vera beatitudo hominis es, suum non quęrit gaudium. Ergo ô Christiane tuam dispone stoliditatem. & impostorum stultescere noli, & beatitudinem veram, quam tua propria ratio tibi in Deo increato offert obiecto, cum vana fallaci, quam tibi in vilissimis creaturis mundus offert, ne permutes: purga ac munda cor tuum ab omni creaturarum affectu & perfectum Deo ac factori tuo præpara habitaculum tunc cùm venerit; cor tuum, satiabitur, & veris gaudijs ac delicijs implebitur & alter erit paradisus.

S. Aug. l. 20. Conf. c. 21.

Ergo ô Christiane, ad Deum festina & fontem æternæ vitæ accede & de aquis ejus quam poteris auidissimè bibe: quod si feceris, veras dilitias, & culmen omnis boni attinges. Sic Rex David attestatur, dicens: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* O labores bene impensi! ô sudores benedicti! qui in præmium aquas nos merentur, quę bibentes beatos efficiunt, & vt Salvator dicit, *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quã gratiam vobis & mihi concedat sanctissima & individua Trinitas. Ite in pace, Amen.

Psalm. 16.

Ioan. cap. 7.

DISCVRSVS XXX.

PRO DIE MARTIS POST DOMINICAM PASSIONIS.

ARGVMENTVM,

PRæsens hic discursus de iustorum agit persecutione: primo puncto demonstratur, quò sanctiores homines sunt, eò magis ab impijs & mundo odio haberi: secundo puncto grauißima supplicia, quæ Deus impijs iustos persequentibus immittere solet, exhibentur. Secunda parte tertio puncto murmurationis malum examinatur.

Thema.

Ambulabat Iesus in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant Iudæi eum interficere. Ioan. c. 7.

Auiditas impiorum ad persequendum iustum.



On tam auidus famelicus lupus simplicis agniculi sanguinis est, nec tigris crudelis tam cupida est, acutissimo vngues suos teneræ ouiculæ sanguine madefacere, quàm impius in justi ac sancti persecutione fervet; nec tanto impetu ac appetitu crudelissima hæc animalia prædam insequuntur, quanto hi odio in sanctos & justos feruntur, ac ipsos affligere ac annihilare conantur. Hoc attestatur S. Ioannes Chrysostomus & pulcherrimâ fundat ratione, dicens: *Vt neque lupus agnum, aut hædum tigris, ita nec peccator fert iustum.* (S. Chrys. in cap. 33.) Iustus, sanctus, innocens erat Abel: Cain sceleratus, impius, ac perversus; ideò fratrem suum Abel odio habet, persequitur, & occidit. *Consurrexit Cain adversus fratrẽ suũ & interfecit eum.* (Gen. cap. 4.) Iustus & rectus erat Iacob, frater autem Esau peccator; ideò bonum affligit Iacob & odio habet. *Oderat semper Esau Iacob.* (Gen. c. 27.) Iustus erat Ioseph fratres autem ejus peccatores: nam inuidiâ & odio laborabant; ideo sanctum affligunt ac persequuntur juvenem. *Oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.* (Gen. c. 37.) Iustus & secundùm cor Dei erat David; impius erat Saul; ideo sanctum persequitur: *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David.* Iustus & sanctus erat Elias; perversa ac impia erat Iezabel; ideò contraria sancto erat & vsque ad mortem eum persequebatur. *Hæc mihi faciant Dij & hæc addant mihi, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam vnius ex illis.* (1. Reg. c. 18.; 3. Reg. c. 9.) Iustus erat Iob & tam sanctus, vt omnes tunc sub sole sanctitate superaret. Sic Dei attestantur ad dæmonem prolata verba: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra?* (Iob cap. 1.) Dæmon autem pessimus erat; ideo sanctum hunc persequitur virum, & plurimis affligit tormentis. Sic eodem habemus capite: *Egressus Sathan, percussit Iob vlcere pessimo.* Iustus erat Paulus, vas electionis Deo, Spiritus sancti tuba, prædicator gentium, propagator Evangelij, Iudæi autem impij, & perversissimi; ideo summas ab ipsis patitur persecutiones. *Damasci præpositus gentis Aretæ Regis voluit me apprehẽdere. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum.* (2. Co. c. 11.) Iustus & innocentissimus erat Domini præcursor; impia erat, lasciva & adul-

& adultera fæmina Herodiades ſcelera-tiſſimus Rex Herodes;ideò ab illa odio habetur, & ab hoc perſecutionem pati-tur & carceribus includitur ; vt Sanctus Evangeliſta Matthæus dicit: *Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti*. Sed N. N. ad quid tam multa adducimus exempla, & tot caſibus doctrinæ conamur probare veritatem cùm in hodierno Evangelio in benedicto Chriſto noſtro ſimilem habe-mus caſum.? Sanctus & innocentiſſimus hic erat, origine juſtus,& perfectus,natu-râ impeccabilis,perfectiſſimus in actioni-bus; nihilominus à populis perſecutio-nem patitur, à Iudæis odio habetur, in-juriatur à plebe, à Phariſæis & doctis an-guſtiatur, & à principibus Synagogæ ad mortem quæritur. Sic Sanctus Ioannes refert: *Ambulabat Ieſus in Galilæam: non e-nim volebat in Iudæam ambulare,quia quæ-rebant eum Iudæi interficere.* Hæc adducta exempla cauſam mihi præbent de juſto-rum agere perſecutione.Dico ergo primo puncto,quantò plus homo ſanctus ac per-fectus eſt, & virtutibus præditus , tanto magis à mundo odio habetur. Secundo puncto graviſſima examinabimus ſuppli-cia ; quibus juſtorum perſecutores à Do-mino vilitabuntur.Secundâ parte puncto tertio,examinabimus Iudæorum perver-ſitatem , qui eum perſecutionibus ſuis Chriſtum offendere non valerent , mur-murationis aggrediuntur arma , & peſſi-mâ ſuâ linguâ famam, honorem,ac repu-tationem ejus lædere conabantur. Inci-damus.

Matth.c.11.

Ioan.cap.7.

PARS I.

PUNCTUM PRIMUM.

Ambulabat Ieſus in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare,quia quærebant Iu-dæi eum interficere. **Ioan.c.7.**

MAgna & ſumma inimicitia lucis cum tenebris eſt ; ſumma con-trarietas inter aquam & ignem repe-ritur , bonum malum , & malum bonum ſummo proſequitur odio ; & vt paucis dicam , ſummo odio mors vitam , vita mortem inſectatur , atque mortalem nutrit invicem inimicitiam ; ſed mul-to crudeliori odio , atque inimicitiâ ſemper impius perſecutus eſt juſtum & bonum facientem , ſuperbus humilem, auarus liberalem , laſciuus caſtum , & peccatores juſtos. Sic Spiritus ſanctus atteſtatur: *Contra malum bonum eſt,& cōtra mortem vita: ſic & contra virum juſtū pecca-tor.* Inde evenit,quòd adverſus juſtum cō-gregentur , & crudeliſſimo ipſum ag-grediantur bello, vt ipſimet apud Sa-pientem capite ſecundo atteſtantur, di-centes: *Circumveniamus ergo juſtū, quoniam inutilis eſt nobis , & contrarius eſt operibus noſtris.*

Maior ini-micitia in-ter impium ac juſtum quàm inter contraria elementa.

Eccl.c.33.

Sap.cap.2.

Occurrat vobis N. N. & noſtræ aſ-ſertionis veritatem probet factum il-lud Saulis 1.Reg.c.31.vbi legimus illum numeroſiſſimo armatum milite ad montes Gelboe caſtra fixiſſe. quod cùm Philiſthæi inimici ejus percepiſſent pro-tinus adverſus eum caſtra moverunt, & non tantum ſummo eum aggreſſi ſunt impetu , verùm etiam totum robur exercitus contra ſolam Regis diſpoſue-runt & ordinatunt perſonam. Sic ſacræ habent litteræ: *Totum pondus prælij verſum eſt in Saul.* Id eſt,fortiores milites & robur exercitus directè regem petierunt , & contra ejus perſonam pugnaverunt. Sed cur, qua de cauſa ſic actum eſt, vt contra vnum tantorum dirigantur vires , & vnus à tot, tantiſque generoſiſſimis oppugne-tur militibus?Sacer textus capite nono reddit rationem , dicens; *Non erat vir de filijs Iſrael melior illo.* Inter Iudæos atque Iſraelitas non erat melior & juſtior Saul & Regis perſonâ ; ideo omnes illi infide-les & impij Philiſthæi contra vnctum Domini converſi , ipſum ad necem quæ-rebant. *Totum pondus prælij verſum eſt in Saul.*

Probatur Saulis & Philiſthæo-rū exemplo.

1.Reg.c.31.

Verùm

Verùm N. N. vt de figura ad figuratum transire liceat, dicite mecum & bene dicetis, Philisthæos esse figuram dæmonum & ministrorum eorum; Saul meliorem cunctis figuram esse justi, qui omnes alios sanctitate & meritis superat. Contra hunc Saulem, id est, justum, impij & peccatores, qui dæmonum ministri sunt, sagittas suarum maledicarum linguarum dirigunt & maledictionis petunt gladio; & non tantùm honorem, famam, reputationem, verùm etiam ipsam auferre conantur. Et causa est, quia *non est melior illo*. Ideò *totum pondus prælij versum est in Saul.*

Ergo mundi qualitas est, justos odio habere & Dei servis bellum movere, & naturâ suâ inclinari bonum operantes persecutionibus impetere. Legimus Absalonem serenissimi Davidis filium malignorum quorundam consilio inductum, determinasse patrem bello petere, coronâ, sceptro ac ipsâ vitâ privare. Vt autem impiæ hujus suæ determinationis fundamenta & principia jacere valeret, votum in Hebron, qui locus sacer erat, solvendum fingit, & pro hac licentiam à serenissimo suo patre petit, dicens: *Vadam & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* Bonus Rex, qui justus erat, & malum de filio non suspicabatur, consensum præbuit, & filio discedendi licentiam tribuit, & pro securitate personæ ejus ducentos assignat socios. Vix ad voti pervenit locum, ecce animus aperitur socijs, conjurationis contra genitorem iaciuntur principia, & ad vniversas civitates Israel mittuntur exploratores ac impostores ad malum de serenissimo Davide, & bonum de Absalone loquendum, & Israelis corda ad Absalonem commovenda, & ad coronandum eum sollicitanda; quid faciendo & adhærentibus plurimas promittentes gratias populum commoverunt, & Absaloni adhærere fecerunt, ita vt numerosissimus ad eum conveniret exercitus, & manibus arma tenentes, coniurationi dederunt principium. Sic sacræ attestantur Litteræ: *Cumq; immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusq; concurrens augebatur cum Absalone.* Cumque sic coniuratio in actum poneretur, Davidi factum per nuncium intimatur. *Toto corde vniversus Israel sequitur Absalon.* Id est, non est in Israel vir aptus ad arma gestanda qui non sit fidelis Absaloni, ac pro ipsius fortuna sanguinem fundere decreverit. Horsum dicite, poteratne tempore illo, Rex justior, ac sanctior reperiri Davide Rege? qui etiam ipsiusmet Dei ore canonizatus & vir secundùm cor ejus proclamatus fuerat. *Inveni virum secundùm cor meum.* Ex altera parte, poteratne Absalone excogitari iuvenis magis insolens, impius, vindicatiuus & crudelis? Et si talis non fuisset, sat sceleris erat, quòd patrem persequeretur, & coronam atque regnum auferre voluerit; & tamen, vt sacer dicit Textus, vnanimiter populus ipsi adhæret ac ejus contra tam pium & sanctum Regem tenet partes. *Toto corde vniversus Israel sequitur Absalon.* Vnde tanta aversio in subditis erga verum oritur Dominum? Sanctus Ioannes Chrysostomus in librum secundum Regum capite decimo quinto respondet, populum adhæsisse Absaloni, quia perversus & sceleratus erat: à Davide autem aversum fuisse, quia sanctus & justus erat.

Et sic quia ordinarius & quasi naturalis mundi mos est, bonos & sanctos odio habere, & pro viribus mala inferre; malos autem & impios amare, & quantum possibile est, protegere: ideò omnes mundani Absalonis tuebantur partes, & in malo operando pro

Margin notes: 2.Reg.c.15. — Deinde exemplo Absalon & David. — Act.cap.13.

pro viribus assistebant, & cum ipso Davidi Regi sanctissimo regnum eripere conabantur. Verba sancti hæc sunt: *O innocentia! quantum apud reos periculi suscipis? quantū molestiæ per flagitiosos incurris! David sanctissimus tot dementes exercitus, quia non deliquit, offendit; tot populorum rabiem, quia non læsit, incurrit. Absalon vnus est reus, & infelix, & vniversus contra patrem conspirat exercitus.* Quia David sanctus, innocens, & rectus erat, coniurant omnes contra ipsum, & oritur vniversalis conspiratio: Absaloni verò, quia malus, impius, perversus & sceleratus erat, quisquis accurrit & pro viribus assistentiam offert: nam hæc naturalis mūdi mos est, qui sēper persequitur iustos, impios verò ac sceleratos protegit.

Chrys. in l. 2. Reg. c. 15.

Sed mirum non est, naturale impijs erga iustos esse odium, & pro viribus illos persequi: nam iustorum vita impiorum agendi & procedendi modum condemnat, atque vituperosam esse exhibet atque demonstrat. Scire fortè quis vellet odij causam in Caino, quo vnicum suum persequebatur fratrem, & necis ac fratricidij originem, vt Genesis cap. 4. contigisse legimus. Varij ex sacris Doctoribus varias assignant rationes: sed cùm ex omnibus Hugonis de S. Victore ratio arrideat, & conformis proposito nostro sit, illam vnicam adducam. Dicit hic Doctor, Abelem fuisse sanctum, innocentem, devotum atque obedientem; Cain verò impium, crudelem, sceleratum, atque inobedientem: & sic vitam Abel arguisse & condemnasse vitam Caini, & mores ejus atque vivendi modum vituperosum fuisse, demonstrasse; ideò præ oculis ejus videre eum, & præsentiam ejus pati non potuisse. Vt ergo à cruce tali liber esset, iustum & innocentem occidere decrevit. Verba Doctoris hæc sunt: *Cruciabatur enim nequam conscientia quotidie contra se testimonium cernens vitam Iusti, & quasi gravis ei ad videndum fuit: & ejus præsentiā suā*

Tertio exemplo Abelis & Cain.

Hugo de S. Vict. l. 1. tit. 48.

condemnabatur malitia; idcirco auferre festinavit è medio. Auditis rationē atque causam tanti odij & tot persecutionum erga iusto: nam cùm bonæ vitæ præsentia ipsorum condemnat perversam, ipsis gravis atque intolerabilis; ideo de medio eos tollendi omnem excogitant atque tentant viam.

Apud Danielem cap. 7. reperietis, Iuvenem hunc sanctum vsque ad mortem persecutos fuisse Satrapas Regis; imò ex illorum instantia iam morti adjudicatum, & in fossam ad devorandum à leonibus proiectum fuisse. Sed quid in Satrapis & Regis aulicis tam crudelis odij causa atque origo fuit, & tam tigrinam in cordibus ipsorum excitavit rabiem atque inimicitiam? Paucis dicam: Danielis sanctitas, vita bona, mores innocentes & vivendi modus, Sic sacer attestatur Textus: *Non invenimus Danieli huic aliquā occasionē, nisi fortè in lege Dei sui.* Ergo ejus sanctitatē, quæ vituperosos illorum arguebat mores, causam odij fuisse intellexistis, & quia hic sanctus Iuvenis, modestus, pius, devotus, castus, moderatus in cibo & potu erat, & multis alijs luceret virtutibus; ipsi verò impij, indevoti, lascivi, blasphemi, potatores erant, & alia infinita habebant scelera, vt indefessum ac continuum correctorem & condemnatorem vitæ ipsorum pati non poterant; ideo mortem & necem ejus procurarunt ac sollicitarunt. Apud eundem c. 13. singularem duorum senum in lascivia educatorum ac nutricorum, & castæ vnius Susannæ fœminæ admirabilem reperietis casum. Sancta hæc mulier vt adultera à sceleratis senibus, quibus consentire noluerat, criminis accusatur, & ad mortem condemnatur. Quam hujus infortunij S. Matronæ causam fuisse putatis? Non dubito, quin dicetis senum illorum vituperosorum inextingubilem dicum, lasciviam: at non tam hæc erat, quàm pudicitia ac matronæ castitas, & Dei timor

Dan. cap. 8. Quarto Danielis & satraparum Darij.

Dan. c. 13.

Quinto Susannæ ac senum illorum.

timor in corde ejus sedens hujus mali causa fuit, & senes hos excitavit, vt falso allato testimonio mortem ejus procuraret. Sic sacer habet textus: *Melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras, quàm peccare in cōspectu Dei.* Magna fuit Antiochi Regis crudelitas & inextinguibile odium erga S. virum Eleazarum, vt libro secundo Machabæorum capite sexto legimus; sed causa hujus alia non fuit, quàm Dei legum inuiolata observantia, vt sacræ attestantur historiæ. *Gloriosam mortem magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad suppliciū.* Apud Danielem capite tertio deprehendetis tres iuvenes Hebræos fornaci ignis inclusos, quia superbi & ambitiosi Regis Nabudodonosor statuam adorare noluerunt. Sed quid tantam in Rege contra tres innocentes iuvenes causat crudelitatem? Superbiam & ambitionem ejus id egisse dicetis Sed non est ita, verus & fervens Dei cultus eorum in causa fuit, vt clarè ex verbis, quibus Regi responderunt, patet. *Notū tibi sit Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuā non adoramus. Et statim missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.* Et vt finiam, claram doctrinę hujus habetis experientiā apud Christū in hodierno Evang. Quis vnquā sanctior illo solum hoc calcavit? quis justior in terris vixit? quem innocentiorem mundus vidit? & tamen vltra omnes à synagoga odio habetur, & mortali impetitur inimicitiā vsque ad necem. *Ambulabat in Galilæam; non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere;* vt sciremus tantò plus persecutionis animam sustinere debere, quantò magis sanctitatis signatur culmine. Nam vt bene S. Ioannes Chrysostomus dicit, impatibilis est impij & Sancti cohabitatio. Verba ejus hæc sunt: *Vt neque lupus agnum, aut hœdum tigris, ita peccator fert iustum.*

Sexto Antiochi ac Eleazari.

2. Mach. c. 6.

Trium puerorum Nabuchodonosoris.

Dan. cap. 3.

Ioan. cap. 7.

Genesis capite quadragesimo tertio legimus, sanctum Patriarcham Iosephum fratribus suis lautissimum instruxisse convivium, & Ægyptio quosdam convitasse, qui licet convivio aderant cum fratribus, tamen non cum illis, sed in separato sederunt loco. Sic facet affirmat textus: *Quibus oppositis seorsum Ioseph, & seorsum fratribus. Ægyptij quoque vescebantur simul seorsum.* Causa hujus separationis erat opinio quædam, quam Ægyptij de Hebræis habebant, putantes & judicantes actum abominabilem Hebræis considere in convivio. *Illicitū est enim Ægyptijs comedere cum Hebræis, & prophanum putant huiusmodi convivium.* Horsum N. N. quam causam sinistræ hujus opinionis fuisse putatis? cur abominationem cum Hebræis manducare credidisse æstimatis. Doctiss. Oleast. in hunc locum assignat rationē, dicens: *Vide quales elegerit Deus, quos scilicet omnes fastidiunt & à quibus omnes abhorrēt, quos mundus reijcit.* Causa abominationis erat sanctitas Hebræorum, & quia virtuosi & veri Dei populi ac amici erant, Ægyptij verò impij, perfidi, & falsorum Deorum cultores erant; illos abominantur, & assidere ipsis prophanum & contra honorem suum esse judicant. Et hic ordinarius impiorum mos, & sceleratorum quasi altera natura est, dicit Sanct. Ioannes Chrysostomus homiliā vigesimā tertiā in Genesim his verbis: *Semper enim contra virtutem insanivit malitia* Et S. Leo summus Pontifex sermone de Quadragesf. clarioribus verbis hos mundi mores attestatur, dicens: *Iniquitas cum iustitia non habet pacem: temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia.* Ergò non mirum nobis videatur, Hebræorum perversitatem atque obstinationem cum Christi sanctitate & innocentia convenire non potuisse: nam hæc non solum operibus sanctis impietatem ipsorum arguebat, verùm etiam verbis ipsorum obstinationem arguebat; ideo non mirum, quod

Gen. c. 43.

Oleast. in hunc locū.

Cur Ægyptij noluerint assidere mensæ cum Hebræis.

S. Chrys. hom. 23. in Gen.

S. Leo se. de Quad.

quod odio Christum habeant, & ad necem quærant: *Nolebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.*

Canticorum capite quinto, vbi in enarratione Sponsi qualitatum atque perfectionum summoperè delectari atque gloriari sibi Sponsa videtur, de ipso
Cantic.c.5. sequentia habet verba: *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Rupertus Abbas hunc considerans locum, hunc sacræ sponsæ loquendi modum quodammodo admiratur, & ad sponsam conversus,
Rupert. Abbas hîc, rationem investigare videtur, dicens: *Vnde caudidus & vnde rubicundus?* dic mihi ô pulcherrima sponsa, & rationem albedinis & rubedinis in tuo sponso assignare non dedigneris, & ad quem finem in perfectionibus ejus enarrandis rubedinem & albedinem adducis? Et respondit, dicens: *Nimirum candidus sanitate, rubicundus passione.* Albedinem illam, quã inter alias perfectiones de meo prædico sponso, sanctitatem sponsi, quã vndique splendet, lucet, atque candet, esse scire debes; quæ Iudæorum crudelissimâ persecutione, cùm sanguinem in cruce funderet, rubicunda facta est, & quia sanctus fuit & per justitiam candidus atque albus, ideò à Iudæis, qui impij erant, odio habetur, malè tractatur, & in ligno crucis sanguinem fundere & mori debet.

Cur sponsus candidus ac rubicundus.

Vltimò dicat aliquis: Si ergo candidus, quare rubicundus? si sanctus, quare passus? Ideò fuit crucifixus, ideò debuit fundere sanguinem & mori in cruce, & hodie ab Hebræis persecutionem patitur. Nam hæc proprietas mundanorum est, justos odio habere, & persecutionibus varijs petere. *Nolebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.*

Sanctus & serenissimus Rex David volens varia persecutionum genera, quibus à suis impetebatur inimicis, paucis verbis & quasi in Epilogo comprehendere & manifestare, sequenti-
Psal.117. bus vsus est verbis: *Circumdederunt me sicut apes.* Inimici, persecutores mei in modum apum me circumvallarunt, atque vndique obsederunt. O serenissime Rex, si inimici ac persecutores tui apes sunt, quid times, & quid illarum exaggeras furorem? quid mali aut damni vnquam apes tibi inferre poterunt? nunquid paruulum habent corpus? Forsan fu[r]orem earum times? quid tam paruula poterit, nocere aicula? rationem haberes, si inimicos ac persecutores tuos leonibus aut vrsis comparasses, qui rugitu & aspectu solo etiam generosissimos faciunt tremere heroes. Nunquid tu ille es, qui leoni occurrebas, & vrsum volentem auferre tibi hœdum de grege tuo, ad mentum apprehendebas & suffocabas? & nunc apes tibi molestas esse conquereris & illorum exaggeras persecutionem? Nunquid tu ille es, qui coram Rege Saul gloriatus fuisti: *Nam & leonē & vrsum interfeci ego servus tuus?*
1. Reg. c. 17. & nunc apem animal tam paruum & nullius fortitudinis aut valoris times? *Circumdederunt me sicut apes.* Vultis hujus comparationis scire causam? Ecce hæc est: Apis non pungit neque aculeo suo pungit, nisi ad alvearium accedentes vel mel aut fauum ejus gustantes: hos tantum aggreditur & absque vlla compassione pungit. Eodem modo mundani agunt, qui non aggrediuntur & offendunt nisi alvearij & melli approximantes, id est, devotos & sanctos, animas suas variorum bonorum operum dulcedine implentes. O bone Deus! quibus vocibus hos Dei servos non aggrediuntur? quo modo non pungunt? quo modo non lædunt, vulnerant & offendunt? nunc famam tollendo, nunc honorem auferendo, nunc bona rapiendo? & non satiantur nisi honore, famâ, reputatione & vitâ ipsâmet privatos esse inspiciant. Meritò ergo omnis anima justa cum Sancto Propheta exclamare & dicere potest: *Circumdederunt me sicut apes.* Beatus Petrus Damianus libro

Cur David suos inimicos apes vocarit.

bro secundo epistolâ octavâ hunc cõsiderans locum, sequentia habet verba: *Si nos,* (S. Damianus.) *qui ad terram melle manantem contendimus, apum circumvolantium stimulis agitamur: ad quam profectò terram festinabat ille qui dicebat: Circumdederunt me sicut apes?* Cùm ergo verissimum sit, Christum ob vitæ sanctitatem purissimum fauum mellis esse, quid mirum, si mundus ipsum odio habeat, & Synagoga vsque ad mortem persequatur: *Nolebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Ergo meritò S. Chrysostomus dicit: (S. Chrys. loc. cit.) *Vt neque lupus agnum, aut hædum tigris, ita nec peccator fert iustum.*

Et vt verum fatear N. N. tantæ impiorum persecutiones sunt, quibus animæ justæ impetuntur, vt anima, quæ Dei se addicere vult servituti, gladium quo se defendat, manibus apprehendere, & (Armati sint iusti necesse est.) militiæ suum nomen tradere necesse habeat. Libro Numerorum capite octavo reperietis annorum tempus à Domino assignatum, quo Levitæ ad Dei cultum admittendi erant. (Num. cap. 8.) *Hæc est lex Levitarum; A viginti quinque annis, & supra ingredientur, vt ministrent in tabernaculo fœderis.* Pagninus vertit dicens: *Egredientur ad militandum in opere tabernaculi.* Id est, cùm viginti quinque annorum erit Levita, militiæ Domini dabit nomen, & templum intrabit, & in domo Domini seu tabernaculo certabit atque pugnabit. Doctissimus Oleaster considerans hunc locum atque Domini verba ponderans inquirit rationem, cùm Dominus sibi servientes & in templo commorantes pugnare atque militare dicat: *Egredietur ad militandũ in opere tabernaculi.* Quid sibi vult, aut quæ convenientia est aulicorum, aut in Principum palatijs famulantium cum militibus in campis degentibus atque pugnantibus? quæ similitudo inter cæremonias Ecclesiarum atque Dominici cultus, & arma? Quid agendum habet Dominica domus cum militum ordinibus atque tumultibus? Quem finem ergo Dominus in eo habet, quòd templo & suo dedicati servitio atque cultui ad pugnandum paratos esse velit? Egredientur ad militandum in opere Dom. Respondet Oleaster, dicens: *Quis enim dicere queat, quot oppositiones, contradictiones hodie patiantur, qui piè in Christo* (Oleast. in c. 8. Num.) *vivere volunt? Armatus videtur orbis omnis; qui se Dei ministerio tradiderunt, vt plus quàm milites, imò & Martyres oportet esse eos, qui ad ministeria divina accedunt,* ac si dicere voluisset: Quot contradictionibus Dei servi subiecti sint, hominis intellectus capere nequit, & quibus persecutionibus se exponant qui vt boni Christiani vivere conantur, nulla hominis lingua enarrare potest: totus mundus adversus eos consurgit, atque vniversi mundi filij conjurant; ideò tales qui Deo servire intendunt & cœlum petere cogitant, non inermes esse convenit; sed gladio accincti semper parati esse debent, & vt milites, imò Martyres Christi comparere: *Martyres oportet esse eos, qui ad ministeria divina accedunt.*

Observare, quæso, serenissimi Davidis Regis loquendi modum Psalmo quadragesimo quarto: *Speciosus formâ præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis.* (Psalm. 43.) Et protinus subiungit, dicens: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Sanctus Chrysostomus, considerans hunc locum; totus attonitus & obstupefactus de tam extraordinario loquendi modo exclamans, in sequentia prorupit verba: *Quænam est hæc mutatio? quid commune habent gratia & gladius?* vult dicere: (S. Chrys. hîc.) Qualis hæc est verborum mutatio, & de sensu in sensum transitus Dei? de gratia loquitur, & ecce protinus transit ad arma & bellum? O N. N. necessariam requirunt hæc duo vnionem atque conjunctionem. Gratia & gladius conjunguntur atque vniuntur ad demonstrandum nobis, gratiam absque belli & armorum exercitio esse (Eccl. cap. 6.)

non

non poſſe. Anima Deo eiuſque cultui data tres habet inimicos, quibus reſiſtere oportet, ſi gratiam à Deo habitã conſervare cogitat: vnus mundus, alter caro, tertius diabolus eſt: hi omnes contra iuſtam atque in gratia ſtantem animam coniurant, & vnitis impetunt viribus. Ad reſiſtendum his, armari convenit animam, & omnem virtutum exercitum congregare expedit, & quocumque armorum genere armari debet, vt tam potentiſſimos inimicos ſubiugare valeat. Ergo Deo ſervire volentes, armari & milites fieri debent. Ita fratres: ſic Paulus ſuos Epheſios Athletas capite ſeptimo docet ac inſtruit, dicens: *Sumentes ſcutum fidei.* id eſt, Deo ſervire & divino ſe tradere cultui volens, firmiſſimã fide, quaſi inexpugnabili ſcuto contra inimicorum tela animam ſuam protegere debet. *Induite loricam iuſtitiæ.* id eſt, prudentiã, quã ſe defendat, armari debet. *Gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei.* Id eſt, oratione, Dei verbo vt gladio repellere debet ſe inpugnantes. Nam, vt bene dicit Oleaſter loco citato, *Plus quam milites, imò etiã Martyres oportet eſſe eos qui ad miniſteria divina accedunt.* Nam certa veritas eſt, puritatem & vitæ innocentiam mundum ſemper odio habuiſſe, & vſque ad finem mundi habiturum ac perſequuturum fore. Ideò vt in hodierno Evangelio legimus, benedictus Chriſtus *ambulabat non manifeſtè, ſed quaſi occultè, & nolebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.*

Sanctus Propheta Ezechiel capite 47. deſcribens aſſignatæ Iſraelitis a Deo terræ poſſeſſionis principium atque terminum, ſic habet: *Plaga autem Auſtralis à Thamar vſque ad agros contradictionis.* id eſt, pars illa Regionis à Domino Iſraelitis aſſignata, incipit vel principium ſumit à loco quodam Thamar vocato, & ſe extendit vſque ad locum vbi plurimæ aquæ ſunt, quæ contradictiones appellantur, & ibi terminos poſuit. A Thamar: Textus Hebræus legit *A palmã vſque ad aquas benedictionis.* Ecce myſterium N. N. quod percipere vobis lubeat. Iſrael populus erat Deo conſecratus, ideo hos duos limites & terminos, id eſt, palmam & contradictionem ipſi aſſignauit; ac ſi dicere voluiſſet: Eo ipſo quod populus hic Deo conſecratus eſt, contradictioni ſe expoſitum eſſe ſcire debet: nam hic mos mundi eſt, vt his, qui Deum colunt, & illi ſervire ſtudent, ſemper contradicat, ſemper odio habeat, & varijs impetat perſecutionibus, & illi qui vitia ſubiugarunt & palmã tot victoriarum adepti ſunt, & iam perfectionis culmen attigêre, protinus hominum ſubijciuntur contradictioni, & mundus eos modis omnibus perſequitur. Conceptus hic non meus, ſed S. Hieronymi eſt, qui in cap. 47. ſequentia habet verba: *Incipit iſta poſſeſſio Thamar à palma videlicet victoriaq; vitiorum vſque ad aquas contradictionis: ſemper enim virtutibus contradicitur.* Ecce vivum habetis exemplum in Chriſto. Quis perfectior eſt Chriſto? Quis virtuoſior Redemptore? Quis ſanctior Salvatore? & nihilominus odio habetur ab Hebræis & mille patitur perſecutiones à Iudæis. *Nolebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Ex qua doctrina colligere poteſtis, num Dei, num mundi ſitis. Si mundus odit vos ac perſequitur, bonũ ſignum eſt: de mundo non eſtis: ſi autem vos protegit, amat, & veſtras tenet partes, malum ſignum eſt, quia de mundo eſtis. Sic apud S. Ioannem capite decimoquinto reperietis: *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret.* Cùm ergo Dei ſitis, ſervi & amici Altiſſimi, odit vos mundus, perſequitur, calumniatur atque affligit.

Ezec. c. 47.

Text. Heb.

Ioan. c. 15.

PVNCTVM SECVNDVM.

Supplicia eorum qui iuſtos perſequuntur.

PErcepiſtis N. N. quomodo impij Dei ſervos perſequantur & mundus bonum odio habeat, malum verò amet: nunc percipietis ſupplicia

impio-

impiorum, qui justos persequuntur. Ergo vos impij, qui justos persequimini, putatisnè vos impunes futuros? omnia mala, quæ justo infertis, vobismetipsis cumulatis, & in proprium vestrum damnum vobis thesaurizatis. In probationem hujus legite Danielem capite tertio vbi persecutio trium puerorum à Nabuchodonosoris Regis famulis tolerata describitur: *Viri isti contempserunt decretum tuum, & statuam auream quam erexisti, non adorant*, dicebant impij contra justos tres pueros. Et ecce sententiam mortis obtinent à Rege, & ordinat tres innocentes pueros fornaci ignis includere & corpora eorum igne comburere. *Iussit, vt ligatis pedibus mitterent eos in fornacem ignis ardentis*. Dicite N.N. quale judicium mundum dedisse judicaris, cùm ex vna parte tres pueros igni traderet, & ex altera parte ministros illos ligantes & igni tradentes cerneret? Absque dubio ignem pueros, & non ministros absumpturum concluserat, & tamen è contra factum est; nam Dei servis minimè nocuit, at perfidos ministros persecutores consũpsit atque devoravit: *Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis: viri autem hi tres ambulabant in medio flammæ laudantes Deum*. Sanctus Zeno Episcopus Veronensis hunc considerans atque ponderans locum, exclamans in sequentia prorupit verba: *Mira res; pareitas intus, incendium foris: intus hymnus canitur, foris vlulatus auditur*. ac si diceret: Nouum & inauditum quid deprehendo: Iusti in medio ignis aurâ subfrigidâ fruuntur, persecutores ab extra, vbi flammæ non erant, ab ipsis circumdantur & devorantur. In fornace audiuntur justorum Deum laudantium voces, ab extra impiorum lamentationes. Videtis, quomodo mala, quæ impij justis inferunt, in proprium ipsorum cedunt damnum atque perniciem. Conceptus hic S. Petri Chrysologi est, qui sermone centesimo septuagesimo tertio sequentia habet verba: *In se namque sævit, quoties in alterum tendit: se punit, dum percellit insontem: sibi lethalis est totus, cùm erga iustum crudelis existit*.

S. Chrysol. cap. 173.

Pharao Ægypti Rex persuaserat sibi, se Dei persequendo populum annihilare & destruere posse: & ecce dum persequitur ipsum, ipsemet seipsum destruxit & annihilavit. Sic Exodi capite decimo quarto legimus. Certus in sua opinione erat Rex Saul, Davidem de ditione sua expellere, sed deceptus est: nam cùm Davidem persequitur, vitam & regnum perdidit. Intentio persecutorum Danielis erat, vt leonibus traditus Daniel ab ipsis dilaceraretur, atque consumerentur carnes ejus; sed ipsi facti sunt ipsis in escam: Daniel, quia justus, illæsus evasit: persecutores, quia impij, leonum dentibus miseri cum suis perierunt. Ergo si, ô impie! justum persequi non desistas, non dubites de futura Dei vindicta, hoc certum, omnia mala, quæ justo inferre machinaris, tibimet ipsi thesaurizas. Audi Chrysologum loco suprà citato loquentem: *Se punit, dum percellit insontem: sibi lethalis est totus, cùm erga iustum crudelis existit*.

Exod. c. 14. 1. Reg. c. 6. S. Chrysol. loc. cit.

Ah immortalis Deus! quî tantam ingratitudinem tolerare potes? O miseri & quid vobiscum ageretur, & in quàm miserrimo statu res vestræ versarentur, si justi & Dei non essent servi. Factum illud Abraham libro Genesis capite decimo octavo descriptum sat quidem vulgare est, & non dubito quin sæpiùs audiveritis, sed forsan non in hoc nostro proposito. Irascitur Deus supra scelera habitatorum Sodomæ et Gomorrhæ & aliorum vicinorum locorum Pentapoleos, & igne de cœlo immisso funditus delere decrevit, & hoc suum decretum Abrahamo servo suo communicat.

Gen. c. 18.

municat. Abraham se opponit, rogat, supplicat pro venia, atque indulgentia, quinquaginta inter sceleratos habitantes justos allegans, qui veniam tot sceleratorum merebantur, dicens: *Si fuerint quinquaginta iusti in civitate, peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo?* Argumentum hoc tantæ efficaciæ fuit, vt Deus positâ hâc conditione in veniam consentire videretur; sed cùm Abraham negotium melius considerasset, & de tanto justorum numero dubitare cœpisset, minuit, & vt securius ageret, non quinquaginta numero, non quadraginta, non triginta, non viginti, non quindecim, non duodecim, sed decem tantùm proposuit. *Quid si inventi ibi fuerint decem?* Consentit Deus, & propter decem numero justos tot millibus in illis civitatibus habitantibus veniam atque indulgentiam promittit, & dixit: *Non delebo propter decem.* ac si dicere voluisset: Decem numero justos, qui veniam tantorum sceleratorum mereri videntur, mihi proponis, & pro venia obtinenda obijcis; ecce vade, & pertranseas quinque has civitates, si in vniverso hoc scelerato populo decem deprehenderis, vniuersæ parcam multitudini. *Non delebo propter decem.* Videre N. N. ad quem terminum hic restringitur numerus. *Non delebo propter decem.* Quinque erant civitates, & duos tantùm justos per civitatem desiderabat Deus. Quos cùm Abraham deprehendere & reperire non potuisset, numerum minuere volebat, & de novo supplicare pro gratia; sed Dominum iam recessisse deprehendit. *Abitq; Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham.* Doctissimus & eminentissimus Cardinalis hunc considerans actum, quærit cur Deus numero sic decrescente discesserit, & Abrahamum charissimum suum seruum, cui cum quinquaginta, quadraginta, triginta & vsque ad decem allegaret, tam de improuiso dereliquerit, atque tergum verterit? Respondet specialem divinæ sapientiæ fuisse actum & artificium: nam Abraham efficacissimo hoc modo supplicandi Deum ad decem, ad quinque, ad tres, duos, & vnum justum reduxisset, tantæ efficaciæ apud Deum justorum vita est. Discedendum ergo est (dicit Deus) ne Abraham in sua pergat supplicatione, & de numero quinquagiuta ad vnum perveniat, & sic gratjam obtineat & nostras liget manus, & contra sceleratam illam Gentem extendere prohibeat. Verba Doctoris hæc sunt: *Significantiùs autem narratur, quòd cùm Deus finisset vltimam responsionem, Non delebo propter decem, recessit, non exspectans vlteriores preces.* Ecce quâti ponderis & efficaciæ vnius justi vita est, & quot bona pro infinito scelerato populo obtinere sufficiens; & nihilominus non solũ mundus tales non honorat, sed odit ac persequitur.

Quâti momenti vnius justi vitæ sit apud Deum.

Card. Caiet. in hunc locũ.

Et ne discedamus de hoc facto Abrahami, observo Angelos eduxisse Loth & constituisse extra civitatem; quo facto, protinus ignem & protinus sulphur de cœlo pluisse & funditus civitates illas delevisse. Sic sacer affirmat Textus: *Eduxeruntq; eum, & posuerunt extra civitatem.* Et paulò post. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrhã sulphur & ignem*, vt sciremus maius malum civitati aut regioni advenire non posse, quàm justis carere, & his deficientibus nil aliud nisi omnia mala & totalem sperandam esse destructionem atque ruinam. Non mea hæc doctrina est N. N. sed sancti Ephrem, qui sermone in Loth tomo tertio sequentia habet verba: *Qua die autem exyt Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, & omnes perdidit: post iusti enim ab eis recessum omnipotens manus super eos de cœlo pluit ignem & sulphur & perdidit omnes. Quemadmodum enim civitas munita, subuersis muris, facilè capitur, eundem in modum & hi præsidio orationum iusti*

S. Ephrem.

huius

huius destituti, pariter omnes deleti sunt.

Isai. c. 65. Sanctus Propheta Isaias capite sexagesimo quinto pulcherrimam adducit metaphoram, quâ summum beneficium, quod impijs per orationes iustorum a Domino tribuitur, demonstrare conatur, dicens: *Quomodo si inveniatur granum in botro, & dicatur: Ne dissipes illud, quoniã benedictio est: sic faciam propter servos meos, vt non disperdam totum.* Vidistísne quandoque aliquem manu uvam tenentem, quæ bonis aliqua mala mixta grana habet, quæ dum perlustrat & considerat & mala aliqua reperit, illam reijcere decernit? interim amicus adstans protinus monet ne faciat, nam si mala sunt & bona etiam. Sic Deus agit atque in suis procedit iudicijs. Deprehendit quandoque Deus civitatem plenam & onustam impijs ac sceleratis, sed bonos aliquot inter tot reperiens, non perdit, sed iustorum respectu parcit, atque ab ira desistit. *Sic faciam propter servos meos, vt non disperdam totum.* Glossa interlinealis in hunc locum sic habet: *Propter eos, qui inter peccatores serviunt mihi.* Et Sanctus Hieronymus hîc à Glossa ordinaria citatus, sic habet: *Quasi diceret: Propter malos non disperdam bonos.*

Glossa hîc.

S. Hier. hîc.

Examinare vobis lubeat N. N. & in praxi considerate hanc veritatem. Contemplemini universos mundi filios, & facta ipsorum perlustrate; aliud non deprehendetis, quàm enormissima peccata, infinita scelera, vsuras infamissimas, lascivias, iniustitias, hominicidia & plura alia mala. Quid sibi vult, divinam iustitiam vindictæ gladio contra hos non animadvertere; bello, peste, fame, & igne de cœlo immisso tot tantasque illatas sibi iniurias non vindicare? Cur cœlo non præcipit ignẽ super tot sceleratos pluere, vt tẽpore Eliæ libro quarto Regum capite primo contigisse legimus? Vultis scire cur hæc non fiant? Ecce Isaias dicit: *Sic faciam propter servos meos, vt non disperdam totum genus humanum*, vt interlinealis habet, *propter eos, qui inter peccatores serviunt mihi.* Paucula grana impetrant, ne totus racemus abijciatur, & respectu illorum non perditur, sed cum alijs bonis ac sanis ad torcular mittitur. Sic pauci Dei servi inter impios ac peccatores Deum colentes, manus Deo ligant, & justitiæ impediunt gladium, ne mundum aut regiones aliquas perdat. Ecce hæc bona iusti impijs adferunt, & per ipsos divina amoventur flagella, & plurimæ conferuntur gratiæ, & nihilominus ab impijs odio habentur, eosque eradicare, & quocunque iniuriarum genere afficere non desistunt; imò vitam illorum furorem, insaniam judicant, & vt fatuos ac insanos varijs petunt ludibrijs. O inaudita ingratitudo! digna certè sanguineis lachrymis. Sed veniet hora illa, quando se malè egisse cognoscent, & suum deprehendent errorem? sed tardè erit; ideo cum illis apud Sapientem confusi & angustiati in sequentia prorumpent verba: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* Nos & nos ipsi fuimus fatui & insani: *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorũ est.* Ergo si Dei avertere placet supplicia, & varias à Deo obtinere desideratis gratias, Dei honorare servos & his qui Deum colunt, eiusque sunt dedicati cultui, benefacite. Hæc perpendite; interim quiesco.

S. Hieron. hîc.

Sap. c. 5.

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

PErcepistis N. N. mundi peruersitatem, atque in ipso habitantium malignitatem intellexistis, & quomodo impij ac peccatores, iustos oderint ac persequantur, & quæ talia agentes supplicia exspectent, satis demonstravi: nunc vlteriùs progrediamur, ac murmuratorum & detractorum inspicere lubeat linguas, & sagittas, quibus proximi occidere conentur famam, quosque sub labijs tenẽt, examinare placeat.

Ecce Evangelium dicit & clarissimum in Christo nostro nobis exhibet exemplum: Non videtis, quomodo impij Iudæi Christum persequantur, & ad mortem personam ejus inquirant? Sic sanctus Ioannes capite septimo atteſtatur: *Quærebant eum interficere.* Et quia hora illa & tenebrarum potestas nondum aderat, & in vita nocere non poterant: linguas suas acuunt, & detractionis explodunt sagittas, & bonam famam interimere conantur. *Et murmur multum erat de illo in turba.*

Consideratione dignus casus. Videmus solem per singulos dies deputatâ nasci & exurgere horâ, cuncta suo lumine atque calore recreare; & si semel officio desit, & per eclipsim impediatur, totum murmurare mundum & apud omnes peccasse; cùm tamen hæc cessatio violenta illi sit & contra ejus naturam. Sic quando horologium semper sonans & singulis horis fideliter exequens suum officium, semel in anno errat & officio suo deest, tota turbatur civitas & contra illud insurgit, ac vituperijs varijs magistrum aut rectorem impetit. Sic quando quidam Religiosus tot annis in Dei exercitatus servitio, & tot mortificationibus exhaustus, per fragilitatem aliquam in errorem cadit, totam perdit sanctitatis opinionẽ, & ab omnibus, vt impius manifestatur; imò tota Religio suam bonam famam atque bonum nomen amittit. Mirum certè, paruulum errorem tot bona tantaque obscurare merita. Nescitis ô Mundani Religionem etiam laxatissimâ plurimos continere Dei famulos atque servos: & licet aliqui mali sint, plures tamẽ bonos esse?

Transire non possum, quod Sancti Augustini contigit tempore. Religiosus quidam scandalum quoddam patraverat, ob quod Religio & Superior summũ in fama & honore passi sunt detrimentum, & totus Hipponensis Populus graviter scandalizatus erat, & de Religione pessimè senserat. Ad quem Sanctus Augustinus, vt intellexit, epistolam scripsit, quæ in ordine centesima trigesima septima est ad populum Hipponensem, dicens: Populè mi, arrogans & præsumptuosus essem, si Religionem meam tam sanctam & innocentem vobis exhibere vellem, ac si omnes alumni ejus sancti, innocentes & impeccabilesessent, & nunquam scandalum aliquod commissuri sint. Nam certus sum nec illam tot gratijs et priuilegijs ornatam, nec illos tot dotatos fuisse, vt cœlum & Angeli ejus erant; quorum tamen tertia pars summum commisit scandalum, & irreparabile incurrit honoris atque famæ damnum: nec eos paradiso atque ejus habitatoribus comparari posse, cujus primi incolæ gravissimum commisere-runt scandalum, & peccando irreparabiliter suum læserunt honorem; nam cùm Angelis paulò minus essent, comparati sunt jumentis insipientibus, & similes facti sunt illis, & immortales mortales facti sunt: & tamen vnus & idem summus gubernator ac director tam cæli quàm paradisi Altissimus erat: nec magis privilegiatam quàm fuerit prima illa congregatio primorum parentum & filiorum eorum ex qua Cain summum fratricidij commisit scandalum, & proprium occidit fratrem, vt Genesis capite quarto legimus: nec sanctiorem illâ primâ societate post diluuium Noë & filiorum, vt Genesis capite decimo tertio legimus; ex qua tamen vnus filius prævaricatus est, & proprij patris alijs fratribus denudans pudenda, derisit patrem atque genitorem: nec justiorem illâ confraternitate filiorum Isaac, ex quibus vnus perversus atque reprobus factus fuit: nec illâ Iacobi filiorum atque sanctorum duodecim Patriarcharum congregatione

Propter vnjus peccatum non totam congregationem spernendā esse.

Apoc. c. 12.

Gen. cap. 3.

Gen. cap. 4.

tione sanctiorem, ex quibus decem facti sunt fratricidæ. Quid dico? stultus & fatuus essem, si Religionem meam sanctissimo illo Apostolico collegio æquiparare vellem, cujus immediatus Rector ac Gubernator Deus Christus noster, Sapientia æterna fuit; & nihilominus tot scandala, errores, & gravissimos excessivos excessus commiserunt, & tamen, excepto Iuda, omnes vt sanctos colimus, ipsorum virtutes prædicamus, atque vitâ illorum ædificamur. Cur ergo sic cum mea non agitis Religione, aliorum tot sanctorum & bonorum non prædicatis, atque scandalo huic commisso non opponitis, & tot virtuosorum, qui in illa viuunt, vitas vestris non proponitis ad ædificationem? Imò hoc scandalum vnius commissum, tot aliorum, qui sanctè viuunt, amorem atque maiorem venerationem excitare deberet, Cavete ergo N. N. propter vnum Iudam, aut Saulem, qui adhuc Paulus & Dei amicus fieri potest, occasionem sumere toti detrahendi congregationi, & alijs mala & perversa de tot Dei servis & electis suspicandi, & peiora loquendi, ansam præbere: nam pupillam oculorum Dei tangitis. Sic dicit sanctus Propheta Zacharias cap. 2. suarum prophetiarum: *Qui enim tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Sed parum interest; manent tamen sancti & boni, qui sancti & boni sunt, & horum detractorum iaculis prudentum minimè inficiuntur aures, & qui bona de malis segregare nôrunt, minimè eorum moventur detractionibus. Sed væ ipsis in fine vitæ suæ! videbunt in quos peccarunt, quando justo Dei judicio Religiosum, qui confessiones eorum audiat, Sacramenta administret, habere non poterunt: quando dæmones ipsis astabunt, & tot murmurationes ac detractiones contra sanctissimos Dei servos factas repræsentabunt, ad desperationem incitabunt, Dei servis, qui animas eorum Deo commendent, pro ipsis orent, & dæmonum insultibus resistant, minabuntur. Et sic miserè morientur, & cum assistentibus sibi dæmonibus ad æternæ damnationis descendent loca. Tam infelicem mortem serenissimus Rex David suo Psalmo 33. ipsis prædicit, dicens: *Mors peccatorum pessima, & qui oderunt iustum, delinquent.* Genebrardus traducens hunc locum ex Hebraico sensu, sic legit: *Errabunt à suo proposito: frustrabuntur suâ exspectatione.* Errabunt à via salutis & semitas gloriæ invenire non poterunt; nam vt fatui errabunt; & sic errantes in infernum cadent; & talis infelicitas ipsis eveniet, qui Religiosorum fuerunt inimici, justos & Dei servos odio habuerunt, & quandocunque potuerunt, aut facultas dabatur, graviter bonam ipsorum læserunt famam.

Zach. cap. 2.

Supplicia murmuratorum ac detractorum vitæ justorum.

Psalm. 33.

Genebrar.

O stulte & fatue munde! errorem tuum non agnoscis, nec penetras quàm profundè sis in miserijs tuis submersus? Et in quo statu res tuæ atque negotia tua versarentur, si Dei nō haberes servos, qui orationibus Dei placarent iram? Quoties iam, vt supra Sodomam & alias Pentapoleos Regionis civitates ignem & sulphur de cœlo pluisset, nisi tot justi vt Abraham, Deo se opposuissent? Quàm pridem iam cum habitatoribus tuis divina te perdidisset justitia, nisi tot justi vt Moyses in monte Sinai Deo restitissent; iam pridem perditus & totus in infernum conversus fuisses. Doctrina hæc non mea, sed sancti Hieronymi est, qui caput nonum Iob explicans, sic habet: *Sub quo curvantur, qui portant orbem. Portantes orbem Sancti rectè intelliguntur: portant enim mundum, dum eum, ne ruat ac pereat, orationum fortitudine sustinent.* Ergo N.N. honorari à vobis debent Religiosi, & non immeritò revereri, in necessitatibus ipsis succurrendo, Nam tot, vt audistis,

S. Hier. in cap. 9. Iob.

Deus per illos nobis tribuere solet beneficia. Sed dicet quis: A Deo immediatè petam, & auctorem dum veneror, satisfacio. Dic mihi, amice: Aquæ per canales domui tuæ accurrentis beneficium origini, vel canalibus ejus, per quos ingreditur, attribuis? Dices vtique: Ideò tam canales quàm originem eius honoras: originem mundam & puram custodiens, canales, ne rimas accipiant, custodis, & si quid ipsis desit, protinus prouides. Non dubium est, originem omnium gratiarum Deum esse: ideò honorandus, adorandus, colendus, & supra omnia amandus est. Canales verò habet, per quos has nobis gratias mittat, qui servi ejus sunt, quorum orationibus & supplicationibus has impetrari vult; ideo vt divinarum gratiarum canales honorandi sunt & cùm necessitate accipiunt rimas, ipsis succurrere & damna reparare debetis; nam de vestro agitur commodo atque vtilitate; nam his deficientibus & gratiæ fluere cessabunt, & in summo & evidentissimo eritis periculo. Veritatem hanc serenissimus Rex David cognoverat; ideo tantoperè sibi & populo suo timebat, & ad Dominum clamabat, vt Psalmo vndecimo reperietis: *Salvum me fac Deus quoniã defecit sanctus.*

Et vobis, Dei servi, hæc quæ dicta sunt, non ad vestram præsumptionem vel arrogantiam esse dicta volo, sed ad instructionem. Si vos mundus honorat, non vobis, sed Christo, quem repræsentatis, hæc fieri æstimate, & honor hic magis confusionis propriæ quàm arrogantiæ alicuius sit: si verò vos odit, persequitur, obloquitur, mala ac pessima imponit, nolite curare, sed cum patientia omnia hæc tolerate; nam cum vita vestra & actiones vestræ secundùm mundi mentem non sint, mundus, qui ex natura sua bonum odit ac malum amat, vos amare non potest, sed odio habere contendit. Sint ergo semper Christi illa verba apud sanctum Ioannem capite decimo tertio mentibus vestris impressa: *Non est servus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Ioan. c. 13. Si Christus, qui innocentia ipsa, imò verus Dominus, creator ac factor mundi erat, ab ipso odio habitus fuit, & mille sustinuit passiones, non mirum nobis videatur, si & nos, qui hujus altissimi & summi Domini servi sumus, etiam odio habeat, & obloquatur, & mille afficiat iniurijs. Si sancti Dei, *quibus dignus non erat mundus*, vt Paulus ad Hebræos capite vndecimo dicit, *secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt*; & nos, qui propter imperfectiones nostras mundo indigni reddimur, non immeritò hæc & similia pro Dei amore sufferre & patienti tolerare animo convenit. Bono ergo animo ô servi Dei in vestris estote tribulationibus, & hoc certò sciatis, si hîc in terris persecutiones toleratis, & patienter suffertis, in cœlis vos cum Christo & Domino vestro regnaturos, & varias æternæ vitæ consolationes accepturos, quò nos omnes divina conducat misericordia atque bonitas. Ite in pace.

DISCVRSVS XXXI.

PRO DIE MERCVRII POST DOMINICAM PASSIONIS.

ARGVMENTVM,

Discursus hic continet mysterium prædestinationis atque reprobationis. Parte primâ puncto primo demonstratur prædestinationis mysterium nos latere, & ad percipiendum intellectui nostro obscurissimum esse, nec nobis mortalibus investigare, ac penetrare illud, convenire. Secundo puncto probatur, Deum omnes homines salvari velle, & quòd ejus voluntas omnium nostrûm salutem velit atque desideret, & quantum in se vel ex sua parte est, nullum perdere, & de æterna execludere velit gloria: & in bona consequentia Deum prædestinationis atque salutis nostræ; peccatorem verò suæ reprobationis & damnationis causam primarium esse. Tertio puncto tam electorum quàm reproborum examinantur ordines, & quis numero excedat, investigatur. Secunda parte quarto puncto signa aliqua adducuntur, ex quibus tam prædestinatorum quàm reproborum pendet notitia, vt quisque nostrûm cujus ordinis sit, aliquo modo conjecturare possit.

Thema.

Oves meæ vocem meam audiunt & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis. Ioan. cap. 10.



Antæ æstimationis atque pretij in Gentilium Philosophorum, atque Academicarum scientiarum præfectorum animis proprij erant conceptus, atque facultatum fundamenta, vt ea non nisi auditorum suorum capacitate atque aptitudine bene probatâ, ijs communicare vel publicare voluerint. Hinc Pythagoras suam doctrinam nemini, nisi multorum annorum ejus probato silentio communicare voluit, vt attestatur Clemens Alexandrinus libro quinto Stromatum. (*Clemens Alexand. libr. 5. Strom.*) Ecce N. N. discipulus & alumnus Christi sum in sanctæ Ecclesiæ Academia, de divino prædestinationis peroraturus mysterio, quod secundùm serenissimi Davidis Regis dictum, & secundùm sancti Hieronymi traductionem, summum requirit silentium: *Tibi silentium laus Deus in Sion.* (*Psalm. 64.*) Summum ergo sancta Dei Ecclesia Academica in sui conclusionibus requirit silentium, & magis ejus mysteria profundissimo revereri convenit silentio, quàm curiosis quæstionibus atque conceptibus investigare, atque penetrare velle. Si vnquam hoc strictum silentium in mysterio aliquo locum habet, vel habere potest, divinæ prædestinationis est mysterium, quod non obscurissimum atque sublimissimum est, sed

omnem capacitatem humani excedit intellectus. Ideo merito sanctus Apostolus Paulus illud considerans epistolâ suâ ad Romanos, in sequentia prorupit verba: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei; quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Sed cùm omnino tacere licitum mihi non sit, & curiosiùs hoc investigare mysterium inconveniens; ad animarum vestrarum ædificationem, iustorum consolationem, & reproborum terrorem atque conversationem pauca dicam. Et sic primâ parte puncto primo sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum sequens sensum, obscuritatem mysterij hujus, atque ad penetrandum illud insufficientiam humani intellectus, ideoque nullo modo curiosiùs investigandum esse exhibebo. Secundo puncto verbis demonstrabo, perditionem nostram, non à Deo, sed à nobismetipsis procedere, & Dei voluntatem nullo modo ad nostram perditionem inclinari, vel illam velle aut desiderare, sed omnium quærere salutem, & omnes pro fruitione æternæ gloriæ suæ desiderare: & sic in bona consequentia divinam bonitatem prædestinationis ac salvationis; nos ipsos autem reprobationis ac perditionis nostræ primariam esse causam. Tertio puncto tam electorum choros, quàm reproborum inspiciemus turbas, & quænam pars maior sit numero, examinabimus. Secundâ parte puncto quarto signa vel notas aliquas percipietis, quibus oues notantur, & hœdi signantur, vt quisque vestrûm num ouis Christi; aut hœdus inferni sit, conijcere & augurari possit. Attenti estote: materia enim gravissima & omni attentione dignissima est.

Rom. c. 11.

PARS I.

PUNCTUM PRIMUM.

Oues meæ vocem meam audiunt & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis. **Ioan. cap. 10.**

INdubitata veritas est N. N. prædestinationis mysterium profundissimum & obscurissimum esse. Ad quod propositum beatus Petrus Damianus epistolâ ad Silvanum de ambulatione Christi, vt in hodierno habemus Evangelio, in porticu templi Salomonis factum considerat: *Ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.* Et rationem inquirens, dicit, Christum non casu aut fortuitò in loco hoc solùm obambulasse, verùm mysterium aliquod ad nostram tendens salutem indicare voluisse. Nam obambulatio in homine gravissimas ac summi momenti denotat cogitationes, & signum maximæ intentionis ac profundissimarum cogitationum est: *Ambulamus aliquando* (dicit Damianus) *cùm cogitationibus detinemur.* Et hæc Christi obambulationis causa est: nam de prædestinationis mysterio acturus erat; ideò cogitabundus difficultates discursus resolvit, atque ordinem disponit: *Ambulabat Iesus in porticu Salomonis, quia aliquâ profundâ detinebatur cogitatione:* detinebatur nimirum profundissimâ consideratione prædestinationis mysterij, vt nos intelligeremus, mysterium hoc non tantùm obscurissimum ac profundissimum esse, verùm etiam omnem capacitatem humani intellectus excedere, & omni puræ creaturæ etiam acutissimæ impenetrabile ac absconditum esse. Et in hoc sensu Sanctus Gregorius Papa verba illa Iob capite decimo octavo: *Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationẽ eius*

B. Damiã.

Obambulatio Christi profundam considerationem denotavit.

in terrâ! libro suo vigesimo nono Moralium considerat, dicens: *Ordinem cæli nosse est supernorum occultas prædestinationes videre. Rationem verò eius in terrâ ponere, est supernorum iudiciorum mysteria, vel considerando discutere, vel loquendo manifestare. Quod vtque facere in hac vitâ positus nullus potest.*

Hoc idem Sponsa Canticorum quinto indicare voluit, vbi Sponsi sui comarum prædicat atque extollit pulchritudinem, dicens: *Comæ eius sicuti elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* Devotissimus Abbas Rupertus hunc considerans locum, dicit: Cur nigras vt corvi Sponso prædicat comas? Et divinam adducens responsionem dicit, comas nigras vel corvi in sacrâ Scripturâ obscurarum rerum, & quarum nulla potest haberi notitia, symbolum esse. Ideo vt libro Genesis capite octavo legimus, Noë cùm coruum ad explorandum quid in terrâ ageretur, num diluuij cessarent aquæ, emisisset, scire non potuit quid ageretur; nam coruus remansit, & non redijt. Ex quo tempore vsque hodiernum dié obscurarum rerum, & profundissimorum Sacræ Scripturę locorũ Symboli obtinuit officium, vt devotissimus Abbas Rupertus notat, dicens: *Hæc omnia nigra sunt, quia obscura & sub inde imperuestigabilia.* Obscurissima, profundissima, imò & impenetrabilia nobis sunt divina Fidei nostræ mysteria omnia; singulariter auté prædestinationis, quâ quodammodo in obscuritate atque impenetrabilitate omnia alia excedere videtur.

Cant. c. 5.

Gen. cap. 8.

Rupertus.

Profũditas hujus mysterij.

S. Basil.

S. Basilius explicans Psalm. trigesimi secundi verba: *Ponens in thesauris abyssos*, acutissimum suum demonstrat ingeniũ dicens, similitudinem hanc summopere esse significatiuam atque efficacem, quia nobis obscura & profundissima est: nam videmus & quotidiana nobis demonstrat experientia, res ordinarias & omni tempore occurrentes minimè à nobis æstimari; vt verò extraordinarias & nobis absconditas, quas penetrare aut non licet, aut non possumus, vel raris cognoscere conceditur, in summo haberi pretio. Qui sunt thesauri Dei? Sanctus Basilius dicit, abyssos esse, Dei illa nobis obscura ac impenetrabilia mysteria, quæ humanus intellectus capere ac penetrare non potest. Hi infinitæ Dei sapientiæ thesauri sunt. Verba ejus hæc sunt: *Abyssus multa sunt iudicia Dei, & in thesauris Divinis conclusa, vt non facile sit cuique ea comprehendere.*

Nunc causam percipio, ob quam cœlestis Sponsus Sponsæ attentiùs vel curiosiùs ipsum miranti atque inspicienti indignatum se exhibuerit, atque aliò oculos declinare jusserit, Canticorum sexto dicens: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Ac si dicere voluisset: O charissima Sponsa, declina ac auerte oculos tuos à me, & ne tam attentè & curiosè me inspicias, aliàs tergum tibi vertam, & discedens desolatam derelinquam. Admirabilis certè hic actus Sponsi fuit (dicit Liranus hîc:) nam dilectissima Sponsa maiori non poterat affici consolatione; maiorem satisfactionem habere non voluit, quàm dilectissimi sui Sponsi pulcherrimi vultûs inspectione, ac intuitu frui; & nihilominus protinus ille intuitus prohibetur, ac suos auertere oculos jubetur. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Liranus hunc explicans locum respondet, Sponsum materiales corporis oculos minimè, verùm animæ & spirituales intellexisse, quibus Sponsa divinæ voluntatis secreta inspicere ac investigare conabatur. Verba ejus hæc sunt: *Per hoc ergo, quod dicitur, Auerte oculos tuos à me, inhibetur divinorum inquisitio curiosa.* Eiusdem mentis ac opinionis. Theodoretus est, qui hunc locum ponderans sic loquitur: *Inaccessus enim sum & comprehendi nequeo, omnemq; non hominum tantùm, sed & angelorum*

Cant. 6.

Liran. hîc.

Theod. hîc.

lorum captum ſupero. Rationem cujus Spiritus ſanctus apud Sapientem Proverbiorum capite vigeſimo quinto aſſignat, dicēs: *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Hæc ſat ſint de primo puncto.

Prou.c. 25.

PVNCTVM SECVNDVM.

AD ſecundum ergo tranſeo & dico: Vt æternæ, prædeſtinationis myſterium occultum & obſcurum, & impenetrabile nobis eſt, & ab humano intellectu capi non poteſt, ſic certiſſimam & ſummam eſſe veritatem, Deum perditionis noſtræ vt Salvationis cauſam non eſſe: nam Deus reprobationis noſtræ primaria cauſa non eſt, nec poteſt eſſe; nam ex parte ſua, *voluntate antecedenti*, vt Sanctus Paulus epiſtolâ primâ ad Timotheum capite ſecundo atteſtatur: *Omnes homines vult ſalvos fieri*. Nos proprij noſtri homicidæ ſumus, & manibus noſtris æternæ perditionis inferimus mortem. Sic ipſe Dominus apud Oſeam capite decimo tertio atteſtatur, ſuum alloquens populum: *Perditio tua Iſrael.* Interlinealis: *Tu ipſe es cauſa tuæ perditionis.*

Deus cauſa noſtræ reprobationis non eſt.

1. Tim.c. 2.

Oſe.cap.13. Interl. hic.

Sanctus Ioannes in ſuâ Apocalypſi capite vigeſimo primo deſcribens ſanctam civitatem Ieruſalem, dicit, in quadro poſitam eſſe: *Civitas in quadro poſita eſt*, & duodecim dicitur habere portas. *Habentem portas duodecim.* Et portis nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael inſcripta erant, & quælibet porta vnius tribus nomine aut ſigno notata. *Et nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum Iſrael, id eſt*, (vt Liranus explicat) *omnium fidelium, qui indifferenter admittuntur ad regnum ſine acceptione perſonarum.* Et devotiſſimus Abbas Rupertus hîc ſequentia habet verba: *Quaſi omnes nationes velit ingredi in regnum cœlorum.* Ergo ſi noſtrûm quis perditur, culpa non ex Dei ſed ex noſtra parte funditur, & perditio noſtra non ex Deo, ſed ex nobiſmetipſis oritur; nam Deus omnes vult ſalvos fieri.

Apoc.c. 21.

Eodem libro capite primo in confirmationem hujus veritatis reperietis, Deum & Redemptorem noſtrum dilectiſſimo ſuo diſcipulo apparuiſſe, & ſequentia dixiſſe verba: *Ego ſum primus & noviſſimus qui habeo claues mortis & inferni.* Id eſt, Ego ſum ille, qui portam mortis & inferni aperire & claudere valeo. Sed ſanctiſſime Redemptor ac Salvator noſter, & quis habet claves vitæ, ſi tu mortis & inferni habes? S. Primaſius hunc explicans locum dicit, Paradiſi & vitæ claves Chriſtum Petro & Succeſſoribus ſuis tradidiſſe, vt apud Sanct. Matthæum cap. 6. habemus. *Tibi dabo claves regni cœlorum*, vt poteſtate ſibi traditâ omnibus, qui intrare vellent, aperiret, & nulli intrare volenti illas clauderet aut obſeraret. *Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* Ergo ſi quis intrare non vult, non Deo, ſed ſibi perditionis ſuæ cauſam atque culpam imputare debet. *Perditio tua Iſrael.*

Apoc. cap. 1.

Primaſ. hic.

Matth. c. 16.

Legite N. N. Sancti Evangeliſtæ Matthæi vigeſimum primum caput, ibi duplicem, juſtorum ſcilicet & impiorum, finalem reperietis ſententiam. Reprobos condemnando finalem condemnationis ſententiam (vt Evangeliſta atteſtatur) ſequentibus proferet verbis: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius.* Iuſtis Salvationis proferendo ſententiam & æternæ gloriæ hæreditatem tradendo ſequentibus aget verbis: *Venite benedicti Patris mei, percipite vobis paratū regnum*, Origenes hunc conſiderans locum inquirit, cuinam ignis hic inferni aſſignatus aut deputatus eſt? Non hominibus, ſed dæmonibus, reſpondet: *Qui paratus eſt Diabolo.* Cœlorum autem regnum hominibus præparatum eſſe dicit. Sic habet tractatu in Matthæum à Gloſſa hîc citatus. *Regnum quidem non Angelis præ-*

præparatum dicit, ignẽ autem æternum Diabolo, & angelis eius, quia quantum ad se, homines non ad perditionem creavit.

Ioan. c. 21. Nec minoris considerationis illud est apud Sanctum Ioannem Evangelistam capite vigesimo primo, vbi apparitionem illam Christi post resurrectionem ejus Sancto Petro & alijs Apostolis piscantibus ad Tyberiadis maris litora, factam legimus. Occupati erant Apostoli cum Petro piscium captione, & cùm hinc inde iacerent retia, & nil capere possent, adest illis Christus, & interrogat, num pisces haberent. Respondentibus autem illis, se totâ nocte laborasse, & in varias maris partes retia projecisse, non tamen quidquam cepisse; Christus jubet esse bono animo, & ad dextram navigij partem retia proijcere. Obediunt Apostoli & tantam retibus piscium copiam inesse deprehendunt, vt absque retium damno in terram trahere timerent, & præter parvos, numerando centum quinquaginta tres invenirent magnos. *Ascendit Simon Petrus & traxit rete in terram, plenũ magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* Sanctus Hieronymus in caput quadragesimum quartum Ezechielis prophetiæ hoc considerans atque ponderans factum, observat non absque mysterio certum & destinatum numerum piscium sanctos cepisse Apostolos, ita vt non plures nec pauciores centum quinquaginta tribus essent; vt nos intelligeremus, quemadmodum hîc species omnium piscium maris illius sub numero hoc continebantur, & cujuscunque speciei piscis captus erat: sic ex mari hujus mundi ex omnibus nationibus omnes homines, quantum ex se est, salvos fieri posse, & nullum, sive dives sive pauper, sive nobilis, sive plebeius, aut cuiuscunque conditionis sit, ex hac excludi capturâ. Verba Doctoris hæc sunt: *Aiũnt centum quinquaginta tria esse genera pisciũ, quæ omnia capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum, dũ nobiles & ignobiles, divites & pauperes, & omne genus hominum, de mari huius sæculi extrahit ad salutem.* Ergo nullus reproborum, vel qui perduntur, contra Dominum conqueri poterit; nam ex parte sua & quantum in se est, nullum nostrûm perdere, sed omnes salvos fieri vult atque desiderat; vt attestatur Apostolus: *Omnes homines vult salvos fieri.*

Cur Apostoli centũ quinquaginta tres pisces ceperint.

S. Hier.

Et vt tanto faciliùs ad salutem pervenire, & hanc Dei voluntatem implere valeamus; prævenit nos benedictus Deus suâ gratiâ. Sic decretat sanctum Concilium Tridentinum sessione sextâ de Iustificatione, Canone tertio & vndecimo, & nos primi ipsum deserimus, ille verò vltimus in nostra derelictione est: nos principium perditionis nostræ ponimus, ille verò coactus finem imponit. Verba Concilij hæc sunt: *Deus suâ gratiâ semel iustificatos nõ deserit nisi ab illis prius deseratur.* Quam Catholicam veritatem Sacrosanctum Concilium ex verbis illis Domini, quæ per Prophetæ Semeiæ os ad Regem Roboam, Principes ac populum ejus missi prolatis extraxit, quæ hæc sunt: *Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos.* Quæ verba considerans Sanctus Fulgentius, ad propositum nostrum sequentia habet verba: *Inde deseritur à Deo qui deserit Deum. Et quia homo deserens Deum peccat, deserens peccatorem Deus iustitiã servat.* Et Sãctus Augustinus eadem verba confirmat, dicens: *Nunquam prius deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur.*

Concl. Tridentin.

Qualiter nos causa simus nostræ perditionis.

2. Paral. c. 12. S. Fulg. l. 1. de Trip. prædest. cap. 13. S. Aug.

Veritas hæc scelesto illo Iudæ probatur facto, qui Christum & Magistrum suum impijs vendidit ac tradidit Hebræis. Quid Christus non fecit? quæ non egit? qualia media & stratagemata non aggressus est, vt in viam salutis reduceret perditum: Sic in cœnâ, vt Origenes affirmat, super omnes ipsum honorare voluit; nam omnium primo (vt hic opinatur Doctor) ipsius vo-

voluit lavare pedes, & in hoc boni Medici observavit Regulam, qui inter plurimos magis indigentem & gravius infirmantem aggreditur & artis applicat media; aut lotricis imitans modum, quæ sordidiora primò lavat lintea. Verba ejus homiliâ trigesimâ tertiâ in Ioannem hæc sunt: *Vt Medicus pluribus infirmis subministrans, iuxta artem medicinæ initum medendi facit ab his, qui magis vrgentur, qui peius affecti sunt: sic discipulorum sordidos pedes lavantem incepisse à magis sordidis.* Eiusdem opinionis ac mentis Sanctum Ioannem Chrysostomum esse deprehendo, qui in caput quinquagesimum secundum Matthæi expressis attestatur verbis, omnibus modis Christum conatum fuisse, perditum retinere Iudam, atque in hunc finem varijs eum aggressum fuisse rationibus, admonitionibus, minis, & rogasse, ne tale committeret scelus. *Non cessavit assiduis consilijs, monitis, beneficijs, minis, demum omni doctrinæ specie, retrahere, nec destitit illū dictis seu fræno retrahere.* Et homiliâ quinquagesimâ secundâ ad populum expressis attestatur verbis, flevisse Christum, dum ejus lavaret pedes, sperando lachrymarum vndis de sanctissimis ejus profluentibus oculis à tam maligno & perniciosо proposito eum retrahere; ideò plus lachrymis quàm aquâ pelvis pedes ejus rigans lavabat. Verba ejus hæc sunt: *Non tam aquâ pelui quàm duobus è Christi facie fontibus proluerefur.* Et Sanctus Ambrosius de paralytico tractans capite octavo aureâ adductâ sententiâ hanc Catholicam probat veritatem, dicens: *Venerat Dominus Iesus omnes salvos facere peccatores: etiam circa impios ostēdere suam debuit voluntatem; ideo nec proditorem debuit præterire, vt adverterent omnes, quod in electione etiam proditoris sui, salvandorum omnium insigne prætendit.* Ex his ergo quæ dicta, manifestè quemquam vestrûm concludere posse non dubito, Deum perditionem nullius, at verò omnium salutem velle atque desiderare. *Omnes homines vult salvos fieri.* Si ergo quis perditur aut condemnatur, nō Deo, sed sibi atque suæ perversitati atq; obstinationi adscribat. *Perditio tua Israël.*

Origen.

S. Chrysost.

S. Ambros.

Apud Sanctum Isaiam Prophetam capite secundo deprehendo, Dei domum non tantum domui Iacob comparari, verùm etiam sic appellari. *Venite ascendamus ad montem Dei, ad domū Dei Iacob.* Sed quæ ratio atque causa est, domum Dei cum Iacobi, & non Abrahami, Isaaci, vel aliorum Sanctorum Patriarcharum, quia & illi amici Dei erant, assimilari aut comparari domo? Sanctus Ambrosius hunc explicando locum, reddit rationem, dicens: Vultis scire, cur Dei domus cum illa Iacobi, & non Abrahami, Isaaci, aut aliorum comparetur domo? Sciatis Isaacum habuisse duos filios, Iacobum & Esau: vnum, Deum odio habuisse; alterū verò amasse. Sic Sanctus attestatur Apostolus epistolâ suâ ad Romanos capite nono: *Iacob dilexi, Esau autē odio habui.* Abrahamum similiter duos habuisse; *vnum de ancilla, & vnum de libera*; ex his quoque vnum reiectum fuisse. *Ejice ancillam & filium eius*: Iacobum verò filios suos æqualiter dilexisse, æqualiter suam distribuisse hæreditatem, atque paternam dispensasse benedictionem. Vt habemus in libro Genesis capite quadragesimo nono. *Benedixitq; singulos benedictionibus proprijs.* Ecce habetis mysterium. Noluit Deus domum suam domum Abrahami, aut Isaaci, aut alicujus alterius Patriarchæ nomine appellari, & cum illorum comparare habitaculo, quia dimidia filiorum pars à paterna exclusa est hæreditate; at Iacob filiorum nullus; omnes in hæreditate, amore, benedictione patris æquales fuerunt. Vt ergo ex Iacobi filiorum numero à paterna nullus excluditur hæreditate; sic vult Deus, omnes homines æternæ gloriæ hæreditate participes fieri, & nullum

Cur domus Dei vocetur domus Iacob.

Rom. cap. 6.

Galat. c. 4.

Gen. c. 48.

nullum à cæli hæreditate excludi. Nam vt Sanctus Ambrosius docet : *Hæreditas Domini est indivisa, & nemo fraudatur ab hæreditate suâ,* cuicunq; Deus suam reseruat partem. *Omnes homines vult saluos fieri.* Et si aliqui non salvantur, sed perduntur, perditio ipsis & non Deo ascribenda est. Sic dicit Propheta Oseas capite decimo tertio : *Perditio tua Israel.* *1. Ambros.*

Mala peccatorum conclusio: Aut prædestinatus sum, aut non: si &c. Caveat ergo sibi, perversus quisquis peccator, dicere atque concludere : Ego aut prædestinatus, aut præscitus sum. Ad quid ergo labores mei, mortificationes, iejunia, disciplinę & alia infinita servient opera ? nam si præscitus sum, etiamsi omnia bona opera fecerim, condemnabor ; si autem prædestinatus sum, fruar tempore, & carni indulgebo, quantum potero, cùm moriturus sum, contritionis habebo actum, & salvus ero. O stulti & fatui argumentatores! falsa & insana hæc est conclusio ; aliàs non tam fatuus esset Dæmon, vt tot in tentando vos insumeret labores, atque nunc hac, nunc illâ adinventâ arte ad casum trahere conaretur. Ergo evidentissimum signum habes, conclusionem tuam falsissimam esse. Consilium ergo Sancti Apostolorum Principis cape, & salutem tuam vsque ad finem vitæ tuæ per varia bona opera securam reddere satage, *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quem locum explicando Glossa ordinaria sic habet: *Certam facit vocationem suam, qui in bonis operibus perseverat.* Et Angelicus Doctor Sanctus Thomas de Aquino primâ parte, quæstione trigesimâ secundâ, articulo octavo docet: *Per bona opera prædestinationis effectus certitudinaliter impletur.* *2. Petr. c. 1.* *Glossa hic.* *S. Thomas.*

Et hæc tam manifesta atque indubitata veritas est, vt dicere audeam, quòd si Dei Angelus de cœlis ad me descenderet, & ex Dei parte reprobum me declararet, & diceret : Scias Alexander, te de reproborum aut præscito rum esse numero, propterea Dei concurrente gratiâ, à bonorum operum exercitio non desisterem, sed vsque ad finem vitæ meæ in tam bonâ dispositione totis viribus conarer perseverare: certus enim sum permanendo in tam bona dispositione, divinam Maiestatem per infinitam suam bonitatem me salvaturam. E contrario si idem Angelus, me certò prędestinatum esse, & salvum fore, mihi ex Dei intimaret parte, nec id crederem, & ideo non desisterem à bono, & mala agerem; nam certus essem, si hâc confidentiâ mala agerem, condemnandum me fore. Audijstis hanc sententiam à me prolatam ; sed non est mea, sed Altissimi, qui per sancti sui Prophetæ Ezechielis os capite decimo octavo sequentia protulit verba : *Cùm enim averterit se iustus à iustitiâ suâ, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitiâ, quam operatus, est morietur.* E contrà autem eodem dicit capite de impio ad iustitiam converso sequentia verba : *Cùm averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam vivificabit; considerans enim & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, vita vivet, & non morietur.* Doctissimus Hugo Cardinalis sequentia habet verba : *Sicut peccatori pœnitenti non nocent antiqua peccata: ita iustum à iustitia se avertentem, veteres iustitiæ non iuvant: vnusquisque enim, in quo invenietur, in eo & iudicabitur.* Ergo qui de sua salute certus esse vult, pro viribus de præteritis commissis peccatis pœnitentiam agat, & à futuris cavendo, in bonorum operum exercitio vsque ad finem vitæ suæ perseverare conetur atque studeat. *Eze. c. 18.*

PVNCTVM TERTIVM.

De numero prædestinatorum ac præscitorum. SCio N.N. plures summâ curiositate huc vsque exspectasse, vt de Electorum atque perversorum numero meam perciperent sententiam, & audire possent, quis ordo horum alium numero excedat. Antequam autem

ad mentis meæ & Sanctorum Patrum accedam sententiam, certissimam ac verissimam illam Sancti Thomæ de Aquino doctrinam præsupponere deberis, qui parte primâ, quæstione vigesimâ tertiâ, articulo septimo, expressis docet verbis, prædestinatorum numerum non solùm *formaliter*, sed etiam *materialiter*, certum ac determinatum esse; volo dicere, ita infallibilem Electorum à Deo positum esse numerum, vt non tantùm quantitatis numerus, id est, tot & tantorum & plurium salvandorum decretus sit, verùm etiam ad singularia subiecta hunc restringi, id est, hunc & illum, & non alium salvandum. Hos Sanctus Paulus epistolâ secundâ ad Timotheum dicere intendebat: *Novit Dominus, qui sunt eius.* Et Sanctus Augustinus libro de Corrept. & Grat. capite decimo tertio sequentia habet verba: *Eorum qui prædestinati sunt in regnum Dei, ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eo.* Sancta Romana Ecclesia in oratione, quam Deo fundit, sic dicit: *Deus, cui soli cognitus est numerus Electorũ in supernâ fœlicitate locandus.* Ergo infallibilis veritas est, certum & determinatum Electorum & prædestinatorum esse numerum. Suppositâ ergo hac veritate, ad dubium respondeo: Si totam filiorum Adam congeriem aut massam, id est, fideles & infideles inspicere & accipere volumus, concludere debemus, maiorem reproborum & condemnatorum esse numerum; si autem quæstionem ad solos Catholicos sub S. Romanæ Ecclesiæ protectione viventes determinare volumus, varij Doctores varias habent opiniones. Aliqui firmiter tenent, maiorem partem Catholicorum salvari, non tamen probant suam opinionem evidentibus argumentis, sed tantùm probabilibus conjecturis. Ex qua classe sunt Sanct. Damasc. oratione de his, qui in fide migrarunt, & alij plures,

S. Thom.

2. Timoth. cap. 2.

S. August.

quos Angelicus Doctor primâ parte, quæstione vigesimâ tertiâ, articulo septimo citat. Hi dicunt, Experientiâ quotidianâ nos habere maiorem Catholicorum partem, cum reverenti Dei Ecclesiæ Sanctorum Sacramentorum receptione de hac discedere vita, & scimus de certo, quòd *virtute Sacramentorum* homo Catholicus ex attrito fiat contritus: Ergo concludunt, maiorem Christianorum partem salvari. Faxit Deus vt horum opinio sit vera, & non tantùm maior Catholicorum pars, verùm omnes salventur.

An plures Catholicorum salventur quàm condemnentur.

Nihilominus maior tam Doctorum quàm Scholasticorum classis contrariam tuentur opinionem. Sanctus Gregorius Papa homiliâ decimâ nonâ in Evangelium Sancti Matthæi explicans illa verba capite vigesimo secundo, *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, dicit plures condemnari quàm salvari. Verba ejus hæc sunt: *Quia & ad fidem multi veniunt, & ad cœleste regnum pauci perducuntur.* Eiusdem opinionis est Sanctus Ioannes Chrysostomus homiliâ sexagesimâ septimâ ad populum; & Doctissimus Abulensis eundem locum Sancti Matthæi considerans quæstione sexagesimâ nonâ, sequentia habet verba: *Multi sunt vocati ad fidem, id est, convertuntur ad eã, sed pauci electi, quia pauciores Christianorum sunt, qui salvantur quàm qui damnantur.* Idem sentit Sanctus Augustinus, qui Psalmum decimum sextum explicans, electorum numerum frumenti granis, condemnatorum verò paleis comparat, dicens: *Etenim per totum orbem pauca sunt grana, multæ sunt paleæ.* Sed quid Doctorum adducimus opiniones, cùm sanguineis lacrymis deplorandam Domini sententiam sub decem virginum parabola apud S. Matt. capite vigesimo quinto habeamus, ex quibus quinq; ad sponsi nuptias admissæ, & quinque reiectæ fuêre? Verba Scripturæ

Matt. c. 22.

S. Ioan. Chrys. hom. 67. ad pop.

Abulensis.

S. August.

Matth. 25. pturæ hæc sunt : *Simile est regnum cælorum decem virginibus : quinque ex eis fatuæ, & quinque prudentes.* Id est, vt ipsemet Christus in fine parabolæ se explicat ; quinque virgines reprobæ, quibus dictum fuit, cum nuptiarum palatij pulsarent fores, & post quinque prudentes & ipsæ introire vellent : *Nescio vos.* Et quinque prædestinatæ quæ paulò antè admissæ, iam cum sponso nuptias celebrabant æternæ gloriæ. *Intraverunt cum illo ad nuptias.* Ergo etiam in statu perfectissimo virginitatis tot damnantur, quot salvantur ? Percipere vobis lubeat N. N. terribilia illa verba sancti Gregorij homiliâ duodecimâ in Evangelia prolata, & à doctissimo Caietano in caput vigesimum quintum Sanct. Matthæi notata ac observata. Quæ hæc sunt: *S. Greg.* *Caietan.* *Redemptoris voce decem virgines : omnes dicuntur virgines , & tamen non omnes intra beatitudinis ianuas receptæ,* id est, decem erant virgines , quibus sponsus obuiam processit, & cùm cunctæ putarent se electas & ad paradisi nuptias à sponso adducendas fore, vix quinque eliguntur : reliquæ vt stolidæ, & fatuæ, & tantâ gloriâ minus dignæ rejiciuntur; & cùm instarent, ac pulsarent dicentes, se quoque virgines, & quidem ad nuptias invitatas esse ; & cùm sponsus illas intueretur, &, an tales essent, inspiceret, nullum nuptiarum in eis reperit signum; ideò reiecit, dicens : *Nescio vos.* Doctissimi Caietani supra citati verba hæc sunt : *Terribilis sententia, quia media tantùm pars fidelium, quorum lucent tam bona opera, quàm studia ad obuiandum sponso, prudens ac per hoc salvanda describitur.*

Horsum N. N. si bonorum & perfectorum, qui per virginum perfectissimum statum intelliguntur , & qui spiritualem ducunt vitam , vix media salvatur pars ; quid de lascivis , odiosis , vindicativis , superbis , ebrijs ac potatoribus , blasphemis , qui ac si post hanc vitam vita alia , neque Deus esset , vivunt , dicendum atque sentiendum erit ? Quos si quis bene inspicere & ipsorum examinare vellet conversationem , vt sanctus Ioannes Chrysostomus sermone de compunctione cordis dicit , verum retractum corrupti mundi , & plenos defectibus , quos committunt ; negligentijs, in quibus vivunt; peccatis , quæ patrant , cerneret & deprehenderet , & deplorandum mundi corrupti videret prototypon. Verba Doctoris hæc sunt : *Lugendum est, & verè lugendum præsentis vitæ tempus, in quo tantã malorum labem, tanta videmus quotidie vitia cumulari.* *S. Chrys.* Idem Sanctus homiliâ quadragesimâ ad populum Antiochenum, considerans hunc licentiosum vivendi modum, in concione sequentibus terribilibus verbis populum alloquitur, dicens : *Quot esse putatis in hac civitate qui salvi fient ?* *Idem hom. 40. ad popul.* Odiosum vobis erit absque dubio, quod dicam , & non libenter percipietis , attamen cùm verum sit, dicam: *Incertum est, quod dicturus sum, verum tamen dicam.* Nam in tanto populo, qui meæ subest iurisdictioni , & qui hanc incolunt civitatem , qui prædestinationis habeant signa mille non reperio , cùm tamen plura millia sint : quid dico mille ? non octingentos , non quingentos , non ducentos , vix centum, & de horum salutis certitudine nec sufficientia reperio signa. *Non possum in tot millibus centum invenire , qui salventur , imò de his dubito.* Et hujus suæ terribilis atque stupendæ sententiæ rationem reddere volens, sequentia subiungit verba : *Quanta enim in iuvenibus malitia ! quantus in senibus torpor !* ac si dixisset : Si iuventutem intueor , nil aliud nisi lasciviam, levitatem, vindictam, blasphemiam , licentiosam vitam, & veræ malitiæ prototypon deprehendo : si senectutem, qui in iuventute tales fuêre , & nunc bonorum operum

perum ac pœnitentiæ exercitio præterita lugere, & recompensare deberent, respicio nil aliud, quàm desidiam, tepiditatem, summam negligentiam; imò veri torporis reperio imaginem atque retractum. Hæc Sanct. Ioannes Chrysostomus dixit, vitæ puritate ac sanctitate notatus, & non de vili aut ordinariæ alicujus civitatis populo, sed de Antiochiæ vrbis, nobilissimæ, potentissimæ ac populosissimæ, & tempore illo, cùm adhuc primitiuæ Ecclesiæ bulliret fervor, & spiritus primitiuus floreret, & Christiana charitas, vt nunc refrigerata non esset.

S. Vinc. Ferr. in Septuag. Sanctus Vincentius Ferrerius sermone quodam in Dominica Septuagesimæ habito, sat terribilem enarrat historiam de quodam Archidiacono civitatis Lionensis, qui resignatis suis beneficijs, cùm quadraginta annis in quodam solitario loco commoratus fuisset, & plurimis pænitentiæ operibus vocationem atque salutem suam certam facere laborasset, mortuus est, & Episcopo loci illius apparuit. A quo cùm de varij rebus, & alterius vitæ casibus interrogatus fuisset, & enarrasset, inter alia dixit, eâdem illâ die, quâ ipse mortuus erat, triginta millia circiter hominum pervniversum orbem obijsse, eosque, cùm simul Dei ac Iudicis throno præsentati fuerunt, & judicati, omnes æternis carceribus addictos & condemnatos fuisse, quinque exceptis, quorum ipse vnus, & S. Bernardus, qui eodem die mortuus fuerat, absque purgatorij examine rectâ ad cœlos evolarunt, alios tres ad purgatorios remissos esse ignes. Factum non solùm horrendum, verùm etiam efficacissimum ad omnem hominem extitandum, cum timore & tremore suam operari salutem, dicit S. Vincentius. Factum certè, quod etiam sanctissimos tremere facit, & justissimarum animarum mentem potenti timore concutit. Hæc causa atque origo consilij illius Redemptoris nostri est, apud sanctum Matthæum capite septimo, vbi per strictam & non latam portam nos intrare jubet, id est salvari cupientes non largam, ordinariam deliciarum & commoditatum viam, quâ mundani ambulare volunt, & se salvari in illa posse putant; sed strictam pœnitentiæ ac mortificationis semitam eligere debere, dicens: *Contendite intrare per angustam portam.* Quem locum S. Ioannes Chrysostomus considerans libro de vita monastica, sequentia habet verba: *Angusta est ianua, & arctâ via, quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam. Si verò pauci sunt qui inveniunt, profectò longè pauciores sunt, qui ad summum eius pervenire possunt.* Matth. c. 7. S. Chrys. l. de vita Mon.

Quis ergo nunc admirabitur, cùm S. Pauli ad Philippenses capite secundo exhortatoria legerit verba? *Cum timore & tremore vestram salutem operamini*, ac si diceret: Qui saluus fieri debet, nunquam lætus, nunquam securus esse debet, sed semper pavidus, & timore plenus vivere, & quidquid agit, per timoris transire debet examen, num saluti conferat, aut noceat; num impediat, vel promoveat. Ipsamet enim veritas Christus apud S. Matthæum capite vigesimo secundo dicit; plures quidem ad nuptias vocatos atque invitatos esse, sed valde paucos admitti; dicens: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Hoc vnicum verbum *pauci*, vt Drexelius in suo Zodiaco attestatur, infinitum quasi numerum peccatorum de lethargo peccatorum excitavit, & salutem suam vigilando, orando, operando, & in varijs pænitentiæ operibus se exercendo certam facere fecit. Hoc vnicum verbum tot civitates depopulavit, & in desertis habitare fecit: tot martyres fortes & strenuos in tormentis tolerandis effecit: hoc verbulum *pauci*, tot equuleos catastas, rotas, flammas, cruces, flagella, bestiarum vngues ac dentes superare, & nil carnificum ac tortorum manus æstimare fecit. Hæc vox Ad Philip. c. 2. Matt. c. 22. Drexel. in Zodiac.

vox vniformis omnium erat. Mortem subire, vt choreas ducere, æstimamus; dummodo ex paucis illis, de quibus Christus dicit, *pauci sunt electi*, esse possimus; transeat collum atq; carnes nostras carnificis ferrum; molamur leonum & aliarum bestiarum dentibus, & corpora nostra per flammas ignis in cineres redigantur, dummodo animæ nostræ ex numero illo, *pauci sunt electi*, esse valeant. Tormenta nobis ludibria erunt, & dolores æstimabimus delicias; afflictiones, recreationes, dummodo animabus nostris inter paucos illos in paradiso, *pauci sunt electi*, vivere & habitare concedatur.

Ergo charissime frater non sufficit, quòd Christianus, quod Catholicus sis, quòd fidem Christi habeas, sed bonorum operum exercitio insudare te oportet, si aliàs salvus esse velit. Sic ipsamet veritas Christus dicit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quæ verba Eusebius Emissenus considerans, diuinè dicit: *Ne quæras aliam prædestinationem; in his enim verbis omnibus & vitæ & mortis prædestinatio consistit.* Nunc ergo agite & facite, quæ fecisse, & egisse velletis, dum agendi & faciendi subtrahetur potestas.

Hîc locum habet vulgatum illud dictum, quòd Sanct. Augustino attribuitur, licèt in operibus ac scriptis ejus minimè reperiatur. Verba cujus hæc sunt: *Si non es prædestinatus, fac vt prædestineris.* Vult dicere: Si non es in tali statu vt prædestinatę ouis in te appareant signa, fac opera talia, ut illa in te manifestétur, quæ prędestinationem tuam certam faciant. Et hoc Apostolorum princeps S. Petrus in verbis iam suprà adductis asserere volebat, cùm in sua secunda Epistola capite secundo diceret: *Satagite, vt per bona opera vestra certam faciatis vocationem vestram.* Ergo opera bona facta in gratia Dei, sunt sufficientissima signa prædestinationis, nec alia curiosiùs inquirite: nam cùm, quantũ ex vestra parte est, bonis operibus salutem & vocationem vestram certam faceNre satageritis, & pro viribus in illorum exercitio perseverare laboraveritis, Deus gratiam suam vobis minimè negabit, vt Theologi docent, quorum hæc est sentétia: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Ergo tua non sufficit fides, nec eò quòd Catholicus es, salvaberis; sed ad consequendam tuam salutem bonis operibus cooperari debes. *Satagite, vt per bona opera vestra certam faciatis vocationẽ vestrã*, dicit Petrus.

Signa prædestinatorũ.

2. Petr. c. 6.

Illa sunt opera bona in genere.

Confirmare hanc licet veritatem, & indubitatam Catholicam Doctrinam facto illo, libro Genesis capite sexto. Gen. cap. 6.
Decreverat Deus mundum castigare, & diluuij aquis inundare, & omnem animam viventem suffocare; sed quia Noe valde amabat; justus enim erat, ipsum à communi naufragio & inundatione præservare conclusit. Ideo ei apparés, sic alloquitur: *Finis vniversæ carnis venit corã me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Te autem cum familia tua salvare volo, & medium dabo, ne ab aquis suffoceris; & erit hoc: *Fac tibi arcam de lignis levigatis. Ingredere tu & omnis domus tua in arcam; te enim vidi iustum corã me in generatione hac.* Nunc sic argumentor. Si Deus Noe tantopere amabat, ad quid illum tam intolerabili labore onerat atque vexat, vt arcæ fabricatio fuit, quæ centum annis duravit; poterat enim omnipotenti suâ manu multò meliori modo illam fabricare? Non dicit Deus: Salvare volo Noe, & à diluuio præservare, sed arcam ipse fabricare debet, possum vnico nutu illam fabricare, nihilominus volo, vt in fabricatione ejus Noe cum suâ domo sudet ac laboret, & ad suam cooperetur salutem & salvationem. Hæc doctrina Angelici Doctoris est, qui in caput sextum Genesis sequentia verba habet: *Vt per hoc daretur aliquis locus meritis, & cooperationi ipsius, quia fabricando hanc arcam probata est fides eius.* Vt vos pro viribus & quantum potestis ex parte vestra ad sa-

lutem consequendam cooperari debere.

Matth. c. 9. Aliud factum apud S. Matthæum cap. 9. reperio, quod & intentum nostrum probat. Intrat benedictus Christus in Archisynagogi domum, filiam ejus à morte resuscitans; & cùm domum intrasset, & miraculum patrare vellet, manu illam apprehendit, & protinus filia surrexit. *Tenuit manum eius, & surrexit puella.* Et vt circumstantibus manifestaret resurrectionem illam non phantasticam aut apparentem, sed veram ac realem fuisse jubet cibos apponere, & manducandos dare filiæ. Et dixit: *Date illi mãducare.* Subintrat hic doctissimus Abulensis, & rationem facti hujus quærit, cur ipsemet Christus resuscitatæ filiæ non dederit cibum, sed ab alijs tribui voluit? Respõdet: Christum hoc ordinasse, vt nos sciremus, in hoc vivificationis actu etiam nostram cooperationem adesse debere. Tangere puellam & resuscitare eam, solius Dei potestatis ac omnipotentiæ erat; cibum autem præbere, quicunque facere potest. Ideo dixit: *Date illi mãducare.* Nunc doctissimi Tostati verba percipere lubeat; pulcherrima enim sunt: Tostat. hic. *Quia Christus facere volebat ea, quæ nemo alius facere poterat: quæ autẽ per alios fieri poterant, facere nolebat. Ipse ergo manum puellæ tetigit ad suscitãdũ, quia solus ipse suscitare poterat, cibum autẽ quilibet ei dare poterat; ideo ipse non dedit.* Ergo Christiane, si Deus te ad æternam elegerit gloriam atque salutem, liberâ fecit voluntate, nã alius præter illum hoc opus facere non poterat, sed vt illam consequaris, opera adesse debent, quæ non Deus, sed tuipse facere debes; & cùm feceris ex parte tua, quæ potuisti & pro viribus in bonis te exercitaveris operibus, curam in Deo ponas, & illum agere sinas, qui te tuâ non privabit intentione, & id quod tu non poteris, aget & faciet in salutis tuæ opere. Ideo in hodierno dicit Evangelio: *Oves meæ vocem meam audiunt*, vt intelligas Ioan. c. 10. operibus tuis bonis, divinæ te debere correspondere vocationi.

Sed quàm pauci sunt, qui si vocationi correspondent, & cùm a Domino ad æternam vocantur vitam, in hac comparent forma. Serenissimus Rex David Psalmo trigesimo tertio inquirit, dicens: Psalm. 33. *Quis est homo, qui vult vitam?* S. Basilius cõsiderans hunc locum & ad quæstionem Davidis respondens sic ait: *O quàm pauci!* O quàm pauci sunt, qui vitam desiderant! nam pauci correspondent Dei vocationi. *O quàm pauci sunt* hi, qui toto corde mundi fugiunt vanitates! *O quàm pauci* reperiuntur, qui hoc sacro quadragesimali tempore ieiunant, pœnitentiam agunt, & carnem suam mortificant! *O quàm pauci* inveniuntur, qui Sacramento pœnitentiæ sua delerunt peccat, malam dereliquerunt consuetudinem atque lascivam familiaritatem, & domo suâ eiecerunt concubinam! *O quàm pauci* vsurarij sunt, qui ab vsuris faciendis recesserunt, per & vsuras ablata, & per iniustissimos contractus congregata restituerunt, aut restituere cogitant! *O quàm pauci* sũt, qui linguas suas correxerunt, & maledicentijs valedixerunt, & murmurationibus atque detractionibus terminos posuerunt! *O quàm pauci* reperiuntur, qui corda sua ab odio, & vindicationis appetitu atque cupiditate servarunt, & iniurias sincero remiserunt corde! *O quàm pauci!* ô quàm pauci! etiam si tot habuerint conciones, quibus ad salutem suam assecurandam admoniti sint, & tot internis inspirationibus, tot supplicationibus, exhortationibus, minis, correctionibus quasi virgâ in salutis viam redire impulsi sint. Si ergo N. N. nostrûm quis condemnatur, culpâ suâ fit, ipse solus perditionis suæ causa est, nec de Deo, diabolo, aut alio conqueri poterit! sed contra se ipsum lamentationis emittere debet voces. *Nam perditio tua Israel.*

Ergo Christiani mei, si de numero electorum ac prędestinatorum esse desideratis, & inter electos cum Christo

sto in æternum gaudere anhelatis, bonorum operum exercitium deserere nolite, sed quantum potestis, & vires vestrę permittunt, in illo vsque ad finem vitæ perseverare satagite, certo certius si hoc feceritis, de prædestinatorum vos esse numero, credere poteritis. Intellexisti hæc auare, qui ad alia non attendis, nec quid aliud agis, quàm thesauros per illicitas congregare vias. Percepisti hæc lascive, qui, vt sus sterquilinio, tuis immunditijs immersus jaces. Intellexisti gulose, qui tuum proprium ventrem Deum tibi constituisti. Percepisti vindicatiue, cujus mens & cogitationes totâ die sunt circa vindicandi modos. Intellexisti ô fœmina vana! cujus studium nil aliud, nisi pompa, ornatus, & mille sunt vanitates. Hæc via non est vocationem vestram certam faciendi. Bona opera adesse debent, si salvari desideratis, & Deus à nobis exigit, vt æternæ gloriæ possidere valeamus hæreditatem. Audire lubeat quæstionem serenissimi Davidis Regis Psalmo decimo quarto Deo factam: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut requiescet in monte sancto tuo?* Quid ipsi à Domino fuit responsum? *Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam.* Id est, vt doctissimus Liranus hunc locum explicavit: *Quia non sufficit declinare à malo, nisi etiam operetur bonum.* Adhuc vnicum dicam, quod cordi vestro insculptum vobiscum domũ capite. Si vestrûm quis damnatur, non damnatur, quia vel quasi Deus illum damnare voluerit, sed propter scelera sua commissa, & per pœnitentiæ opera non extincta, ille ipse se damnat. *Perditio tua Israel.* Quiescamus.

Psalm. 14.

Lirãn. hic.

PARS II.

PVNCTVM QVARTVM.

Vidimus prima parte puncto primo, prædestinationis atque salutis nostræ Mysterium profundissimum & obscurissimum esse. Secundo puncto vobis demonstravi prædestinationis & salvationis nostræ primam causam esse Deum reprobationis verò ac perditionis nostræ nos ipsos primariam esse causam. Tertio puncto reproborũm & electorum examinavimus numerum, & quomodo electi pauciores sint, exhibui atque probavi. Supersunt nunc signa aliqua, ex quibus prædestinatum qué esse conijcere possimus quæ hac secunda parte, puncto quarto vobis adducam.

Sit ergo signum primum, *Lubens Dei verbi perceptio.* Hoc signum evidentissimũ est; nam ipsamet Veritas Christus apud S. Ioannem capite octavo illud dedit, dicẽs: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Quæ verba considerans S. Hier. dicit: *Magnum signũ prædestinationis est, libenter audire verbũ Dei.* Horsum N. N. quid prognosticare de homine possumus, in cujus mente nullius æstimationis Dei verbum est, qui vix aut nunquam audit? & quale signũ in eo discooperire licebit? Reprobationis, & in æternum eum condemnationis arguere licebit. Sic nos Christus docet; *Propterea vos non auditis, quia non estis ex ovibus meis.*

Signum primum prædestinatorum, Auditio verbi Dei.

Ioan. cap. 8.

S. Hier. hic.

Secundo prædestinationis signo notati sunt, qui tribulationes præsentis vitæ vel à Domino, aut malignis, Deo sic permittente, immissas, in patientia tolerant. Hoc signum in Actibus Apostolorum capite decimo quarto reperietis. *Per multas tribulationes oportet vos introire in regnum Dei.* Et angelico etiam ore prolatum apud Tobiam capite duodecimo illud habemus, vbi Angelus seniorẽ sequẽtibus alloquitur verbis: *Quia gratus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Et S. Augustinus in Epistola quadam ad quendam suum amicum Alipium, dicit tribulationes probabile prædestinationis esse signum, & hominem in hac vita tribulatum ac angustiatum, salutis signa, atque conjecturas habe-

Secundum patiens toleratio adversitatum.

Actor. c. 14.

Tob. cap. 12.

S. August. habere. *Coniectura est, cùm te Deus immensis persecutionibus corripit, te in electorum suorum numerum destinasse.*

Tertium est misericordia erga pauperes.

Tertium prædestinationis signum est, Misericordem & liberalem erga pauperes esse, & angustiatos & in necessitate constitutos, bonis sublevare eleemosynis. Si signum hoc benedictus Christus apud S. Matt. cap. vigesimo quinto manifestavit, vbi extremi judicij formam describens, reprobos sequentibus verbis æternæ maledictionis ac afflictionis filios esse declarat. *Ite maledicti in ignem æternum.* Matt. c. 25. Et damnationis dans rationem, sequentia subiungit verba: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere, &c.* Quæ verba ponderans S. Chrys. Hom. quinta de pœnitentia, S. Chrysost. sequentia habet verba: *Non dixit: Ite maledicti, quia fornicati estis, quia furtū aut falsum testimonium fecistis, periurastis: sed immisericordes iudico, ob inclementiam vos damno.*

Quartum est obedire vocāti Deo.

Quartum signum in se exhibent, & se prædestinatos esse demonstrant, qui protinus ac internas inspirationes percipiunt. Ijs correspondent, & quæ Dominus intus suadet ac jubet, exteriùs & opere executioni mandant. Dicite lascivi & miseri peccatores, quot dies, quot anni sunt, quibus divina bonitas non cessat ad cordis vestri pulsare ostium? clamans vos rogat & obsecrat, perversam atque lascivam illam deserite familiaritatem. Quoties pulsavit, & bona illa injusto titulo acquisita repetijt? Quoties ad vitæ mutationem amoriferis adhortata est verbis? Quoties minis, tribulationibus quasi virgâ in salutis reducere viam conata est? Penetrarúmne hæ voces cordis tui viscera! Correspondistine tot divinis inspirationibus? Ita Pater. Bono sis animo, signum sat probabile prædestinationis tuæ habes. Et contrà si ad tot Dei miserentis voces surdus es, & illas audire negligis, & divinas despicis inspirationes, in pessimo statu res tuæ sunt, & probabilia reprobationis habes signa: reprobus ac præscitus es. Nō mea hæc doctrina, sed Christi est, qui, apud sanctum Ioannem capite decimo, sequentia habet verba: *Propterea vos non audistis, quia non estis ex ovibus meis.*

Quintum est remittere iniurias.

Quinto prædestinationis gaudent signo, qui ob Dei amorem acceptas injurias libenter & facilè remittunt. Tali signo notatos Christi omnes cohæredes esse debere apud S. Matt. cap. 5. clarissimis attestatur sacra Scrip. verbis. *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri.* Matth. 5. Percepistis vindicatiui, qui à tot annis radicata odia in cordibus vestris fovetis, & inimicorum quæritis sanguinem atque animas, quomodo salutem sperare prætenditis? Audite S. August. verba serm. sexag. primo de tempore. *Advertite quòd si inimicos non diligimus, filij Dei esse non possumus.* S. August. Quia ipsemet in Epist. affirmat, inter filios Dei & diaboli (id est, inter prędestinatos sive electos & reprobos) dilectionem solam discernere.

Sextum devotio erga B. Virginē.

Sextum prædestinationis signum in frontibus portant, qui in devotionis exercitio erga B. V. Mariam & Dei Matrem diligentes ac ferventes sunt. Signū hoc sapiens Ecclesiastes capite vigesimo quarto nobis manifestavit, vbi in persona Dei futuræ Matris sequentia protulit verba: *In me omnis spes vitæ.* Verba hæc de B. Virgine prolata à S. Thom. de Aquino in Opusc. cap. 8. atque à S. Bonau. in speculo cap. 3. intelliguntur. S. Thom. S. Bonan. Ideo S. Aug. ad beatissimam Dei Matrem conversus, serm. secundo de annuntiatione sequentia habet verba: *Tu es spes vnica peccatorū; in te nostrorum est exspectatio præmiorum.* S. August. Et S. Anselmus à S. Bonaventúra in speculo cap. 3. citatus: *Sicut ô Beatissima Virgo omnis à te auersus, & à te despectus, necesse est vt intereat: ita omnis ad te conversus & à te respectus impossibile est vt pereat.* S. Anselm. Sed N. N. bonâ licentiâ vestra; scire vos volo, devotionem hanc non in nuda coronæ rosarij vel officij recitatione consistere, nec huic satis fieri devo-

devotioni, nudo Sabbatorum ieiunio, & alijs bonis operibus in ejus factis honorem, sed abstinentiam à malo, & fugam omnis peccati desiderare. Sic quando lasciviâ tentaris, ejus amore, quæ puritas summa est, consensum recusa: cùm odium versus inimicum tuum ad vindictam te excitat, & vindicandi te occasio datur, ad Virginem conversus dic: O Dei mater! Ecce nunc vindicandi mihi tam commoda præbetur occasio, sed tui amore facere nolo, imò ex toto corde parcam, & iam non vt inimicum odio habebo, sed summo prosequar amore. Cùm occasio tibi præbetur proximi tui laxandi verba, dices: Ob cœlorum Reginæ amoré linguam meam refrænabo, & de proximi mei factis non murmurabo, nec ejus lædam honorem. Hic modus est, devotum se erga Virginem præbendi: & cùm hæc quis fecerit, sat probabile prædestinationis habebit signum.

Nunc ergo N. N. quisquis vestrûm propriam examinare poterit conscientiã, & num signa à nobis adducta apud se reperit, indagare poterit; cùm vt Angelicus Doctor Opusc. capite 6. dicit: *Electionis signum est testimonium conscientiæ nostræ.* S. Thom. Ergo charissime Frater si bonis attendere velis operibus, & vsque ad finem vitæ tuæ, in Dei perseverare servitute non desistas; absque dubio vllo saluus eris, & in prædestinatorum atque electorum numeraberis numero: nam justus est Dominus, qui gloriæ coronam, perseverantibus ad finem vsque non negabit. Et si hanc non apprehendis, non Dei culpa, sed tuæ vecordiæ est, cùm vsque ad finem in cursu tuo non perseveraveris. Ideo cum Sanctissimo Apostolorum Principe redeo, & dico: *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem atque electionem faciatis.* Deus vobis id, quod dixit, concedat, & per suam bonitatem in actum ponendi det gratiam. Ite in pace. Amen.

DISCVRSVS XXXII.

PRO DIE IOVIS POST DOMINCAM PASSIONIS.

ARGVMENTVM,

Prima parte de cognitione peccatorum hujus peccatricis tractatur, & quomodo Dei amoris erga nos consideratio illam in ipsa causarit, & quod cum hominibus conversari Christus summopere delectetur. Secunda parte pro consolatione peccatorum status, ad quem sublevantur pœnitentes, describitur.

Thema.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, vt cognovit, quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrũ vnguenti & stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigere pedes eius. Luc. c. 7.

TOta dolorosa, confusa, lachrymosa nobis exhibetur in hodierno Evangelio peccatrix Magdalena. *Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix:* ecce, quę paulò antè pulchritudinis atque formę suæ prodiga erat, & pomposum excellẽtiæ suæ civitati exhibebat spectaculũ,

ad benedicti Christi pedes prostrata iacet. *Stans retro secus pedes eius.* Ecce quæ ab intus prophani & lascivi amoris flammis ardebat, hodie divino incensa amore æstuat. *Dilexit multum.* Ecce inverecunda & proteruæ frontis in confusam; lasciva in pudicam, licentiosa in modestam, publica peccatrix in exemplum pœnitentię conversa. *Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Et ecce epilogus omnium vitiorum atque peccatorum, compendium omnium virtutum atque perfectionum efficitur. Et hoc virtute cognitionis suorum peccatorum actum atque factum fuit. *Vt cognovit.* Ah si mentem hujus peccatricis penetrare licitum esset, quàm varia conversionis ejus motiua deprehenderemus. *Nam vt cognovit,* iam non amplius puritatis lilium habere, candorem puritatis animæ perdidisse, fragrantiam bonæ famæ in fœtidissimum conversam esse fœtorem. *Vt cognovit,* se quasi ceruam vagabundam prædam factam esse infernalium venatorum. *Vt cognovit* hæc, aliaque plurima mala, in quæ cecciderat, & miserias, quas infamis vita ejus secum adduxerat, protinus resolutionem cepit, fontem puritatis, vt lavaretur, petijt: medicum salutis, vt curaretur, accessit: ante thronum pietatis, vt veniam ac misericordiam obtineret, supplex se prostravit. *Vt cognovit.* Efficacissima motiua hęc ejus fuere conversionis. Sed sit mihi licitum N. N. cum Reverendissimo Atesio tomo quinto suorum Emblem. dicere, cognitionem Magdalenæ, quæ conversionis motiuum exstitit, considerationem profundissimam intensissimi amoris fuisse, quo æternus Deus hominem semper amavit, quem ex nihilo creare & ad similitudinem suam facere placuit, & mirabili providentiâ conservare, & inenarrabili charitate redimere voluit. Horum cognitio atque consideratio, motiuum fuit conversionis Magdalenæ, quæ divinæ gratiæ radijs illuminata, & ejus lumine ad vitæ mutationem: peccatorum, lasciviarum, mundi vanitatum, & inhonestatis ducebatur odio. *Vt cognovit.* Ideo omnis moræ impatiens, protinus ac intellexit, dilectissimum animatum sponsum in Simonis Pharisæi domo recumbere, omni nobilitatis, verecundiæ, & omnium aliarum difficultatum, quæ femineo solent occurrere sexui, respectu seposito, & quicquid mundi erat despiciendo, tota dolorosa, contrita, lacrymosa, Pharisæi petijt domum, & Christo Redemptori festinavit, quem cùm mensæ Pharisæi invenisset accumbentem, approximari, protinus pedibus ejus accumbens, illos apprehendens, osculari & lacrymis rigare, & capillis suis tergere non cessavit. Sic hodierna sacra Evangelica enarrat historia: *Stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius.* quàm admirabiles effectus amoris hîc sunt? Horsum N. N. præsentis discursus mei scopus erit, hæc Magdalenæ cognitio, quam prima parte examinabimus. Secunda parte verò eminentem statum, ad quem pœnitens sublimatur anima, vobis exhibebo. Attendite.

PARS I.

PUNCTUM PRIMUM.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, vt cognovit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius lacrymis cœpit rigare pedes eius. Luc. cap. 7.

DVbitandum non est divinam Maiestatem in se ipsa semper fuisse beatissimam, fœlicissimam, & plenam

Summmus amor Dei erga hominem.

nam omni gaudio atque lætitiâ,nec pro hac suâ felicitate & perfectissimo gaudio creaturæ alicujus opere indiguisse; attamen amor ille quem erga hominem habere se ostendit, tam excessivus semper fuit, vt quodammodo in ejus conversatione ac familiaritate delicias suas posuisse videatur. Sic ipsemet apud Sapientem Proverbiorum capite octavo attestatur: *Deliciæ meæ sunt esse cum filijs hominum.* Sed cur Deus has suas delicias in Angelorum creaturarum nobilissimarum & in gratia confirmatarum agmine non posuit? Doctissimus Hugo Cardinalis hunc considerans & explicās locum, quæstionem solvit, & hujus aviditatis cum hominibus conversandi rationem reddit, dicens, Angelicam naturam, & omnes cælestes spiritus vno *Fiat* factos atque productos fuisse, & sic Deum in illorum productione parum, aut nihil laboris habuisse: sed, cùm hominem formavit, lutum accepit, & prius omnia membra formare debuit! quibus formatis inspiravit in corpus ejus animam viventem & spiraculum vitæ! & vt ad perfectionem hoc suum opus duceret, ipsemet Deus homo factus, & crudelissimos dolores & infamissimam crucis mortem passus est. Verba ejus hæc sunt: *Potius sunt ei deliciæ esse cum filijs hominum quàm cum Angelis per naturæ humanæ participium.*

Prov. c. 8.

Hugo Card. hic.

Rupert. Abbas in Gen. c. 3.

Deuotissimus Abbas Rupertus in Genes. cap. tertio dicit. Deum hominem creasse, & in paradiso collocasse, vt beatissimâ frueretur vitâ, & omnibus abundaret delicijs! imò & ipsum hominem creando sibi pro deliciarum elegisse paradiso. Et cùm homo per divinam iustitiam eiectus paradiso fuit, eundem Deum etiam paradisum, & deliciarum suarum mansionem, id est, hominis conversationē ac familiaritatem perdidisse. Et Theodoretus Anciranus ad nostrum propositum pulchrum adducit conceptum, dicens, Deum, homine de paradiso eiecto, & per peccatum conversatione ejus privatum (ad nostrum loquendi & dicendi modum) non potuisse manere solum, & absque hominis conversatione ac familiaritate, tædio quodā laborasse, & quasi omnia nauseasse, vt inamorato sponso, qui sponsæ conversatione privatur, omnia in tædio & nausea esse solent; ideo consurrexisse, & quasi impatientem moræ homini sic perdito, & fugitiuo se adiunxisse. Verba ejus hæc sunt: *Exultanti & fugitiuo se adiunxit,* ac si dicere voluisset. Tantus in divino pectore erga hominem ardet amor tanto miserum & perditum prosequitur affectu, vt etiam reiectus & repulsus à conversatione ejus redeat, se ipsi adiungat, & conversationem ejus quærat. *Exultanti & fugitivo se adiunxit.* Admirādum certè quid: in paradiso ipsi adstabāt millia & milliones angelici spiritus, summo ipsi ministrantes studio ac fervore, vt apud Danielem Prophetam, cap. 7. habemus: *Millia milliū ministrabāt ei, & decies millies centena millia assistebāt ei.* Sed absque homine solum se esse putabat, & paradisi ac deliciarum locus vacuus & solitudo summa videbatur. Ideo Spiritus S. in describendo Domini adventum, dum perditum quæreret hominem, verbo illo *Deambulare*, vsus est, quod idem est, ac hinc inde ambulare de loco ad locum, nunc huc, nunc illuc se conferre, & inquietum esse, nec locum, qui placeat, reperire posse, qui ambulandi modus inquietudinem ex amore provenientem indicare videtur. Verba Scripturæ hæc sunt; *Et cùm audisset vocem Domini deambulantis ad auram post meridiem* Hugo à Sancto Victore homiliâ in Ecclesiasten hunc considerans locum, dicit Mysterium in illâ deambulatione latere, ac Deum in hoc casu amanti similem fuisse, vel similiter egisse, qui cùm à sponsa, quam procatur, despicitur, & contemnitur, totus iratus discedit, mille facit iuramenta, nec

Theo. Anc. hic.

Dan. c. 7.

Gen. c. 3.

Hugo Victor.

Vt sponsi erga sponsam.

nec quidem imposterum videre velle illam, vel domum ejus. Sed ad quid tot proposita & iuramenta seruiunt? Vix tergum vertit, & domum intueri non valens, sistit, & gradum firmat intra semetipsum, & secum discurrens dicit: Quid agam? redibóne ad domum hanc? accedámne iterum amasiam meam, & supplex pro pace insistam? sed non convenit; nam me despexit & contempsit. Attamen quia amans est, & amor obiecti in animo ardet, vincit omnes humanos respectus, ideo resolutione captâ denuo versus domum ejus pergit, & si non intrat, stat saltem à longè, & quandoque domum obambulans, magnam fingens iram atque coleram, intra semetipsum dicit: Forsan cùm me sic tristem, melancholicum, & iratum pertransire deprehenderit, sui recordabitur erroris, & pœnitentiâ inductâ ad vocandum me ancillam mittet, & amoris mei exhibiti ingratitudinis ejus demonstratæ veniam deprecabitur, & iterum erimus amici: ipsa dilectissima erit sponsa, & ego ejus charissimus manebo sponsus. Eodem modo (dicit Hugo de Sancto Victore) Deus ab Adamo per inobedientiam contemptus & despectus discessit, & paradisum, vbi habitabat Adam, deseruit, intra semetipsum dicens; Possibiléne est, Adamum, quem tantopere dilexi, & tot amoris mei exhibui signa, ita me deseruisse ac despexisse? pœnitet me fecisse hominem & creasse eum; ecce delebo eum, & annihilabo. Et ecce redit amor, redire facit Deum in paradisum, vbi non rectâ ad Adamum pergit, sed prata & florida transiens loca deambulabat ad auram, varias tantæ ingratitudinis lamentationis emittens voces, dicens: *Adam, Adam vbi es?* ac si diceret: O ingratus Adam! quid egisti, cur tanto contemptu tantum meum compensas amorem? *Adam, Adam vbi es?* ecce adsum, ecce obambulo; redeas in temetipsum, & errorem tuum cognoscens, ad eum, qui te amat, redire ne differas. Ah quam excessiuus Dei amor erga hominem ingratum fuit! ideo deserere eum penitus voluit, & non procul elongatus protinus ad ipsum rediјt, intra semetipsum sic discurrens: Forsan me iratum videns, & sic deambulantem cernens, ad semetipsum rediens, errorem cõmissum agnoscet, & pœnitentiâ ductus veniam deprecabitur, & sic antiqua fruar societate, & Adamus mihi dilectissimus erit paradisus, atque deliciarum hortus & ego ejus amantissimus ero Deus. Verba nunc Hugonis percipere lubeat; nam digna sunt omni attentione: *Cùm deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiẽ, vocavit & dixit: Adam vbi es? non ambulavit, sed deambulavit. Quid est deambulavit? huc & illuc quasi vagabundus & vagus in directum non vadens, pergens quocunque, hoc est, deambulavit? Abiјt & non abiјt: modò vadens & modò rediens; ac redire velle indicat, si fortè invitetur vt veniat.* Ecce N.N. ad quem terminum Dei pervenit amor, quantam auiditatem nostræ ostendit societatis, offensus graviter & contemptus, despectus non discedit, reiectus nos non relinquit, & quasi amans & amore æstuans amatum obiectum deserere non potest. Meritò ergò dixit: *Deliciæ meæ sunt esse cum filiјs hominum.* Sed non mirum, dicit Sanctus Nazianzenus, Deum tanto amore erga nos ardere, & tantopere nostram desiderare societatem atque conversationem: nam deliciæ ejus sunt homines, & absque societate eorum vivere non posse videtur. *Deus nos pro deliciјs habet.*

Gen. cap. 3.

Prov. cap. 8.

S. Greg. Nazianz. Orat. 22.

Nunc difficillimum illum scripturæ locum Apocalypsis capite quinto intelligere poterimus, qui sic habet: *Agnus qui occisus est ab origine mundi.* Erat Christus immaculatus agniculus, & principio mundi & puncto ac momento illo, quo homo peccavit, & cœli perdidit hæreditatem, promptus incarnari, vt cum homine

Apoc. cap 5.

Quantopere Verbum Divinum desiderabat incarnari statim post peccatum.

mine denuo, cujus conversatione per peccatum privatus fuerat; conversari ac ejus familiaritate frui liceret, in passionem ac mortem crucis consentit, & cum divina Iustitia hanc ejus resolutionem per tot secula differret, & Incarnationem ejus executioni mandari prohiberet, omni momento & singulis horis desiderio incarnabatur, patiebatur, ac moriebatur. Hanc moram *Psalm.* 88. Christo fuisse violentam Serenissimus Rex David verbis illis Psalmi octogesimi octavi indicare voluit, dicens: *Distulisti Christum tuum.* Et sic Verbum divinum ante incarnationem, cùm moram facere divinâ cogeretur justitiâ, varijs modis seipsum consolabatur, & moram illam non tam morosam reddere nitebatur; ad quem finem per Prophetam Isaiam se vocari fecit *Emmanuel*, quod idem est, ac *Nobiscum Deus*, id est, æternum Verbum est Deus, qui incarnari, vivere, & conversari cum hominibus debet. *Emmanuel nobiscum Deus*, secum discurrendo, & hanc moram considerando seipsum consolando homines alloqui videbatur, dicens: *Levit. c. 26.* *Ponam tabernaculum meum in medio vestri: ambulabo inter vos & ero vester Deus.* Isichius Hierosolymitanus hic à glossa citatus, hunc vertens locum, habet, *Isic. Hierosol. hic.* *Homo factus*; ac si dixisset: O homines! quia tenerrimè vos amo, & quantocyus, vt vobiscum esse valeam, incarnari desidero, veniam quantocyus, & domum atque mansionem in medio vestrûm mihi præparabo, & vobiscum habitare, conversari, & vestrâ vti familiaritate volo. *Ambulabo inter vos homo factus.* Tunc me vestrum Deum totum consolatum & satisfactum æstimabo: *Et ero vester Deus.* *Tert. de Resurr. carnis,* Doctissimus Tertullianus de Resurrectione carnis hoc summum desiderium quo æternum tenebatur Verbum, considerans, dicit, ad satisfaciendum illi ex parte nonnunquam aëreum, & phantasticum, vt Angelici solent Spiritus cùm nobis apparent, corpus assumpsisse, & quasi carne vestitum hominibus apparuisse, & cum illis conversatum fuisse, & hoc modo ex parte ardentissimo cum hominibus conversandi desiderio, satisfaciebat. Et non defuerunt, qui in hoc sensu verba illa Proverbiorum capite octavo exposuerunt: *Ludens coram eo omni tempore; ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Et Sanctus Ambrosius libro secundo de fide capite quarto *S. Amb. l. 2. de fide c. 4.* hoc summum incarnati Verbi cum hominibus conversandi desiderium ponderans, causam sumpsit opinandi atque dicendi, hospitalitatem illam, quam Abraham tribus peregrinis ad se divertentibus, pedes eorum lavando exhibuit, non Patri, non Spiritui sancto, sed Filio, qui in formâ peregrini & carnis ad ipsum diverterat, & visitaverat, exhibuisse. Et quis scit, an non *Ioann. c. 8.* dicere hoc volebat Redemptor noster, cum dixit Ioannis capite octavo: *Abraham exultavit, vt videret diem meum; vidit & gavisus est.* *S. Aug. q. ex vet. T. q. 39.* Et Sanctus Augustinus quæst. ex vet. Test. quæstione trigesimâ nonâ sequendo Sanct. Dionysij Areopagitæ opinionem, judicat iuvenem illum *Gen. c. 32.* cum Patriarchâ Iacob luctantem, vt Genesis cap. 32. narratur, non angelum, aut aliquem alium fuisse spiritum, sed magnum illum summi consilij Angelum, secundam personam Sanctissimæ Trinitatis, quæ humanæ carnis formâ assumptâ cum Iacob certabat, & certando delectabatur, & quasi dulcissimâ conversatione se recreabat, & per integram detinebatur noctem; ideò dixit: *Colluctâs Iacob cum Salvatore, Deum esse intellexit, quem specie corporis videbat.* Sic *S. Dionys. l. 2. de diu. Nom.* qui Moysi in rubo ardenti apparuit, S. Ambrosius in epistolâ ad Colossenses, *S. Amb. in Epist. ad Colossenses.* eundem fuisse opinatur. Et Sanctus Chrysostomus homiliâ de tribus pueris putat æternum Verbum fuisse, quod carnis

carnis forma assumpta sub specie juvenis dulciter cum ipsis in flammarum medio conversabatur & eorum familiaritate delectabatur. Et si in sæculo

Gen.cap.6.

illo nequissimo, quando omnis caro corruperat viam suam, aliquis justus reperiebatur, vt Noe, protinus ipsum accedebat, & domesticè ac quàm familiarissimè cum ipso conversabatur. *Et deliciæ meæ sunt esse cum filijs hominum.* Vt Iosephi frui valeret consortio & ejus gaudere posset conversatione ac familiaritate, obscuros non horruit carceres, & fœtida non declinavit loca, & in vinculis adhæsit ipsi. *Descenditq; cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum,* sacer habet Textus.

Orig. in Psal. 138.

Quem locum ponderans Origenes, sequentia habet verba: *Constituto in carcere membro mystico, ipse non est solutus à carcere,* vt Serenissimi Davidis Regis conversatione gaudere valeret, locus non erat, quò se verteret, in quo Deum secum esse non deprehenderet. Sic ipsemet Psalm. centesimo trigesimo octavo attestatur dicens: *Si ascendero in cœlum, tu illic es: Si discendero in infernum, ades.* Quid sibi, ô immortalis Domine! tanta mecum indicare vult vagatio? si altissimorum montium cacumina ascendo, illuc te mecum esse deprehendo: si in profundissimis foveis & in inferioribus terræ partibus me abscondo, te mecum esse reperio: vel si contemplatione cœli penetro ianuas, & ibi tua contemplar magnalia mecum es: si cogitatione inferni penetro claustra, & tuæ severissimæ justitiæ intueor effectus, mihi ades. Ergo dicamus: *Deliciæ meæ*

Cant.cap.8.

sunt esse cum filijs hominum. Nam tam excessivos Dei amoris erga hominem ab initio mundi habuimus effectus, vt (ad nostrum loquendi modum) conversatio hominis atque societas, Deo paradisus esse videatur.

S.Amb.l.1. Hexamer. cap.9.

Et hæc tam manifesta veritas est, vt Sanctus Ambrosius libro primo Hexameron, capite nono mundi considerans creationem, & in paradisi creatione, qui tertiâ creationis die secundùm communem opinionem Doctorum productus, atque divinâ manu plantatus esse creditur, observat, nullatenus nisi post hominis creationem, quem in illo posuerat, paradisum nominari, vel mentionem ejus fieri. Legite Genesis caput secundum, & verum esse deprehendetis.

Gen.cap.2.

Dicit Scriptura: *Formavit Deus hominem.* Et protinus subiungit: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat.* Causam hujus fuisse dicit, quòd nondum in illo collocaverat hominem, tam pulcherrimam creaturam, in cujus conversatione tantoperè Dominus delectabatur: Ideo ante collocationem hujus paradisi, qui recreationis & gustus dicitur locus, nomen minimè reperitur. Verba ejus hæc sunt: *Iam paradisus consitus erat, sed quamdiu homo non extitit, Dei voluptatis paradisus non erat: vbi primum autem homo creatus est, Dei paradisus nominatur: deliciæ enim eius sunt esse cum filijs hominum.*

Hanc satisfactionem vel gustum, quem Deus in hominis conversatione ac familiaritate habet, sat septimi diei quiete demonstravit: *Et requievit die septimo ab vniverso opere, quod patrarat.*

Gen.cap. 2

Ac si dicere voluisset: Iam totus lætus ac contentus quiesco, & ab vniverso cesso opere, quia hominem habeo, cujus conversatione summo gustu fruor; ideò hac consideratione commotus, in gratiarum prorupit vocem, dicens: *Gratias Domino Deo nostro, qui huiusmodi opus fecerit, in quo requiesceret: fecit cœlum, & non lego, quòd requieverit: fecit solem, lunam, stellas, nec lego, quòd ibi requieverit, sed lego quòd fecerit hominem & ibi requieverit.*

Idem ibid. cap. vlt.

Hunc N.N. eminentissimum erga hominem Dei amorem considerando peccatrix Magdalena, *vt cognovit,* commota fuit ad pœnitentiam

& tota

& tota contrita & dolens de commissis erroribus, ad benedictum Christum cucurrit lacrymando, confitens peccata sua petijt veniam, atque illam etiam obtinuit. *Remittuntur tibi peccata.* *Luc. cap. 7.*

Amor filij Dei post incarnationẽ erga homines.

Sed vltra in divini amoris flammarum consideratione pergamus & novos Æthnæ montes erga hominem amoris spirantes flammas deprehendemus. Venerat plenitudo illa temporis, quâ Verbum incarnari debuit, & terminus adventûs ejus in hunc mundum, vt cum hominibus conversaretur, determinatus fuerat, & oraculũ illud apud Baruch capite tertio verificari debuit: *Et post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Venit & adfuit, sed minimè duorũ vel trium hominum conversatione contentus fuit, vt Evangelista Matthæus capite decimo octavo habet: *Vbi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum*; sed turbam discipulorum, & multitudinem Gentium ac populorum volebat pro suâ habere conversatione. Sic apud sanctum Lucam capite sexto habemus: *Et turba discipulorũ eius & multitudo copiosa plebis, ab omni Iudæa & Ierusalem & maritima, & Tyri & Sidonis.* Imò tam ingens desiderium cum hominibus conversandi & incensus erga ipsos erat amor, vt mundus integer pro refrigeratione ejus requireretur. Sic S. Ioann. capite duodecimo attestatur dicens: *Totus mundus post eum abijt.* Ergo mundũ totum, & hunc hominibus plenum pro suâ voluit habere conversatione, vt & abundantiùs delitijs & gustibus, quos divinus ejus amor in hominum reperiebat conversatione, ac familiaritate, frui liceret.

Baruch c. 3. *Matt. c. 18.* *Luc. cap. 6.* *Ioan. c. 12.*

Ioann. c. 1. Cùm Christus Dominus discipulorum suorum ordinaret congregationem, fratres Petrus & Andreas casu Christi accesserunt domum ac ejus dulcissimâ conversatione per noctem & diem, vt sanctus Ioannes capite primo attestatur, gavisi sunt, *Venerunt, & viderunt, & apud eum manserunt die illa.* Sanctus Augustinus tractatu tertio in Ioannem, considerando hanc gratiam à Christo Apostolis factam, in sequentia prorupit verba: *Quam beatam diem duxerunt, quam beatam noctem? quis est qui nobis dicat, quæ audierunt illi à Domino?* Et ego dico, noctem illam & diem illam magis beatam Christo quàm Apostolis fuisse: nam gaudium, & consolatio, quam Christus de Apostolorum habuit conversatione, multò maior Apostolorum fuit, quod ipsi ex Christi habuere colloquio. *S. Aug. tra. 3 in Ioan.*

Et vt veritas hæc clarior & manifestior appareat, & gustum, quem Christus ex hominum habuit conversatione, percipere valeatis; considerate anxietatem, quâ Christus homines per silvas, deserta, villas, civitates, campos & montes ad conversandum cum ipsis inquisivit: cùm tempore illo, quo sanctam suam intimabat Doctrinam, semper in continua hominum versabatur multitudine, nec solus, exceptis tribus vicibus, quas vices, vt quid rarum & singulare in Christo sancti Evangelistæ notarunt, absque hominum conversatione repertus fuit. Apud S. Ioannem capite sexto, deprehendo, Christum solum & solitarium in monte morari. *Fugit iterum in montem ipse solus.* *Ioan. cap. 6.* Et hæc solitaria mansio summa Christo fuisset mortificatio, nisi ex altera parte hominis vtilitas ipsum ad hanc solitudinem instigasset; & gravissima ipsi fuisset, nisi bonum exemplum quod hominibus in honoribus fugiendis (nam ipse ne Rex fieret, fugerat) præbere prætendebat, alleviasset. *Iesus ergo, cùm cognovisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Apud sanctum Matthæum capite decimo quarto etiam solum & quidem orantem, & divinæ contemplationi intentum reperio. *Ascendit in montem solus orare*: & hic

Christus non nisi tribus vicibus solus fuit. *Matt. c. 14.*

hic recessus sat ipsi fuisset durus, nisi intentio ejus, quæ erat in hominibus, orationis amorem excitare, & illis solitudinis commoda atque vtilitates exhibere mollificasset.

Terciâ vice solum describit sanctus Marcus capite sexto, cùm Apostolis piscantibus solus ad ripas maris apparuisset. *Erat navis in medio mari, & Iesus solus in terra.* Et quia hæc solitudo durissima & summa mortificatio erat, impatiens moræ, quoadusque navis cum discipulis, quorum conversationem anxiè anhelabat, ad littus perveniret, mare ascendit, supra vndas ambulat, & navim intrans, dulcissimâ illorum reficitur consolatione. Sic attestatur sacer textus: *Venit ad eos ambulans supra mare.* Ne solus esset, & multorum privaretur conversatione, publicanorum admittit consortium, cum ipsis conversatur, bibit & manducat, & peccatores in suam recipit societatem. Sic sanctus Lucas eum egisse capite decimo quinto refert: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Imò ipsemet sponte non invitatus, illos insequitur & seipsum invitat, & manducare & conversari cum illis velle insinuat. Sic eum egisse describit idem Evangelista: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere.* Citò Zachæe de arbore, in quâ sedes, descende, & portas domûs tuæ aperi, quæ tecum manducare, conversari, colloqui, & dulcissimo frui consortio intendo, *Oportet*, ô dulcissime Iesu! quale verbum hoc est *Oportet*? & quid indicare prætendis cum illo *oportet*? & quid opus habes peccatore? Nunquid Deus ille es, cui nihil deest, & ipse omnia bona mundi & cæli contines, & vsque in æternum indigentiæ alicujus notâ laborare non potes. Sic attestatur serenissimus Rex David Psalmo decimo quinto, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Nónne tu Deus ille es, qui dat omnibus affluenter, vt sanctus Iacobus epistolâ suâ capite primo attestatur. Ad quid ergo *oportet*? quæ necessitas te cogere poterat, peccatorum intrare domos & illorum consortium atque conversationem tam anxiè inquirere? Amor fuit Dei, hic ipsum cogebat, hic *oportet* in illo causabat; amor hic intensissimus, quo homines amabat, differentias nesciebat, & tam anxiè indifferenter hominum consortium inquirere vrgebat; ideò *oportet* me manere.

Luc. cap. 19.

Non potuit sine hominibus esse.

Psalm. 15.

Iacob. cap. 1.

Maximi & intensissimi amoris erga hominem hæc fuêre signa in Christo; sed passionis ejus tempore multò manifestiora habuimus signa. Vnicum tantum factum à S. Luca capite vigesimo secundo adducam. Intrat Salvator mundi hortum Gethsemani, orationis ac contemplationis & Redemptionis negotium cum æterno Patre tractandi causâ: vult in societate suâ habere Petrum, Iacobum, & Ioannem, quos ab alijs segregaverat. Conveniens erat, aliquantulum ab ipsis separari, quod & fecit, & aliquantulum ab ipsis separatus solus orabat. Ah N. N. vultis scire quàm dura hæc separatio Christo fuerit? verba Evangelistæ, quibus illam describit, observate & separationis examinate modum. Verba hæc sunt: *Ipse autem auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis.* elongatus est ab eis; sed in hæc elongatione quasi arbor, quæ de solo suo eradicatur ac evellitur, summam passus est violentiam, *auulsus est.* Sed si causam tanti doloris in Christo in hac separatione percepti, scire desideratis, verba Iansenij in Concord. Evangel capite centesimo trigesimo septimo audire lubeat, quæ hæc sunt: *Non enim amor patiebatur cum longè auelli*, ac si dicere voluisset: Amor ille intensus, quo benedictus Christus erga hominem semper æstuavit, nullam separationem etiam si brevissimam & sat vicinam admittere poterat. *Non enim amor patiebatur eum longè auelli.*

Luc. c. 22.

Ians. in Concord. Evang. cap. 137.

Sed

Sed quid sanctus Bonaventura in stimulo divini amoris parte secundâ cap. 2. de divini amoris excessu habeat, percipere vobis lubeat: Passus fuerat æterni Dei Filius ignominiosissimam mortem, & ob hominis amorem & redemptionem crudelissima toleraverat tormenta, & iam victor tertiâ die surrexerat. potuisset tum statim gloriosus Redemptoris ac Salvatoris decoratus honoris titulo cælos penetrare; at non fecit: sed adhuc spatio quadraginta dierum cum hominibus conversari voluit; nam durum ipsi, hominum, quorum summo tenebatur amore, carere consortio videbatur. Audite Doctoris verba, qui ad Christum conversus, sic ipsum alloquitur: *Postquam surrexisti, voluisti adhuc quadraginta diebus homini apparere, & te ei palpabilem tribuisti. O quam mirabilis est tua dilectio, dulcissime Domine Iesu, cùm non possis ab hominibus separari.*

S. Bon. in stimulo div. amor. p. 2. c. 2.

Et cùm tandem in terris homines derelinquere & cælos ascendere vltra differre non potuisset, ne solus absq; hominum consortio in cælis esset, innumerabilem hominum numerum resuscitavit, & vt S. Aug. tractatu quinquagesimo primo in Ioannem notat, beatificavit, & sic gloriosos secum ad cælos adduxit, & infinitum numerum aliorum singulos expectat dies; ideo ex jussu ejus portæ sanctæ civitatis illius semper patent, & nunquam clauduntur; vt illam vidisse S. Ioannes Evangelista Apocalypsis capite vigesimo primo attestatur. *Et portæ eius non claudentur per diem*, vt non tantum justis, verùm etiam peccatoribus perversissimis conversis aditus pateat, quos non tantùm promptus recipit, verùm etiam ad intrandum invitat; Vt ipsemet de se apud Sanct. Matthæum capite nono attestatur, dicens: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.*

Apoc. c. 21.

Matth. c. 9.

Rex ille Evangelicus apud Sanctum Lucam capite decimoquarto ad nuptias suas vocavit *pauperes, debiles, cæcos & claudos.* Peccatores, vt sanctus Augustinus sermone trigesimo quarto de Verbis Domini docet, sunt hi defectuosi, quos serenissimus Rex paradisi ad nuptias cœlestis suæ gloriæ celebrandas invitat. Ipsi sunt miseri, pauperes, mendici & nudi non habentes pulcherrimam gratiæ vestem. Ipsi sunt debiles; nam opus dignum paradiso facere nequeunt. Ipsi sunt cæci, quia periculum æternæ damnationis, in quo versantur, minimè apprehendunt & vident. Ipsi sunt claudi, quia nec passum in salutis viâ procedere possunt. Hos & tales benedictus Deus ad suas invitat nuptias, & gratiâ suâ prævenit, & ex pauperibus divites facit; & tam divites, vt pœnitentiâ æternam sibi possint emere salutem. Debilibus in virtute dat vires contra dæmones pugnandi, & de ipsis triumphantes adiuuat. Cæcis reddit visum, id est, mentes illorum illuminat, & animi aperit oculos, vt finem, ad quem creati sunt, inspicere valeant. Claudos celeriores cervis facit, vt ad misericordiæ fontem currere, & meritis illius æternam possint obtinere gloriam, & paradisi intrare portam. Ecce viuum in peccatrice Magdalena habes prototypon, quæ hodie mediante divino lumine, & gratiâ præveniente ad nuptias vocatur. *Vt cognovit*, protinus ad Pharisæi accurrit domum, & velut sitibunda cerva ad salutis fontem celerrimis festinavit passibus. Quò cùm pervenit, ad Christi prostrata pedes tota contrita & confusa amarissimis lacrymis deflens peccata, summâ cum humilitate petijt veniam suorum peccatorum. Sic S. Lucas capite septimo attestatur: *Stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius.*

Luc. 14.

S. Aug. ser. 34. de Ve. Dom.

Luc. cap. 7.

Sed alia mirabiliora percipere placeat. Considerate, quæ Christus non agat & aggrediatur, vt cum hominibus in cælis, & vt peccatores in suo consortio in regno cælesti habere valeat,

leat. Reperiuntur inter homines, tam perversi, stolidi, & in propria malitia tam obstinati, qui etiamsi dulcissimâ tot gratiarum voce, ad divinas inviten-tur nuptias, surdi manent, & tot Dei voces audire nolentes, ad paradisi nuptias venire se posse excusant. Sic apud Sanct. Lucam capite decimo quarto reperietis similes invitatos egisse: *Habe me excusatum.* Sed quid divina agit pietas horum deprehendens stolidam malitiam? Et quam resolutionem de his, quos perdi non vult, divina capit misericordia? *Compelle intrare, vt impleatur domus mea*: & sic, vt ipsorum frui valeat consortio, quosdam tangit varijs tribulationibus; alios percutit adversitatibus: quosdam flagellat gravissimis infirmitatibus; alios intolerabili castigat paupertate, & his ac alijs varijs modis malam vitam mutare compellit, & ad nuptias cœlestis gloriæ intrare cogit: *Cõpelle intrare, vt impleatur domus mea.* Conceptus hic N. N. Sancti Gregorij Papæ est, qui libro nono moralium capite tertio sequentia habet verba: *Adhibet interdum flagella, vt quos non emendarunt beneficia, calamitates corrigant.* Et Sanct. Hieronymus epistolâ octogesimâ tertiâ ad Castr. in quâ laudes divinæ struit misericordiæ dicit: *Misericors Deus, à quo etiam tribulatio beneficium est.* Percipite, & aures vestras erigite peccatores, & intelligite, quàm misericors sit Deus vester, qui tribulationes, quibus vos flagellat, ad vestrum bonum vobis immittit; & adversitates in gratias & beneficia mutare novit: nam cum his vos flagellare videtur, summum vobis beneficium confert; his enim quasi flagello ad regales suas nuptias intrare compellit. *Compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Tantus est amor Dei vestri quo ab æterno hominem amavit, vt felicem & beatum se æstimet, cùm ipsi ejus concedi tur consortium, & conversandi potestas datur.

Luc. cap. 14.

Imò Deus vt peccatores apud se habeat, eos compellit ex amore.

S. Greg. l. 9. Moral. c. 3.

S. Hier. epist. 83. ad Castr.

Sed N. N. quâ ecstasi humanum non rapitur cor, cùm contemplationis medio abyssos pietatis Dei considerat. Condemnatus erat homo ob crimina & scelera sua commissa, vt Sanctus Anselmus libro, *Cur Deus homo*, ponderat ad flammarum, tenebrarum, & omnium miseriarum carceres, & quo se redimeret, non habebat pretium, nec Angelus aut homo aliquis ad liberandum ipsum sufficiens erat, nec de his eum miserijs poterat liberare; & ecce divina pietas atque bonitas, æterni patris tam misero & derelicto occurrit, & proprium pro Redemptionis pretio offert Filium, dicens: Ecce homo, Filium meum cape, vt tot tantisque miserijs ac calamitatibus te liberare valeas, in prædam tibi trado omnium tormentorum. Verba S. Anselmi hæc sunt: *Quid misericordius intelligi valet, quàm quod peccatori æternis tormentis deputato, & vnde se redimeret non habenti, Deus Pater dixit: Accipe unigenitum meũ & da pro te, & Filius dixit: Tolle me, redime te.* Et Eusebius Emissenus homiliâ secundâ de symbolo hunc excessum Dei amoris erga hominem considerans quemcunque nostrûm sequentibus alloquitur verbis: *Quàm prævisus sis: si factori fortè non credis, interroga Redemptorem.*

S. Anselm. l. Cur Deus hom.

Eus. Emis. hom. 2. de symbolo.

Hæc ergo N. N. excessivi divini amoris erga hominem consideratio peccatricem Magdalenam commovit, & vitam malam in bonam ac sanctam mutare fecit: & cùm periculum animæ suæ cognosceret, anxia, sanctâ quâdam verecundiâ & piâ audaciâ inducta ad Salvatorem currit, & ipsum quærit: & cùm eum in domo cuiusdam Pharisæi, à quo invitatus fuerat, invenisset, humiliter ad pedes ejus prostrata, peccatorum suorum veniam atque indulgentiam petijt. *Stans secus pedes eius.* Piè licet mihi credere N. N. Magdalenam, cùm retrò secus pedes Domini prostrata cubaret, similem in mente suâ formasse discursum: Non convenit ante faciem Domini

&

& in præsentiâ eius me sistere, quem toties tam enormibus offendi sceleribus; ideo retro secus pedes ejus me sisto: scio enim locum magis proportionatum pro peccatoribus his reperibilem non esse, quos toties illos in sequendo & inquirẽdo & luto fœdavit & sanguine madefecit. Sic sancta peccatrix ad pedes ejus cadens & apprehendens illos, *lachrymis cœpit rigare pedes eius*; vt Sanctus enarrat Evangelista: nam virtus illorũ ad peccata delenda ipsi manifesta erat. *Et osculabatur pedes eius*. Dabat peccatrix castissima oscula pedibus Salvatoris, & credo ipsam reiteratis vicibus dixisse: O sancti ac beatissimi Salvatoris pedes, vos non deseram, nec derelinquam, nisi peccatorum meorum totalem obtinuero remissionem, & sic quos lacrymis rigabat, *capillis capitis sui tergebat*. His capillis, quibus vt dæmonum erat vsa retibus, & ad capiendas animas vanitatis fuerant laquei, nunc in ministerium Christi pedum convertit, & pedes illius lacrymis proprijs totos extergit, & tandem pretiosis vngebat vnguentis. *Et vngendo vngebat*. Ideò digna facta est, & meruit ex Christi ore sequentia audire verba, *Remittuntur tibi peccata*.

Quid placuerit Christo singulariter in Magdalena.

Luc. cap. 7.

Ergo N.N. supra omnia in Magdalenâ prævaluit divinus amor, *quoniam dilexit multum*. Et nos cur tam frigidi sumus? & similiter in nobis divinus hic amor non prævalet? Quæ non fecit hic benedictus Christus noster, pro amore nostro, & quis est, qui hunc amorem simili (cùm nil aliud velit) amore recompensare studeat? Audite Sancti Bernardi sermone octavo in Cantica circa hanc materiam opinionem, qui sic habet: *Nam cùm amat Deus, nil aliud vult, quàm amari: quippe non ob aliud amat, nisi vt ametur.* Et Sanctus Augustinus in soliloquijs capite vndecimo ad Deum conversus, sequentibus ipsum alloquitur verbis: *Sic planè, sic tu amasti nos prius, vt amaremus te.* Et deinde se ipsum, quasi indignatus alloquens; non enim satis redamare ipsum Deum sibi videbatur, sic dicit: *Pudeat non redamare pro tanto amore tuo; pudeat & vehementer pudeat.* Ah maledictum sit tempus illud, quo te non cognovi nec amavi. *Væ tempori illi.* Communi dici solet proverbio, *Magnes amoris est amor.* Nam qui amat, fortissimis vinculis amarum ad se trahit objectum, & cor ejus sibi alligat; & tamen corda nostra tanto non trahuntur amore, & tot fortissimis, & efficacissimis vinculis Deo non alligantur. De quâ miseriâ nostra non parum Sanctus Bonaventura in stimulo amoris conqueritur: *Totus amore circundatus sum & igne, nec tamen amo nec ardeo totus*: id est vndique, dum respicio, amoris divini deprehendo effectus, totus circumvallatus amoris igne, & in medio ardentissimæ Incarnati Verbi charitatis fornace cõstitutus sum; attamen cor hoc meum infelicissimum ac instar glaciei frigidissimum tanto non exardescit igne; nunquid intolerabile quid omni videtur amanti? Ideò idem parte secundâ, capite secundo, in stimulo divini Amoris sequentia habet verba; *O cor non cor! ô corpus quàm lapideũ quomodo non ardes amore, cum lapis igne liquefiat!* O cor saxo durius! nam hoc caloris virtute dissolvitur atque emollitur, & tu tot ignibus circumdatum non calesis, nec caloris ostendis signum. Et sic concludendo Seraphicus Doctor hanc suam lamentationem, dicit: *Quis dabit mihi cor lapideum, vt liquefiat, cùm cor carneum sit adeò durum* ô infelices, qui amore non recompensatis amorem. Divinus amor ignis consumens, & qui devorat omne sibi obvians: & ecce non est tantæ virtutis in vobis, vt tantisper vos calefaciat, & vnicum caloris alicujus extrahat suspirium.

S. Bernard. ser. 8. in Cant.

S. Aug. in Soliloq. c. 11.

S. Bonã. in stimulo amoris.

Idem p. 2. c. 2. in stim. diu. amoris.

Ah Magdalena! qualem ignem divini amoris in corde tuo accensum video?

hic

Can. cap. 8. hic nec extingui nec refrigerari potuit: Ideo meritò verba illa Canticorum capite octavo tibi convenire cogito: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Et non tantùm ignis amoris in illa minimè extinguebatur, verùm etiam crescebat, & augmentabatur, nec aliter evenire poterat; nam absque intermissione summâ familiaritate cum Domino, qui magnes erat amoris, conversabatur, cùm in alienâ decumberet domo, lacrymis pedes ejus rigabat, & osculari non cessabat. Cùm ad propriam divertebat domum ad pedes ejus sedens, dulcissimo ejus fruebatur amore; *Stans retrò secus pedes eius.* his adhærebat & deserere hos nesciebat: recordabatur enim ad ipsos se peccatorum obtinuisse veniam, & salutis sibi esse apertam portam. Et tandem horridum ingressa desertum, omnium hominum fugit conversationem atque commercium, vt ibi diligentior in sponsi sui Christi contemplatione, & in castissimis præbendis osculis ferventior esse valeret. Sic & vos peccatores agere satagite, & hanc sanctam peccatricem tam ad Christi pedes veniam supplicantem, quàm dulciter in brachijs ejus accumbentem, & castissimi amoris præbentem oscula, imitari studete. interim quiesco.

PARS II.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vidimus primâ parte, Auditores, quomodo Dei amoris erga hominem, & illorum, quæ amore ejus egerat, cognitione mediâ vitam mutaverit, atque de peccatrice peccatorum patrona effecta sit Magdalena. *Luc. cap. 7.* *Vt cognovit.* Nunc ad animarum nostrarum profectum, atque consolationem, eminentem statum, ad quem pœnitens atque conversus peccator sublimatur, breviter considerabimus. In cujus veritatis probationem hoc vnicum dicere sufficerit, Magdalenam, quæ pœnitentiæ effecta fuerat speculum, tantum apud Dominum promeruisse amorem, vt protinus cuncta illius dimitteret peccata, dicendo ipsi: *Remittuntur tibi peccata*: attamen peccata sua deflere minimè cessavit; sed, quod admirandum est, horridum desertum ad Massiliensem civitatem situm, petijt, & in illo arctissimam egit pœnitentiam, & per triginta annos continuò amarissimis lacrymis peccata, lascivias, superbias, vanitates, atque errores commissos deflere non cessavit. Sed ô Dei bonitas! dum sic peccata deflet, & contrita dolet, Angelici de cælis mittuntur Spiritus, quorum manibus ad altiores aëris & cæli vsque fenestras septies in die elevabatur, & Angelorum dulcissimâ musicâ fruebatur ac consolabatur. Horsum N.N. pro peccatorum consolatione dico: sint peccata vestra, quibus divinam offendistis Maiestatem, gravissima, sint tot numero, quot stellæ cælum ornant, quot arenæ granula maria includunt, si conversi fueritis & vitam toto corde mutare cœperitis, protinus vobis à divinâ bonitate remittentur, & ad pristinum innocentiæ statum, ac si nunquam Deum offendissetis, Dei vos sublevabit misericordia.

Ad quem statum peccator conversus elevetur.

Mentiri me, & veritati aliquid contrarium dicere in hac materia Ecclesiastes capite quadragesimo nono minimè permittet, qui cùm contra omnes serenissimos Israelis Reges processum formaret, atque licentiosum & scandalosum ipsorum argueret agendi & vivendi modum, sequentia dicit verba: *Præter David, & Ezechiam, & Iosiam omnes Reges peccatum commiserunt.* Admirabile *Eccl. c. 49.* certè hoc Ecclesiastici dictum est. Quis nostrûm ignorat, peccata à serenissimo Rege David, dum populum regeret, commissa fuisse gravissima, vt adulteriũ, homicidium, superbiam, & scandalum datum

datum populo. Sic quoque Ezechias & Iosias, vt sacra atrestatur historia, vanâ gloriâ peccarunt. Quomodo ergo Spiritus sanctus per os Sapientis eos de peccatorum delet libro, & ac si non peccassent, innocentiæ titulo inscribit. dicens: *Præter Dauid & Ezechiam & Iosiã, omnes Reges peccatum commiserunt.* Glossa ordinaria in hunc locum diuinam adducit responsionem, dicens, Ecclesiasten hoc loquendi modo pœnitentiæ meritum ab his factæ indicare, & exhibere voluisse, quæ ad omnem maculam delẽdam per pecatum animæ impressam sufficientissima est. Verba glossæ sunt hæc: *Hi tres comparatione aliorum non dicuntur peccasse: quod enim peccauerunt, condignâ pœnitentiâ deleuerunt, & deuotione & pietate Deo placuerunt.* Glossa hic

Et vt excellentiores pænitentiæ effectus vobis exhibeam, N. N. scire debetis, peccatores citra veniam, quam, dum conuertuntur, pœnitentiæ medio obtinent, ad multò maiora merita & altiores gratiæ gradus resurgere. Pro cuius veritatis probatione Samaritanæ fœminæ illius historiam apud sanctum Ioannem c. 4. inspicere iubeat. Quæ cũ ad puteũ seu fontem Iacob ad ciuitatis terminos pergeret, fortunâ sic fauẽte Christũ fontem aquarum viuentium ad illum sedentem reperit; dico gratiarum fontem, cuius aquas cùm gustasset, protinus suos cognouit errores, confessa est sua peccata, de malâ transactâ vitâ dolebat, crimina deflebat, & ad Deum conuersa de peccatrice fit sancta, & de meretrice efficitur casta & pudica. Sancti Ambrosij in cap. 7. Lucæ hic conceptus est: *Nouo admirationis genere mulier, quæ ad puteum Samariæ meretrix aduenerat, à Christi fonte casta regreditur, & quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportauit: statim & iam iudicante Domino, sua peccata recognoscens, confitetur Christũ, annunciat Saluatorẽ, & relinquens aquæ vasculum, ad ciuitatẽ non fert hydriam, sed refert gratiã. Vacua quidẽ videtur reuerti, onere, sed plena repertitur sanctitate.*

Ioan. c. 4.

Amb. in c. 7. Luc.

Descendi Magdalena in fontem Christi, & lachrymarum vndis sua delet peccata, & denigratam lauat ac dealbat animam, & tam pura & munda facta fuit, vt etiam semper pures & nunquam sordidas creaturas puritate superaret. Sic docet S. Chrys. homiliâ 6. in Matth. *Illa in Euangelio meretrix virgines quoque ipsas honestate superauit & incredibili in Christum amoris igne succensa, & à maximis sordibus peccatorũ largissimo lachrymarum fonte purgata.* Nã sæpiùs peccatores, dũ conuertuntur, ad maius meritum & altioris gratiæ gradum resurgunt, quàm ante commissum peccatum habuerunt.

S. Chrys. hom. 6. in Matth.

Percipere vobis lubeat verba S. Petri Chrysologi, quæ sermone tertio de filio prodigo habet: *Surgens venit ad Patrem: surrexit de profundo inferni, cæli alta contingens: apud cœlestem Patrem filius surgit, plus de veniâ, quàm corruit de reatu.* Quem pœnitentiæ effectum sat gratiæ ipsi exhibitæ, cùm ante eum prostratum & veniam petentem cerneret, demonstrant; quarum prima fuit in ordine, osculum ipsi datum, quod euidentissimum signum amoris est. Sic Sanctus Lucas capite decimo quinto seniorem patrem cum filio egisse attestatur, dicens: *Occurrit & cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Secunda gratia fuit stola noua, quâ induit ipsum & ornauit. Deinde pro tertia lautum instruxit conuiuium & demum tam solemnes festinos agit dies, vt alium obedientem filium ad inuidiam excitarent. Audiamus quid S. Bernardus de hoc dicat filio prodigo: *Minimè sufficere potuit paterna pietati, nisi tam copiosam misericordiam ei exhiberet, cui posset & ille qui nunquam à patre discesserat, senior filius inuidere.* Et quomodo, ô immortalis Deus! (dicit Tertullianus) filio obedienti, qui nunquam te offendit, nunquam contra te peccauit, nec

S. Chrys.

Luc. 15.

S. Bern de ingratis.

disgustum aliquem dedit, amoris non exhibes signa, & non confers gratias; at inobedienti, dyscolo, & qui te grauissimis offendit peccatis, varia amoris exhibes signa, & gratijs cumulas. Verba eius hæc sunt: *Chariorem senserat filium, quem lucrifecerat*, ac si dicere voluisset: Magis patris viscera erga filium illum inclinabantur, quem per pœnitentiam recuperauerat.

Tertul. lib. de pœn. c. 8

Sed Christiani, hoc vnicum vos scire, ac notare volo. Deus omnibus verè pœnitentibus, & peccatoribus conuersis veniam ac remissionem promisit peccatorum, etsi tot scelera, quot stellæ in cœlo sunt, cōmisissent: si de illis dolent, protinus remittuntur, vnico excepto, quod obstinationis peccatum est, hoc vnicum veniam non meretur, & diuinæ gratiæ incapax est. Desiderat quis vestrûm culparum suarum de integro remissionem? prætendit quis vestrûm æternæ condemnationis effugere supplicia, quæ suis debentur criminibus? Nunc agite pœnitentiam: nam si de hodie in crastinum, de crastino in alium differre intendatis, audiatis velim Sapientis verba Eccl. c. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diē: subito enim superueniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*. Deus misericors & bonus est, omni pœnitenti promisit veniam, sed pœnitentiæ tempora & terminos minimè deputauit. Sic habet S. August. homiliâ decimâ tertiâ ex quinquaginta dicens: *Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit*. Sciatis N N. pœnitentiam esse actū supernaturalem, nostram excedentem potestatē: nam à solius Dei bonitate, & non à nostro libero dependet arbitrio: ideo si illam non feceris, cùm Deus tibi faciendam inspirat, tempus, commoditatem, & gratiam agendi illam concedit; deinde, cum agere volueris non poteris: nam iusto Dei iudicio efficacia subtrahentur auxilia, quæ ad validum contritionis actum producendum in peccatore requiruntur. Nunc ergo incipite vestra peccata deserere, ea confiteri, detestari, & à Domino petere veniam, vt sanctam hanc peccatricem fecisse audiuistis. *Vt cognouit*. In momento, quo Dei fuit tacta lumine, surgens ad Pharisæi domum, vbi Christus erat, perrexit. Quem cum mensæ accumbentem deprehendisset, omni sepositio pudore, accessit ad pedes eius prostrata tota confusa, contrita lacrymarum emisit vndas, & sanctissimos eius pedes osculari non cessans, peccatorum suorum rogauit veniam, quam etiam obtinuit, & verba illa audire meruit: *Remittuntur tibi peccata tua*.

Eccl. c. 9.

S. Au. hom 13. ex 50.

Luc. c. 7.

Ad hanc ergo sanctam accurrentes peccatricem, vnanimes dicamus: O Magdalena, quæ tot gratias à Domino recepisti, & tantum fauorem per pœnitentiam tuam promerita es; memor etiam nostrorum esse, & gratiam impetrare velis, vt & nos cognitionem talem, qualē tu habuisti de tuis, de nostris habere possimus peccatis, tali contritione & dolore, vt tu, peccata nostra deflere valeamus, & generalē remissionem peccatorum à Domino recipere mereamur, vt mediâ tua interressione per Dei gratiam, quisque nostrûm etiam verba illa consolatoria audire dignus inueniatur; *Remittuntur tibi peccata tua*. Ite in pace, Amen.

Apostrophe ad S. Magdalenam.

DIS-

DISCVRSVS XXXIII.

PRO DIE VENERIS POST DOMINICAM PASSIONIS.

ARGVMENTVM.

PRimâ parte diſcurſus huius iniquum Phariſæorum examinatur concilium, & demonſtratur, quantæ efficaciæ & virtutis in hominum animo intereſſe ſit, & quæ damna iniquitas hæc cauſet. Secunda parte condigna exhibentur ſupplicia, quibus caſtigati ſunt, & omnes ſequaces ipſorum caſtigantur.

Thema.

Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum. Ioann. cap. 11.

MAla & ingrata vobis N.N. imò horribilia & inaudita noua adfero. Concilium magnum ciuitatis Hieroſolymæ: principes, Scribæ, & Phariſæi congregati ſunt: generale habuerunt concilium, in quo omnium voto ac opinione per definitiuam ſententiam condemnatus eſt innocentiſſimus hominum ad mortẽ. Sed quis N. N. innocentiſſimus ille hominum eſt, quem malignantium concilium ad mortem condemnauit? Innocentiſſimus Ieſus Chriſtus Agnus abſque macula hic eſt. Veſter Monarcha, ô Angeli: veſter Creator, ô cæli: veſtra fides, O Patriarchæ: veſtra ſpes, ô Prophetæ: veſter amantiſſimus ſponſus, ô Virgines: veſter Tutor, ô pupilli: veſter Aduocatus, ô Viduæ: veſter fideliſſimus Amicus, Frater, Redemptor, Saluator, Dominus atque Rex veſter eſto N. N. Non auditis, ſacrilego & impijſſimo ore maligni Pontificis Caiphæ execrabilem, ſacrilegam & iniuſtiſſimam fulminare mortis ſententiam? *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Cuius malignitatis cauſam aliam aut motiuum aliud non habebat, quàm quòd *hic homo multa ſigna fecit.* In hoc actu atque opere diuino & tam ſancto ac charitatiuo omnes fundantur accuſationes & querelæ. Signa & miracula, vt cæcorum illuminare oculos, claudos & mutilatos ſanitati & integritati reſtituere, ſurdis dare auditum, debilibus, laſſis, infirmis reddere priſtinam valetudinem atque fortitudinem, mortuis dare vitam, peccatoribus dimittere peccata, & alia tanti meriti atque laudis opera huius iniquiſſimæ prolatæ ſententiæ cauſæ atque fundamenta ſunt. O malitioſa & diabolica inuentio! quæ patriæ & communis vtilitatis zelo propriam cooperit ac depingit lucri cupiditatem & auaritiam! *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem.* Ioan c. 11. Hoc diabolicũ atque omni malignitate plenum concilium ſereniſſimus Rex Dauid Pſalm. 2. deſcripſit: *Aſtiterunt reges terræ, & Principes conuenerũt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.* Pſalm. 2. Hanc, N. N. iniquiſſimam ſententiam à Pontificũ & Phariſæorum maligniſſimo prolatam concilio ſcopum diſcurſûs mei ex ſacro elegi Euangelio. Primâ parte ergo exa-

 nima-

minabimus auaritiæ vires in homine, cùm Dominus sit, & damna ac mala quæ causat, secumque adducit, exbibebimus. Secundâ parte puncto secundo condigna vobis enarrabo atque demonstrabo supplicia, quibus auaritia Pharisæorum & Pontificum à Deo punita fuit, & totum ad nostram ædificationē, cupiditatem & auaritiam fugiendam. Vos interim attendite.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium aduersus Iesum. Ioan. cap. 11.

Quale malum auaritia.

IN terrarum orbe & sub sole, N. N. inimicus tā mortalis, animarum dānator tam perniciosus, monstrum tam horrēdum & formidabile, hominū insidiator tam potens & cautus reperibilis non est, vt auaritia & mundi opum in homine cupiditas est, quod vulgo interesse vocamus. Hæc, fratres, impetuosissimus est ventus, qui de tartareis oritur & procedit cauernis, & fortissimas quasque virtutum machinas atque structuras funditus diruit ac dissipat: hæc est seductrix & falsa Siren, quæ suauissimo metallorū sonitu ac stridore veluti dulcissimo cantu seducit, & ad æternas dānationis perducit voragines, vt deuoret? hæc est profundissima Scylla, quæ nunquam satiatur, quidquid diuitiarum in mundo deuoret. Ignis ardens & consumens est, qui in hominis animo & corde excitatus, aliâ non nutritur escâ nisi aliorum bonis & facultatibus. Et vt tandem finiam, & malitiam eius plenius describam, hæc causa omnium vitiorum, fons omnium peccatorum, seminarium discordiarum, follis rixarum, officina minarum, ruinarum atque exterminationum, tyrannis animarum, artifex & fabricatrix omnis mali, & ipse infernus animarum est. Sic Sanctus Paulus Epist. 1. ad Tim. attestatur: *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Sanctus Petrus Chrysologus, serm 29. hæc considerans verba, sic ait: *Cupiditas est transgressionis mater, magistra nocēdi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo fouea scandalorum.* In summa non poterat lucifer inferni rex perniciosius mōstrū, magis damnificam furiam, tyrannidem crudeliorem, inimicum magis moralem de tartarorum tumbis euomere, atque hominum damnum atque perniciem in mundum mittere, cupiditate ipsâ. Hæc Pontifices & Pharisæos congregauit: hæc sacrilegi huius concilij causa atque origo fuit. *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium aduersus Iesum,* domini mundi cupiditate, ne suam perderent auctoritatem atque potestatem. *Venient Romani & tollent locum nostrum & gentem.* O maledicta cupiditas! quanti valoris & efficaciæ in hominum animis es! Non immeritò S. Ioannes Euang. virtutem & efficaciam bestiæ huius cōsiderans, primâ suâ Epist. c. 5. sequentia dicit verba: *Mundus totus in maligno positus est.* Volebat dicere: Omnia in mūdo regit & gubernat cupiditas, quæ vbique dominatur, omnibus operibus atq; actibus miscetur, iā nullus quid agit, aut operatur, vbi non prædominetur cupiditas. Nullus commune bonum, nullus Dei gloriam in suis actibus, sed solius cupiditatis commoda respicit, & quod peius & omnino abominabile est, omnem amorem, honorem & debitum respectū erga proprios genitores supprimit, atque suffocat, in cuius probationem sequentia percipere lubeat.

1. Tim. c. 6.

S. Chrys. serm. 29.

1. Ioan. c. 5.

Hæc Ioseph vendidit.

Genesis c. 37. reperietis filios Iacob inuidia laborasse contra iuniorē fratrem Iosephum, cuius causa fuerat somnium quoddam ab ipso habitū & ipsis in cordis simplicitate narratum, *Vidi per somnium*

nium solē, & lunā, & stellas duodecim adorare me. Et sic eum in locū desertum conduxerunt, & mortem inferre determinarūt. *Venite occidamus eū.* Inter hos reperiebatur quidam nomine Ruben, quem ad liberationem Iosephi procurandam fraternus mouerat affectus. Omnibus modis mortem eius impedire, atque Patri restituere laborabat, sic alloquēs cęteros fratres eius: *Nō interficiatis animam eius, nec effūdatis sanguinē: sed proijcite eū in cisternā hāc, quæ est in solitudine, manusque vestras seruate innoxias.* ac si diceret: Ob Dei amorē, fratres mei, nō conuenit vt fratrē nostrum innocentē occidamus, & manus nostras fratris nostri sanguine maculemus. Cunctis nobis atq; progeniei nostræ macula hæc fratricidij adhærebit; si tamen mori debet, non effundamus sanguinem eius, sed hîc prope cisterna quædā est sicca in deserto, proijciamus eum intus, & derelinquētes ipsum discedamus. Quod consilium cùm vnus fratrum nomine Iuda percepisset, & viscera eius supra fratrē teneritudine commota essent, pro liberatione eius, cùm iā in cisternā demissus fuisset, aliud dedit consilium, inquiēs: *Quid nobis prodest, si occideremus fratrem nostrum?* id est, quale lucrū habebimus? quid commodi aut vtilitatis mors fratris nostri nobis afferre poterit? nunquid melius esset, Ismaelitis illum vendere, qui absq; dubio illum ement? sic duplici vel triplici gaudebimus lucro, manus nostras sanguine non maculabimus, fratēr noster nocere nobis amplius non poterit, & adhuc aurum & argentū, & vestes pretiosas pro ipso à mercatoribus habebimus. *Ergo melius est, vt venūdetur Ismaelitis, & manus nostræ non polluātur: frater enim & caro nostra est.* Hoc consilium, vt sacer dicit textus, omnibus & singulis placuit fratribus, nec vllus eorū illi cōtradixit; sed vnanimi cōsensu extrahitur de cisterna, & Ismaelitis vēditur. *Acquieuerūt fratres sermonibus illius.* Sed quomodo? Cū occidendus & in cisternā demittendus esset, nemo reperitur qui ipsum defendat, & in eius loquatur fauorem: cùm autem de venditione eius tractatur, non est qui pro liberatione eius verbum promat, sed vnanimi consensu Iudæ acquiescunt consilio, & in fratris consentiunt venditionem. Rationem vel causam huius vnanimitatis, cupiditatis effectum, id est, interesse fuisse, sacra attestatur Scriptura his verbis: *Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum?* Quam vtilitatem ex morte fratris & sanguinis eius effusione sperare poterimus? & quid commodi inde habebimus, si miser fame in cisterna periret? melius & vtilius nobis erit, vt Ismaelitis transeuntibus venundetur, & pecunia accepta inter nos pro ratâ diuidatur; ideo *acquieuerūt fratres sermonibus illius.* Ah maledictum interesse (dicit sanctus Chrysol. sermone trigesimo nono hunc locum considerans) quod in tantum fratrum horum excæcauit mentes atque animos indurauit, vt omni respectu amisso nec proprius sanguis aut caro, nec dolor, quem inde parentes habituri erant, nec peccatum quo Deum offensuri erant, aut aliqua alia ratio sufficiens esset propositum ipsorum frangere, sed vendi debuit frater. Verba Sancti hæc sunt: *Aurum Patriarcharum stirpem, progeniem sanctam, tantā germanitatis singularē coronam adeo corrupit, & totius reddidit pietatis extorrē, vt Ioseph Ægyptijs, fratrem barbaris, innocentem noxijs, ingenuitatem traderent seruituti; sic cæcauit mentes, sic corda depressit, sic quod in eis fuerat humani sensus, ferinā in rabiem commutauit, vt non offensā Dei, non sancti patris dolorem, non proprij sanguinis meminisse sensum permiserit.*

Sed rogo ne, sancti huius Patriarchæ ad probationem veritatis huius historiā derelinquamus. Duabus vicibus ascēdeꝛunt fratres eius de terra Iuda in Ægyptum: prima vice redeunt, & nullo ipsos cōmitatur pro itinere & reditu consilio;

Hæc Ioseph vendidit.

1. Tim. c. 6.

S. Chryso serm. 29.

1. Ioan. c. 5.

secundâ vice cùm redire & discedere vellent, & domum ipsos remitteret, in modum consilij sequentibus alloquitur verbis: *Ne irascamini in via.* Quænam ratio huius diuersitatis esse poterit? ecce facer dicit & affert textus. Donauerat Iosephus fratribus aurum, argentum, vestes, & vasa pretiosa & vtensilia plurima, & cognoscens ipsorum animos interessatos, discordiam aliquam vel rixas suspicabatur circa dona illa, & quòd quilibet illorum meliorem desideraturus esset partem, præuidebat; ideo ipsis pacem inculcat, & ne schisma aut dissensionem aliquam vel rixam in itinere moueant, adhortatur: *Ne irascaris in via.* Interlinealis hîc: *Nolite contendere de tēporalibus,* vt intelligeremus, maledictum illud interesse causam atque originem discordiarum & rixarum etiam inter fratres & proxime sanguine coniunctos esse.

Hac infecti fuerūt fratres Ioseph.

Simile factum in eodem libro c. 27. reperimus, vbi legimus, S. Patriarcham Isaac morti vicinum, filium Esau ad se vocasse, eique ordinasse, vt pharetrâ, arcu & sagittis acceptis, in campum venandi causâ pergeret, & feram aliquam traijceret, illamque reportaret, & pulmento inde facto debilitata aliquantulum refocillaret membra, vt priusquam moreretur, paternam ipsi impertiret benedictionem. *Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras: cumq; venatu aliquid apprehenderis, fac mihi indepulmētū sicut velle me nosti, & benedicat tibi anima mea antequā moriar.* Non minimā N. N. huius sancti Senis propositio hæc mihi causat admirationē. Ad quid præcedere cibus debebat benedictionem? forsan opus tanti laboris erat, vt prius membrorum requireretur refocillatio? manus illius eleuatio sufficiens erat ei dicere: Fili mi, sis benedictus à Domino; sic benedictus maiori etiam alacritate ad venationem perrexisset, maiori diligentia præpam quæ fuisset, & maiori attentione pulmentū præparasset, aut forsan erat antiquorum cæremonia, vt vltimam Patris benedictionē refectio præcederet? S. Aug. q. 54. in Genes. ad hanc respondet quæstionem, inquiens sancto Seni bene mundi atque hominum maturam perspectā fuisse; à quibus si quid seruitutis exspectare volumus, etiam proprijs filijs interesse & lucrū aliquod concedi debere. Ideo filio benedictionē dare noluit, sed refectio præcedere debuit; quam si benedictio præcessisset, periclitata absque dubio fuisset refectio, & minime venatu quid attulisset. Verba sancti hæc sunt: *Quid est quod Isaac non ante venationem benedixit Esau?* Et rationem reddens sequētia subiungit verba: *Si enim Isaac ante venationem Esau benedixisset, nunquam filius cibos patri retulisset.* Et forsan quotidiana experientia sic fieri nos non docet? Quot Patres adhuc in vita proprijs filijs tradiderunt hæreditatem, & licet filij fuerint opulentissimi, ipsi tamen coacti fuerint mendicare; & miseriarum manducare panem? O maledictum interesse! quantæ virtutis, valoris, efficaciæ in humana es mente! & quos crudeles non producit effectus, cùm hominis cordi dominaris!

Esau.

Gen. c. 27.

S. Aug. qu. 45. in Gen.

Simile factum in lib. Iudicum cap. 14. legimus. Sacra Script. prodigiosa facta Samsonis enarrans, primo loco, quo fortitudinis suæ signa dedit, ponit illud, cùm leonem dilaceraret, & quasi agniculum in partes disrumperet. Verba Scripturæ hæc sunt: *Dilacerauit leonē quasi hædum in frusta discerpens.* Et tamen tam heroicum factum atque prodigiosæ suæ fortitudinis signum patri & matri indicare noluit. *Et hoc patri & matri noluit indicare.* Sed cur patri & matri actum tam heroicum, factum tam gloriosum ac prodigiosum manifestare noluit, & opus quod omnibus manifestandum erat, genitoribus celat? quem maiorem gustum & consolationem dare poterat parentibus, quam si ea-

Iud. c. 14.

Samson.

sum

sum hunc tam honorificum & gloriosum ipsis manifestasset? nihilominus patri & matri noluit indicare. Sed cur tacet, & quidnam in eo tantum causauit silentium, & linguam, ne tam gloriosum à se factum publicaret, continere potuit? Abulensis respondet & dicit, interesse causam fuisse, & linguam, ne suas prædicaret laudes, continere potuisse: *Volebat accipere ex leone aliquod problema, vt à Philistinis obtineret lucrum & laudem.* Videtur Samson in hâc occasione sic secum ratiocinatum fuisse & computum fecisse: Si prodigiosum hoc factum parentibus manifestauero, ipsi sibi inde gloriosi videbuntur facti, quod tantæ ac tam prodigiosæ fortitudinis filium habeant, & gloriosi omnibus manifestabunt, & sic lucrum illud, quod per emblema Philistinis imponendum habere potero, perderem: ergo consultius pro meâ bursâ erit silentium, & hoc prodigiosum opus ante lucrum obtentum nec proprijs reuelare parentibus. Plus ergo in animo Samsonis paruum illud lucrum, quod à Philistinis sperabat, quàm charissimorum parentum consolatio, quã ex prodigiosi huius facti enarratione percepturi erant, valuit. *Volebat accipere ex leone aliquod problema, vt à Philistinis obtinere laudem & lucrũ.* Ah quot nunc tales reperiuntur Samsones, in quorum cordibus plus interesse & lucrum, quam parentum amor ac pietas erga illos loci habet, & qui suos parentes in necessitatibus constitutos lucri causâ derelinquant, & minimè illis succurrant: Nunc ergo considerate, N. N. ad quos terminos maledictum hoc lucrum ac interesse homines perducat. Et hodie à Pharisæis & Pontificibus congregatur concilium, in quo innocentissimus Christus Altissimi Filius condemnatur ad mortem, cuius maledicti concilij & sacrilegæ sententiæ regnandi & dominandi cupiditas & interesse fuit. Audite scripturæ verba, quæ sat clarè id attestantur: *Si dimittimus eum, sic omnes credent in eum, & venient Romani & tollent locum nostrum & gentem.*

Abulens. in hunc locũ.

Iud. c. 14.

Samson.

Ioan. c. 11.

Sed quid dicturi sunt boni illi socij, qui veræ amicitiæ professionem facere videntur, si dixero, nunc veram & puram amicitiam inter homines non reperiri, nec ab homine temporibus his seruitiũ aut auxiliũ aliquod, si interesse aliquod non adsit, sperari posse? Et væ homini illi, qui non habet, vnde necessitatibus occurrentibus sibi succurrere possit. In cuius veritatis testimonium doctissimus Liranus in caput sextum Iob hunc S. virum atque eius historiam adducit, qui vt Scriptura dicit, totius Orientis omnes thesauris & bonis superabat, & opulentissimus omnium erat. *Eratque vir magnus inter omnes orientales.* Nihilominus ad tantas peruenit necessitates, vt cùm vndiq; corpus suum sanie scateret, non haberet quo illam abstergeret, & sic testâ arreptâ in sterquilinio sedẽs illam defluentem radebat, vt cap. 2. habemus: *Qui testâ saniem radebat, sedens in sterquilinio.* Mutatio hæc subitanea cum ad amicorum perueniisset aures, congregãtur, & consolationis causâ Iob accedere determinãt. Qui cùm ad sterquilinij venissent locum, vbi sanctus & patientissimus Iob sedebat, accedere verebantur. Quod cùm sanctus Vir animaduertisset, sequentibus ipsos, vt Scriptura refert, alloquitur verbis: *Nunc venistis, & modo videntes plagam meam timetis: Nunquid dixi: Afferte mihi, & de substãtia vestra donate mihi?* Mysteriosum hoc factũ est, dicit Liranus. Cur, vel quam ob causam hi amici Iob ad sanctũ Virum accedere verebantur? aut quid timebant? magis ob amici casum contristari, eumq; consolari debuissent. Respondet doctissimus Liranus, & dicit hos amicos non sinceros, sed vt moris est, secundum mundi vsum fuisse amicos. Audiuerant Iob multa passum fuisse, sed in tanta necessitate constitutum imaginari sibi mini-

Lir. in cap. 6. Iob

Iob cap. 2.

Amici Iob,

Iob cap. 6.

Lir. hic.

minimè poterant, ideo ad consolandum pergunt; dum verò in tot miserijs & tantâ calamitate & necessitate constitutum dedrehenderent, intrare tergiuersabantur, timentes ne pro subleuatione suâ aliquid peiiturus esset. *Et modò videntes plagam meam, timetis ne aliquid pro subleuatione mea repetam à vobis.*

Sed si dicerem, N. N. interesse taliter excæcare homines, vt quid agant aut operentur, videre non valeant; difficulter fidem dabitis, sed probationem huius assertionis meæ ex sacris litteris nobis percipere lubeat Historiam habemus Num. cap. 22. Sitis attenti, mirabile quid percipietis. Impius Rex Balac, cùm Altissimi resisteret exercitui, & contra ipsum pugnando præualere non posset, maledictionis medio id agere conatur, & humana deferens media, & de proprijs armis desperans, Dæmonum inquiritates, & inferni petit vires. In quem finem duos famulorum ad quendam falsum Prophetam & Magū nomine Balaam ablegat, rogans vt maledictionis fulmine Altissimi exercitum ferire vellet. Et ad hoc eò citiùs ac faciliùs ipsi persuadendum, & ad grauissimum patrandum peccatum aurum & argentum offert plurimum. *Ne cūcteris venire ad me paratum honorare, & quidquid volueris, dabo tibi.* Et hæc promittebat Rex Balac (vt Liranus dicit) quia his, cùm superbum, auarum, & interesse deditum Magum hunc & falsum Prophetam probè cognosceret, ad suam sententiam illum trahere certum habebat. Verba Lirani hæc sunt: *Sciebat enim Balac, ipsum esse superbum & cupidum, & ideò promisit illi honores & diuitias, vt alliciat eum ad veniendum.* Et sic instructi ad legationem expediendam perrexerunt. Veniunt ad Balaam, legationem ac ordines Regis exponunt & ad maledictionem inuitant, renuit semel atque iterum Propheta falsus, gauden[s cu]piditate lucri & interesse victus consentit, & itineri se accingit. manè surgit, asinam sternit, ascendit, & ciuitate sua egreditur; & ecce vix iter aggressus dum velociùs pergeret, Dei Angelus nudo & euaginato gladio in media se ponit viâ. Quem cùm asina inspexisset, à via declinans, per agros incedebat, *Cernens asina Angelum Domini stantem in viâ euaginato gladio, auertit se de itinere & ibat per agrū.* Quod cùm Balaam animaduerteret, iumentum baculo corrigit, & in viam reducere conatur: sed firmiter stat asina, & quanto fortius percutitur, tanto fit obstinatior in proposito. Nunc peto, si Angelus corporeâ assumptâ formâ (vt communis est opinio) apparet, cur ab asina, & non à falso Propheta Balaam deprehenditur & videtur? Glossa ordinaria nobis respondet, inquiens, tantam eius cupiditatem & desiderium aurum & argentum possidendi à Rege Balac sibi promissū fuisse, vt quasi extra se positus totis viribus conaretur Regi quantocyus adesse & sic quasi cæcus cupiditate nimiâ effectus, Angelum nudo gladio obstantem minimè videbat. Verba Glossæ hæc sunt: *Nimirum tantâ cupiditate plenus ferebatur, vt nec tanti monstri miraculo terrebatur & responderit quasi ad hominem loquens.*

Sed hac solutione N.N. minimè contentus sum, nec hîc proposita difficultas sistit aut firmatur; nam cùm Balaam reiteratis ictibus correxisset asinam, & ad rectum iter, à quo deuiauerat, dirigere intendisset, dicit sacer textus, asinam stetisse, & retorto collo atque capite inuerso Balaam aspexisse, & quasi ratione præditam sequentibus allocutam fuisse verbis: *Cur me percutis?* Domine, cur me percutis? fortè cæcus es, & Dei Angelum nudo se mihi opponentem gladio in mediâ viâ itineris nostri non cernis, nec deprehendis? hic gressum mihi prohibet, & vltrà progredi non vult. Mirabile quid! Bestia loquitur; casus præter naturam contingit, & Balaam

Balaam Propheta.

Num. c. 22

Glossa hic.

Balaam non exhorret, non admiratur, neq; à suo proposito dimouetur quiuis alius præ timore mortuus fuisset, & hic non timet, sed ictus reiterat, & de nouo bestiam baculo corrigit, & ad iter dirigere conatur. Conceptus hic, N.N, non meus, sed Sancti Augustini est, citati hîc à Glossa; cuius verba hæc sunt: I. *August.* *Nihil hic mirabilius videtur, quàm quòd loquente asinâ territus non est; sed insuper ei (veluti talibus mõstris assuetus) ita perseueranti respõdit.* Nec mirũ, Balaã tali facto territũ non fuisse; nam auri & argenti cupiditas taliter illum excæcauerat, vt minimè videre, & quod sibi præsens erat, admirari & examinare valeret; nam tota mens & omnes cogitationes eius eò directæ erãt, quâ nimirum ratione maledictionis fulmine Dei exercitum percutere, Regis Balac voluntati satisfacere, & promissum aurum & argentum obtinere valeret. *Glossa vbi supra.* Sic Glossa vbi supra: *Nimirum tantâ cupiditate plenus ferebatur, vt nec tanti monstri miraculo terreretur; & responderit quasi ad hominem loquens.*

Sed plus vltra in hac progrediamur historiâ, *auditores*, & aliud quoddam factum deprehendemus, non parum propositum nostrum promouens, & quæ diximus approbans. Tandem videns & reprehendens asinam in sua persistere obstinatione, nec passum dare velle, totus iratus & furiosus descendit, arreptoque baculo vndique per caput, tergum & latera percutit innocentem *Num. c. 22.* bestiam. Sic habemus Num. cap. 22. *Qui iratus vehementius cædebat fuste latera eius.* Bestia autem licet ratione carens ad ipsũ conuersa, denuo sic alloquitur: *Cur me percutis?* Ecce Angelus Dei euaginato gladio mihi obstat, & tibi & mihi, si vel passum vnum progrediar, mortem minatur. Forsan nunc terretur Balaam, & nouo obstupefactus miraculo indignationem contra asinam deponit? Minimè; imò vehementiùs indignatus, & maiorẽ antecedente apprehenditur furiâ, & mortem minatur, inquiens: *Vtinam haberem gladium vt te percuterem!* Quæ verba cùm bestia percepisset, & vndique sibi mortem instare deprehendisset, denuo Dominum suum affatur, inquiens: *Nónne animal tuũ sum, cui semper sedere consueuisti vsq; in præsentem diem?* ac si dicere voluisset: Domine mi, cur occidere me conaris? nunquid animal tuum sum? nunquid occidendo me tuum erit damnum, & animal, quovsque in hodiernum diem sedere consueuisti, perdes? & sic aut pedibus incedere, aut aliud emere debebis? imò me carebis bestiâ tuâ, quæ tibi semper tanti emolumenti & vtilitatis fui. Subito ac Balaam hæc percipit verba, & sibi in morte asinæ interesse intellexisset, non tantum à proposito suo desistit, verùm etiam à percutiendo cessauit. O maledictum interesse, quanti valoris in hominis corde es!

Et non solùm in veteri testamento dominium suũ interesse exercuit, verũ etiam in nouo Testamento varia (pro dolor!) potentiæ suæ signa in hominum dedit animis. Sanctus Ioan. cap. 8. *Pharisæi.* enarrat, Scribas ac Pharisæos mulierem quandam in adulterio deprehensam Christo adduxisse, & quid cum illa incidiendum aut facto opus esset, sententiam eius expostulasse, dicendo: *Mulier* *Ioan. 8.* *hæc modò deprehensa est in adulterio.* De hoc Scribarum ac Pharisæorũ facto satis admirari non possũ. N.N, Si hęc mulier in adulterio deprehensa erãt, absque dubio agens & adulter adesse debuit; & cum lex tam adulterum quam adulteram morti adiudicaret, cur adulteram tantum apprehendunt, & ad definitiuã sententiã accipiendã Christo adducunt, & non etiã adulterũ? Doctissimus Nicolaus de Lira ad hanc quæstionem & dubium hoc respondet, lucrum & interesse huius differentiæ causam fuisse: nam, inquit, adulter forsan dives ali-

a quis fuit, qui pretio satis pingui se
liberauit, mulier verò pauper, quia pe-
cuniâ redimere se non poterat, capta
fuit, vt morti adiudicaretur. Verba eius
Zir.hi:. hæc sunt: *Quare non adduxerunt adulterũ*
eius, cùm secũdùm legem esset eâdem pœnâ
plectendus? Et rationem reddens subiun-
git, inquiens: *Fortè adulter erat diues, &*
ideo pro pretio liberarunt eum. Ah maledi-
ctum interesse, quantæ virtutis ac valo-
ris in hominum cordibus es? Et fortè
mentior, & veritatem non dico; nun-
quid verum esse quotidiana nos docet
experientia? Committitur in ciuitate
delictum, protinus ac ad iustitiæ per-
uenit aures, rigorosa fit inquisitio, & in
delinquentis venitur cognitionem; si
pauper; protinus ligatur, protinus ca-
pitur & carceribus includitur, & mor-
tis vel exilij habet sententiam, quia lex
sic ordinat: si diues, satellites non repe-
riuntur, malefactor non adest & silen-
tio totum cooperitur delictum. Vnde
tanta oritur differentia N. N? à maledi-
cto interesse, quia iudici impleuit mar-
supium, & vexationem auro rede-
mit. Ecce experientiam in currente
habemus Euangelio, Quam infamem,
sacrilegam sententiam maligni & vi-
tuperosi Pontifices & Pharisæi con-
tra Christum innocentissimum pro-
nuntiarunt, vt ignominiosâ morte in
cruce moriatur, Et cur, vel quam
ob causam innocentem Iudaici populi
Iudices morti adjundicant? Propter in-
teresse. Timebant dominium & pote-
statem in populum perdere: *Venient*
Romani & tollent locum nostrum & gen-
tem.

Idem Sanctus Euangel. c.19. Euan-
gelicæ suæ historiæ enarrat similem ca-
Pilatus. sum in persona Pilati Romani Præsi-
dis successisse, cui satis Christi innocen-
tia cognita erat; ideo varios modos pro
liberatione eius excogitauerat. *Non in-*
uenio in eo causã. Et sic cùm in festo Pas-
chatis occasio vnum ex captiuis liberã-
di præsentaretur, Christum Iudæis pro-
posuit, vt habetur Matt. c. 27. *Quẽ vultis* Marc. c. 27
vobis de duobus dimitti? En cũ obstina-
tos Iudæos deprehendisset, & ipsorum
clamosas percepisset petitiones, *Nõ hunc*
sed Barabbam, & ad mortem crucis pe-
tentes intellexisset, *Crucifige, Crucifige.*
respondet Pilatus id se non facturum;
nam se innocentem & minimè reum
mortis ipsum deprehendisse. *Innocens e-*
go sum à sanguine iusti huius. Quod cùm
Hebræi intellexissent, & resolutum in
Christi liberatione Pilatum deprehen-
dissent, protinus interesse armis ipsum
aggrediuntur, dicentes: *Si hunc dimittis,*
nõ es amicus Cæsaris. Si hunc liberaueris,
& mortis non tuleris sententiam, fa-
ciemus & procurabimus, vt Cæsaris
perdas amicitiam, & per consequens
ruum officium, Quos sermones cùm Pi-
latus percepisset, & ex vnâ parte Cæ-
saris gratiam, officium, dignitatem.
tot munera donatiua & lucra periclita-
ri; ex altera verò iniustitiam & crude-
le hominis innocentis homicidium per-
petrandum inspexisset, animum suum
ad iniustitiam & sacrilegum hoc faci-
nus inclinauit: Hebræorum satisfecit
petitioni, & innocentissimum Altissi-
mi Filiũ ignominiosissimâ crucis mor-
te condemnauit, Sic S. Ioan. Euangelista
c. 19 attestatur: *Pilatus autẽ cùm audisset*
hos sermones, tradidit eis illũ, vt crucifige-
retur. Ah quot scelera, quot crimina cõ-
mittit Pilatus, ne gratiam perdat Cæ-
saris! quantæ potentiæ in hominis ani-
mo maledictum illud interesse & rerum
cupiditas est! Paulò ante Pilatus Chri-
stum confitetur innocentem, varios ad
liberandum tentat modos, imò contra
Iudæorum voluntatem morti tradere
recusat; sed liberum illum dimittere
velle se declarat, Et ecce miser, proti-
nus ac maledicti interesse fit mentio, &
lucri periculum intimatur, mutat sen-
tentiam atque opinionem, & contra
conscientiam iustum vt iniustum, inno-
centem

centem vt reum ad mortem tradit, *Pilatus autem cum audisset hos sermones, tradidit eis illum vt crucifigeretur.* Ah maledictũ interesse, quod iustos iniustos, innocẽtes reos efficis! Et ecce in hodierno Euãgelio propter interesse innocẽs ad ignominiosã condemnatur mortẽ: *Venient Romani & tollent locum nostrum & gentẽ.*

Procopius S. Romanæ Ecclesiæ Doctor atque Pater in c. 28. Gen. inquirit rationem & causam, cur Hebræi mortuo crucifixo & occiso Christo in ignominiosissimo crucis ligno ipsius vestes intra se diuiserunt, vt S. Ioannes cap. 19. attestatur: *Milites ergo cum crucifixissent eũ, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partẽ) & tunicã,* &c. Durum certè quid! Cur tanti æstimantur à milite Hebræo Christi vestimenta, cuius persona à populo & Pharisæis ac scribis tantopere spernebatur? Respondet Procopius, milites æstimasse vestes Christi, & sic auidè illas desiderasse; ac in tãto honore habuisse, quia viderunt illas in magna æstimatione apud populũ fuisse, eo quod tactu ipsarũ plurimi fuerant à varijs morbis sanati; ideo quilibet militum partem habere desiderabat, sperans per has magnum aliquod lucrũ. Verba Doctoris hæc sunt: *Partiti sunt vestem Iudæi, non quasi vtilis foret ad induendum, sed quia in ipsa erat quædã virtus medica ad infirmitates sanãdas.* Id est, vestis Christi non ideo diuisa est à militibus, quasi pro indumento ipsâ vti vellent, vel laceras suas vestes eius partibus resarcire, sed quia putabant se his etiam infirmos sanaturos, & sic remunerationem bonã à populo accepturos: viderant enim solo tactu plurimos sanatos esse, cùm Christus ipsis induceretur, quam virtutem adhuc vestibus inesse putabant. *Quia in ipsa erat quædam virtus medica ad infirmitates sanandas.*

S. Ioa. c. 19.

Milites qui crucifixerunt Christum.

In Act. Apost. c. 16 legimus S. Apostolum Paulum cum Sila indiuiduo socio suo ad quandam Græciæ ciuitatem peruenisse; quam cum intrasset, puellam quandã à Dæmone obsessam deprehendens compassione solito suo more commotus accedit, & in Christi virtute eijcit dæmonium, & sanam atque liberam reddit puellulam. Sed quid inde euenit Paulo & Silæ socio suo vtilitatis & commodi? Forsan dominus huius puellæ gratias ipsis agens ob tam singularem præstitam gratiam ac beneficium exhibitum muneribus & donis ipsos honorauit? Minimè; imo totum contrarium egit: nam senatum accedẽs vt maleficos turbatores, & seditionem mouentes, & communem pacem turbantes illos accusat, vt qui nouam publicarent legem, & Religionem, inquiẽs: *Hi homines turbant ciuitatem nostram, & annuntiant vobis morem, quem non licet nobis suscipere* & sic apprehensos flagellis correxerunt, *Iusserũt eos virgis cædi.* Vultisne scire causam huius flagellationis? ecce sacer textus clarissimis dicit verbis: *Videntes autem domini eius, quia exiuit spes & quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt ad forum ad principes.*

Domini puellæ dæmonicæ, Act. c. 16.

Et quale hoc interesse dominorum vel lucrum erat, quod per sanationem & liberationem puellæ perdiderãt? Scriptura dicit: *Quæstum magnum præbebat dominis suis diuinando*; id est, puella hæc à prophetico spiritu obsidebatur, qui futura hominibus prædicebat. Sic plurimi ad illam conueniebant, & cum futura & quæ scire cupiebant, diceret, pretium magnum tribuebãt, quod domini puellæ capiebant, & sic dolebant Diabolum, qui eis lucrum adferebat, perdidisse, & libenter, dummodo lucrum non cessasset, in eius habitassent domô. Sanctus Chrysost. citatus à Glos. hîc exclamat dicens: *O paganorum inhumanitatẽ! vt augeant pecuniam, puellam à dæmone vexari volunt.*

S. Chrys. cit. à Gloss.

Et quot, N. N. modernis temporibus tales reperiuntur; qui lucri causâ non

 vnum

vnum, ſed plures dæmones domi ſuæ tenent? Hinc Mauritani, Turcæ & Hebræi, quibus libera permittitur negotiatio, qui mille & mille faciunt vſuras, cur permittuntur? Lucri causâ, intereſſe ipſis prouidit priuilegia & libertatem. Ille Iudex, Doctor, Aduocatus non æſtimat proceſſum partis ponere ad partẽ, dummodo contraria pars ad Prophetæ accedat ſpiritum, & meliora quàm altera pars apportet munera. Hæc mulier nónne in ſua domo tenet diabolum, quæ iuuenculam in ſua nutrit domo, & nũc huic, nũc illi ad illicita vẽdit?

Act. 12.

Rem verbo, N. N. In tantum maledictum intereſſe ſuos terminos dilatauit, ut dicere audeam, iam non reperiri hominem, cui intereſſe non dominetur, & qui ſeruire proximo & indigenti ſuccurrere ſine ſpe lucri velit; & ſi caſu aliquis liber ab huius tyrannide reperiretur, dicite mecum, talem nõ hominem, ſed angelum paradiſi eſſe. Percipere lubeat pulcherrimam conſiderationem, quæ iam dicta vera eſſe demonſtrabit. Act. Apoſtol. capit. 12. reperietis Apoſtolorum Principem ab Angelo in carcere viſitatum fuiſſe, qui cùm intraſſet, & à ſomno Apoſtolum excitaſſet, catenas ſoluit, & manu apprehensâ de carceribus eduxit, Petrus autem putabat ſomnium eſſe, aut viſionem ſe videre. *Exiſtimabat ſe viſum videre.* Cùm autem extra carcerem ſe liberum conſtitutum, & Angelum diſparuiſſe deprehendiſſet, (*continuo diſceſſit Angelus ab eo*) tunc prius cognouit Dei fuiſſe Angelum, inquiens: *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exſpectatione plebis Iudaorum.* Cur nunc & non prius cognouit Dei fuiſſe Angelum? Sanctus Ioannes Chryſoſtomus homilia 26. in Acta Apoſtol. reſpondet, & in perſona Apoſtolorum Principis ſic loquitur: *Nunc, non tunc, quando in carcere erat, & conſcius ſibi venit ad domũ Maria matris Ioannis. Quid eſt cõſcius? hoc eſt, vbi eſſet. Vel igitur huius rei ſibi cõſcius, vel quod nõ ſimpliciter abire oportet, ſed remunerare benefactorẽ, quod & cõſcius venit ad domũ Maria.* Volebat dicere Apoſtolorum Princeps: Perſona illa, quæ me à ſomno in carcere excitauit, quæ catenas de manibus meis ſoluit & depoſuit, carceris ianuas aperuit, liberum me eduxit, & tot tribuit beneficia, non homo, ſed Angelus eſſe debet. Vnde Angelum argumentaris? aut quæ ſigna habes non hominem fuiſſe? Nil prẹmij petijt, ſed liberum me conſtitutum; & de Iudæorum expectatione liberatũ protinus deſeruit & euanuit. Non intereſſatus in facto hoc, ad intereſſe oculum non habuit, ſed ad puram meam liberationem. Nam ſi homo fuiſſet, tot paſſus quot pro meo feciſſet bono, tot præmia petijſſet, etiam ſi ex officio ad id faciendum obligatus fuiſſet, vt Iudicis & miniſtrorũ eſt iuſtitiæ, innocẽtes liberare. O maledictum intereſſe & lucrum tantopere in hominum cordibus ac animis radicatum! Ergo non mirum, Pontifices & Phariſæorum Principes conciliũ cõgregare, & ne dominium, poteſtatem & imperandi ius, & tot tantaque inde prouenientia emolumenta perderent, Chriſtum innocentiſſimum & iuſtiſſimum ad mortem condemnaſſe, & ſacrilegam crucis pronuntiaſſe ſententiam, *Venient Romani & tollent locum noſtrum ac gentem.* & ideo Caiphas concilium concludens ait: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & nõ tota gẽs pereat.*

S. Chryſoſt. hom. 26. in Act. Apoſt.

Qui non auarus, Angelus eſt.

Et quid dico? N, N. venit Dei filius in mundum, & cognitus fuit ab Hebræis non quidem pro filio Dei, ſed vt Euthymius apud Bezam, tom. 1. lib. 14. cap. 18, §. 10. dicit, pro Monarchâ. Sed quem effectum talis cognitio in cordibus ipſorum ſortita eſt? vix pro tali eum proclamarunt ac cognouerunt, protinus mouent ipſi bellum odio proſequuntur, congregantur

concilia,

concilia, & ad mortem quæritur. Verba eius hæc sunt: *Non occiderunt eum tanquam Dei filium, sed tanquam Regem Israel: cognouerunt hunc esse, quem Prophetæ Regem Israel annuntiauerunt; concilium vero fecerunt, vt eum occiderent.* Horsum, N.N. fuitne maior malignitas vnquam inter homines audita, hac Iudæorum? Cognoscunt Christum verum ipsorum esse Regem, & à Deo pro populi & ipsorum liberatione de cœlis esse missum, & ne ipsi dominandi perdant ius, & interesse suo patiantur damnum aliquod, mori debuit, & Dei filium occidunt.

Recordor, N.N. in Theatro vitæ humanæ libro quarto, tom. 2. historiam vel factum quoddam, quod in Scythia contigit, me legisse. Erat Pater tres habens filios, quorum duo illegitimi erant, vnus vero legitimus; sed differentia hæc nulli hominum manifesta erat, nec ipsis filijs notum erat. Moritur Pater, facit testamentum, & de suis disponens, legitimum vnum & simul hæredem, alios duos illegitimos & exhæredes, sed nemine nominato declarat. Mortuo Patre aperitur testamentum, & differentia atque disparitas talis alias semper incognita inter filios reperitur. Obstupescunt filij se inuicem intuentes, admirantur cuncti, & nullus Iudex quid facto opus esset, determinare poterat. Illegitimi se legitimos esse affirmabant, legitimus talē se esse probare conabatur, & suas adducebat rationes. Tandē casus ad curiam & regis remittitur iudicium, qui percepto & intellecto casu, tres filios ad se venire iubet, quos rigorosè examinat & confiteri iubet, quisnam legitimus, & quisnam illegitimus esset; sed cum omnes legitimos se confiterentur, mortuum Patris cadauer adduci & arbori alligari ordinat. Quod cum factū fuisset, singulis arcus cum sagittis tradidit, & cor Patris ferire iubet, viciniorē hæredem declarans. Congregatur tota Regis aula ad spectaculum, vndiq; cōcurrunt homines; arrepto arcu, & impositâ sagittâ extendit primus & illam demittēs prope cor Patris posuit: idem agit secundus, & in pectore posita cordi paterno accessit. Ordo ad tertium peruenerat, qui cum sagittam manibus apprehendisset, & arcum extendere deberet, Patris intuens cadauer & tot beneficiorum recordatus, totus commotus flere incepit, & deficientibus viribus sagittam & arcum proijciens in terram, in flumina lachrymarum prorumpens, dicebat: Absit à me simile committere scelus, & lucri ac interesse alicuius causâ meas inquinare manus: pater meus, genitor meus est, & ego filius eius sum, perdatur hæreditas, pereant omnia bona, declaret Rex hæredem quemcumque voluerit, potius in me ipsum vertam sagittam, quam venerabilis patris mei cadauer ferire audeam. Quē gloriosum actum cùm Rex vidisset, & verba eius percepisset, hunc legitimum & hæredem, alios illegitimos & exhæredes declarauit, & sic hic honoratus & gloriosus discessit, alij vero ingloriosi, confusi absque hæreditate permanserunt.

Pulchrum factū quo trium filiorum agnitus est legitimus præ illegitimis

Ah durities hominum! ô inexplicabilis crudelitas ab interesse causata! Ecce verus Pater vester est, Saluator mundi: sic ipsem et vocari voluit per os Ieremiæ c. 3. dicentis: *Amodo voca me, Pater meus es tu.* Pater hic vester est, protector vester est, ipse nos protegit, nos defēdit, & plurimis afficit bonis. Et ecce immediatè subiungit: *Et ecce fecisti mala & potuisti?* & quale malū hoc est, quod fecit? ecce ipsemet dicit: *Tetēdit arcū suū, & posuit me quasi signū ad sagittā.* Ecce quot ictibus vulnerastis Patrē vestrū in palo hoc crucis, quo ipsū vestra ligarūt peccata; videte quomodo corpus eius tot vulneribus apertū sit, pectus eius quomodo dilaceratum & apertum sit. Sic apud sanctum

Ierem. 3.

Ioannem capite decimo nono reperitis: *Vnus militū lancea latus eius aperuit.* Hoc Hebræi fecerunt. Ah Iudaica perfidissima gens! *Fecisti mala & potuisti?* Non mirum, nec nouum quid, N. N. hæc crudelis Hebræorum impietas vobis videatur; nam populus hic illegitimus erat filius, in cuius corde plus & magis in interesse, quam erga Patrem pietas & amor præualebat, Sic Ioan. c. 11. ipsimet attestantur dicentes: *Venient Romani & tollent locum nostrum & gentem.*

Ierem. c. 31. Sed legitimum filium & eius acta inspicere & examinare vobis lubeat, Sed quis hic filius legitimus est, nisi tu ô popule Christiane? Pro tali ipsemet Ieremiæ capite trigesimo primo habetis: *Filius honorabilis tu mihi Ephraim.* Ah popule Christiane! Ah Ephraim mihi fidelis, tu filius meus legitimus es: sed haberetne quis vestrûm tantum animi, vt Patris vestri cor sagittis ferire auderet? Dubito, ô miseri peccatores, & timeo, ne sententia illa Malachiæ capite tertio nobis verificetur: *Et me vos configitis gens*

Malac. c. 3. *tota.* Vos cor meum transfigitis, ô dura & obstinata gens, quæ me tot tantisque peccatis offenditis & vulneratis. Quid aliud lasciuiæ vestræ & inuidiæ, vanitates, maledictiones, dissolutiones, blasphemiæ, vsuræ, homicidia, detractiones sunt, si non tot tantæque acutissimæ sagittæ? Audite serenissimum Regem Dauid, quid dicat Psalmo septimo:

Psalm. 7. *Arcum tetendit & parauit illum: sagittas suas ardentibus effecit.* Ah peccator, ergo audes & animus tibi est, tuū transfigere Patrem? tunc filius legitimus es; ah inter barbaros similis nō reperitur crudelitas atque impietas, inter quos Scytha reperitur, qui patris cadauer ferire noluit, & potius hæreditatem perdere quam contra patris pietatem peccare maluit. Sit hic barbarus Scytha, ô Christiane, tibi in exemplum, & vt illegitimus barbarus patris cor sagittis peccatorum petere ac vulnerare desine; sed vt verus & legitimus age filius, nec sis auarus vt Hebræi, qui ex timore, ne venient Romani & tollant locum eorum & gentem, collegerunt concilium aduersus Iesum. Et in signum, quod auarus non sis, hodie largum & liberalem te exhibe erga pauperes, & bonam ipsis facito eleemo ynā; interim acquiesco.

PARS II.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vidimus prima parte, quam latum luc i ac interesse sit imperium, & quomodo per vniuersum orbem, per omnes status suos dilatauerit terminos, examinauimus, & damna, quæ secum adducit, demōstrauimus. Nunc breuiter supplicia eorum, qui interessati sunt, examinabimus, & quænam illa sint, demonstrabimus. Legite N. N. hodiernum Euangelium, & reperietis Pontifices, Pharisæos & Scribas conuenire, & congregare concilium. *Collegerūt Pontifices & Pharisæi concilīū aduersus Iesū.* Et cur vel ad quem finem horum malignātiū congregatur cōcilium? *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo.* Ad Christū condemnandum, ad Dei filium occidendum, ad iustum flagellandum & spinis coronandum, ad Regem, Dominum, Saluatorem & Deum suum crucifigendum congregantur, & ita concilium celebrant. Sed quid euenit, & qualem effectum habuit hoc concilium? Plurima adduxit Hebraico populo supplicia & an summas miserias atque angustias reduxit; nam, vt Sanctus Augustinus tractat. 49 in Ioann. dicit, & temporalia amiserunt, ciuitatem cum iurisdictione perdiderunt, & quasi bestię vilissimo pretio venundati sunt, & ius æternæ gloriæ hæreditatis perdiderūt. Verba S. Doctoris hæc sunt: *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, & sic vtrumque amiserūt.* Timuerūt bona tēporalia perdere, & æterna non æstimarunt, & tam tēporalia quam æterna

Supplicia auarorum

S. Aug. tra 49. in Ioan.

ami-

amiserunt. Et quia Christũ innocẽtissimum hominem occiderant, priuati sunt à Romanis ciuitate, imperio, sacerdotio facultatibus, & turmatim quasi bestiæ in seruitutem perpetuam abducti & per vniuersum orbem dispersi sunt.

S. Gregorius Papa hom. 21. in Ezech ad propositum hoc adducit exemplum filiorum Iacob, qui fratrem suum vendiderant Ismaëlitis, ne ipsius subditi fierent, & ab ipso regerentur, & vt Regem adorarent; sed Deus in supplicium & pœnam ipsorum ita cunctos Iosephi actus & facta disposuit ac direxit, vt non solùm Dominus illorum fuerit, verùm etiam ipsum vt Regem adorare & venerari coacti sint. *Ideo vendiderunt, ne adorarent: adorauerunt, quia venderunt.* (*S. Greg. hom. 21. in Ezech.*) Ergo venditio illius per quam dominiũ eius effugere cogitabant, subiectionem ipsorum & dominium supra illos causauit. Ita N. N. Hebræi occiderũt Christum, & quod per mortem eius prætendere poterant; ne Romani fama illius audita venirent & ciuitatem occuparent hoc Deus permisit, imò misit Romanos, vt ciuitatẽ & gentes destruerẽt, & templum, in quo totam suam gloriam ponebant, euerterent. Sic ratiocinatur Pater Euthymius in hunc locum: *Prætextum sumpserũt occidendi Christum, ne Romanæ internecioni traderentur: quia verò occiderunt, internecioni traditi sunt.* (*Euthym. hic.*)

Etsi Hebræi triginta argenteis vitam Christi traditore Iudâ emerunt, ipsi vilissimo pretio à Romanis, alijs gentibus venditi sunt, vt ex Josepho de bello Iudaico à S. Hieronymo citato in caput 1. Sophoniæ prophetæ & Philone colligitur, Hebræi flagellarunt Saluatorem, & per vias Hierosolymæ ciuitatis captiuum manibus à tergo ligatis ad ignominiam duxerunt. Et Romani, teste Philone 38. nobiliores Iudæorũ ferreis catenis crudelissimè flagellarũt, & ligatis manibus à tergo sũmâ cum ignominiâ per ciuitatem duxerũt.

Tandem Hebræi Christum crucifixerũt, & à Romanis in ciuitatis desolatione, disponente sic Deo, innumerabiles Iudæi crucibus fuerunt affixi, & non præteribat dies, quâ nõ ad minus quingenti in crucibus suspenderẽtur, & tam crudelis eorum erat carnificina. vt Iosephus loco citato sequẽtia scripserit verbat: *Spatiũ crucibus deerat, & corporibus cruces.* Et hæc omnia iusto Dei iudicio facta & acta sunt, vt Scriptura illa apud Sapientem cap. 11. verificaretur: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* (*Sap. c. 11.*)

Libro Iud. cap. 9. legitur, Abimelech ambitione regnandi motum toties egisse cum populo, vt tandem consentirent in ipsius prætensionem, & ipsum Regem crearent. Sed quis effectus regni sui? Crudelitas summa; nam in tantam rabiem & furorem incidit, vt septuaginta proprios germanos fratres supra vnam petram mactarit, ne quis ipsorum in Regem vel Iudicem constitueretur, & regno ipsum priuaret. Quibus expeditis, arreptis armis & congregato exercitu cõtra communitatem Sichem bellum mouet, & destructis ac desolatis aliquibus locis & munitionibus, multitudine maximâ incolarum occisâ ciuitatem Thebe (cuius inhabitatores cùm belli & machinarum impetum amplius sustinere non valerent, derelictâ ciuitate ad altissimam & fortissimam turrim confugerunt, & inde fortissimo & imperterrito pugnabant animo, & præsentem mortem fortitudine suâ pellere conabantur) oppugnauit, ac in tantum præualuit, vt portæ turris vicinus factus ignem ad exurendam apposuerit, vt turri occupatâ omnes illâ inclusos crudeliter trucidaret; & cùm intentiùs & animosius operi insisteret, cognitus fuit à quadam fœmina, quæ ex parte illa, casu respexerat; quæ protinus ponderoso apprehenso saxo ex diametro illud capiti eius immisit, eumque tetigit & occidit; & sic Sichimitæ à

morte

morte liberati sunt, & crudelis Abimelech iusto Dei iudicio petrâ occisus, quia ipse septuaginta fratres supra petram occiderat, & sic condignam crudelitatis suæ pœnam, Domino sic ordinante, recipit. Scripturæ verba sunt: *Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum interfectis septuaginta fratribus suis.* (Iudic. c. 9.) Ergo N. N. cum tot tantorumque malorum causa cupiditas sit; quis tam cæcus ac stolidus erit, ut mille iniustitias, ac fraudes pro consecutione ipsius committere velit?

Finio, N. N. Ecce iam contra innocentissimum Christum sacrilega pronuntiata est sententia: *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gēs pereat.* Sed, prô dolor! quis hæc noua & infausta nuncia Christo referet & annuntiabit? Cornelius Tacitus lib. 3. refert, populos quosdam inter alias cæremonias cùm iudicium alicuius malefactoris celebraretur, etiam hanc habuisse: Adducebatur reus & iudici sistabatur; ne autem ex intuitu eius ad pietatem vel compassionem aliquam, ad quem effectum humanus vultus potentissimus est, moueretur, & mitiùs cum reo procederet, velo quodam nigro cooperiebatur, & cùm sententia prolata esset, ministrorum quidam illam ipsam indicare & mortem annuntiare solebat.

Ecce, innocentissimus Christus hodie per impijssimum Caipham reus mortis declaratur, & nigro cooperitur velo. Quis nostrûm hanc prolatam mortis sententiam ipsi annuntiabit? forsan erit quis peccatorum, qui hanc subire prouinciam audebit? Sed hîc ego esse deberem, qui omnium primus & maximus sum; sed animus ad tam infaustum annuntiandum nuntium mihi deficit, & sanguis à tanta crudelitate congelatur, atq; verba desunt. Nihilominus cum nunc officium hoc subeam, N. N. ex tua parte & tuo nomine mortis prolatam contra ipsum sententiam referam, & quid perfidi contra eius personam concluserint, & quomodo post tempus aliquod cruci imponendus sit; annuntiabo.

(Apostrophe ad Christū,) O Saluator mundi, nigro velo te video obscuratum & coopertum; sat mihi constat mortis nuncium te exspectare. Ecce ego sum infelix ille delegatus: scire debes, ô innocentissime Iesu! hoc mane Pontificum, Scribarum ac Pharisæorum congregatum fuisse concilium, & contra te vt mortis reum pronuntiatam fuisse sententiam, & decretum fuisse, te in cruce mori, ac supra durum lignum purissimum tuum sanguinem fundere debere. *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo.* Hæc impijssima & sacrilega contra te, ô pijssime Iesu! fulminata sententia est. Adhuc octo diebus tempus nobiscum conuersandi habes: postea vt malefactorum te ligabūt, & per terram trahent, flagellabunt, conspuent, colaphis cædent sanctissimum tuum caput spinis coronabunt, & tandem ponderosissimâ cruce humeris tuis impositâ extra ciuitatem in Caluariæ montem ducent, & tribus clauis cruci affigent, & miserè occident. Et quid nos miseri absque te incipiemus, ô benedicte Christe? quomodo filij absque Patre viuere poterimus? O Domine mi! cùm ergo tam vicinus morti sis, velis, antequam nos derelinquas, testamentum tuum condere: nam mortis tempore tot tantique dolores erūt, vt illi condendo attendere non poteris. Ecce non perdatis animum, N. N. condet illud, & seipsum nobis cum æternæ gloriæ hæreditate testari atque relinquere decreuit. Ite in pace, Amen.

DISCVR-

DISCVRSVS XXXIV.

PRO DIE DOMINICA PALMARVM.

ARGVMENTVM.

PRæsens discursus Dei misericordiam atque pietatem comprehendit. Primâ parte puncto primo, quàm extensa & immensa illa erga peccatorem sit, demõstratur. Secundo puncto docemur summè in illa confidendum, & minimè de illa si conuertimur, dubitandum esse. Secundâ parte, tertio puncto malum, quod committitur, dum illâ peccatores abutuntur, ostenditur, & instruimur illâ non abuti.

Thema,

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. cap. 21.

SÆpius in antiqua lege & Veteri Testamento Deus noster Deus vindictæ vocabatur. Tali titulo à serenissimo Rege Dauide Psal. 93. insignitur, dum inquit: *Deus vltionum Dominus.* Seuerissimè enim castigabat hominum errores, & summo zelo in scelera & peccata mortalium animaduertebat. Amplissima huius veritatis testimonia & variâ enarrare possem facta, quibus vltionem Dominum & Deum vindictæ esse diuina se exhibuit Maiestas, & summâ seueritate in errantes & delinquentes ac se offendentes animaduertit. Vnde in veteri testamento deprehendetis nunc aquarũ, nunc flammarum diluuio ac inundatione suam exhibuisse seueritatem: nunc fame, siti: nunc peste & crudelissimis bellis contra peccantes & se offendentes zelum suum demonstrasse. Alijs vicibus, terrã peccatores deuorare ac absorbere faciebat; nunc maria terminos exire, & regiones integras cooperire ordinabat. In summa ipsos Angelos vt honoris sui zelatores iræ ministros de cælis dimittebat & integra populorum delebat castra: quia vt suprà dixi, *Deus vltionũ Dominus* erat. Hæc sors Hebræorum in veteri erat Testamẽto: at multò felicior sors nostra in nouo Testamento est. Sic Iudæorum corrigebantur errores & peccata: Sanguine Christi nostra delentur, & gratiâ & meritis eius delentur & cooperiũtur. Felicissima erga nostra sors est; qui sub gratiæ viuimus lege; nam tẽpore huius venit in mundum, & carne nostrâ assumptâ, amantissimæ pietatis excessu triginta trium annorum spacio ad habitandum nobiscum inducitur. Quo temporis cursu aliud non egit, quàm laborando, ambulando, sudando, famendo, sitiendo, & mille patiẽdo labores, nostrã procurare salutem, & in varijs occasionibus suam exhibere misericordiam. In quem finem cum peccatoribus conuersabatur & cum illis manducabat. Et hæc eius conuersatio quæstionem illam ab Hebræis Matt. cap. 9. Apostolis factam mouit, dum dicerent: *Quare cũ publicanis & peccatoribus mãducat Magister vester?* Et sanctus Paulus Apostolus volẽs ipsius nobis declarare excellẽtiam in lege gratiæ, *Patrem misericordiarũ* ipsum appellat, sic habemus Epist. 2. ad Corinth. cap. 1. quo nomine denotare intẽdebat, naturaliter ipsi inesse misericordiã. Sic sanctus

Psal. 93.

Deus in veteri testamento Deus vltionum erat, at nõ in nouo.

Matth. 9.

sanctus Bernardus sermone quinto de Natiuitate Domini docet: *Pater misericordiarum est appellatus, quòd innatū habeat misereri semper & parcere.* Et hodierna die dum triumphando Regiā ingreditur vrbem, totus humilis, mansuetus procedit, vt omnibus bonitatem ac misericordiam suam indicaret, & iam tēpus quo morte suâ humanū saluare deberet genus; significaret aduenisse, & tāto operi felix poneret principium. Et ideo meritò Euangelista dicit: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* De hac misericordia, & pietate diuina erga peccatores præsens meus erit discursus, quæ quàm immensa erga peccatores sit, primo puncto examinibimus; secundo puncto quàm fortiter in illa verè conuersi sperare debeant, exhibebo. Secundâ parte puncto tertio illâ non abutendum esse demonstrabo. Attendite, & incipio.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. cap 21.

ETsi N. N. attributa diuina, & Dei nostri excellētiæ atq; perfectiones vt absque numero in infinitum se extēdunt, sic etiam omnes absque mensurâ immensæ, absque pondere graues sint; attamen tantus splendor atque Maiestas eius clementiæ & misericordiæ est, vt omnibus præesse, ijsque antecellere videatur. Sic serenissimus Rex Dauid Psalmo 144. sentire videtur, dum inquit: *Et misericordia eius super omnia opera eius.* Ergo Dei misericordia tam magna & lata est, vt mundus totus, terra, cœlum, & vastissimum mare & vniuersa creatura est. Et hæc misericordia illa est, pro qua obtinenda (vt S. Chrysost. hunc locum explicans opinatur) tantâ instantiâ supplicabat Dauid: *Miserere mei Deus secundùm magnā misericordiā tuā.* Quē supplicandi modum S. Chrys. considerans, ad Dauidem conuersus quasi attonitus sequētibus eū alloquitur verbis: *Dixisti magnā, adijcias quantā.* id est, serenissime Rex, dixisti magnam & largam valde esse Dei misericordiam; nūc scire vellē, quàm magna sit, & in quantum magnitudo & latitudo eius extendatur, & suos dilatet terminos. Ipse autem quæstioni huic in persona prophetæ respondens ait: *Quanta sit, nescio: quod grādis est noui: quantā, nō valeo cōprehendere.* Talis Dei misericordia atque pietas est; vt in infinitum sui imperij terminos dilatet. Et S. Aug. lib. Confes. ex Dei simulatione & longanimitate in puniēdis tot tātisque commissis sceleribus, quorum quotidie infinitus committitur numerus, immensam & incomprehensibilem argumentatur Dei esse pietatem & misericordiam. Nam quò vlteriùs scelerum crescit numerus, eò largiùs Dei extenditur misericordia: quò maior in offendēdo peccatorum est malignitas, eò maior in condonando Redemptoris est benignitas: & quo lōgiùs differtur pœnitentia, eò propiùs Dei accedit clemētia atque indulgentia. Verba sancti hæc sunt: *Ego peccabam & tu dissimulabas; & non continebam à sceleribus, & tu abstinebas à verberibus: ego prolongabam iniquitatem meam & tu pietatem tuam.*

Misericordia Dei maxima inter eius attributa.

Psal. 144.

S. Chrysost. hic.

Imò N, N. tam ingēs ac immensa Dei misericordia est, vt cum humana offenditur malitia, summum percipiat dolorem, & quasi dilectus sponsus flendo & lacrymando conceptum dolorē innuere videatur. Opinio hæc est Origenis, qui ho. 2. in Num. sequentia habet verba: *An nō lugētis illa vox, cū dicitur: Pœnitet me, quia feci hominē super terrā?* Quid vobis peccatores de Dei vestri videtur misericordia? nunquid vox illa, *pœnitet me*, lamentationis, planctus & fletus vox est, quâ dolet, & plangit suarum creaturarū infortunium, quas, quia peccauerāt, diuina delere debebat iustitia? nam cùm misericordiam impertire vellet, semper noua obstabant peccata, & noua scelera

Origenes.

nouis

S. Chr. nouis pietatis obstabāt effectibus. Conceptus hic S. Ioan. Chrys. est, qui Orat. de B. Phil. sequentia habet verba: *Ille vult effundere misericordiam suam, sed obstant peccata nostra.* Dolor eius non erat, quia à creatura sua offēdebatur, sed quia ex iustitia destituere & condemnare debebat, quem saluare & conseruare desiderabat. Sic idem homil. 47. in cap. 14. Matt. habet, inquiens: *Non enim sic dolet quia ipse ab eis effunditur, sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquē, qui omnes saluari cupit.* Alia quadam occasione etiam lamenta & planctus vindictam quandam à Domino faciendam praecesserunt, vt Isaias capit. 1. attestatur: *Heu ego consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Hugo Card. in hunc locū dixit: *Gemet, quod minatur.* Similiter, lamentationes, planctus vltionem praecessisse alio legimus loco. Accedens Christus Hierosolymam, de colle quodam ciuitatem intuens & exitium atq; futuram destructionem praeuidens, fleuit amarè. Sic Luc. 19. reperietis: *Videns ciuitatem, fleuit super illam.* Si ergo cùm castigare peccatores conuenit, pietate motus flet & plangit, quis dolor eius erit, cùm grauissimis à nobis offenditur peccatis?

Idem hom. 47 in c. 14 Matth.

Isai c. 1

Luc. c. 19.

Sed quod summopere in Dei admiror bonitate, est boni atque salutis nostrae insatiabile desideriū. Audiamus S. Chrys. loc. cit. *Benignus est Deus, & quēadmodum parturiens cupit emitti fœtum, ita cupit effundere suam misericordiam.* Nō credo in homine maius esse desiderium quam in parturiente femina, quae se liberam à doloribus, & nouum hominem in mundo aspicere optat; sed maius in Deo salutis nostrae desiderium est, non tantū quia vt parturiens, dum gratia eius priuati sumus, & inspirationibus resistimus summos sentit dolores; verum etiā quia de peccatore recenter conuerso totum cœlum festiuos agit dies, & summo repletur gaudio.

Ideo cum Deus castigationi accingitur nostris id exigentibus peccatis, summum sentit dolorem, quem dolorē Serenissimus Rex Dauid Ps. 9. insinuasse videtur, inquiens: *Vides quoniam sic dolorem & laborem consideras,* quem locum S. August. explicans, sic habet: *Videndo dissimulas, quia tu times dolorem nimium pati in puniendo.* Quem effectum satis nobis in primorum hominum supplicij inflictione exhibuit, inquiens: *Tactus dolore cordis intrinsecus.*

Gen. c. 6.

S. Hier. Psal. 76. verba illa considerat: *Nunquid obliuiscetur, misereri mei Deus? aut continebit in ira misericordias suas?* id est, poteritne Deus hominem absque dolore punire, & mundo immittere supplicia, quod non etiam suae recordetur misericordiae? Et respondet Sanctus loquendo moraliter, non posse. Verba eius haec sunt: *Non potuit pulchrius dicere; nam quamuis se retineat, vt non misereatur, tamen misericordia illum vincit.*

Psal. 76. Hier. hic

Nescio si quis vestrûm praeceptum à Domino Moysi lib. Exod. c. 25. datum obseruauerit. Iubet sibi fabricari propitiatorium, in quo de cœlo descendens Maiestas sua morari possit. *Facies propitiatoriū.* Glos. ord. in hunc loc. dicit, propitiatoriū hoc tabernaculū fuisse, in quo singulari quadā assistentia diuina Maiestas morabatur, Sacerdotibus inde dans responsa, & populo misericorditer tribuens remissionem peccatorum; ideo propitiatorium, id est, locum propitium appellauit, ex quo eius misericordia ad omnes tam largiter emanabat. Subintrat hic doctissimus Oleaster, & quaest. formans, dicit: Mirabile quid! Deus pro habitatione sua sibi curat fabricari tabernaculum, & illud propitiatorium appellari iubet, quia ex illo ad homines misericordiae suę emanabant. Idē Deus licet summè misericors sit, attamen etiā summè iustus est: & sicut liberalis ac prodigus in communicandis donis est; sic terribilis & bene exer-

Cur Tabernaculum vocatum fuerit propitiatoriū.

exercitatus in infligendis supplicijs, & in peccatorum erroribus castigandis expertus est: ergo & iustitiæ locum vel mansionem inter homines sibi ordinare debuisset; nam æquè benè hac ac misericordia homines opus habebant. Ergo duæ domus fabricentur, vna quæ est misericordiæ, propitiatorium vocetur; altera, ex qua supplicia ordinantur, iustitiæ locus appelletur. Non dicit Dominus: Domum & habitaculum in terris habere volo, in quo cum descendero de cœlis, habitare valeam; sed domum hanc propitiatorium appellari volo; id est, misericordiæ & pietatis locum, vnde gratiæ, beneficia & dona distribuuntur; sed pro iustitia locum determinatum habere nolo, nec domum, quæ iustitiæ appelletur, mihi fabricari volo. Et si præteritis sæculis & in veteri testamento vna tantum propitiatorij & misericordiæ fuit domus, in lege gratiæ innumerabilia propitiatoria & tot misericordiæ domus volo, quot Ecclesiæ & templa fabricantur per orbem, quæ omnes misericordiæ, & non iustitiæ domus sunt, quoniam in his super populos supplicantes misericordias meas effundam. Doctissimi Oleastri verba

Oleast. hic

hæc sunt: *Nusquã legimus instituisse in hoc mundo domum iustitiæ, quare peccatores puniat; sed cum sit clemens quæ peccatis nostris propitiaretur, domum propitiatorij instituit, & non vnicã, sed bene infinitas: quot enim sunt Ecclesiæ, tot sunt propitiatoria.* O misericordia! ô infinita clemẽtia Dei! Dicamus ergo cum Euangelista in hodierno Euangelio: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Nam vndique & totus pietas & misericordia est.

PVNCTVM SECVNDVM.

Misericordia Dei potius est nostra, quam ipsius.

SIc ergo Deus vndique pietas & misericordia est, etiamsi hæc in Deo propriam sedem habeat, nostra potest vocari misericordia, nec alio titulo ipsum appellare debemus, quam Deum misericordiæ nostræ. Sic serenissimus Rex Dauid Psalm. 58. ipsum intitulat: *Deus meus, misericordia mea.* Ac si dicere voluisset: Verum est, ô immortalis Deus meus! tuam pietatem & misericordiam esse, & apud te vt tibi propriam residere; attamen cùm ad meam vtilitatem & salutem ordinetur, meam appellabo. *Misericordia mea.* Verum est, te iustum, sapientem, bonum esse & omnipotentem, sed cùm in omnibus actibus & operibus tuis præ omnibus alijs attributis tuis misericordia appareat & imperet, meritò pius & misericors appellaris. Misericordia mea. S. R. Ecclesiæ lumen Augustinus solito suo acumine hæc sancti Prophetæ considerans verba, in sequentia prorupit: *Nõ inuenit impletus bonis Dei sanctus Dauid, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suã. O nomen, sub quo nemini desperandum est!*

S. Aug. hic

Et ad nostrum profectũ curiosâ & pulchrâ declaratione prosequitur Prophetæ verba, inquiens: *Quid est, misericordia mea? Si dicas, salus mea, intelligo, quia dat salutem; si dicas refugium meum, intelligo, quia confugis ad eum: si dicas fortitudo mea, quia dat tibi fortitudinem, misericordia mea quid est?* Quid indicare vult hoc nomen sic nudum & simplex misericordiæ in Deo? Si Deus salus à nobis appellaretur, nulla esset difficultas; nam cum nos saluârit, quisquis nomen hoc caperet ac intelligeret: si refugium nostrum ipsum vocaremus, neque hîc difficultas esset; nam in omni necessitate nostra ad ipsum recurrimus: si fortitudo nostra, vtique intelligeremus huius nominis significationem; nam ab ipso vires haurimus, & fortitudinem accipimus. Quid ergo vlterius misericordiæ nomen in Deo indicare vult? Idem Sanctus Augustinus vbi sup. pro maiore explicatione verborum Dauidis Regis manifestat, quæ sub misericordiæ lateant nomine inquiens: *Totũ quidquid sum, de misericordia*

tua

tua est: tu enim dedisti mihi vt essem, & vt bonus essem. Id est, quod sum, misericordia tua est: quod redemptus sum, misericordia tua est: quod fortis sum, misericordia tua est: quod castus sum, misericordia tua est: quod clemẽs in pauperes sim, misericordia tua est: quod bonus sim, bene viuam & benè agam, misericordia tua est. In summa, omnia quod habeo, quōd habere & desiderare possum misericordiæ nomine continetur. Ergo merito cum serenissimo Dauide Rege Dei prædicemus misericordiam, dicentes, *Deus meus, misericordia mea.*

Pro euidentiore & maiore cognitione diuinę misericordię scire debetis peccatorum condonationem tam facilem Deo esse, quam nobis semel atque iterũ insufflare. In hunc sensum Rupertus Abbas libro primo de operibus Trinitatis capite decimo nono, verba illa Ioan. c. 20. *Insufflauit in eis* explicat; quod factũ est, cum Christus pœnitentiæ Sacramẽtum institueret, & Apostolis peccata dimittendi potestatem traderet *Insufflauit in eis & dixit: Accipite Spiritũ sanctũ: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ruper. dicit: *Per hunc Spiritũ sanctum datur nobis intelligi, tã facile esse omnia peccata dimitti, quã facile cum vult, insufflare potest aliquis.* Hanc facilitatem ex parte Dei in peccatis nostris dimittendis serenissimus Rex Dauid Psal. 50. cognouit, inquiens: *Auerte faciem tuam à peccatis meis & omnes iniquitates meas dele.* Lirã. hunc explicans locum sic habet: *Vt nõ aspiciat ea amplius ad puniendũ.* Cum quis creditorum chirographum vel quitantiam delere & calamo annihilare debet, valde bene respicit & legit & perlegit, quid contineat; Deus autẽ cum infinita debita nostra condonare vult, tam facilis in hoc actu est, vt chirographo & quitantiã nostrã non inspectã protinus dimittat, & cum ipsi præsentatur, faciem auertat, ac si videre dedignetur, nec operæ pretium æstimet, vt calamo apprehenso deleat & annihilet. Sic idem Liranus dicit: *Sicut delentur scripturæ, de quibus non curatur.*

Rupert. l. 1. de oper. Trinit. cap. 19.

Ioan. c. 20.

Psal. 50.

Inde euenit, maiorem & molestiorum notam Deo inesse ad gratias concedendas, quam nobis ad petendas; & tarditas si qua esse conuenit in peccatorum concedenda venia, molestior ei, quam peccatori tardans condonatio esse solet. In hunc modum ratiocinatur & discurrit Sanctus Augustinus, inquiens: *Tardius ei videtur peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere; sic enim festinat absoluere reum à tormento conscientiæ suæ.* Sit peccator in mille millenis submersus peccatis, sit in culmine omnium vitiorum: ideo de diuina misericordia minimè diffidendum est: nam promptior Deus est illam nobis impertiendo, quam nos in supplicando pro illa. Audiamus aureum os Sanctum Chrysostomum in Epistolam ad Ramanos capite decimo tertio sic loquentem: *Ne desperes, sed peccator cum sis, accede vt glorifices Dominum tuum, & occasionem ei præbeas declarando natiuam benignitatem suam in scelerum remissione.*

Deus facilior est in nobis condonando quam nos in petendo

S. Aug.

S. Chrys. Ep ad Rom c. 13.

Sed N. N. percipere vobis lubeat considerationem dignam tanto Doctore, vt S. Chrysost. est, & merito diuinæ debitam misericordiæ, quam homil. 48. in Matth. cap. 13. reperietis. Considerat verba illa Euangelij, quibus parabolam zizaniæ per inimicum in agro seminatæ, & instantias seruorũ de ea euellenda factas describit: *Vis imus & colligimus ea?* Quibus fuit responsum à Patrefamilias vt crescere sinerent ad messis tempus, se tunc messoribus mandaturum vt collecta illa & in fasciculos ligata igni tradantur. *Dicam messoribus: Colligite primũ zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Verba Doctoris hæc sunt: *Considera ineffabilem Christi misericordiã, & quod ad benefaciendũ quidẽ prõptus est, à desiderio autem puniendi alienus; nam*

S. Chrys. hom. 48. in Matt. c. 13.

quando seminat, per seipsum id peragit, supplicia vero per alios infert Sic misericordia Deo innata est, vt cum gratiæ distribuendæ, atque dona de cælis demittenda sũt per seipsum id agere velit; cum vero supplicia immittenda sunt, alienis id manibus fieri ordinet; gaudet enim, & celer est misericordiam elargiendo; dolet autem, & tardus est supplicia immittendo. *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Dicam messoribus.* Vultis infamiorem, & sceleratiorem peccatorem Pharaone? Nihilominus cum castigare illum decreuisset, non immediatè, sed medio seruo suo Moyse id in actum ponere voluit. Sic Exodi capite septimo legimus: *Dixit quoque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluuios, & conuertantur in sanguinem.*

Matt. c. 13.

Exod. c. 7.

O Deus meus verè misericors, & misericordiarum Deus, qui totus pietas, totus clementia, totus bonitas atque dulcedo es. O amantissime Deus, dignus omni amore & honore, & quam facilè à perfido offenderis mundo. O infinita bonitas! ô immensa misericordia! ô inexplicabilis clementia Dei nostri! Conabitur Dæmon ô peccator ob multitudinem peccatorum tuorum ad desperationem te inducere, & veniam non te mereri persuadere; sed ne credas, & fidem ipsi præbeas: mendax enim est; Omnipotens enim Deus est, semper dum volumus, & desideramus, ad condonandum nobis promptus est. Sic sancta Ecclesia cantat: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Et hæc doctrina tam certa ac secura est, vt S. August. affirmare nõ dubitarit, si homo non peccasset nec Deum in hunc mundum venisse, nec hominem factum fuisse, & nostram assumpsisse naturam. Verba eius hæc sunt: *Nulla causa fuit veniendi Christum Dominum, nisi peccatores saluos facere.*

S. Ecclesia in orat.

S. Aug. ser. 9. de verb. Dom.

Apud sanctum Ioannem capite vndecimo, legimus benedictum Christum in discipulorum præsentia Lazarum resuscitasse, & tamen nullum ipsorum tam nouum, & inusitatum miraculum admiratum fuisse. Sic apud sanctum Matthæum reperietis Christum maledixisse ficulneæ, & protinus exsiccatam fuisse, *Nunquam ex te nascatur fructus in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.* Et hic maledictionis effectus admirandi occasionem præbuit Apostolis. Sic sacra attestatur Scriptura: *Et videntes mirati sunt, dicentes: Quomodo continuo aruit?* Sanctus Ioannes Chrysostomus hanc Apostolorum differentiam in Christi operum consideratione, & apprehensione Homiliâ sexagesima octaua in Matthæum considerans, totus admirabundus sic ipsos affatur: Forsan ô sancti Apostoli excellentius Dei opus, & maius miraculum, arborem viridem exsiccare, quam hominem mortuum vitæ restituere? Non pro certo. Si ergo vnum opus admirationis occasionem præbet, cur non & aliud? Mouet quidem sanctus solito suo acumine dubium, sed non resoluit. Bona ergo eius licentia à moderno quodam doctissimo viro nomine Mendoza in concione Dominicæ vltimæ post Pentecosten resolutionem capiamus, qui dicit miraculum hoc sat magnum; imo maximum fuisse, sed non castigationis aut supplicij, sed beneficij extitisse; at arboris exsiccationem nõ beneficij, sed supplicij fuisse opus. Miracula facere in hominis beneficium, quotidianum & valde vsitatum Christo erat; in hominis vero supplicium, damnũ aut detrimentum, mira patrare, rarum & inusitatum quid erat Domino, vt protinus illo viso cuncti admirarentur, & obstupescerent, dicẽtes: *Quomodo continuo aruit?* O quam immensa misericordia Dei nostri est! O quam infinita bonitas atque clementia Altissimi est!

Ioan. c. 11.

Matt. c. 21.

S. Chr. hom. 68 in Matth.

Rarum quid apud Deum inferre supplicia & admiratione dignũ

Veritatis

Veritatis huius euidentius multò testimonium apud sanctum Isaiam, capite septimo habemus. Verba cuius hæc sunt: *Radet Dominus in nouacula cõductã.* Secundum expositionem Doctorũ loquitur hic Deus de futuro supplicio Regis Sennacherib, & exercitus eius. In pœnam tot scelerum vult dicere Altissimus: Ecce populus meus plurimum à Rege Senacherib, & exercitu eius vexatur: sceleratus hic Rex inimicissimus mihi est, odit populum meum, ad internecionem persequitur, & mala facit plurima: ideo quasi capillos Regem cum potentissimo exercitu suo de terra radam, atque delebo; & ad hunc finem nouaculam conducam. Doctissimus Oleaster hunc cõsiderans loquendi modũ sic fatur: Ergóne Deus tantæ paupertatis est, tantaq; est in domo eius penuria, vt nouacula reperibilis non sit, & ab alio exigi, & accommodari debeat? *Oleaster hic.* Sic est, respondet Oleaster; in domo Dei, & in vniuersa rerum omnium machina, nullum instrumentum ad damnificandum homini, sed ad benefaciendum tantum reperibile est; ideo volens ad hominis damnum nouaculâ vti, ab alijs accomodare & conducere debuit. Verba Doctoris hæc sunt: *Deus sua sponte nos non punit, qui non habet propria instrumenta puniendi, sed mercede ea adducere opus habet.* Quid vobis videtur N. N. de tam immensa, ac prodigiosa Dei nostri mansuetudine ac pietate? Dicamus igitur, & prædicemus illam cum sancto Matthæo dicentes: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.*

Vultis vt vobis dicam, quid de diuina sentiam misericordia, & de innata Deo pietate meum feram iudicium? Hæc tam connaturalis, ac essentialis ipsi est, & ad benefaciendum (taliter inclinatus est, vt suppliciorum digne, & iustè alias peccatoribus immittendorum) quasi obliuisci, & de his tam debilem memoriam habere videatur, vt suo memoriæ libro signare conueniat. Et vt hanc doctrinam veram esse deprehendatis, legite caput decimum septimum libri Exodi, & reperietis contra Amalecitarum gentem, quia populo suo trãsitum negauerant, totum iratum, atque indignatum Deum, & seruum suũ Moysem vocantem & dicentem ipsi: *Exod. c. 17.* Heus Moyses, tolle memoriarum librum & hæc quę dicturus sum, pro memoria in illo notabis. *Scribe ob memoriã in libro.* Et quid ô Deus meus in hoc libro scribere debet? *Delebo memoriam Amalech sub cælo.* Horsum dicite mihi Domini, & auditores mei, ad quid opus erat futurum, atque immittendum hoc supplicium memoriæ libro signare? Forsan obliuisci poterat diuina iustitia huius decreti? Non; sed magnitudinem misericordiæ suæ & innatam ad parcendum inclinationem indicare voluit. Audiamus doctissimi Oleastri sententiam: *Oleaster hic.* *Præsefert obliuiosum, vt libro & scriptura sit opus, vt nobis ostendat quàm inuitus puniat, quàm lente gradu.*

Libro Exodi capite trigesimo tertio deprehendo Moysen summo desiderio Dei faciem videndi grauidũ, & pro hac gratia, & fauore humiliter supplicantẽ, *Exod 3.* & dicentẽ: *Si inueni gratiã in oculis tuis, ostende mihi faciẽ tuã.* Cui Dominus responsum perbenignum dans, sic ait: *Ego ostendam tibi omne bonũ.* Quæ verba Dei doctissimus Oleaster ponderans atq; cõsiderans sic habet: *Oleaster hic.* *Cogita quæ sint omnia bona Dei, nempe esse misericordẽ clementẽ, tardum ad iram.* Magnũ quid; Deus tot bona habet omnipotẽs, æternus, increatus, sapiens, prudens immortalis, & alia infinita; attamen hæc non bona, sed misericordiam, clementiã, ad pietatẽ suam omne bonum suum appellat, ac si hæc omnia alia præcellant, & respectu horũ alia nõ æstimet, ac curet. Ah quã magna erga nos miseros Dei misericordia est!

Elias propheta, vt iustus, sanctus Dei seruus, & amicus, sic severus, & zelosus

zeloſus erat, ita vt delictum nullum deprehenſum impunitum relinqueret & protinus in delinquentes animaduerteret. Ideo cùm Deus ipſum de hoc mundo in curru igneo per Angelorum miniſterium abſtuliſſet, nube ipſum cooperire placuit. Sic apud Eccleſiaſt. capite quadrageſimo octauo legimus: *Qui acceptus eſt in turbine ignis.* Baſilius oratione vndecimâ inquirit cauſam cur Deus turbine tegere voluerit Eliam, cùm ipſum de mundo auferret: & reſpondet, pro bono hominum Deum id egiſſe: nam certo certius ſi Elias de alto homines, vt ordinariè fit, delinquentes vidiſſet, contineri nõ potuiſſet, quin zelaſſet & igneum ſuum currum contra delinquentes direxiſſet, & animaduertiſſet, atque mundum cum delinquentibus accendiſſet: nam peccata, & delicta hominũ, vt ſuprà citatus Doctor, in Dei nomine dicit, intolerabilia ipſi videbantur: *Tibi peccatores cernere graue ſpectaculum.* O quàm doloroſum tibi ſpectaculum eſt delinquentes inſpicere!

Eccl. c. 48.

Cur Elias raptus fuerit in Turbine.

S. Baſil. Seleuc.

Hinc S. Bernardus diuinã miſericordiã admirando, de triplici miſericordia ſequentia habet verba: *Magna omnino miſericordia expectatio Dei eſt: nam peccantem angelum non expectauit, ſed præcipitauit: hominem quoq; peccantẽ non diſtulit, ſed protinus expulit. Nunc iam expectat, diſſimulat, ſuſtinet decem annis viginti, vſque ad ſenectutem, & ſeniũ.* Id eſt, peccat Lucifer, & protinus, ac abſque mora de cœlo in infernum deturbatur ac præcipitatur. Peccat Adamus, & minimè à Domino ad pœnitentiam expectatur, ſed abſque mora paradiſo eiicitur, & in lachrymarum vallem exul relegatur. Nũc cùm peccamus & quis proximum ſuum, aut diuinam offendit Maieſtatem, cùm quis proximo infert damna, inebriatur, vſuras committit, laſciuiendo vitam ducit, Deum & Sanctos ſuos, quod tamen grauiſſimum eſt, blaſphemat, non ideò de cœlo ignem dimittit, & vt Sodomitas abſumit, vel terram aperire, & vt Dathan, & Abiron cum omnibus ſuis deglutirè iubet: non cùm murmuramus, & inobedientes Deo ac ſuperioribus nos exhibemus, igniti in nos animaduertit ſerpentibus; ſed expectat, diſſimulat, tardat, quatuor quinque, decem, viginti annis, vſque ad ſenectutem ipſam, *Vſq; ad ſenectutem, & ſenium.* O magna Dei miſecordia! Ideo non diffidendum, peccatores, nec de Dei miſericordia deſperandum eſt, etiãſi peccata noſtra arenam maris, vel ſtellas cæli numero excederent. Audiamus ſereniſſimum Regem Dauidẽ Dei prædicantem miſericordiam, pſalmo quinquageſimo: *Miſerere mei Deus ſecũdùm magnam miſericordiã tuã.* Ecce magna eſt. *Et ſecũdùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meã.* Ecce plurima. Quæ verba ſanctus Chryſoſtomus conſiderans ac ponderans, ſic ait: *Niſi enim in immenſum extenderetur, admodum pauci ſaluarentur.* Hinc Deus à ſancto Paulo Apoſtolo ſecundâ ad Corinthios capite primo ad animandũ nos & excitandam in nobis miſericordiæ ſuæ ſpem firmiſſimã, *Pater miſericordiarum* appellatur. Et cùm qui nunc totus miſericordia eſt, in die iudicij iudicẽ agere, & totus iuſtitia eſſe cogitur; & peccatores condemnare cùm veniet, ſũmo ſuo dolore condemnationis proferet ſententiam. Ideo ipſemet apud Iſaiam Prophetam capite quadrageſimo ſecundo parturiẽti fœminæ quæ præ magnitudine dolorum quaſi moritur, ſe comparat, dicens: *Tacui, ſemper ſilui; vt parturiens loquar.* Quẽ locum Rupertus Abbas declarãs ſic habet: *Quia ſicut mulier, quod concipit, non ſine ſenſu doloris emittit, ſic Deus ſententiã iudicij nõ ſine ſenſu pietatis pronũtiat.* O quàm admirabilis Deus in miſericordia ſua eſt, qui ſaluando, & cõdemnando illam exhibet, atque demonſtrat. Non percepiſtis loquendi modum eius apud Prophetam Ezechielem

S. Bern. de tripl. miſ.

Pſal. 50.

S. Chryſ.

2. Corinth. 1.

Iſa. c. 42.

Rup. hic.

Ezech. c. 16.

chielem capite decimo sexto? *Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita viuet, & non morietur.* Id est, protinus ac peccator de peccatis suis doluerit, & misericordiam, ac veniam petierit, obtinebit illam, & non in æternum condemnabitur. Horsum peccatores quid moramini, & cur ad tã pietatis plena verba non emolliuntur indurata corda vestra? cur non acceditis ad Dei pulsandas misericordiæ portas, ac vitam vestram malam emendatis? Sancti Augustini verba libro de vera & falsa pœnitentia prolata vobis percipere lubeat. *Nemo de Dei pietate diffidat, quia maior est sua misericordia quam nostra miseria, & qui quis ad Deum toto corde clamauerit, exaudiet illum, quia misericors est.* Ergo quisquis nostrûm dicere velit: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Nam Deus noster ipsa pietas, clementia, bonitas, atque misericordia est.

S. Aug. lib. de ver. & fal. pœn.

S. Matth. c. 11.

Ergo nullus vestrûm vt Cain alter de Dei nostri misericordia diffidere & dicere audeat, tot tantaque crimina sua veniam non obtentura, nec meritura indulgentiam, & infinita crimina sua Dei excessura bonitatem, atque clemẽtiam, Gen. cap. quarto. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Nam ex Dei parte tibi annuntio infinitam eius bonitatem, atque misericordiam esse, & quò maiora & grauiora tua sunt crimina, eò clementiorem & liberaliorem in condonando, & parcendo reperies. Hinc dicere audeo magnitudinem atque grauitatem peccatorum minimè desperandi, sed potius sperandi & confidendi præbere ansam; nam quò grauiora, & enormiora peccata nostra sunt, eò maiorem in Deo erga nos excitant pietatem, clementiam, & compassionem. Doctrinam hanc ex Serenissimi Dauidis Regis loquendi modo psalmo vigesimo quarto sumpsi, qui summam suam ingratitudinem erga Deum, & scandalum hominibus per adulterium Bethsabeæ & homicidium Vriæ commissum considerans atque ponderans, nõ solùm diffidentiæ actus non faciebat, & de diuina misericordia desperandi ansam inde sumpsit, sed quo gratiora illa reperit, eò maiorem de illa confidendi sumpsit animum. Ecce verba eius, quibus sic dispositus Deũ alloquitur: *Tu propitiaberis peccato meo: multum est enim.* Volens dicere: Scio bene vitã meã fuisse scandalosissimam & plurima, ac grauissima me patrasse crimina; sed ideo non despero, imò magis spero, & quò grauiora sunt peccata mea, eò maiorem Dei expecto bonitatem, atque clementiam. *Tu propitiaberis peccato meo: multum est enim.* Quẽ locum Titelmannus considerans, ac glossans, sic ait: *Clemẽter indulge peccatis meis, quæ cùm mala sint, & magna opus habent propitiatione, & infinitã misericordiã.*

Gen. c. 4.

Tam misericors est Deus vt magnitudo peccatorum potius sperandi occasionẽ præbeat.

Psalm. 24.

Titel. in Psalm. 24.

Cuiusdam exempli enarratione primæ huic parti finẽ imponam. S. Dionysius Areopagita in Epistola ad Demophilũ ad propositum nostrum sat conuenientem refert casum, inquiens, sanctum Carpum Episcopum Cretensẽ ipsi enarrasse tempore suo, scandalosissimũ fuisse peccatorem, & perniciosissimum saluti proximorum; quem cùm sic viuum inferni absorberi flammis summopere desideraret & exoptaret, Christũ sibi in tali apparuisse forma. Stabat Redemptor ad os maximi & ardentissimi fornacis facie versus sanctum Carpum: à tergo Christi peccator ille tantopere à Sancto odio habitus sistebat. Christus autem sequentibus Sanctum affatur verbis: O Carpe! ecce hora venit, & commoditas vindicandi te contra hunc hominem tantopere à te odio habitum tibi præbetur; ecce detrude ipsum in hanc ardentem, & flammas spirantẽ fornacẽ. Cui sanctus respondit Carpus, sibi id agere summopere placere & summo gustu in effectũ ponere desiderare sed se nõ posse quãdiu Christus ipsũ suã personã adũbraret, nisi & ipsũ simul cũ

S. Dionysius Areop. in Epist. ad Demoph.

Misericordia Dei erga peccatorem exemplo declaratur

illo deturbaret. Tunc reassumens Christus verba eius, inquit: Si hunc hominem perdere intendis, me quoque cum illo perdere necesse est, Ergo facito si audes. Et his dictis, asperioribus ipsum corrigés verbis, instruxit delinquétibus compati, & non protinus condemnandos esse, pro quibus ipse passus fuerat, & suum effuderat sanguinem, & cum necessitas exigeret, idem facere paratus esset. Quid vobis Christiani de Dei infinita misericordia videtur? Ergo in illam confidentes, de præteritis dolentes, præsentia emendãtes, humiliati & contrito corde ipsum accedentes cum S. Augustino libro Meditationum capite trigesimo sequẽtibus alloquimini verbis: *Miserere ne desperem sed sperando respirem.* Quiescamus.

S. Aug. lib. medit. c. 30

PARS II.

PVNCTVM TERTIVM.

PRima parte abundanter magnitudinem Dei misericordiæ vobis exhibui, Secundo puncto demonstraui sũmè in ipsa etiam summis confidendum esse peccatoribus. Nũc superest hac secundâ parte puncto tertio grauitatem abusus eius vobis describere, quã euidẽtissimo æternæ damnationis se exponant periculo de Dei præsumentes misericordia, grauissima perpetrando peccata. Nam peccando, & de diuina præsumendo misericordia, grauissima afficimus Deum iniuria. Et falsa ac diabolica talis consequentia est, quæ ex tali diuina colligitur præmissa, & antecedẽte, quæ talis est: Deus perbenignus, & misericors est, ideo offensæ ipsius parũ, vel nil æstimãdæ certus enim sum quãdocumq; veniam petiturus accessero, illam me habiturum. Fatuus & impertinentissimus hic argumentandi, atque concludendi modus est, Deus summopere me amat, & ego summo odio ipsum prosequi & summis iniurijs afficere, ac sceleribus offendere volo. Hæccine, ô peccatores! exhibitorum beneficiorum ac gratiarum vobis à Deo vestro cognitio atque gratiarum actiones sunt? siccine Creatori ac redemptori vestro tot bona vobis exhibita retribuere putatis? Optarem sanè omnes, qui in Dei confidentes misericordia, de sua salute sic certi & securi viuunt, & tamen à peccatis desistere non cogitant; ad proponendam ipsis quæstionem hanc præsentes mihi esse. Dicite fratres, estne vobis spes vitæ, & de vestra salute viuitis securi? Dicet quis: Ita Pater, Sed in quo confiditis, vel quod fundamentum tantæ fiduciæ habetis? Dicetis: In Dei infinita misericordia & clementia: tãnta enim, ac tot mirabilia pro nostra egit salute, vt de ista minime dubitare liceat, & securi simus nos non cõdemnandos. Optime sanè & sanctissimê de Dei sentitis ac loquimini misericordia, nec hic vos arguere potero; sed hoc vobis sciendum est, vt Deus misericors, benignus, ac clemens est, & petenti ac pœnitenti misericordiam non negabit; sic quoque iustum & seuerum esse, & seuerissimè in omnes, qui obstinatè in peccatis viuũt, & inani hac suâ confidentia eius abutuntur misericordia, animaduertere ac castigare solere. Percipere placeat sancti Bernardi sententiam, qua similium confidentium animos demulcet, inquiens: *Quia sic de misericordia eius sibi blandiũtur, vt à peccatis suis non emendentur, erunt maledicti.* Ratio huius maledictionis sentẽtiæ hæc est; Quia sic viuentes, & de Dei bonitate, atque clementia sibi blandientes atque æternam promittentes salutem absque cura, sollicitudine salutis, secundũ carnis desideria viuere solent & sic viuẽtes ordinariè maledicti, desperati, & in peccatis suis dies suos claudunt.

Supplicia præsumẽtium de Dei misericordia.

Bernardus serm. 29. in Cant.

Sed possibilené est, peccatorem sic posse, vel audere abuti Dei misericordia, & quæ Deum laudandi, & honorandi ansa est, in vilipendendi

& despiciendi conuertere, & bene viuendi motiua in malè viuendi, cum libertate peccandi commutare. Verba Sancti Gregorij Nazianzeni, quæ oratione trigesimâ primâ in simili protulit occasione, percipere lubeat; *Ira & mœrore impleor propter meum Christũ.* Ac si dicere voluisset, Videndo peccatores Dei abuti misericordia, & beneficia exhibita, peccandi, & maioris libertatis causas esse, quæ merito maioris zeli, & honoris, & amoris esse debuissent, contristor, indignor, & ad iram ac Dei zelandi honorem prouocor. Et prosequitur, ac rationem huius reddens sic ait: *Cum eum hac de causa contemni ac pro nihilo haberi conspicio, propter quam maxime honorari par erat.* Vult dicere, quia his de causis, quibus summè & super omnia amari conuenit Christum meum, video illum despici & vilipendi, & quia misericors, pius, benignus, clemens est, absque vllo respectu offendi. *Ira & mœrore impleor propter meum Christum.* O execrabilis Christianorum impietas, qui eo ipso, quod Deus misericors & pius est, offendere eum non cessant!

O Christiani! dæmoni vos illudenti ac decipienti fidem dare ac aures præbere ne quis audeat: natura enim mendax & veritas in eo non est; vnde supplico, rogo, & vos coniuro acta eius benè trutinare, largasque in Dei misericordia fundatas promissiones, & in Dei bonitate sponsiones discutere. Negare non possum, Deum misericordem esse, vt Paulus ad Ephesios capite secundo ait: *Est diues in misericordia.* Sed dæmon hac maximè decipere vos intẽdit: nam sub Dei misericordia, peccandi libertatis venenum vobis propinat. *Est diues in misericordia* O quot animas hoc mendacij pane inescauit, & hamo quodam ad inferos traxit! Hæc esca vel panis ille est, de quo sapiens dicit: *Suauis est panis mendacij, sed os eius implebitur calculo.* Ideo S. Aug. doctrina libro de vera & falsa pœnitentia, & in Ps. vigesimũ quartum præ manibus habenda est, vbi sic argumentatur: Dæmon solo misericordiæ pallio indutus apparet, & hanc exaggerans, plurima promittit. Ne fidem des; nam à tergo iustitiæ pendet gladius: Deus enim, vt Dauid Psalmo vigesimo quarto dicit, *dulcis & rectus Dominus.* Id est dulcis, suauis, in condonando est Deus, sed etiam iustus in castigando. Ideo, vt Augustinus dicit, gaudendum nobis, quia misericors, bonus; timendum autem nobis est, quia iustus & seuerus. Verba eius hæc sunt: *Gaude quia dulcis: time quod rectus.* Ergo peccatores Dei misericordiam abuti nolite; æternam enim abusiò hæc vestram causabit perditionem ac confusionem. Nam vt Eusebius Emissenus Homiliâ de latrone ait: *Immittit diabolus securitatem, vt inferat perditionem.* Vult dicere: Proponit vobis diabolus misericordiæ escã, sed capere vos intendit tentans, & ad peccatum vos incitãs, Dei misericordiæ pallio perditionis abscõdit laqueos, nũquam à tentando, & solicitando cessat, Dei misericordiam cõtinuo prædicando; sed non illam laudandi, verum vos perdendi intentio eius est. *Vt inferat perditionem.*

Euf. Emiss. hom. de latrone.

Quam egregiè intentio hæc satanæ à serenissimo Dauide Rege Psalmo centesimo confundatur, vbi citharâ suâ apprehensâ, atque psallens, non misericordiam, sed & iustitiam prædicat, percipere vobis lubeat: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Quẽ locũ explicans S. Hier. sic habet; *Audiant cãticũ misericordiæ peccatores, qui de sua salute desperant: audiant canticum iudicij contemptores, qui dicũt: Misericors est Dominus peccemus, indulgebit nobis.* Ac si diceret: Aperiant aures mentis suæ peccatores magnitudine, ac multitudine peccatorũ angustiati, & varijs obtenebrati scrupulis de Dei misericordia diffidentes, &

Psal. 00

Dauidis consolationis percipiant verba & in Dei misericordiam confidentes, & securam sibi vt pœnitentes veniam promittentes, cum serenissimo Rege Dauide sequentis cantent verba: *misericordiam cantabo tibi Domine.* Nam salutem peccatoris, & non perditionem Deus optat ac desiderat. At peccatores suis sceleribus diuinam misericordiam offendente, absque intermissione varijs criminibus diuinam iustitiam ad iram prouocantes, aures acuant, & aliud canticum serenissimi Regis percipiant, Dei iustitiam ipsis annuntiantis: *Iudicium tibi cantabo Domine.* Hoc iustitiæ & vindictæ canticum est; quam certo certius vt Deus misericors, sic & iustus est, & vt infinitæ misericordiæ sese pœnitentibus demonstrat, sic & infinitæ iustitiæ non pœnitentibus, & misericordia sua abutentibus sese exhibebit, & seuerissimè in suam misericordiam præsumentes castigabit. Probabitis ô iuuenes tempore suo, nunc in omni sensualitate vitam consumentes. Experiemini sic esse ô fœminæ vanitatibus studentes, & tandem ô miseri peccatores seuerum in castigando Deum esse deprehendetis.

Non sic fratres mei procedendum nobis est, si æternam vitam obtinere prætendimus, & diuinæ iustitiæ effugere rigorem desideramus, nunc de commissis pœnitendum, & præsens vita emendanda est. Sic quoque Deus promptus ad misericordiam elargiendum erit: vt Sanctus Augustinus libro de vera & falsa pœnitentia promittit: *Mutet vitam, qui vult accipere vitam.*

S. Aug. de vera & falsa pœn.

Ecce peccatores hic Dei, & Domini vestri verum vobis Sancta Ecclesia exhibet prototypon: intuemini illud, & considerate signa misericordiæ eius qui pro salute tua in cruce mori voluit, offensus, & grauiter à te læsus, gratiam & remissionem præbet, atque offert. Non vltra peccata peccatores à vobis committantur: termini vestris nunc ponantur criminibus: sat vobis tot annis tantis offendisse sceleribus; contenti simus tot vulneribus quibus per vniuersum corpus vulneratus est, nam à capite vsque ad pedum plantas sanitas in eo non est, vt hic in hac cruce extensum videtis. Superbia tua spineam imposuit ei coronam: intolerabilis tua auaritia non tantum vestibus, verum ex parte propria spoliauit pelle: indignatio tua grauissima cor eius vulnerauit, ac aperuit: sensualitas tua fœtidissima purissimam eius carnem tam crudeliter tractauit. Sat, sat biberunt prata, non audiantur, nec deprehendantur intra vos ô Christiani peccata, & scelera iam vltra: pectora vestra percutientes, & veniam petentes, & ad pedes eius cadentes confitemini peccatores vos esse, dicens quisque vestrûm: Pietatem exhibe Domine mi, & misereri miseri peccatoris. Me te grauiter offendisse sat agnosco, huc vsque ad pœnitentiam me expectasse in infinitum obligor. Ecce ô Deus meus! qui pietas, & misericordia es, ad te recurrens doleo atque lugeo me te offendisse, quem super omnia amare debuissem, & tuam imploro pietatem. Vitam meam mutare fortiter propono atque sincerè promitto; cor hoc hucusque creaturis deuotum tibi dono, atque in domicilium castarum, ac sanctarum cogitationum consecro. Hæc facientes peccatores, veniam, & salutem vobis promitto Ite in pace, & Deus vos benedicat, Amen.

DISCVR.

DISCVRSVS XXXV.

PRO DIE IOVIS SANCTO DE SANCTISSIMO SACRAMENTO.

ARGVMENTVM.

Discursus hic varias delicias, dulcedines, ac suauitates spirituales sacro Eucharistiæ Sacramento inesse demonstrat, illasq́; dignè accedentes, & mundos ac liberos à terrenarum cura percipere: his autem implicatos ad percipiendas ac gustandas illas ineptos esse probat.

Thema.

Parâsti in dulcedine tua pauperi Deus. Psalmo sexagesimo septimo.

NON contentus omnipotens Deus hominis creatione & similitudinis suæ facturâ, dotando, atquè beneficiando ipsum rationis capacitate, quæ rerum veritatem differentiamque boni & mali dignoscere, atque discernere valeret, verùm etiam vltrà duabus nobilissimis potentijs, vt cócupiscibili ornare voluit, ita vt vna bonum vtile, honestum ac delectabile concupisceret, ac insequeretur; altera verò quidquid his contrairet, & non conueniret, fugeret. Cum ergo animæ bonum delectabile pro scopo discursus mei elegerim, ne quis putaret, aut persuaderet sibi corpus solum suas habere delectationes; & animam his priuari, vt Sanctus Augustinus tractatu vigesimo sexto in Sanctum Ioannẽ asserit, *An verò habent corporis sensus voluptates suas, & anima deseritur à voluptatibus suis?* Vult dicere: Habet & anima suas voluptates, & bona sua delectabilia in quæ fertur, & post quæ rapitur, quæ quidẽ cũm plurima ac infinita sint, vnum tantùm summam, atque perstringam, quod venerabile ac sanctissimũ Altaris Sacramentum est. Huic animæ bono omne quod bonum, honestũ, ac delectabile animæ euenire poterit, meritò cedere debet: nam in hoc solo, & nullo alio in hac vita sufficientissimè, ac abundantissimè delectari, ac suas voluptates habere potest. Hæc Doctrina non mea, sed Angelici Doctoris Sancti Thomæ de Aquino est, qui opusculo quinquagesimo de hoc sanctissimo Sacramentò sequentia habet verba: *Suauitatem huius Sacramenti nullis dignè exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur.* Confiteor deliciarum huius Sacramenti diuinissimi, ac voluptatum tam immensum pelagum esse, vt Angelica lingua illud examinare insufficiens sit: nihilominus vt debito nostro satisfacere aliquo modo valeamus, gradatim immensum hũc intrabimus oceanum, & quantum diuina concesserit benignitas, degustatis voluptatibus vobis partem dabo. *Paradisi in dulcedine tua pauperi Deus.*

S. Aug. tract. 26. in Ioan.

S. Thom. opus. 5.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.
Psalmo sexagesimo septimo.

VT ergo hunc discursum incipiamus N. N. dico inter varios honoris titulos, & gloriæ encomia, quibus sacra Scriptura Dominum Christum Redemptorem, ac Saluatorem nostrum extollere, & laudare conatur, dulcedinis, & suauitatis non vltimum tenere locum Talem serenissimus rex Dauid suo psalmo sexagesimo nono scribit, ac prædi-

Psal. 69. cat: *Quoniam tu Domine suauis, & mitis.* Quem Apostolorum princeps S. Petrus sua prima epistola capite secundo se-

1. Pet. c. 2. quens, sic ait: *Si tamen gustastis, quoniam suauis est Dominus*, ad demonstrandum, & exhibendum nobis Christi dulcedinem ac suauitatem præ omnibus alijs mysterijs in hoc in superlatiuo latere gradu. Et vt hoc verũ esse demonstrem; legite caput decimum sextum libri Sapientiæ, & reperietis incarnatum Verbum sibi complacuisse homines cibare, non iam ordinarijs cibis quibus inferioris partis terræ animalia nutrire solet, vt sunt radices, legumina, herbæ, & similia, non delicatissimis escis Principum atque Regum lautissimis eorum conuiuijs apponi solitis; non quocunque alio pretiosissimo, & nobilissimo sæculi huius nutrimento; sed æternis ferculis, quæ omnem suauitatem ac dulcedinem ciborum illorum paradisi, quibus Dei nutriuntur Angeli, in summo gradu, & abundantissimè continent. Quod sapiens loco cit. (vt doctissimus Optatus Mileuitanus in hunc lo. ũ opinatur) dicere ac insinuare voluit his verbis: *Angelorum escâ nutriuisti populũ tuũ, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore omne delectamentũ in se habentẽ, omnis saporis suauitatẽ*, Et S. Cyprianus

Sanctissimum Sacramentũ continet in se omnem saporem ac dulcedinẽ

sermone de cæna Domini, ait, Cælestem hunc cibum nõ tantùm omnes qualitates mannæ illius veteris testamenti de cœlo cadẽtis in deserto, quod omnium rerum sapor, atque gustus erat, spiritualiter continere, verum etiam omnium spiritualium cõsolationum gazophylacium esse; ideo non solùm omni imaginabili dulcedine, ac suauitate hominem dignè sumentem efficere; verùm etiam mirabili quodã modo replere, ac satiare. Verba eius hæc sunt: *Vt magna sit, & hic panis omne delectamentum in se habet, virtute mirificâ omnibus, qui dignè, & deuotè sumunt, secundùm suũ desideriũ sapit, implet, satiat edentium appetitum, & omnium exuperat dulcedinum suauitatem.*

S. Cyprian. serm. de cœn. Dom.

Cælesti huic assidẽte mensæ (vt S. Ambrosius in secundum Canticorum caput docet) in illo cellario commorantur, in quod à sponso cœlesti anima sponsa introducitur ad spirituales dulcedines, & cœlestes suauitates ac paradisi cibos, quos Iusti, & Dei serui experimentantur, gustandos atque percipiendos. Verba eius hæc sunt: *Qui ad sacram Eucharistiam admittitur, in cellaria sua introducit eũ Christus, vbi inenarrabiles cõsolationes sancti percipiunt; vbi enim sunt fructus diuersi, ibi sunt bona libamina, ibi mella suauia.*

S. Amb. in 2. Cant.

Hoc sanctissimũ altaris Sacramentũ, scaturigo est, pro fidelium bono, & in vtilitatem dignè gustantium, copiosissimos dulcissimi lactis torrentes, inundãtia cœlestis nectaris flumina & suauissimos liquores diuini Balsami emittẽs. Tale à sãcto ac mellifluo Bern. in Cantica describitur, sequentibus verbis: *Putásne æstimare quale, vel quantum est hoc Sanctũ Sanctorũ & Sacramentũ Sacramẽtorum, amor amorum, & dulcedo omnium dulcedinum?* Et tandem cõcludit: *Hic bibuntur in loco vberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cœlestis.*

Hæc superabundans suauitas ac dulcedo mirabilem alium effectum in anima

anima nostra causat, qui omnium carnalium, ac terrenorum saporum, atque gustuum horror quidã, & rancedo est, quibus quidquid carnem ac terram sapit, & mundus promittit, ac quasi seducens Sirene falsa quadam dulcedine palliat, ad perditionis barathrum perducere conatur & intendit, animæ palato rancidum redditur, & insipidum. Hæc doctrina Sancti Cypriani est, qui sermone de cæna Domini sic ait: *Hic panis omnium saporum incitamẽta, & omniũ exuperat dulcedinũ suauitates.* Et ad propositum meum suũ prosequens inceptũ sermonẽ, sic ait: *Vnde sequitur, vt deinceps homo peccatorũ pocula adhorreat, & omnis saper terrenarũ delectationũ sit ei quasi rancidus, radensq; palatũ, acutæ mordacitatis acetum.* Hæc Sãctus Cyprianus habet, sed ad multò admirabiliora encomia sanctissimi huius Sacramenti cõsideranda nos accingamus.

S.Cyprian. serm. de cœn. Dom.

S.Cyprianus serm. de cæna Domini.

Suauitas ac dulcedo in hoc Eucharistico pane contenta & hodiernâ die à Christo Redemptore nostro in sacra cœna fidelibus porrecta, tanta, & tam excellens est, vt non tantum omnem mundi amaritudinem in dulcedinem, ac suauitatem conuertat, verùm etiam, vt Sanctus Cyprianus loco citato affirmat, diluuio diuini amoris totaliter animam inundet. Verba Sãcti hæc sunt: *Ex virtute huius Sacramẽti anima spiritualiter reficitur, & quodãmodo inebriatur, dulcedine bonitatis diuinæ, secundò illud Cãticorũ, Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi* Nam si materialis vini potentia, vt optimè Sanctus Ambrosius in Psalmi centesimi octaui verba, *Et calix meus inebrians, quam præclarus est?* dicit hominem rationis priuatũ vsu: eodem modo cum proportione quadam loquendo, huius cælestis cibi potentia, hominem digne sumentem quasi extra se, & tam exstaticum reddit, ac constituit, & omni terreno priuat gustu, vt omni terreno deposito metu, nec minis, nec pœnis, nec ipsius mortis timore ad sumenda, & gustanda illa adduci possint, sed fixos in cælum & ad cælestia gaudia mentis habeãt oculos. Verba Sancti hæc sunt: *Hoc Sacramento inebriantur affectus fidelium, vt curam sæculi huius, metum mortis, solicitudinemq; deponant.*

S.Amb.in 2.Cant.

S.Cyprian. loco citato.

S. Amb. in Psal. 108.

Nunc Prophetæ Oseæ dictum capite decimo quarto secundùm septuaginta Interpretum translationis sensum peraptè percipio ac penetro. Verba eius hæc sunt: *Bibent, & inebriabuntur tritico.* vbi vulgata sic legit: *Viuent tritico.* Voluit dicere Propheta: Erit tempus cùm fideles admirabili quodam de cœlis demisso cibo vescentur, quo digne sumpto inebriabuntur, & omni terrenarum rerum sapore atque sensu priuabuntur, & quasi de terra non sint, cœlestia tantùm gustare, & sapere velint: *Bibunt, & inebriebuntur tritico.* Nouum, inauditum, ac mirabile quid N.N. hoc prophetæ dictum indicat. Quis vnquam vidit pane puro, & tritico sumpto inebriari, & rationis vsum, & ad omnia terrena sensum perdi? Immoderatè vinum sumptum talem producere effectum, quotidianâ docemur experientiâ. Attamen dicamus, & non malè, sed optimè, quod hoc sanctissimum Sacramentum, cælestis hic panis, corpus, & sanguis Domini sub panis specie hodiernâ nobis relictus die ac in cænâ sua traditus, huius virtutis, valoris, ac potentia sit, vt dignè sumentes, animas non tantùm terrenarum rerum gustu, ac sapore priuet, verùm etiam diuinarum dulcedinem, ac cælestium consolationum abundantiâ, & affluentiâ taliter inundet, vt quasi ebriæ extra se omnium creaturarum sensu priuatæ, in sola cælestium consideratione, & diuini amoris fruitione quasi sepultæ iaceant. *Bibẽt, & inebriabuntur tritico.* O fœlix ebrietas! ô salutaris faturitas! beatam, & millies beatam

Oseæ c. 14. Sept. interp.

Inebriantur hoc cibo fideles mirabiliter.

beatam animam illam dixerim, cui dulcedinum harum cælestium affluentia à Domino conceditur: plusquam fœlicem dixerim quæ tantarum suauitatum saporis digna facta, ex hoc fonte bibendi licentiam habet, quæ quò magis edit, & bibit, eò maiori repletur sobrietate, & omnium aliarum virtutum decoratur corona: nam hic sanctissimi huius cibi effectus est, quem superabundantem in accedentibus dignè, & bene præparatis demonstrat. Hæc doctrina non mea; sed sancti Hieronymi Sanctæ Dei Ecclesiæ Doctoris est, qui in verba capituli decimi tertij Sancti Marci. *Et accepto calice dedit eis:* sequentia habet verba: *Ebrietas felix, satietas salutaris, quæquantò copiosius sumitur, tantò maiorem sobrietatem sumentibus donare dignatur.*

Hieron. in c. 13. Marc.

Quæ vt vera, & non fictitia esse deprehendatis, oculos mentis vestræ in primitiuæ Sanctæ Ecclesiæ Sanctorum Martyrum facta, & acta conuertere, eaque intueri, ac examinare non pigeat, & reperietis Sanctum Augustinum Ecclesiæ Dei lumen in psalmum trigesimum quintum mirabiles, & inauditos effectus huius diuini Sacramenti, in Sanctis his Martyribus, describentem. Qui gustato hoc cælesti cibo veluti ebrij, exstatici, absque sensu, & tali extra se diuini amoris igne accensi, intrepidi properabant ad supplicia, magnanimiter amicorum despicientes compassionem. Quid dico? naturalis in illis sopitus erat affectus; ad clarissimorum consortium, & filiarum atque filiorum planctum obduratas ac surdas habebant aures: matrum supplicationes, patrum instantias despiciebant filij atque filiæ; nec respectus quis, cuiuscunque potentiæ ac valoris fuerit, magnanimi ab ipsis incepti operis cursum retardare, vel sistere valebat. Verba Sancti in Psalmi locum, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*, vobis percipere lubeat; quæ hæc sunt: *Hoc iam calice inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quam non cognoscere vxorem flentem, non filios, non parentes?* Et tandem finiens inquit: *Nolite mirari: ebrij erant. Vnde ebrij erant? Videte: acceperũt calicẽ vnde inebriarẽtur.*

S. Aug. in Psalm. 35.

Interrogate (vt alios innumerabiles Dei Sanctos prætereamn) Seraphicum, & Sanctum Franciscum Assisiensem; ille vobis admirabiles effectus potentiæ & valoris huius sanctissimi Sacramenti enarrabit, atque describet. Qui cum huic sacræ accederet mensæ, & immaculatis cœlestis agni cibaretur carnibus, tanto inundabatur anima eius dulcedinum, ac suauitatum diluuio, vt totus diuini amoris vino ebrius, ad terrenum quidquid erat, mortuus, ac sopitus; in cœlestium vero consideratione totus flammeus, & accensus per integras duraret horas. Audiamus Sancti Bonauenturæ testimonium in vita eius: *Sæpe communicabat, & tam deuotè, dum ad immaculati Agni degustationem quasi spiritu ebrius, in mentis vt plurimum rapiebatur excessu.* Similes deliciarũ effectus diuinus hic cibus in corde magni illius Dei serui Iacobi de Stephano, vt Franciscus Maggio in vita eius attestatur, operabatur, qui sacrâ celebratâ Missâ, & his immaculatis cœlestis agni carnibus cibatus, tota die æstuantem ignis flammam in præcordijs suis flagrare sentiebat.

S. Bon. in vita S. Franc.

Franc. Maggio cler. Rep. in vita eius.

Nec dulcedinum, ac suauitatum harum affluentia, qua animæ dignè accedentes inundantur, in anima terminatur, quasi caro illarum priuetur sapore, atque gustu. Non fratres: nam tanta est illarum abundantia, atque potentia, vt quasi mustum in dolio bulliens, modico vase, quo includitur, non contentum, latiora quærens spatia animæ transgrediatur terminos & nonnunquam carnem, & sanguinem suarum dulcedinum, ac suauitatum abun-

abundantia inundet. Doctrina hæc sancti Theodoreti est; qui verba illa Canticorum capitis secundi explicans, *Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios hominum.* dicit animam sponsam hic Christum sponsum suum homo assimulasse: nam vt hic fructus non solum gustui hominis gratus est, verum etiam suâ pulchritudine, odore, & alijs qualitatibus etiam alios recreat, ac delectat sensus: sic proportione seruatâ diuinus sponsus animæ se exhibet, cum hoc fruitur Sacramento: quia non tantum internas animi potentias, vt dixi, dulcedinum suarum suauitate replet ac inundat, verum etiam ad extra effundens corporis sensus mirabili quadam suauitate ac dulcedine recreat, ac replet. Verba eius hæc sunt: *Talis est Dominus noster Saluator & sponsus, qui in conuiuio suo sensus omnes replet suauitate.* Idem elegantissimis verbis Angelicus Doctor opusculo quinquagesimo octauo verba illa Canticorum capitis quinti: *Bibi vinum cum lacte meo.* explicans asserit inquiens: *Bibi vinum cum lacte meo, id est sanguinis Christi, cum dulcedine spiritualis consolationis.*

Cant. 2. *S. Theod. hic.* *S. Thom op. 58.* *Cant. 5.*

Totum quod de diuini huius cibi suauitatum ac dulcedinum diuitijs vobis enarraui, præter alios innumerabiles Sanctos, beatus ille Ioannes de Aluernia, vt in Chronicis Sancti Francisci parte primâ, libro secundo, capite septimo enarratur, mirabili quodam modo dum illo frueretur, experiebatur; qui die quadam post Missæ celebrationem tātâ dulcedinis ac suauitatis abundantiâ inebriatus, & in omnibus sensibus repletus fuit, vt quasi exanimis in terram cadens, ab omnibus mortuus crederetur.

In Chron. S. Franc. p. 1. l. 2. c. 7.

Sed quid multum sacræ huius mensæ dulcedines prædicare conor? dicant animæ deuotæ, & dignè accedētes, dulcedinum, ac suauitatum eius enarrent profluuia, quæ in tanta abundantia animas tales inundant, vt mortalitatis terminos, & carnis ac terræ confinia iam transcendisse, & per Empyrei cæli campos spatiari sibi videantur. Ideo Regius Vates immensitatem illarum describens, indefinitè de illis loquitur, dicēs: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* *Psal. 67.*

O miseros mundanos! qui stolidi & quasi pecudes intellectu carentes tam auxij mundi gustus quærunt, vt cæci post falsas delicias à mundo propositas ambulent, quæ tamen; vt sapientissimus Seneca Ep. cētesimâ docet angue peius fugienda *Nihil magis præstandum est, quā ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem per gentes, non qua eundum est, sed qua itur.* Idem dicere volebat Spiritus S. per os Ierem. Prophetæ capite trigesimo primo: *Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga?* Volens dicere: Et in quantum ô anima Christi sanguine redēpta impijssimum terrenarum deliciarum tolerabis iugum? Et quando tandem indisciplinaris tuis desiderijs ac appetitibus frænum inijcies? Cur tandē aliquando falsas has non despicies delicias, & veras ac semper permanentes cælestes amplecteris. *Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga?* Prophetæ hæc verba sunt, quibus illa S. Bernardi Abbatis epistola centesima quarta ac resonantissimum Echo correspondeat, quæ hæc sunt: *Vsquequo misera diuerticula captas, & consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore vendicas?* Ac si dixisset: Ah non veræ sed falsæ sunt deliciæ illæ mundi tātopere, & anxiè à te cōcupitæ, & cum tanto tuo rubore ac verecundia à te mendicatæ, sacratissimæ huius mensæ deliciæ, & ab animarum sponso dignè accedentibus promissæ, solæ veræ, & permanētes sunt. His tam liberali, & prodigâ sponsæ manu distributis & non illis parcissimis mundi porrectis anima verè recreatur, atque satiatur. Non percepistis quàm claris illud attestatus sit verbis idem mellifluus Sanctus Bernardus loco

Sen. Epist. 100. Nihil in mundo ita satiat ac recreat. *S. Bernard. Epist. 114.*

loco citato inquiens: *Reuera illud vnum & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore percipitur.*

Nec dicere quis velit amaritudinem quidem terrenarum deliciarum sibi sat constare, sed ad delicias licet pro viribus se disponere conetur, minimè percipere, & gustare, nec suauitatis eorum in anima sua effectum aliquem experimentari. S. Aug. psalmi trigesimi verba, *Quam magna est multitudo dulcedinis?* explicās, adducit peccatorem etiam sic arguentem: *Vbi est multitudo dulcedinis, qui palatū de febre iniquitatis prodidisti? palatū cordis non habes ad hac bona gustāda: quid tibi faciam?* quomodo ostendam? id est, causa harum deliciarum carentia prouenit ex mundanis, qui cordis palatum adhuc terrenis voluptatibus infectum habes, sed cum hunc verè purgaueris, & toto corde & anxiè inuestigaueris, reperies. *Da amantem, & sentit quod dico.*

Cur peccator non sentiat suauitatē cibi Eucharistici.

Cum igitur tales fructibus huius mundi adhuc immaturis animās nutrire volunt, acerbitate illorum impeditur palatum illorum & ineptum ad huius mensæ dulcedines percipiendas redditur, & ad gustandas spirituales eius delicias. Conceptus hic Sapientis est, Prouerbiorum capite vigesimo septimo *Anima saturata calcabit fauum.* Quem locum Cornelius à Lapide glossans, sic ait: *Anima saturata peccati acerbitate, calcabit fauum spiritualis dulcedinis.* Pro. c. 27.

Ergo Christiane mundi cogites dicere vale delicijs, & falsa eius gaudia deserenda iam tibi esse persuadeas: infamiâ enim laborant, & rationem, vt amentur & quærantur, nullam habent. Suauis panis mundi videtur, sed in nouissimis diebus os tuum implebitur calculo. Audi Senecæ consilium, quid Epistola vigesima septima tibi suadeat: *Dimitte istas voluptates turbidas magno labore tuendas: non ventura tantum, sed etiā præterita nocent.* Ergo has fuge, & velut cœlestis apis huic accede mensæ, & non tantum gusta suauitatem eius, sed animam tuam ad summam reple saturitatem. Audi sanctæ Dei Ecclesiæ lumen sanctum Augustinum his verbis te inuocantem: *Suge, suge apicula dulcoris inenarrabilem suauitatem: immergere & replere, quia deficere nescit, si tu non incipis fastidire.* Hæc facientes Christiani, quantum humanæ permiserunt potentiæ, suauitatem atque dulcedinem huius mensæ percipietis, atque ad æterna illa gaudia, & gloriæ delicias percipiendas disponemini Amen. Seneca. S. Aug.

DISCVRSVS XXXVI.

PRO DIE VENERIS DE PASSIONE DOMINI.

ARGVMENTVM.

Tractatur per tres partes tota historia Passionis Christi, & compassionis Matris eius Mariæ.

NIGER & funestus hic apparatus obscuri coloris hoc pallium, & melancholica mea præsentia, nouus & inusitatus hic modus, quod iam non albâ, sed nigrâ indutus, ac coopertus stolâ, non ad campanarum sonum, sed strepitum vnius ligneæ tabellæ vobiscum pareant, quid, Auditores, indicare, ac significare creditis? Inter-

Interrogate corda ac conscientias vestras: hæ vobis aperient rationem, & tãti doloris causam dicent aliam non esse, quàm mortem cuiusdam iuuenis, in Regia Ciuitate Hierosolyma in ligno crucis in Caluariæ monte suspensi & occisi. Iuuenis, dico, mansuetudinis summæ, innocentiæ indicibilis, sanctitatis inenarrabilis, puritatis plusquam Angelicæ, in summa, tantæ bonitatis, vt ad nominis eius pronuntiationem vires deficiant, & cor præ teneritudine scindatur & lingua obmutescat. Attamen vt sciatis nomen eius, & quis fuerit, dicã. IESVS hic iuuenis occisus appellatur, IESVS ille æterni Dei patris filius est, IESVS hic innocẽtissimus filius Virginis Mariæ. Hic IESVS, de quo in Act. Apost. capite decimo sequẽtia verba legimus: *Qui pertransijt benefaciẽdo, & sanãdo omnes.* Hebræorum odium ac maleuolẽtia vt latronẽ cepit, & vinculis strinxit, vt malefactorum condemnauit, vt homicidam denudauit, vt mente captum ludicrâ induit togâ, vt vilem despexit, vt rebellem mulctauit; deformauit sputis, & immunditijs, saturauit opprobrijs, potauit felle, postposuit homicidiæ, comparauit nebulonibus, associauit sceleratis, & cum homicidis occidit. Hæc ratio atque causa funesti apparatus & doloris mei est; idcirco ad similem luctum vos inuito, ô vos Angeli, flete, & dolete: nam mortuus est magni consilij Angelus. Apostoliq; lugete, quia mortuus est Magister vester: flete filij, nã mortuus est vester pater; fæminæ, quia mortuus est vester sponsus; pupilli, quia mortuus est vester tutor. Et te, ô sanctissima, & tota dolorosa Virgo, inuito, & supplico, oculos tuos tantisper in iuuenem hunc mortuum conuerte, & spectaculum dolorosum, cui simile sub sole visum non fuit, cõsidera. Videbis ô afflictissima Mater! filium tuum, non vt Regem, & monarcham à tribus Magis adoratum, sed à Iudæis irrisum, & veluti insanum tractatum. Videbis coronatum non vt Regem Regum aureâ gemmis adornatâ coronâ, sed acutissimis spinis: videbis in dextra eius non Regale Iudææ sceptrum, sed arundinem: videbis faciem eius, sed non illam, *in quam desiderant angeli prospicere*, sed sputis ac mille immunditijs coopertam, ac deformatam. Et tandem videbis illum non iam in Regali Salomonis throno vt Regem Israel sedentem, sed in cruce extensum & veluti impium, sceleratum, latronem occisum. Ecce sanctissima Virgo, hic est gladius ille acutus à sancto Simeone tibi prophetizatus animam & viscera tua transiturus. *Et tuam ipsius animã pertransibit gladius.* Nunc nõ licet tibi ô sanctissima Virgo hunc filiũ tuũ amantissimis complecti brachijs, sed tuum ô sanctissima crux officium est, tuis brachijs recipies patris æterni filium. Tu es holocausti altare, supra quod summus sacerdos semetipsum sacrificans æterno patri pro nostris satisfacies: tu es illa mensa, supra quam æterno Deo redemptionis numeratur pretium. Et vt finiam, tu, ô sanctissima crux! secunda es mater Christi, in cuius brachijs moriens nos omnes denuò regenerauit, vt mediante te peccatorum remissionem, & vitam æternam obtinere sperantes, omnes supplices in genua nostra cadamus ac humiliter te adorantes dicamus:

Act. c. 10.

1. Pet. 3.

Hic ostẽditur crux Luc. c. 2.

Eccl. Hy. Dom. Pas.

O crux aue spes vnica
Hoc Passionis tempore,
Auge pijs iustitiam,
Reisq; dona veniam.
Amen.

PARS I.

NOn dubito N. N. Sanctum Ieremiam lamentantem, & compassione dignam Hierosolymam adducentem prophetico oculo terrenam

& materialem illam Iudæorum metropolim minimè inſpexiſſe & conſideraſſe, ſed aliam multò excellentiorem, nobiliorem, quæ Chriſti noſtra ſanctiſſima humanitas vera Ieruſalem & pacis viſio eſt, intellexiſſe! nam mundi Redemptorem inſpexiſſe, idem erat, ac pacis vidiſſe viſionem, *ipſe enim*, vt Apoſtolus ad Epheſios capite ſecundo atteſtatur, *eſt pax noſtra*. Nunc ergo ô pij N. N. lamenta, & fletus huius ſanctiſſimę Ieruſalem ſacratiſſimę Chriſti humanitatis percipere Iubeat, quę tota doloroſa, & afflicta ſic lamentatur: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Volens dicere: O vos qui per varia peregrinati eſtis regna, plurimas trāſcurriſtis regiones, variarū gentiū vidiſtis mores, plurimos inſpexiſtis doloroſos & tormentatos, & varia dolorum ac pænarum inſpexiſtis genera, ſiſtite gradū, & aliquātulum in me oculos veſtros conuertentes conſiderare num ſimile doloroſum ſpectaculū vniuerſus cōtineat mundus?

Eph.c.2.

Thren. 1. 12.

Angelicus Doctor ſanctus Thomas tertiâ parte, quæſtione quadrageſimâ nonâ articulo ſexto inquirit, nū Chriſti dolores fuerint intenſi. Et reſpondet intenſiſſimos, & maximos fuiſſe atque omnes mundi huius dolores imaginabiles longè ſuperâſſe. *Propter perceptibilitatem patientiæ, & ſecundum animam, & ſecundùm corpus.* Nam Chriſtus miraculoſè ex ſanguine Virginis Spiritus ſancti opere formatus fuerat. Ideò Iſaias capite quinquageſimo ſeptimo per excellentiam ipſum appellat *Virum dolorum.* Quæ verba Liranus explicans, ſic ait: *Multi & magni doloris expertus.* Id eſt, Chriſtus, & Redemptor noſter homo fuit dolorum, & ſuper omnes homines crudeliſſima paſſus eſt tormenta. Sanctus Iob (ſcitis) erat ſummè afflictus, & plenus dolore, ita vt à pedis planta vſque ad capitis verticem in eo ſanitas non eſſet; attamen ſacer textus *Virum dolorum* non appellat, Nam titulus hic Chriſto vt mundi Saluatori reſeruatus erat. Vehementiſſima, & intenſiſſima fuerunt flagella, quibus ſanctus vir Iob à dæmone fuerat flagellatus, attamen pellis reſidua erat, & dentes eius labijs cooperiebantur. Sic ipſemet capite decimo nono atteſtatur: *Pelli meæ conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos.* At benedictus Chriſtus Redemptor taliter flagellis excarnificatus fuit, vt nec pellis, nec labia dolore & vulnere caruerint: nam pellis totaliter flagellis, & virgis ferreis dilacerata erat, vt ipſemet per Ieremiæ os Threnorum capite tertio atteſtatur: *Vetuſtam fecit pellem meam, & carnem meam: contriuit oſſa mea.* Labia autem eius iam per impiorum manus vulnerata ac tumida facta, felle & aceto potata ſunt. Sic ſereniſſimus Rex Dauid prophetico inſpexerat oculo, vt Pſalmo vigeſimo primo atteſtatur, inquiens: *Dederunt in eſcā meā fel, & in ſiti mea potauerūt me aceto.* Ad hoc miſerabile, & compaſſione dignum ſpectaculum conſiderandum, & examinandum nos inuitat Sanctus Bernardus ſermone de paſſione Domini, inquiens: *Volue, & reuolue pellem corporis* IESV *à planta pedis, vſque ad verticem capitis; nihil inuenies niſi dolorem, nihil niſi mœrorem.*

Cauſæ ſummorū dolorum Chriſti in paſſione. *S.Th.3.p. q.49.art.*

Iſa.c.57. *Tir.hic.*

Comparatur Chriſtus Patiēs cum Iob.

S.Bern. de paſſ.

Ad maiorem Chriſti dolorum extenſionis exaggerationem conſiderare vobis lubeat modum paſſionem ſancti viri Iob, qui licet plurimos habuerit dolores & varijs exagitatus fuerit tormentis, attamen habuit amicos, à quibus non fuit derelictus, ſed tres de longinquo venientes, & conſolationis exhibentes officiū, ipſi aſtabant, & dolores minuere conabātur. Sic capite ſecundo eius libri reperietis: *Cōdixerant enim vt pariter venientes viſitarēt eum, & conſolarentur.* Sed benedictus Chriſtus ab omnibus fuit derelictus, & nullus conſolationis gratiā

Iob.c.2.

tiā

Ps.68. tiâ ipsi astitit, de quo cõquereñs per Dauidis os sic ait: *Et sustinui qui simul cõtristaretur, & non fuit: & qui consolaretur & non inueni.* Etsi mater ipsi adstitit, & ad pedes crucis miserum inspexit spectaculum, plus afflictionis quàm consolationis ipsi causauit, vt sãctus Bernardus tractatu de passione capite decimo attestatur, inquiens: *Adauxit vulnerum passionem materna compassio, quæ cõtritissimo corde viriliter astabat pendenti.* Sãctus vir Iob, vt legimus capite quadragesimo secundo, Deum habebat qui ipsum cõtra persequentes se defendebat, & suam agebat causam. *Iratus est furor meus in te, & duos amicos tuos.* Sed Christus ab æterno patre non tantum defensionem aliquam non habuit, verùm etiam derelictus fuit vt ipsemet apud Sanctum Matthæum capite vigesimo septimo conqueritur, dicens: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* imo persecutus est ipsum, atque occidit. Sic per Isaiæ os ipsemet Deus attestatur: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Vnde Sanctus Gregorius Papa libro sexto Moralium, capite trigesimo primo sic loquitur: *Iob passionis Redemptoris nostri, eiusq́; corporis & passione suâ signauit, & nomine. Iob quoque interpretatur dolens. Et quis alius in Iob dolẽte figuratus, nisi is, de quo scriptum est: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit?* Ideò & quidam meritò Threnorum capite tertio, *Virum dolorũ* ipsum appellat. Et ipse miserabile spectaculum cunctis se exhibens inquit: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.*

Comparatur Christus Patiẽs cum Iob.

S. Bern. tract. 1. de pass.

Iob c. 24.

Matt. c. 27

Isa. c. 53.

Thren. 3.

Iam verò ad magis particularia Christi tormenta descendentes, & in magis altum pelagus Christi dolorum vela noster dirigentes, dico cum Doctoribus differenter de Christi doloribus esse agendum, vt qui in duplices diuidantur classes. Primi sunt animæ passiones, ac interni dolores, quos ipsemet capite vigesimo sexto apud sanctum Matthæum descripsit inquiẽs: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Secundi sunt externi in corpore & carne passi dolores, & tormenta, de quibus per Isaiæ os capite quinquagesimo sic loquitur: *Corpus meũ dedi percutientibus,* Vtrumque vero dolorum, ac tormẽtorum genus Threnorum capite tertio Indicare voluit cùm absynthio sepotatum fuisse conqueritur, dicens: *Inebriauit me absynthio* Quę verba Glossa explicans, sic ait: *Cùm dicit se ebriatum absinthio, ostendit tam interiùs, quàm exteriùs, se affectũ amaritudine passionis* Christi interni dolores ob animæ excellentiũ fuerunt intensissimi, & ad summũ peruenerunt gradum, Iudæorum inuidia à Christo considerata, quâ mori ad mortem eum à Pilato petebant, vt apud sanctum Matthæum capite vigesimo septimo egimus; *Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum,* summum in sanctissima eius anima causabat dolorem, atque tristitiam, & tormenta. Augmentabantur hæc tormenta ignominiâ crucis: & præ omnibus nuditate illâ tãtopere à quacunque honesta persona auersari solitâ, vt millies mori quàm quid tale pati eligerent. Ergo hæc nuditatis ignominia inexplicabiliter Christi augmentauit dolorem, & quantò maior eius honestas, atque puritas erat, tantò maior & intensior dolor sanctissimæ erat eius animæ. Crescebat hic dolor intuitu inimicorum, qui Redemptorem nudum illudentes aspiciebant & venenosis suis linguis varijs sagittantes iniurijs, irridebant & benedictas virginales carnes eius vt metam opprobriorum ponebant. Hunc dolorem apud Regem Dauid Psalmo vigesimo primo ipsemet indicare voluit, dicens: *Ipsi verò considerauerunt & inspexerũt me.* Absque modo & mensura dolor hic multitudine populi tã Iudæorum, qui ex Galilæa, & vniuersa Iudæa & ex vniuerso mundo ad solemnitatem cele-

Matt. c. 26

Isa. c. 50.

Gloss. hic.

Matth. c. 27.

Cruciatus ac dolores animi Christi in Passione.

brandam, & inspiciendam Hierosolymam venerant, crescebat: nam quot intuentium erant oculi, tot augmentationis dolorum erant gradus in sanctissima eius anima. Nam publica aliqua ignominia, & multorum intuentiũ oculi extra modum augent dolorem, atque tristitiam, vt sanctus Isidorus Pelusiota Epistolâ centesimâ octuagesimâ secundâ docuit, inquiens: *Contumeliarum, ac suppliciorum magnitudinem spectatorum, atque consciorum multidine ponderare homines consueuerunt.*

S. Isid. Pelus. Ep. 182.

Inualescebant animæ hi dolores ex modo capturæ eius, qui infamissimus, & ignominiosissimus erat; nam non tam captura, quam capturæ modus à Christo considerabatur, poterant eũm quotidie habere in templo, in proprijs eorum domibus, & mille alios honestiores modos eum capiendi habebant; sed noctu extra vrbẽ, vt latronum, homicidam, per armatos milites, & satellites, & traditionem proprij discipuli capitur, & veluti princeps malefactorum varijs ligatur vinculis, ac catenis, & ad instar canis per easdem vias, per quas ante paucos dies vt gloriosus ipsorum Rex per vniuersalẽ acclamationem ductus fuerat, vt malefactor trahitur, atque ducitur.

Accedebat Petri triplicata negatio, quæ mirum in modum benedictũ Christum affligebat: nam non erat inimicus sed summè dilectus, quem suum vicarium in terris, Apostolorum Principem cœlorum clauigerum, & primum post se in cœlis, & in terris constituerat, hic non semel, sed ter negat suum magistrũ, Dominum, & Deum; & quod summo Christi animam affligebat dolore, erat iuramenti confirmatio.

Iniuriarum modus summopere Redemptoris augebat dolorem: nam fuit irrisus, vexabatur vt stultus, & mente captus, vt sceleratus conspuebatur in facie, & sanctissimus eius vultus, cuius visione angeli cibantur, sputis & immunditijs nebulonum cooperiebatur, vt mendax & iniuriosus alapis cędebatur, vt malefactor virgis publicè cædebatur, extra ciuitatem ducitur, & summa cum ignominia crucis afficitur tormento.

Augmentabatur etiam dolor consideratione illâ, quâ benedictus Christus iniurias à populo, cui tot exhibuerat beneficia, passus ponderabat; & quòd populus, quem præ omnibus ab æterno elegerat; tantas gratias exhibuerat, tantâ hæc omnia solueret ingratitudine. O quis dolor, quale tormentum Christi, quo afficiebatur eius anima!

Crescebat hic dolor vltra modum, tantâ multitudine, non tantum actualium peccatorum tunc commissorum inspectione & intuitu, verùm etiã præteritorum ab Adami tempore commissorum, & vsque ad iudicij diẽ committendorum consideratione. Cui accedebat horror, & abominatio peccati in anima eius sanctissima, & turpitudo peccati; quod cùm malorum omnium summum, & horrendissimum sit, summum & inexplicabilem in sãctissima eius voluntate causabat dolorem, summâ tristitiâ afficiebat sanctam eius Animam quę cùm ipsa esset innocentia, aliud quàm summum, & infinitum horrorem in ipsa causare non poterat.

Et tandem præ omnibus his sanctissimæ Christi animæ dolores, & tormenta indicibiliter augmentabantur, & crescebant impœnitentiâ illâ vnius Iudæ traditoris, & charissimi sui Apostoli, animam cuius cum Lucifero associatam inspiciebat; latronis, & malefactoris, vt in socij pœnis, obstinatione in peccato, tot millium, & millium Hebræorum, ac innumerabilium Christianorum perditione. Quibus omnibus pretiosus eius sanguis, in tanta abundantia ac superfluitate pro ipsis effusus, vt Propheta Psalmo 129. dicat:

dicat: *Et copiosa apud eum redemptio.* cum vnica sufficiens fuisset gutta, non ad salutem, sed ad maiorem condemnatio-nem futurus esset, imo tam copiosè ef-fectus, vt Sanctus Bernardus sermone vigesimo tertio in Cantica dicat: *Copiosa siquidem non gutta, sed vnda sanguinis, per quasque partes corporis emanauit:* & tamē ab ipsis vilipendendus, & pedibus con-culcandus. Hi fuēre interni dolores san-ctissimæ Redemptoris nostri animæ.

Ber. ser. 23. in Cant.

Deinde dolores ac tormenta cor-poris fuerunt grauissima & intensissima; nam cum de purissimo sanguine, & lacte sanctissimæ Mariæ Virginis miraculo-sè per Spiritus sancti opus vt organum tam perfectissimæ animæ, qualis Christi erat, & quod magis est ad instrumen-tum Verbo æterno coniunctum forma-tum fuerat, necesse erat delicatissimum fuisse: Ideo Sancti P.P. Christi consi-derantes carnes, dicunt pupillâ oculi multo delicatiores fuisse. Ergo tor-menta illa à Iudæis Christo illata sum-mos dolores, inexplicabiles cruciatus in sanctissimo eius corpore causare de-bebant. Ergo merito ratione delicatis-simi corporis benedictum Christum cum sancto Isaia Propheta, *Virum dolo-rum* appellabimus.

Dolores Corporis Christi.

Crescebant & augmentabantur do-lores non tantum intensiuè, & exten-siuè considerati; nam passio atque do-lor eius nō vnâ, duabus, vel tribus cor-poris erat partibus, sed per vniuersum corpus, per omnia membra, per om-nes partes extendebatur: caput cru-ciabatur acutissimis spinis, vultus eius spinis & colaphis affligebatur, aures in-iurijs affligebātur, oculis cæli impedie-batur visus, nares implebantur intole-rabili fœtore; labia iam vulnerata ma-nuum ictibus, felle & aceto cruciaban-tur, collum stringebatur funibus, & onerabatur catenis, pectus aperiebatur lanceâ; humeri, tergum, brachia, ac crura cædebantur flagellis, manus & pedes dirissimis transfigebantur clauis; vnde prophetia illa Isaiæ capite primo in Christo impleta cernitur; *A planta pe-dis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Et ad demonstrandum sanctissi-mum Christi corpus non vnum, sed in-numerabilia habuisse vulnera, totum corpus vt vnicum descr bit vulnus, in-quiens: *Vulnus & liuor, & plaga tumens.* O quis dolor! quis dolor! Merito Chri-stus noster *Vir dolorum* appellatur.

Isa. c. 33.

Isai. c. 1.

In summa vltra modum dolorem & cruciatus Christi augmentabat, scientia illa, quâ Christus sciebat se verum esse Messiam, Deum, & Creatorem ipso-rum, Regem Iudæorum, sanctum San-ctorum, Prophetam Prophetarum tot ipsis exhibuisse miracula, tot præstitisse beneficia paucis hinc diebus, vt Regem Iudæorum cum oliuis & palmis vestes sub pedibus substernendo per ciuita-tem triumphū duxisse, & lætis vocibus populi & puerorum Regem, Saluato-rem & Messiam proclamatum fuisse, *Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Et nūc ex improuiso mutari folium, honorem conuerti in ig-nominiam & opprobria & per easdem vias summa cū ignominia cruce impo-sita humeris vt latronem extra ciuitatē duci, & in Caluariæ monte inter duos latrones summo cū vituperio & dolore crucifigi. O quæ miseria! ô quanta hæc infelicitas est! Nam vt Boetius de cōso-latione dicit, *Infelicissimum infortunij ge-nus fuisse felicem.* Ecce quanta erat felici-tas Christi ante paucos dies, cum vt rex Hierosolymam triumphando intra-ret; quanta infelicitas eius, cum ho-die vt latro, rebellis, malefactor, ho-micida cum alijs malefactoribus ex-tra vrbem in montem ducitur, & inter duos latrones in cruce suspenditur, occiditur; & tamen hanc infelicitatem pro nostro amore elegit Christus; ideo processionem palmarum crucis præ-cedere voluit, vt quò maior die illâ erat

Matt. c. 21.

Boet. de con.

erat consolatio, eò acerbior die hac esset dolor, atque afflictio. Sic S. Bernardus Abbas sermone secundo de die Palmarū docet inquiēs: *Sed quid fuit quod processionē habere voluit, qui mox futurā nouerat passionem? Forte vt amarior esset passio quā processio præcessit.* Ergo meritò S. Isa. *virū dolorū* te appellat, ô benedicte Christe! & tu ipsemet nos omnes ad hoc doloris cōsiderandū spectaculū incitas, inquiēs: *O vos omnes, qui transitis per viam; attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus!*

S. Ber. hic 2. in die Palm.

Dolores in particulari.

Sed vt communi Christi dolorum consideratione factâ ad particularē dolorum contemplationem transeamus; dico Christi dolorum infaustissimum fuisse principium, transitum illum trans torrētem Cedron cum discipulis suis, vt Ioannes capite decimo octauo insinuat: *Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentē Cedron, vbi erat hortus.* Intrat benedictus Christus hortum, vt gratiæ & salutis poneret fundamenta, vbi peccatū & damnatio sumpserat principium. Ingreditur locum delitiarum ad passionis ponenda principia, vbi perditionis hominis euenit origo. Audiamus S. Cyrillū libro quarto in Ioannem, cuius hęc verba sunt: *Vt vnde ruina originem traxit, inde ortum haberet reparatio.*

Prima trāsitus Cedrō & ingressus in hortum.

Ioan. c. 18.

S. Cyrill. l. 4. in Ioan.

Prædicto ergo discipulis scandalo, quem de eius captura & passione passuri erant, & quomodo de diuinitate dubitando veluti dispersæ oues fugæ se tradituri essent, vt Scriptura illa apud Zachariam capite decimo tertio impleretur: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis:* hortum ingreditur, & relictis omnibus alijs Apostolis ac discipulis, tres solum, vt Petrum, Ioannem, Iacobū iam alias gloriæ suæ in monte Thabor testes assumpsit; quibus seorsim sumptis animæ suæ tristitiam manifestans, quæ ab Hebræis passurus erat, aperuit. Sic apud Matthæum capite vigesimo sexto, habetur, *Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari, & mœstus esse.* *Tunc ait illis. Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Sed qua de causa tristitia impletur anima tua ô benedicte Christe? Hæc est hora illa à te tātopere ab æterno desiderata & loco gaudij atque lætitię mœrore impleris, & in anima tua turbaris dicens: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Glossa interlinealis hunc explicans locum, docet Christum de passione sua iam instāte minimè contristatū, aut mœrore turbatum fuisse, sed ob Iudæ proditoris perditionem, quē ipso tēpore effusionis sāguinis desperaturū, ac perditum iri præuidebat. Verba eius hæc sunt: *Tristis est anima mea nō pro morte sed pro Iuda damnando.* S. Hieron. citatus à Glossa hic dicit, non propter instantem, & iam vicinā mortem contristatum fuisse Christum, cum illam præ omnibus desideraret, sed quia ipsi videbatur differri, & consequenter tempore illo Redemptio humani generis impediri. Verba eius sic sonent: *Tristis vsque ad mortem non propter mortem, sed donec mundū sua liberaret passione.* Id est tristatur Christus nō quod mori deberet, sed quia redēptionis finem retardari videbat. S. Ambr. in Lucæ caput vigesimum secundū opinatur Christum non quod in cruce configi & ignominiosam obire deberet mortem, contristari se dicere, sed quia mediante morte nos, quorum conuersatio tam chara & dulcis ipsi erat, deserere cogebatur, & nostra priuabatur familiaritate. Verba eius hæc sunt: *Tristis est, quia tali transitu à nobis erat ex hoc sæculo recedendum: dolet, non propter mortē sed propter absētiā.* Pauet, dicit S. Bernar. ser. secundo de S. Andrea Apost. benedictus Christus, vt homines quos sua morte viuificaturus erat, sua trepidatione, atque pauore fortes ac intrepidos ad mortem subeundam redderet. Sic habet: *Tristis est, vt quos mors eius viuificabat, & trepidatio robustos faceret.* Dolet benedictus Christus, dicit S. Augustinus, non quia plurima tormen-

Zach. 13.

Matth. 26.

Glossa interl. hic.

S. Hier. cit. à gloss. hic.

S. Am. in Luc. c. 22.

S. Bern. serm. 1. de S. And.

ta passurus erat, sed quia plura peccata nostra futura, & damna ob illa nobis euentura inspiciebat ac præuidebat. Verba eius hæc sunt: *Tristis est non timore patiendi, sed dolebat peccata nostra, damna nostra.* Attristatur, & dolet benedictus Christus, dicit S. Bernard. Senensis sermone quadragesimo sexto, folio sexto, in parasceue, præuidendo tantarum animarum è cœlis, ac vita æterna exclusionem, & ad æternarum pœnarum, ac damnationis locum assumptionem. Verba sic sonant: *Tristatur Dominus videns tantos priuandos esse gloria paradisi, & ad pœnam inferni damnandos.*

Matth. 26.
S. Aug. tr. 49. in Ioan.
Glossa interl. hic.
S. Bernar. Sen. ser. 46. fol. 6. in paras.

Sic dolens, tristis, ac mœstus, vt S. Lucas capite vigesimo secundo enarrat, tres suos charissimos discipulos vt gloriæ & passionis testes derelinquens, ad iactum lapidis elongatur Redemptor mundi. Verba Euangelistæ hæc sunt: *Auulsus est ab eis quantum est iactus lapidis.* Et duro apponens lapidi sanctissima sua genua, feruentissimam ad Patrem fundit orationem, & humani generis tractare incipit redemptionis negotium. Qui lapis (ô admirabile factum!) protinus Creatorem suum cognouit, & quasi tenerascens; & creatori suo compatiens ceræ instar emollitus, Creatoris sanctissimis genibus molle ac suaue præbuit stratum. Audiamus venerabilis Bedæ verba, qui prodigium hoc libro de loco sancto narrans, sic habet: *Saxum illud super quod genuflexus est Dominus, tanquã cera emollitũ est.* Inde surgens cælum versus respiciens, æterni patris cum quo rationabatur, intuens vultum, in terram cadit, & faciem suam sanctissimam humo applicans, calidissimas fundit preces, *Procidit in faciem suam orans.* Euthymius caput vigesimum secundum Euangelij Lucæ explicãs, reddit prostrationis huius rationem dicens, peccata homiũ in momento illo Christo præsentata fuisse, quorum horrorem quia inspicere non poterat, quodammodo terrefactus faciem auertens terræ apposuit. Audiamus eius verba: *Procidit in faciem, præsentiã eorum ferre, non valens.* Isidor. Clarius oratione trigesima nona in Lucam eiusdem est opinionis dicens,

Luc. c. 22.
S. Hier. cit. à gloss. hic.
Ven. Bed. lib. de loc. Sanct.
S. Am. in Luc. c. 22.
Euth. in c. 22. Luc.
Vetus fuit tristitia in horto, & causæ eius
S. Bern. serm. 1. de S. And.
Isid. Clar. orat. 39. in Luc.

Christum immensam illã peccati turpitudinem, quæ tunc illi clarissimè repræsentabatur, intueri non valuisse, nec illam inspiciendi habuisse animum; ideo auertisse faciem, & terræ applicasse. Verba eius hæc sunt: *Nostri generis scelera ante oculos proponens, tanta ac tam horrenda intuebatur, vt faciem abscondere videretur.* Vel deuotã dicamus consideratione Christum humeros oneri peccatorum ab æterno Patri ipsi tunc imponendo supponere voluisse. Quod vt commodius humeris imponeretur, faciem terræ apposuit & cum omni humilitate ab æterno Patre illud suscepit, vt Isaiæ implerentur verba quę capite quinquasimo tertio hæc sunt: *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrũm:* quas alacri suscipiens animo: *procidit in faciem suam.* Vel dicamus cum alijs piè opinantibus Redemptorem ad benedicendum terram faciem applicasse, quam alio tempore maledixerat, vt libro Genes. capite tertio legimus, *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Sed ô pijssime Iesu, iã hæc maledictio habuit effectum, & maledictionis produxit fructus. Ah iam produxit spinas, ex quibus Hebræorum satellites coronam plectent tuo sanctissimo capiti imponendam, lignum germinauit, ex quo Hebræorum crudelitas mortis lectum, seu crucẽ fabricatura tibi est, iam ferrum eduxit, ex quo lãncea, quæ sanctissimum tuum latus apertura est, & claui, quibus sanctissimum corpus tuum cruci affigendum est, cudendi sunt, iam germinauit virgas, & produxit linum ad flagellandum purissimum corpus tuum. Nota hæc omnia erant Christo Redemptori nostro; ideo, quia hæc Redemptionis produxerat instrumẽta, quasi amore erga ipsam captus, & gratiarum actionẽ complens dulciter illam amplectitur, & osculatur. *Procidit in faciem suam orans.*

Isai. c. 53.
Gen. c. 8.
Matt. c. 26.

Sed hic minus agere nequeo, quam ad vos, ô angeli mei, ô Cherubini & Seraphini conuertere sermones meos, atque à vobis qui Dei filium in solio Maiestatis & gloriæ suæ adoratis, iudicium vestrum de hoc lamentabili inquirere spectaculo. Ergo paradisi

disi aliquantulum deferentes gaudia, & in terram descendentes, lamentabile hoc intuemini spectaculum, & inauditum contemplamini horrorem; Dei filius curuatus & humiliatus iacet in terra, turpissimis ac immundissimis peccatorum nostrorum pedibus immaniter conculcatur! O innocẽtissime Iesu! quid, vel quis te ad tantam redegit ignominiam? Merito, & cum ratione exclamas, dicens; *Tristis est anima mea vsque ad mortem.*

Sic ergo in terram prostratus, & peccatorum nostrorum pondere in ipsius humeris iam residente suppressus, calidissimas ad æternum Patrem fundit preces, inquiens: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Volens dicere, vt S. Hilar. Can. in Matthæum capite vigesimo secundo opinatur, ac sentit: Recedat à me hic calix, quem sponte, & voluntariè bibi, & transeat ad fideles, & inconformitatem mei ab ipsis bibatur, vt quemadmodum ego ad patiendum, haustu illo cõfortatus sum, ipsi quoque ad patiendum confortentur ac roborentur. Verba eius hęc sunt: *Cum dicit: Trãseat, non rogat, vt non patiatur, sed vt bibendi calicis in Christianos, qui passuri erant: transeat fortitudo. Transeat, vt sicut à me bibitur, ab illis bibatur sine metu mortis.* Transeat ô æterne Pater mors hæc, quam tantopere pro hominis salute pati ac sustinere desidero: transeant à me flagella, spinæ, sputa, colaphi, claui, crux & tormenta omnia à me toleranda, quæ mihi velut dulcissimi liquoris videntur poculum. Transeat ergo ad fideles meos mortis dulcedo: transeat ad Christianos mihi fidissimum futurum populum gustus, & suauitas tormentorum, ac pœnarum. Audiamus Theophylactum in caput 22. S. Matthæi, in persona Christi loquentem: *Calicem passionum appello, quia dulcis, & desiderabilis mihi veluti potus; ideo transeat calix iste, alter veniat amarulẽtus.* O ineffabilis amor saluatoris nostri! qui amaritudinem passionis in dulcedinem gaudiorum conuertit. Ideo hic calix, id est, hic amoris effectus ad meos transeat fideles.

S. Hilar. Con. in Matth. cap. 22.

Theoph. in cap. 22. S. Matth.

Et vt ab æterno patre in hac sua pro nobis fusa oratione exaudiretur, tertio in terram prostratus orat. *Orauit tertio eundem sermonem dicens.* O Redemptor animarum nostrarum, immensas pro tanto amore gratias tibi agimus. Ecce dum nos actualiter te offendimus, tu pro nobis tot tormenta patienda suscipis; dum cum Apostolis dormimus, pro nostra salute vigilas, & ad æternũ tuum Patrem pro nostra salute preces fundis, & dum nos in dulci quiescimus pace, tu pro nobis agonizas. Sic Christum egisse S. Lucas attestatur: *Et factus in agonia, prolixius orabat.* Et Cùm sic vndique tristibus circũdatur, ac angustiatur cogitationibus, per vniuersum corpus pori aperiuntur, & abundantissimus effluit sanguis. *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Effectus hi omnes erant ardentissimi Christi amoris intus ardentis signa. Sic S. Bernardinus Senensis sermone quinquagesimo de passione Domini, articulo primo capite secundo attestatur, inquiens: *Immensus ac feruẽtissimus amor in hoc manifestatur.*

Luc. c. 21.

S. Bern. Sen. serm. 50. de pass. Dom. a. 1.

Ergo amantissime Deus noster, quia indicibili nos amasti amore, & illo vrgente sanguinem sudasti, infinitas gratias tibi agimus cum Simone Cassinensi in caput vigesimũ secundum S. Lucæ dicentes: *Sudasti sudore sanguineo, vt supra naturã communẽ hominũ tuum ostenderes amorẽ, quando sanguinẽ in oratione pro hominibus fudisti.* Auris nõ audiuit, oculus non vidit, matrem suorũ natorũ amoris signa sanguineo ostẽdisse sudore; hoc tamen Christus Redemptor noster fecit: desiderio inenarrabili desiderabat mortem pro nostra subire salute. Sed quia hæc in sequentem debebat differri diem, præ nimio amoris dolore angustiatur, & tarditate tanti doloris causante agoniam corporis aperiuntur pori, & vndequaque purissimis eius effluit sanguis. Sic idem dicit auctor loc. citato: *Sudat Christus quia mors ventura erat in crastinum.* Desiderium eius pro nobis patiendi dilationem tolerare nesciens, sanguinis expressit guttas. Vel cum beato Laurentio Iustiniano de triumpho Christi capite sexto dicamus Christum sanguinẽ sudasse ad demonstrã-

Sim. Cas. in cap. 22. S. Lucas.

dam pœnarum acerbitatem, quarum imaginatio sola tantopere sanguinē eius alterauit, vt poris aperti vndique stillaret, & in terram deflueret. Verba eius hæc sunt: *Quāta lateat in corde Christi tristitia, ex vultus madefactione cognoscite: quàm intolerabilis futura sit passio, ex sudoris qualitate colligite.*

B. Laur. Iust. de triumph. Chr. agon. cap. 6.

Ah Deus meus! ergo pro nostra redemptione sanguinem sudâsti in horto, & nos, si non sanguinē, saltem lachrymas, in gratiarum actionem quando reddemus? O Deus meus! quando tandem hæc saxo duriora corda nostra emollientur? Omnia membra tua sanguinem sudabant, & vndequaque pori omnes stillabant cruorem, vt quasi tot oculis nostra defleres peccata. Sic S. Bernardus sermone in die parasceues ait: *Quasi membris omnibus sanguinem sudans fleuisse visus est, vt totū corpus eius, quod est Ecclesia, totius corporis lachrymis irrigaret.* O quot & quàm horrida ac impura peccata nostra esse debent, quantaque illarum immunditia erit, ad quæ lauanda non Dei oculorum fluentes vndæ sufficientes esse videbantur, sed quot pori, tot oculi sanguinem ad immunditiam ipsorū lauandam effundentes requirerentur. Et nos, ô miseri? de illis non dolemus, illorum turpitudinem non plangimus. Ah corda nostra obstinata! si Dei vestri dolentis, & sic afflicti, sanguineque madentis non plangitis sortem, adminus vester plangere ne cesseris peccata, quorum memoria sola ac repræsentatio ex vniuerso sāctissimo corpore Christi sanguineum expressit sudorem. Ad hos lachrymarū fundendos riuulos nos inuitat deuotissimus Cardinalis Bellarminus concione in Dominica passionis, inquiens: *Si flere non poteris ex amore & compassione Redemptoris, quomodo saltem propter multitudinem peccatorum tuorum non flebis, cùm ea solùm cogitatio Dominum tuum sanguinem sudare coëgerit.*

Bell. in conc. Dom. passion.

Et si ex compassione tantæ afflictionis Domini vestri, peccatis vestris causatæ, plangere, & flere non placet, accedite saltem, & cordis affectu eum consolari studete. Et quia nos homines tam crudeles, & duro sumus corde, & nec cū ipso flere, nec ipsi cōpati volumus, veniant, atque adsint angeli ad confortandum, & consolandum ipsum. Et ecce adsunt: *Apparuit Angelus de cælo confortans eum.* Vnde piè credere possumus, eum sic Christum allocutum fuisse: O Domine mi! ô Creator meus! ô vultus beatus, cuius visione cæli beatificātur, quàm dolorosum, & pallidū te video! ô charissime Deus meus! quales hi sunt sudores? Cur affligeris, qui afflictos consolaris, & angustiatorum es consolatio? ô tribulatorum confortatio, cur doles, & affligeris? Forsan futurorum suppliciorum hos compassione dignos in te causat effectus? Non formides pœnas ac tormēta, quæ pateris, sed consideratione redemptionis humani generis, quæ mediāte tuā morte futura est, conforteris. Morieris, & quidem in ligno crucis vt malefactor & peccator, sed hac omnibus malefactoribus, & peccatoribus vitam tribues.

Luc. c. 22

Finitâ ergo oratione, & sic ad futura sustinenda tormenta cōfortatus, surgit a terra, & celeri passu Apostolis appropinquat; quos cùm somnolētos, & præ tristitia dormientes reperisset, & satellites hortum iam intrare constaret, vt amātissimus pater excitat, sic ipsos alloquens, vt S. Ioannes capite decimo octauo enarrat: *Surgite, eamus: ecce appropinquat, qui me tradet.* Surgite, surgite charissimi mei Apostoli; ecce iā Iudas socius vester, qui proditor factus est, hortū intrauit, eamus ipsi obuiā, videte quomodo turba militum ad capiendū me armata progreditur. Et ecce progrediente Domino cum suis Apostolis adest Iudas militum armatus turbâ; qui cùm Christum cognouisset, accedens & perfidis brachijs collum stringens, dicit: *Aue Rabbi,* & his dictis traditionis signum præbet osculum, *Et osculatus est eum.* Ah Iuda, Iuda! qualis hæc tua proteruia est! Vix horæ elapsum est spatiū quod cum tuo Magistro exadem manducasti patina, eodem cibo, eiusdem carne saturatus, eiusdem sanguine tam liberaliter potatus es; tibi tanta humilitate pedes lauit, & tanto amore osculatus est, & nunc osculo

Ioann. cap. 18.

Matt. 16.

osculo eum tradis, nūc villissimo pretio innocentissimum eius vendis sanguinem, & militum sis ductor, & satellitum socius, & osculo tradis ac ostendis Christum capiēdum? *Osculo filium hominis tradis?* O admiranda Christi patientia! quæ talem simulare nouit traditionem, & ad tantam non turbatur falsitatem. *Amice ad quid venisti?* O benedicte Christe! quid video, quid audio? traditori, vt osculo traditionē perficiat, faciem præbes: inimicum, amicum; traditorem fidelem appellas? Interrogas illum, qui armatâ militum, & satellitum venerat, manu, & capere te intendebat, ad quid venerit? *Amice ad quid venisti?* Et cùm tam humano sermone traditorem recepisset, ad armatam militum ac satellitum conuersus turmam ac si aduentus ipsorum causam ignoraret, blando interrogat sermone, in-

Ioan. c. 18. quiens: *Quem quæritis?* Qui respondentes dicebant: *Iesum Nazarenum*. Ad quæ Dominus respondens ait: *Ego sum* Hunc Christi actum, & infinitam Dei nostri charitatem S. Gregorius in Pastorali capite tertio admiratur, & ponderat Christi fugam, dum ad Regnum quæritur, & eius promptitudinem cum ad tormenta, crucem, passionem,

S. Greg. in Past. ca. 3. & mortem quæritur, inquiens: *Oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetijt.* Et ecce vix Christus se illū esse, quē quærerent, pronuntiârat, *Ego sum*, cùm tota militum turba quasi de cælo fulmine percussa retrocedens in terram corruit. O vocem omnipotentem! quibus cùm resurgendi facta de cælo fuisset potestas, velut tot ferocissimi leones contra mansuetissimum agnum insurgentes ipsum apprehendunt, ligant, capillos euellunt, pedibus calcant, mille afficiunt iniurijs, & Ierosolymam versus accelerare compellunt, vt prophetia illa Dauidica psalm. vigesimo pri-

Psalm. 21. mo impletur. *Circundederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me: aperuerūt super me os suū, sicut leo rapiēs, & rugiēs.* O bone Iesu! certè non funes, nec catenæ, sed mea te ligarunt, ac constrinxerunt peccata.

Thr. c. 14. Sic S. Propheta Ieremias Threnorum ca. 14. attestatur. *Spiritus oris nostri captus est in peccatis nostris.* O benignissime Iesu! vt nos de tartareorum satellitū liberares captura, qui nos iam ad inferos captiuos, ac ligatos ducebant, tu capi, ligari & ab Hebræis vt malefactorem duci voluisti, & quod magis erat, ab omnibus discipulis & singulariter à Petro, qui prò te mori volebat, derelinqui.

Matth. capite 26. *Omnes relicto eo fugerunt.* Matth. cap. 26.

Meritò ergo plenus dolore Christus nos ad sic afflictum dolentem intuendum; & contemplandum se inuitat, inquiens: O Thr. c. 1.

vos omnes, qui transitis per viam; attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus. Hic sistite gradum, ô animæ deuotæ! & cum attentione considerate quæ & quanta patiatur vester Iesus: comparimi ipsi, vt debitum vestrum exigit, flere & amarissima de oculis vestris supra ipsum lachrymarum fluant flumina, & vt obligamini condolete, Interim quiesco.

PARS II.

Ergo amantissimus Iesus sic captus, funibus ligatus, & onerosissimis vinctus catenis à scelesta illa militum turba nō ducitur, sed trahitur velut agnus, aut animal ad macellū. Nūc pugnis, nūc fustibus, nunc hastis ipsum percutientes, nunc de vna in alteram partem trahentes insolito clamore veluti venatores captâ prædâ implent vniuersam ciuitatem, & acerbā illam noctem, & obscuras tenebras concurrentium, & de fenestris ac domibus aspicientium, & manibus tenentium luminibus in clarissimum conuertentes diem, turbant, & commouēt vniuersam ciuitatem, & ad nouum inspiciendum spectaculum excitant: nam tunc, vt Procopius in caput vigesimum secundum Isaiæ notat, prophetia capitis illius de Christo impleta fuit, verba cuius hæc sunt:

Quidnā quoque tibi est, quia ascendisti, & tu Procop. in

omnis infecta? clamoris plena? orbs frequens? c. 22. Isai.

ciuitas exultans? Tandem ad domum Annæ summi sacerdotis ducitur, vt S. Ioann. Euang. capite decimo octauo attestatur.

Adduxerunt eum ad Annā primùm. Hic exordium examinis à doctrina, ac sequaci Ioan. c. 18.

bus

bus eius incepit, dicens: *Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius.* Ad cuius interrogationem humili voce mundi Saluator sequentia respŏdet verba, inquiens: *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui me audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt, quæ dixerim ego.* Poterátne modestior, & humilior esse, aut dari responsio hac à benignis. Iesu insolentissimæ Annæ interrogationi? sed ô cæli! ô terra! & vos omnes creaturæ quæ per omnipotentis Dei manum de nihilo productæ estis, audistis, vel vidistísne simile commissum scelus? Et vos Christiani audite, & stupete super hunc casum horrendum, quem S. Ioannes capite decimo octauo contigisse enarrat. Vix verba suprà enarrata humilis Iesus protulerat, ministrorum quidam arrogans, ac temerarius, prudentissimam Christi non considerans responsionē, quid liberius, licentiosius, ac indecentius iudicans Christum Domino suo respondisse, vt zelans & vindicans honorem Domini sui, aulicorum more adulans & gratiam Domini sui quærens, Redemptoris, Saluatoris sanctiss. vultum dextera ferro armata, vt S. Bernardus sermone de passione Domini opinatur, grauiter pecutiens vulnerat. *Hæc cùm dixisset, vnus assistēs ministrorū dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici?* Ac si diceret: Impertinens & insolens est ista responsio Christi, hæcnè decet reum, malefactorem, subditum, vt tu es? An nescis hunc tuum Dominum, Iudicem, & supremum, ac suum pontificem esse? *Sic respondes Pontifici?* O execranda manus! ô manus sacrilega! ô manus crudelis! ô manus maledicta, & æternis cruciatibus, ac flammis digna! quem percutis, & irreuerenti, at insolenti ictu manus tuæ tē petere putas? Ecce hic innocentissimus hominum est, immaculatus agnus, cuius præsentia cæli lætificantur. Hic supremus Iudex est, te, & tuum dominum æternis supplicijs addicendi potestatem habens? Nònne hic idem ipse est,

S. Bern. serm. de pass.

qui ante horam circiter per Petrū auriculam abscissam capiti tuo, & loco suo applicando restituit? Nunquid tu manus Malchi es? & quomodo scelerata manus tuum audes percutere benefactorem, & creatorē? sed quomodo, ô criminosa, manus protinus non arescis, & exsiccaris? quomodo ad tam vituperosum ictum non contraheris? Forsan arida erat, & tactu Saluatoris roborabatur, & cōfirmabatur, vt prophetia illa viri S. Iob capite decimo quinto impleretur: *Tetendit enim aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.* Iob c.15.

Quid agitis creaturæ omnes, ad quid tam immensam iniuriam Domino, ac Creatori nostro illatam vindicare moramini, & tardatis! O terra, quæ vt Numerorum capite decimo sexto legimus, aperuisti os tuum, & sceleratos Dathan, & Abiron deuorasti, cur impiam hanc manum cum Domino suo non absorbes, & deglutis? Aquæ quę Pharaonem Regem cum numerosissimo exercitu submersistis, & cooperuistis, vt Exodi capite decimo quarto habemus, temerarium, & insolentem hunc non absorbetis, & submergitis? O ignis numquid tu de cælo cadens Pētapaleos ciuitates cum habitatoribus suis in cineres redegisti? cur hic, & nunc creatoris tui zelans honorem, hunc perfidum non absumis? Aër, qui Dei tui zelans honorem, septuaginta millia hominum crudelissimâ pestilentiâ, vt primo Paralipomenon capite vigesimo primo habemus, interfecisti, & pecudum more iugulasti, cur pestilentissimum hunc sacerdotis ministrum, adulatorem non percutis, & occidis? Es tu fortissime Angelorum, qui vnâ nocte, vt in libro Exodi capite secundò legimus, potētissimâ tuâ manu primogenitos totius Ægypti iugulasti, & cur hunc sceleratum impunem non iugulas? Siluarum feræ, ac bestiæ, qui S. Elisæo Prophetæ maledicentes pueros dilacerástis, cur hunc maledictum Christi percussorem non dilaceratis? O mors crudelissima, & nulli parcens, qui Ozam sacerdotem eò quòd inconsideratiùs in Dei arcam extēdisset ma-

Num. 16.

Exod. c.14.

Gen. c.19.

1. Paralip. c.21.

Exod. c.2.

num, vita priuasti, cur hunc irreuerentem, & maledictum Domini percussorem in viuis relinquis? infelicissima Ieroboam manus, quia irreuerenter Domini tractauit Prophetam ac ligare voluit, protinus exsiccata est & tu infernalis manus Deum tuum colaphizando summâ afficis iniuriâ, & impunis ac incastigata manes? O immortalis Deus! Ad spectaculum hoc omnes stupēt, & attonitę redduntur creaturę & scelestū hoc intuentes facinus, vires perdiderunt, hanc volentes vindicare iniuriam; & ecce cùm Deum suum colaphizatum inspiciunt, attoniti, & stupidi hærent. Audiamus Sancti Chrysostomi verba, qui Homiliâ octogesima primâ hanc habet considerationem: *Alapis Deus percuti potuit: Exhorrescat cælū & cōtremiscat terra! ô Angeli! qui hæc intuemini, quomodo siletis? quomodo manus vestras continere potestis? An hoc ita facitis quòd attonitos vos teneat tanta insolentia?*

4 Reg. 4.

S. Chrys. Hom. 80. in Ioan.

S. Isaias Propheta, vt capite sexto eius Prophetiæ legimus, vidit Dei Angelos ante Dei stantes thronum, proprijs alis suos cooperuisse ac velasse vultus. *Duabus alis velabant faciem*, Causa huius fuerat impotentia eorum Deum sibi præsentem intuendi. Ecce hodie Deus incarnatus colaphizatur, & ante thronum Pontificis Annæ percutitur. Quid agunt Angeli hoc intuentes spectaculum? Pleni stupore, attoniti exclamant dicentes: Ecce Deus noster percutitur, colaphizatur, iniuriatur; velentur ergo, & cooperiantur oculi nostri, ne tam miserabile inspiciant spectaculum. Audire vobis lubeat N. N. sancti Ephrem sermone tertio de passione Domini verba, quæ hæc sunt: *Angeli, Archangeli obstupuerunt: Gabriel, & Michael vultum suum contexerunt, quando ille impietatis minister alapam dedit Domino Maiestatis.*

Isai c. 6.

S. Ephr. serm. 3. de pass. Dom.

Hic vos volo, ô animæ Christianæ, Dei vos considerare ac imitari patientiam: inspicite acceptam iniuriam, considerate grauitatem, atque enormitatem eius; atque summam Christi contemplamini mansuetudinem, quia ad tam immensam acceptam iniuriam non turbatur, nec ad vindictam omni potentem suam extendit manum; sed dulci & affabili voce impium alloquitur ministrum, inquiens. *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autē bene, quid me cædis?* Volens dicere: Aut malè, aut bene locutus sum; si malè locutus sum, non tibi sed Pontifici debetur correctio; si autem bene locutus sum, cur me cædis, & colaphizas? S. Augustinus tractatu octogesimo secundo in Ioannem, hanc Christi considerans responsionē, inquit: *Si autem bene, quid me cædis? Quid hac respōsione verius, mansuetius, iustius?* Venite O superbi, impatientes, vindicatiui, qui ad minimam turbamini occasionem, & verbum sufferre non potestis, & speculum hoc considerantes, intuemini distātias vestras à Christo Saluatore, & Magistro; contemplamini hoc viuū patientiæ exemplum, & humilitatem, atque mansuetudinem eius apprehendite. Audiamus S. Augustini verba libro de Virginit. *Christus colaphis ministro pontificis cæsus, nihil cōtra facit; tantùm dixit: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis? Tu autem homo non sustines ab homine tecum eiusdem naturæ contumelijs affici? imitare Dominum tuum.*

Ioan. c. 18.

S. August. tract. 82. in Ioan.

S. August. de virg.

Sed vt passionis Redemptoris nostri amarissimam sequamur historiam, Annas summus pontifex, Christi confusus & conuictus ratione, atque responsione, & culpabile quid in ipso deprehendere non valens, ad Caipham collegam suum mittit, vt apud S. Ioannem capite decimo octauo reperietis. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* Quò cùm peruenisset, reperit iam Scribarum, Pharisæorum, Sacerdotum & populi seniores, & principaliores congregatos, vnanimiter laborantes, quomodo aut in sermone deprehenderent Christum, aut testimonium, licet falsum, culpæ, aut erroris alicuius reperire possint. *Princeps autem sacerdotum & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eū mortitraderēt, & non inuenerunt cùm multi falsi testes accessissent.* Varij in falsum fuerat adducti testimonium, sed sanctissimâ ac innocentissimâ Christi vitâ omnibus manifestâ absque

Ioan. c. 18.

absque eo quod verbũ loqueretur, omnia refutabantur, falsa esse demonstrabantur, & sic confusi demittebantur. Tandem duo diabolici accedentes ministri falsum adducunt testimonium, dicentes: *His dixit: Possum destruere templũ Dei, & post triduũ reædificare illud.* Ad quod falsum testimonium cũ Christus taceret, & Pontifici non afferret suam excusationem, indignatus Pontifex, ipsum sequentibus allocutus est verbis *Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur?* Et cum nec ad hanc eius responderet interrogationem, nouo incitatus furore, ipsum cõiurans sic alloquitur: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei.* Id est, vt Sacerdotum princeps, cui omnis debetur obedientia, & respectus, per Deum te adiuro, & per S. iubeo obedientiam, vt si tu Christus & Dei filius sis, palam confitearis Quem responsionem extorquendi modum cum Christus percepisset, vt qui superioribus legis semper obedientissimus fuerat, aperiens os suũ & humili ac demissâ respondens voce, Dei filium se esse dixit inquiens: *Tu dixisti: Verũtamen dico, amodo videbitis filium hominis sedentem in dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Et ecce malignus ac perfidus sacerdotum Princeps horrorem & abominationem horum verborum fingens, & verissima Christi verba blasphemiam iudicans quod homo se Deũ faceret; summo furore de solio ac throno suo exiliẽs, manibus vestes apprehẽsas dilacerans, validâ clamabat voce: *Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur?* Volens dicere: audiuit quis vestrûm in vita sua maiorem, & horribiliorem hac blasphemiam? percepistis hoc horribiliorem sermonem, quo homo Dei filiũ se esse attestatur? quid vobis de tanta audacia, insolentia & proteruia videtur? quale vestrum de tanta impietate est iudicium? Audistis blasphemantem, nunc iudicate, quid de ipso incipiendum sit. Quem cum sic Christi verissima verba sinistrè, & in malum accipientem, & explicantem intellexissent, vnanimiter, & vnanimi odio atque rancore sacerdotum principi respondent, dicentes: *Reus est mortis.* Quibus prolatis verbis omnes vnanimes contra benedictum Christum insurgunt, sacerdotes, Seniores, Scribæ, Pharisæi, sæculares, iuuenes, milites, plebeij, & quisquis accedere valuit, absque vllo respectu, & vlla tot acceptorum beneficiorum memoria, quidam in faciem eius spuentes, quidam ad capillos ipsum trahentes, quidam colaphizãtes, quidam pungentes, quidam calcibus petentes, quidam in terram deijcientes, quidam pedibus calcantes, quidam per solum trahentes, ac lamentabile de creatore suo terris, & cœlis exhibentes spectaculum. *Tunc expuentes in faciem eius, colaphis eum ceciderũt: alij autem palmas in faciem eius dederũt.* Nec hac miserabili contenti tragœdia Dei apprehendentes filium, sanctissimos eius oculos omnia inspicientes ad ludibrium fœtidissimo cooperiunt panno, aut velo, & sic ludentes ipsum colaphizabant, dicentes: Si Propheta aut Messias es, cuius nil absconditur oculis, nunc tuam ostende virtutem, & potestatem dicẽdo: quis nostrûm te percussit. *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Et tu benedicte Iesu, & Saluator animarum nostrarum, summâ patientiâ tot tantaque tolerans opprobria, & tacens vt Ieremiæ impleretur prophetia capite 50. *Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Sanctissimum vultum tuum non auertisti, sed summa cum patiẽtiâ ac humilitate omnes suscepisti iniurias, & libenter pro nostrorum omnium tolerasti amore. Spectaculum hoc tam lamentabile fuit, vt etiam Angelorũ choris summã adduceret admirationem. Audiamus beati Laurentij Iustiniani de triump. Christ. ag. capite decimo quarto piam & deuotissimam huius actus considerationem; verba cuius hæc sunt: *Mirabãtur plenè cœli, mirabantur Angeli, omniumq; cælestium spirituum legiones, videntes verbum, per quod facta sunt omnia, contemni à perfidis; sapientiam hominũ super se sordidissima sputa recipere, undiq; Dei filium attritum despectum, agitatum, illusum* Imo idem beatus homo dicere non dubitat

Marginalia: Matth. c. 26. — Matt. c. 26 — Matt. c. 26 — Luc. c. 22. — Ierem. cap. 50. — B. Laur. Iust. de triump. Christ. ag. cap. 14.

tat tantâ multitudine ſputorum ac immun-
ditiarum, & ſanguine Chriſti fuiſſe cooper-
tam faciem, vt humanâ perditâ formâ ac
Quartùs, vexatio in domo Caiphæ. ſpecie inſpicientibus veluti horridum mon-
ſtrum, ſummum cauſaret horrorē atque ti-
morem. Verba eius ſic habent: *Obtexit cruor*
defluēs imaginē vultus, ſputa humanā detur-
bauere formā, ſicq; factus eſt opprobriū homi-
num. O inauditam inhumanitatem! ô incō
parabilem barbariem! quis ſimile quid in-
ſpexit aut audiuit?

His peractis & opprobrijs ſatiati diſceſſe-
runt Sacerdotes, Scribæ, & Phariſæi, & hoc
malignantium ſolito concilio, quiſque ad
ſuas ſe recipit ædes, Redemptorem & cælo-
rum Deum interim cuſtodiæ aliquorum
miniſtrorum relinquentes. Qui ſuos domi-
nos imitantes & quæ cum Chriſto agentes
inſpexerunt, eadem egerunt; & ne præ diu-
turnitate noctis ſomno ſe darent, vt S. An-
ſelmus tractatu de Paſſione aſſerit, tota no-
cte varijs affecerunt iniurijs. Verba eius hęc
ſunt: *Nox inſomnis tota ducitur, nulla prorſus*
S. Anſel tract. de paſſ. *requies illi præſtatur, al:pis & colaphis innocēs*
mactatur. Imo tot tantiſque benedictum
Chriſtum affecerunt iniurijs colaphizando
conculcando, percutiendo, mille immundi-
tijs ſanctiſſimum eius vultum deturbando,
oculos eius ligando, veſtibus exuendo, &
innumerabilibus modis vexando, vt huma-
na lingua ad exprimenda illa inſufficiens
foret. Quæ omnia S. Lucas Euangel. ſe-
quentibus voluit indicare verbis: *Et alia*
Luc. c. 22. *multa blaſphemantes dicebant in eum, & vt*
factus eſt dies.

S. Anſelmus loco citato Chriſtum, ac
S. Anſel. l. 5. Redemptorem noſtrum tam miserè tracta-
tū conſiderans, diuino ac Spiritus ſancti in-
ſtinctu aſſerit, ipſum ſemper patientiſſimū
& manſuetiſſimum ſe exhibuiſſe, & demiſ
ſis oculis manſuetiſſimum agnum, qui ad
victimam ducitur, ſumma cum humilitate
terram aſpexiſſe, & ac ſi reus, hæc & plura
alia meritus fuiſſet nec verbum aut ſignum
aliquod impatientiæ alicuius protuliſſe.
Verba eius hæc ſunt: *Intuere nunc opprobrijs*
Dominum verecundum, vultū ſemper ad terrā
habentem, & ſilentium ad omnia, tamquam
vere eſſet deprehenſus in culpa.

Et diefacto denuo congregantur mali-
gni, & ſeniores Sacerdotum, Phariſæorum
Scribarum, ac populi conuenientes ineunt
concilium, quem cùm denuo vt reum iudi-
caſſent ac ad mortem condemnaſſent, vin-
ctum & ligatum ad Pilatum Imperatoris
Præſidem pro exequenda conducunt ſen-
tentia. Qui, eò quòd ſuperſtitioſa ſua reli- Dan, c, 18.
gione à prætorij detinerentur ingreſſu, &
ne peccati, aut alia aliqua maculæ contra-
ctione á Paſchate, & agni eſu retardarentur
foras proceſſit Pręſes cauſam mortis inqui-
rens & dicens: *Quam accuſationem affertis*
aduerſus hominem hunc? Cui reſpondentes
dicebant Iudæi: *Si non eſſet malefactor, non*
tibi tradidiſſemus eum. Quam ineptam accu-
ſationem cum Romanorū percepiſſet Præ-
ſes, & Iudæorum nouiſſet inuidiam, nec de-
lictum quod mortē mereretur, ipſi impo-
nere potuiſſent, cōuerſus ad Iudæos, dicit:
Innocentem ad mortem condemnare non
poſſum, & ſi delicta aliqua fecit, quæ vobis
palam ſunt, & me latent, & illa reuelare non
vultis, aut probare non poteſtis, examinate
vos cauſam eius, & ſecundum veſtras leges
iudicate & condemnate ipſum. *Accipite*
Luc. c. 23. *eum vos, & ſecundū legē veſtram iudicate eū.*
Prudens & ſapientiſſima hæc erat Præ-
ſidis reſponſio, quam cum Iudæi perce-
piſſent, varia & falſiſſima Chriſto imponunt
delicta, dicentes, ſeduxiſſe populum, nouas
ſeminaſſe hæreſes, voluiſſe ſuſcitare rebel-
lionem, ſe Regem voluiſſe facere, & Re-
gnum Romanis præripere intendiſſe, & po-
pulis prohibere tributum Romanis ſoluere
& alia plura. Sic legimus apud S. Lucā ca-
pite vigeſimo tertio: *Hūc inuenimus ſubuer-*
tentem gentem noſtram, & prohibentem tributa
dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem
eſſe. Præſes cum Regis percepiſſet mentio-
nem, prætorium denuo intrans, Chriſtum
an rex eſſet interrogat, dicens: *Tu es Rex Iu-*
dæorum? Cui cùm Chriſtus mitiſſimis pro-
baſſet verbis, ſe quidem Regem natum eſſe
& potentiſſimum habere regnum, ſed de
hoc mundo non eſſe, ne terræ, aut regio-
nis huius, ſed cæleſtem, & vniuerſi Domi-
num

num ac Regem se esse demonstrâsset, & in ipso causam mortis non deprehendisset, denuò de ejus liberatione sollicitus foras ad Iudæos procedens, innocentem pronuntiat, & nullo modo ad mortem condemnare se eum posse protestatur, inquiens: *Ego nullam in eo invenio causam.* Id est, Delictum, aut culpam in ipso reperire non possum, ob quam morte dignum iudicare valeam. *Dan,c,18.* Quam Pilati resolutionem cùm Iudęi percepissent, vnanimi voce omnes dignum esse morte proclamantes, allegabât populi fuisse seductorem; falsas & hæreticas per universam Iudæam docuisse doctrinas. *Commovet populum, docens per universam Iudæam, incipiens à Galilæa usque hinc.* Cùm Pilatus Galilææ mentionem fieri percepisset, de bona lætatur occasione, de tam perniciosorum ac impiorum liberandi se instantiâ, & importunitate, quâ Christum ad mortem petebant, sicut etiam de injusta sententia si Christum innocentem iam cognitum condemnaret, & sic Herodi Galilææ domino, sub cujus iurisdictione Christus erat, ipsum mittit, ut apud S. Lucam capite vigesimo tertio legimus. *Luc,c,23.* *Vt cognovit quòd de Herodis potestate esset, misit eum ad Herodē.* Cùm autem nec ipse dignum quid mortis sententiâ in eo reperisset, irridens ipsum, & quasi mente captū tractans, ludicrâ induit veste, & iterum Pilato ad iudicandum remisit, *Facti sunt amici, Herodes & Pilatus: nā antea inimici erant ad invicem.* Pilatus verò Christum liberare desiderans, nova reperit stratagemata, ad horum obstinatorum emolliendos, vel ut melius dicam, illudendos animos. Moris erat Romanorum præsidi quotannis ad lætiora celebranda festa paschalia Hebræis dimittere captivum, quo liberato lætiores forent. Habebat tempore illo famosum latronem in carcere nomine Barabbam, qui rebellionis criminis læsæ Majestatis reus erat; hunc latronem rebellem, seditiosum, homicidam, & benedictum Christum Iesum agnum mansuetum, qui non tantùm neminem occiderat, verùm omnibus hominibus dederat vitā, proponit Iudæis, & vnius horum dat electionem. *Quem vultis dimittam vobis, Barrabā, an Iesum qui dicitur Christus?* *Matth. cap. 27.* Et hęc Pilatus dicebat, quia innocentia Christi ac Hebræorum invidia ad mortem ipsum petens cognita ipsi erat. *Sciebat enim, quòd per invidiam tradidissent eum.* Cùm autem omnium unanimis esset clamor Sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum, populi, & plebis eadem esset petitio, dicerentque: *Non hunc, sed Barrabbam,* ad mitigandum eorum furorem, Christum flagellandum tradidit custodibus, ut sic correctus dimitteretur. *Corripiam ergo illum, & dimittam.*

Publicatur flagellationis sententia, præparantur virgæ, disponuntur funes, & catenæ ad benedictum Christum, & cælorum Regem flagellandum. Inspice, quęso, Christum, & contemplare cælorū Regem se ipsum spoliantem, ut S. Brigittę libro primo capite decimo fuit revelatū, *S. Brigit. lib. 1. c. 10.* & delicatissimum suum corpus ad flagellorum ictus recipiédos disponenté, & verba illa regij vatis summa cum humilitate dicentem: *Ecce ego in flagella paratus sum.* *Psal 37.* Ecce nudum pro hominū amore, & salute ad catenarum, virgarum, & flagellorum recipiendos ictus me libentissimè exponam. Vos satellites emittite furoré vestrum meas flagellando carnes, libentissimè & patientissimè tot quot placebit recipiam ictus. Inspicite ô Christiani! & contemplamini Christum vestrū pro vestro amore cum tanta ignominia nudum, spoliatum, Psalm. quadragesimo tertio. *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* *Quartus flagellationis. Psal, 37.* O quàm indicibili afficior verecundiâ videndo in tanta populi pręsentia denudata omnia membra mea. *Propter te* (Christiane) *sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam:* propter nos, propter peccata nostra, quia hic furatus est, quia alter adulterium commisit, tertius injustitiam, quartus vanitati deditus fuit, benedictus Christus noster rubore, & verecundiâ impletur. Audiamus S. August. verba in Psalm. quadragesimum tertium, cujus hæc consideratio est. *Nihil magnum est, quod dicitur, Sustinui opprobrium, sed quod dicitur, Propter te sustinui, hoc valdè* *S. Aug. in Psalm. 43.*

magnum; si enim sustines, quia peccâsti, propter te sustine: ille omnino nihil rapuit, & propter te opprobria sustinet. Nos culpam commisimus & Christus pro nobis patitur opprobria. *Hoc valdè magnum.* Hujus contemplatio, & attenta consideratio omnis compassionis & lachrymarum emissionis sufficientissima causa est.

Denudato ergo benedicto Redemptore nostro veluti vilissimo mancipio manus ad tergum trahentes funibus, quàm fortissimè ligant, & stringunt, & sic ligatum marmoreæ de novo fortissimè alligant columnæ; quæ ligatura & alligatio tam crudelis fuit, ut delicatissimis ejus carnibus dilaceratis, ac vulneratis, ut Theophylus Antiochenus in Historia passionis attestatur, abundantissimus effluxerit sanguis. Verba ejus hæc sunt: *Christus manibus post terga revinctus, brachijs adeò durè fuit astrictus, ut in brachijs excresceret tumor; sanguinē ex rupta sub unguibus cute emitteret.* Factum reverà omni compassione, & lachrymis sanguineis dignissimum. Heu! crudelissimam incipiunt flagellationem, & tantâ flagellorum copiâ & multitudine tenerissimę ac delicatissimę lacerantur carnes ejus, ut is, cui cœlorum, stellarum, maris arenarum numerus cognitus est, horum se ignorare confiteatur. Sic legimus Psalm. 34. *Congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* Et quod summè admirandum est inter tot crudeliss. flagella, & carnium dilacerationes, nec minimum etiam impatientiæ verbum de sanctissimo ejus processit ore, sed tacens summa cum humilitate, & patiētia tot innumerabiles flagellorum, virgarum, & catenarum suscepit ictus. Sic capite quinquagesimo tertio attestatur Isaias se vidisse in spiritu inquiēs: *Quasi agnus coram tondente se obmutescit, & non aperit os suum.* Cur ô dilectissime animarum nostrarum non loqueris? cur tibi tam strictum inest silentium? Angelus populi tui conductor, ut Rex David Psalm. nonagesimo octavo attestatur, sæpiùs de columna nubis loquebatur ad populum. *In columna nubis loquebatur ad eos.* Et tu, qui Angelus magni consilij es, cur tam protundum servas silentium? Cur non loqueris? Forsan ut humili, ac mansuetissimo tuo loquendi modo ad pietatem, & compassionem moverentur? Ah nolebat benedictus Christus verbum aliquod loqui, quia sanguis ejus tam copiosus in terram defluens coram Patre intercessoris, & advocati nostri agebat vices, & pro remissione peccatorum nostrorum supplicabat. Sic Paulus ad Hebr. capite duodecimo, *Melius loquentem quàm Abel.*

Theoph. in Hist. pass.

Psal. 34.

Isai, c. 53.

Percutiunt ergo impijssimi Iudęi sacrum Christi corpus, virgis acutissimis divinas illas dilacerant carnes, durissimis flagellis pectus illud, & humeros illos divinitatem includentes immaniter discerpunt, & ad compassionem & pietatem nullus ipsorum movetur. Ah sanctissime Paule, asseris Christum similitudinem servi accepisse. *Formā servi accipiens.* Sed nunc in hoc actu non ut servum, non ut mancipium ob mala acta crudelissimè ac iniquissimè cædi, & flagellari deprehendo. Consideratio hæc S. Bernardi est, qui serm. de passione sic loquitur: *Non solum formam servi accepit, ut subesset, sed etiam formā mali servi, ut vapularet.*

Ah perfidi & scelerati! nunquid hæc columna illa est, quæ in deserto vobis de die erat umbra, & de nocte ductrix viæ? Hæccinè gratitudo vestra est, flagellis liberationem vestrā ab Ægyptiaco flagello recompensare? hęcnè beneficij illius, quādo Pharaonem cum exercitu suo, ne vos comprehenderet, aquis maris rubri submersit, & ut ad dimissionem vestram disponeretur, primogenitos occidit, recognitio est? Et tu æterne Deus & pater Christi nunquid liberum tuum filium per Davidis os ab omni flagello pronuntiasti, inquiens: *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo?* Quomodo stant promissionis tuę verba? Ecce hodie non modò domi appropinquasse, sed sanctiss. corpus filij tui crudeliss. Iudæorum flagellis graviter vulneratum inspicio. Meritò ergo Rex David exclamans, & omnes ad hoc lamentabile vocans spectaculū, dicit: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Quis umquam simile quid

Ad Philip. cap. 2.

S. Bern. serm. de pass.

Exod. c. 13. & 14.

Psal. 45.

quid vidit? qui digito mundi movet cardines, qui cælum, & terram creavit, & ad cujus nutum dissolventur, ab hominibus ad columnam ligatus crudelissimè flagellatur. Audiamus S. Bernardum serm. quarto Hebdomadæ pœnosæ, cujus hæc consideratio est: *Videte opera Domini, qui posuit prodigia super terram: flagellis cæsus est.*

S. Bern. ser. 4. Hebd. pœnosæ.

O impijssimi & crudelissimi Hebræi corda vestra saxis duriora sunt, ideo absque omni pietate, & commiseratione Christum flagellatis. O innocentissime Deus! tu charitatis, & amoris lapis es; ideo tam fortiter flagellorum sustines ictus. Hic conceptus S. Bernardi serm. sexto *O Iudæi, lapides estis & lapidem percutitis.* S. Augustinus à S. Thoma in catena citatus, dicit tantā fuisse Iudæorum crudelitatem in flagellando sacrum Christi corpus, vt quò magis sanctissima rumperetur pellis, & cato conscinderetur, flagellorum reiterarint ictus. Verba Sancti hæc sunt: *Rupit S. carnem violenta flagellorum reiteratio: repetitis ictibus crudelia verbera scapularum terga conscindunt.*

Idem loco citato.

S. Aug. à S. Thom. in cat. cit.

Sat bibêre prata, ô crudelissimi milites! sistite iam flagellorum imbrem, & Christū huc vsque tam crudeliter tormentâsse contenti estote. Solvit ergo Christum de columna non sanguine, & tormentis satur, sed viribus in tormentando exhaustus miles, qui flagellorum pondere, & ictuum copiā debilitatus, pedibus sistere non valens, in proprium circa columnam defluxum sanguinem, veluti mortuus, & exanimis cadit. Hujus casus, vt Sanct. Brigitta libro quarto revelationum. cap. 7. attestatur, S. Romana Ecclesia quotidie in sacro Missæ officio dum sacerdos hostiam sacram scindens, & particulam in sanguinem calicis demittens, memoriam celebrat. O homo? quomodo vniversi mundi machina, cùm ejus caderet creator, stare potuit: & non simul cecidit! quomodo cælum totum non descendens cadenti suo Regi se non supposuit! Ecce Hebræi, Deus vester, Salvator vester iacet in terra, deliquium patitur, in proprio sanguine, habeatis compassionem & sublevantes illum mundate sanctissimum corpus ejus; & confortate debilitatā membra ejus. Ah inaudita est N. N. Iudæorum crudelitas: accedunt quidem Iudæi, sed non ad consolandum, verùm ad plus tormentandum; nam de sanguine non sublevant, sed pedibus eum calcantes plus debilitant, & proprio tingunt cruore. Hanc Iudæorum crudelitatem, Canticorum c. 1. Sponsa sacra insinuare voluit, dum botro dilectum suum sub torculari posito comparavit, inquiens: *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* O benedicte Iesu! non satiat Iudæorum crudelitas ad columnam flagellorum ictibus, quasi ponderosissimo torculari sanguinem de corpore tuo sacratissimo abundantissimum expressisse, verùm immanissimā, & inauditā crudelitate in proprio decumbentem sanguine, assilientes, impurissimis pedibus suis conculcantes, novos sanguinis riuulos de sanctissimo tuo corpore exprimunt. Consideratio hæc devotissimi Iusti Orgelitani, qui in cap. 1. Canticorum sic inquit: *Christum enim in modum botri conculcaverunt, & sub pedibus presserunt.*

S. Brigit. l. 4. Reu.

Iust. Orgel. it. in. 1. c. Cant.

Nec hac immanissimā crudelitate Iudæorum rabidi satiantur animi, sed vt S. Augustinus sermone de passione affirmat iā pedibus conculcatum, flagellis apprehensis fortissimè & absque vlla commiseratione humi in sanguiné iacentem denuò percutiunt, & veteribus vulneribus nova addentes, immanissimè cædunt. Verba ejus hæc sunt: *Postquam solutus fuit à columna, illum in terram prostraverunt, & humi iacentem acerrimè flagellarunt.* O crudelitas inaudita! Inde in benedicto Christo toto in sanguine submerso, & veluti in proprio cruoris mari natante prophetica illa Patriarchæ Iacobi verba libro Genesis capite quadragesimo nono impleta sunt: *Lavit in vino stolam suam, id est,* (explicat Tertullianus libro quarto in Marcionem) *lavit carnem suam in sanguine lavit autem tunc maximè, cùm flagellis est cruentatus.* Ergo & vos Christiani cæli angelis associamini, Christum Regem vestrum interrogantes, cur sic rubicundus proprio, tinctus cruore

S. Aug. serm. de pass.

Gen. c. 49.

Tert. l. 4. contra Marc.

Isa. c. 36.

procedat, dicentes: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?* Audite ô animæ devotæ! quid vobis per os Isaiæ capite sexagesimo respõdeat: *Torcular calcavi solus.* Tertullianus loco citato sic hanc explicat responsionem: *Torcular enim solus calcavit, cùm columnæ alligatus verberibus est cæsus.*

Tertull. loco citat.

Sic immaniter flagellatus, & tormentatus Salvator mundi, viribus aliquantulum reassumptis, prout potuit se erigens sanguine madefactus, vestes suas, vt beatæ Brigittæ à beatissima Virgine fuit revelatum, rursus induit. *Inde filius meus se induit vestibus suis.* Et ecce vix indutus carnificum turbâ veluti rabiosis canibus circumdatur, vti ipsemet per Davidis os confitetur, inquiens: *Circumdederunt me canes multi.* & protinus illis iterum spoliatur, & lacera & contempta militis vnius induitur purpureâ veste, & arundine manibus ipsius impositâ, & ex acutissimis spinis corona plexa coronatur, quæ varijs arundinum ictibus vsque ad interiora cerebri impressa, summos benedicto Christo causavit dolores, quos summopere auxerunt irrisiones, dum genuflectentes, & illudentes ipsum vt Regem adorarent, dicentes: *Ave Rex Iudæorum.* Infernalis ac nova diabolica hæc tormenti fuit excogitata norma: nam sic irridendo, & quasi ambitiosum Christum tractando, summopere benedictam ipsis affligebant animam. Nam, vt ex libro Apophtheg. sapientis illius habemus, *extrema improbitatis est linea, etiam illudere quos afflixeris.* Inde Beatus Laurentius Iustinianus hanc dolorosam Christi spinarum coronationem considerans, exclamat dicens: *O inaudita à sæculis crudelitas, ô horrendum spectaculum? Regem aspicere gloriæ, tantis lacessiri iniurijs, opprobrijs gravari, atque incomparabilibus dilaniari pœnis.* Ergo meritò per os Davidis Regis de novo hoc tormenti genere comqueritur, dicens: *Super dolorem vulnerum meorũ addiderunt.* Volens dicere: Super flagellorum dolorem, & vulnerum meorum *addiderunt* coronam, non auro gemmatam, vt conveniens erat, sed ex acutissimis spinis plexam! capiti imponentes, *addiderunt.* Divinæ meæ maiestati ludicram adorationem *addiderunt*, in sanctissimam meam expuentes faciem, & me vilipendentes, dolorem *super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* In summa N.N. per hanc ignominiosam coronationem & abundantiam sanguinis in faciem defluxam, & copiam salivæ ac excrementorum in benedictam Christi proiectam faciem, formam hominis amiserat, & veluti horridum monstrum intuentibus videbatur. Sic attestatur idem beatus Laurentius Iustinianus, loco citato inquiens: *Obtexit cruor defluens imaginem vultus: sputa humanam deturpauere formam, sicq; factus est opprobrium hominum.*

S. Brigitta lib. 1. c. 10.

Psalm. 2.

Quintus, fuit Conatio ex spinis.

Ex lib. Apophtheg.

B. Laur. Iustin. de triumph. ag. c. 14.

Psalm. 68.

Idem B. Laur. Iustin. loc. cit. cap. 14.

Et dum hæc à militibus, & Hebræorum satellitibus cum Christo agerentur, præses Pilatus, quia Christum sanctũ & innocentem deprehenderat, seriò de ejus liberatione cogitat: vnde Christum benedictum ad suam adduci iubet præsentiam. Quem cùm tam miserè tractatum intuitus esset, putãs lamentabile hoc spectaculum sufficientissimum non solùm ad rabiem illam Iudæorum sedandam, verùm etiam ad eum liberandum, & inducendos eos vt vitam ejus peterent, efficacissimum futurum medium, sic malè constitutum, & qui iam non homo, sed opprobrium plebis videbatur, foras educit, & populo denudatum & per vniversum corpus sic tractatum, ac vulneratum exhibet, dicens: *Ecce homo.* Ecce homo hic est, quem mihi tradidistis & accusastis, quòd Regem vestrum, & Dei filium se faceret; videte nunc si imago hæc Regis, aut Dei sit filij; ecce hominis non habet formam, quomodo ergo Regis, & Dei filij præ se ferre poterit imaginem? Opprobrium hominum, & miserorum terræ solum calcantium miserrimus est, & si Rex naturâ est, nunc Rex illusionis, & ludibriorum est. Inspicite coronam capiti impositam, non auro gemmisque fabricatam, sed ex acutissimis spinis vsque ad interiora cerebri penetrantibus plexam. Et si sanctissimũ ejus caput sic demissum inspicitis, non gemmarum & auri onere, sed acutis-

acutissimarum spinarum intolerabili dolorum pondere depressum cogitate. Videte si oculi hi Regiæ alicujus Maiestatis sunt? Inspicite & sputo ac sanguine veluti quodam obscurissimo velo velatos, & opertos reperietis. Admiramini pretiosâ indutum purpurâ non è coccino, aut aliâ pretiosâ textâ materiâ, sed pretiosissimo ejus cruore condensatâ, quo sanctissima ejus pellis tincta pretiosam repræsentat purpuram: sceptrum ludicra est arundo, quam sæpius de manibus accipientes, sanctissimum percutiebant caput ejus. Ah N. N. quot ferocissimis ictibus arundinis hujus spineam percutientes coronam nova benedicto capiti ejus imprimebant vulnera? Regijs manibus ligatis ne fugiat vniversi Dominus, & quem fortissima cæli claustra continere non potuerunt, fortissimis constringitur funibus. Sed audite: nónne vultus hic sanctissimus ille est, cujus aspectu inexplicabili dulcedine pascuntur SS. Angeli, in quem desiderant respicere omnes beati, cujus intuitu cæli confortantur, & lætificantur, terra virescit, & recreatur? Hic à rusticis, & durissimis satellitum percutitur, & vulneratur manibus. Non videtis quomodo præ summis doloribus, & frigore pauper, & derelictus tremuit. *Ecce homo.* O durissimi, & impijssimi Hebræi! aliter imaginari mihi non possum, quàm satiatos vos Christi opprobrijs, & miserijs, & nunc non ad mortem, sed ad vitam eum petituros vos fore: nam mors ipsi futurum erit solatium, sed vita longior cruciatus, & tot iam affectus contumelijs continuâ laborabit apud vos infamiâ, quæ mille in cordati, & honesti hominis animo causat mortes. Ah quantum fecit, & laboravit Pilatus in Christi liberatione! omnem lapidem movit, vt eum de Hebræorum eximeret manibus, & fecit quantum potuit: Sic S. Augustinus in Psalm. 2. asserit: *Instititit enim, quantum potuit, vt illum ex eorum manibus liberaret.* Sed quid aguntHebræi! Quem effectum lamentabile hoc spectaculum, copiosius Christi effusus sanguis in ipsorum causavit animis? Vt tigrides, & elephantes viso sanguine magis exacerbantur, & crudeliores fiunt, apprehensum corpus nisi sanguine toto exhausto non dimittentes altâ voce clamant: *Crucifige, crucifige eum.* Flagellatione contenti non sumus, spinea hæc crudelis coronatio sitim in nobis extinguere insufficiens est, mori debet, & in cruce suspendi, & militis lanceâ corpus ejus aperiri, vt ad vltimam guttulam eum suo privemus sanguine. *Crucifige, crucifige eum.*

Idem B. Laur. Iustin. loc. cit. cap. 14.

S. Aug. in Psalm. 2.

Matth. cap. 26.

Meritò ergo ô peccatores! ad vos conversus, miserabile & deplorandum vobis exhibens spectaculum, vos alloquor, dicens: *Ecce homo.* Ecce Dei filius, Deus, & Creator vester vestra de causa totus verecundus, & opprobrium factus est gẽtibus: ecce Christus tuus non iam pulcherrimus hominum, sed in miseriarum, & dolorum simulachrũ trãsformatus est: ecce Salvator tuus, in cujus vultum sanctissimũ desiderant respicere Angeli, tuo amore hęc passus, & sic transformatus est, vt hîc vides. Aspice, quæso, quanti valoris tua fuêre peccata, & quàm miserabiles causarint effectus. Ah fœminæ vanæ, quid mali vobis IESUS vester fecit, quod vestris vanitatibus speciosissimam ejus formam in hunc horrorem transformaveritis? Ah miseri, & ingratissimi peccatores! quomodo oculi vestri lachrymarum flumina viso hoc mirabili spectaculo cõtinere possunt? Ne cogites tantum caput ejus sanctissimũ acutissimis spinis vulneratum, sed intuere vniversum corpus ejus, & vnicam per vniversum reperies plagam, & vsque ad pedum plantas non reperies in eo sanitatem. Sic attestatur Sanctus Propheta Isaias capite primo versu sexto, inquiens: *A planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas. Ecce homo.* O corda ingrata aspicite, intuemini, & videte, num hunc miserum cognoscitis. *Ecce homo.* O corona, à superbia mea causata! ô arundo à vanitate mea procurata! ô funes meorum peccatorum! ô capilli intricati, & laceri meum lacerantes cor, ô frons transfixa, quomodo cor, & pectus meum transfigis, ô oculi firmamenti stellæ, cur plangitis?

Isai. cap. 1.6.

tis? Quid vobiscum habet planctus, ô oculi divini! qui risus estis Angelorum? O mortalia vulnera, qui me ad mortem vulneratis! O Sponse animæ meæ! *Quis mihi tribuat*
2.Reg.c.18. *vt moriar pro te?* Quamdiu ego hac mortali circumdabor carne! per hunc pretiosum tuum sanguinem sparsum, per tuam spineam coronam, per tuam crudelissimam flagellationem, per infinitum erga me amorem, ô Rex amoris, pro peccatorum meorum supplicabo remissione. Quiescamus.

PARS II.

VIdens ergo Pilatus Iudaicum populũ commotum, & ejus deprehendens obstinatam resolutionem, ne Cæsaris perderet gratiam, vt Iudæi minabantur, di-
Ioan.c.19. centes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, iniustitiæ fit administrator, & innocentissimum Iesum condemnat ad mortem. Sic reperietis apud Sanctum Lucam capite
Luc.c.23. vigesimo tertio: *Pilatus autem adiudicavit fieri petitionem eorum.* Ah Christiani! quantum pœnæ attulit benedicto Christo hæc prolata sententia, & quo mœrore afflicta fuit sanctissima anima ejus, videns se inimicissimis sibi Hebræis traditum fuisse.
Sextus, fuit condemnatio ac crucifixio. Sit rigorosissima justitia & quantumcunque velit severa; attamen ad hanc non descendit crudelitatem, vt reum inimicorum tradat arbitrio. Sed Christus contra omnem legem ac justitiam inimicorum traditur manibus: *Tradidit eum voluntati eorum* vt nõ tantum, quantum poterant contra ipsum exequerentur, verùm etiam quantum volebant, & placebant.

Vix iniqui Iudicis ore iniquissima fuerat prolata mortis sentẽtia, & morti adiudicatus Redemptor hominum, statim ab Hebræis Pilati reuocationem timentibus executioni mandatur; vnde subitò Christum spoliant ornatu, quo prius ad irridendum ipsum induerant, & proprijs induunt ve-
S. Marc. cap.15. stibus, vt apud Sanct. Matthæum cap. 26. reperietis: *Exuerunt illum purpurâ, & induerunt eum vestimentis suis.* Et ecce ô animæ contemplativæ! novi suboriuntur gravissimi dolores; nam dum per vniversum corpus vestis hæc vulneribus, & carni agglutinata detrahitur, omnia renovantur vulnera, & inexplicabilia causantur tormenta, quia vestis hæc quasi nova pellis excoriato adhærebat corpori. Et dum sic spoliato de corpore ejus sanguinis fluerent flumina, ecce ponderosissima crux ad portandum ipsi præsentatur, quam videns ac intuens non dubium quin sequentibus salutaverit verbis: Salve ô dilectissima, & desiderabilis crux! ô quantâ lætitiâ intuitus tuus animam meam afficit, quàm volens te amplector atque stringo, ô vitæ arbor! mihi quidem dabis mortem, sed in te moriendo mundo reddam perditam vitam. O crux mihi iam pridem desiderata, summo meo gustu in Calvariæ montis à meis humeris portaberis apicem, vt deinde Angelorum manibus cælorum importeris Regnis. Procedamus ergo ad injustitiæ locum, ô sanctissima crux! ad quem injustitiæ vos vocat turba. Finitis his, & similibus verbis summo amore amplectitur crucem, & humeris suis sanctissimis imposuit, vt prophetia illa Isaiæ capite nono impleretur: *Et factus est principatus super humerum eius.* Isai.c.9.
quam sic amplexam, & manibus comprehensam inter duos latrones ad Calvariæ traxit montem, vt apud S. Ioannem capite 19 legimus: *Et baiulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.* Crux verò tam ponderosa & Christus ita exhaustus viribus erat, vt quasi exanimis sub ejus pondere caderet in terram, O crudele spectaculum! & quomodo ad hunc casum totum firmamentum cum omnibus suis non cadit stellis? Et forsan hic miserabili Christi casus Hebræorum animos emolliens ad pietatem, aut compassionem aliquam commovit? Minimè N. N. sed crudeliores inde effecti sunt, pedibus calcando, & fustibus percutiendo ad surgendum ipsum excitabant, & ad montem accelerare cogebant, & impellebant. Ipse autem Redemptionem nostram considerans, & salutem hominum præ oculis habẽs, resumptis viribus surgit,

& crucem

& crucem humeris suis sanctissimis recipiens, ad destinatum pergit locum.

Tempore hoc, vt passionis devoti contemplantur, Ioannes Evangelista, qui huc usque cunctis passionis actibus fuerat præsens, Christum relinquens, sanctissimam Virginem matrem Iesu inquirit, & cuncta quæ acta fuerant, & quod jam ad mortem duceretur, annunciat. Quo tristissimo accepto nuncio, tota afflicta cum alijs sanctis mulieribus, quæ ad consolandã illam convenerant, surgit, & per plateas, ac vicos Regiæ Hierosolymæ civitatis, tendens suum dilectissimum quærebat filium, vndique & vbique omnes flebili voce Canticorum capite tertio & quinto verbis alloquens: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Sic omnes matronas ac fœminas, quæ in omnibus plateis ad hoc spectaculum intuendum convenerant, interrogabat inquiens: O bonæ, & piæ fœminæ vidistisne forsan filium meum, & thesaurum animæ meæ? forsan quia hîc congregatæ estis, hinc transivit? Quònam direxit gressus suos? Et ubinam locorum reperire possum dulcissimum amorem animæ meæ! Ah miseram me, si saltem semel, antequam occidatur, dilectissimum vultum ejus intueri licitum mihi foret! Sed ô Maria afflicta: *Qualis est dilectus tuus ô pulcherrima mulierum?* O afflictißima Domina! ô mulier tota pœnosa, quis est hic dilectus tuus? quomodo appellatur, & quale est nomẽ ejus? Iesus, Iesus est nomen ejus. Forsan ô mulieres charæ! non cognoscitis illum, non est præter filium meum in hac civitate Hierusalem, qui hoc appelletur nomine. O afflictißima Mater! ô mulier tota dolorosa! si hic filius tuus est, & ipsum vivum intueri desideres, accelerandum tibi est; nam paulò antè hinc transiens inter duos latrones ponderosißimam portans crucem, ad Calvariæ montis locum ductus est. Ecce sanguis ejus in terram effusus: hunc sequere, ad filium tuum duceris. O Maria, Maria, quis te hîc titubantem, & dubitantem, num Filij sparsus sanguis recolligendus, aut vestigia ejus ad reperiendũ eum insequenda essent,

Cant. cap. 3. & 5.

respexisset: tandem filium videndi desiderium, sanguinem recolligendi superat, & acceleratis gressibus suum insequitur filium. Et ecce à longè funestam inspicit processionem, funestum tubarum percipit sonum. O miserandum pro Virgine spectaculum! Sed hîc animus ejus novis accumulatur doloribus; nam quem tam anxiè desiderabat videre, & amplecti, multitudo concurrentium aditum ejus impediebat. O sanctissima Mater, quale tormentum hoc cordi tuo erat? O durissimi Hebræi, tantillũ facite spatij afflictiss. Matri, licentiam date suo dilectiss. Filio pro vltimo vale amori osculum præbendi, & priusquam occidatur, suis eum stringendi brachijs. Quâ tandem pluribus precibus gratiâ obtentâ, turbas transijt, & filium obviàm habens, ob deformitatem, transformatum ejus vultum minimè recognovit. Tandem propiùs accedens cùm eum agnovisset, & tam deformatum inspexisset, tantus dolor invasit animam ejus, vt protinus nisi per divinum miraculum conservata fuisset, ante Filij pedes vbi corruerat, & quasi exanimis iacebat, spiritum reddidisset. Hic casus acutissimus ille erat gladius à S. Simeone apud S. Lucam cap. 2. prophetizatus: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Hic gladius cor ejus transiens semimortuam reddidit. Audiamus S. Bernardum libro Meditationum capite septuagesimo septimo sic loquentem: *Cernens eum oneratum ligno tam gravi, quod primo non viderat, semimortua facta est præ angustia, nec verbum dicere potuit.* Et absque dubio, vt S. Anselmus sermone de passione asserit, nisi per divinam omnipotentiam in vivis conservata fuisset, protinus animam reddidisset. Verba ejus hæc sunt: *Per singula momenta dolor vitam eius extinguere sufficiens fuisset, nisi ex speciali miraculo divinitus conservaretur.* Tandem viribus reassumptis, & à Deo confortata ad Filium amantissimum suum Iesum conversa, sic ipsum affata est: O paradisi pulchritudo! ô vultus sanctissimus, in quem Angeli prospicere desiderant, quis te tam deformem, & horridum

Afflictio Matris Christi.

S. Bern. 1. Medit. c. 77.

S. Ansel. serm. de Pass.

ridum reddidit? ô lumen oculorum meorum, quomodo charitas, & lux tua evanuit? ô æterni Patris Fili, quis tuam speciosissimam formam, in hanc horridam commutavit imaginem? ô Sol paradisi! quomodo obscuratus es? ô qualis hæc tormentorum corona est, quam in tuo deprehendo capite? ô mortuorum vita, quò progrederis? ad mortem? & quomodo ego miserrima mulierum absque te, ô spes vitæ meæ! vivere potero? Hæc & similia, ut devoti contemplantur, Virginis ad Filium erant verba, & qualis hic fuerit animæ ejus dolor, considerare potestis.

Tandem Filium suum summo dolore derelinquere compulsa fuit, & quia benedictus Christus ob Sanguinis effluxi copiam totus debilis,& viribus exhaustus erat, ad crucis pondus portandum erat insufficiens, Cyrenæum quemdam illis obviantem angariaverunt, ut & suos supponeret humeros. Sic legimus apud sanctum Matthæum capite vigesimo sexto: *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem; hunc angariaverunt ut tolleret crucem eius.* (S. Matth. 26.)

Sic lassus & defatigatus non ita crucis onere, ut peccatorum nostrorum pondere, ad Calvariæ pervenit montem. *Venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.* Vbi cùm crucem deposuisset, subitò vestibus spoliatur, & qui omnes vestit, nudus toto repræsentatur mundo, ut ipsemet sanctæ Brigittæ revelavit, ut libro primo ejus revelationum capite quinquagesimo nono legimus, inquiens: *Ego sicut natus fui, stabam nudus ante oculos inimicorum meorum.* (S. Brigitta lib. 1. Rev. cap. 59.) Et hîc ô animæ devotæ! cum sancto Bonaventura Iudæorum crudelitatem, & novos Christi dolores considerare poteritis; (S. Bonav. lib. med. cap. 80.) nam cùm vestes, quæ deunò carni, & vulneribus agglutinatæ erant, summâ detraherent crudelitate, & pellis partem detraxerunt & omnia vulnera ejus renovarunt, ita ut non solùm undique effluerct sanguis, verùm etiam totum corpus una tantùm videretur plaga; nam cum veste partem pellis detraxerunt, cum pelle carnis partes, eum carne sanguinem cum sanguine vitam: & sic benedictus Christus antequam cruci affigeretur, totus fuit excoriatus. Ergo sic nudum, & non tantùm vestibus, verùm etiam pelle spoliatum, super crucem proijciunt, quæ iam in terra posita erat; & cùm se innocentissimus agnus in crucem posuisset, nebulones illis superbissimis verbis Creatori universi imperant, ut manum dexteram extenderet. Quod cùm mansuetissimus fecisset Christus, protinus unus ex illis sanctissimam apprehendit manum, & clavo affixit. O acutissimos dolores! quos ictus hi in purissimo corde Virginis causabant? Sanctus Thomas considerans Christi dolores tertia parte quæst. 56. artic. 6. dicit hunc dolorem ob nervos, & partes sensitivas manuum omnes alios superasse; (S. Th. 3. p. q. 56. art. 6.) ideò non immeritò ipsemet per Ieremiæ os Threnorum capite primo dicit: *Attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* (Thren. cap. 1.)

Affixâ hac dexterâ manum alteram similiter apprehendunt, illam autem contractam, & breviorem ob alterius dolores deprehendentes, funem alligant, & dum fortiter ad designatum trahunt locum, non tantùm ossa commoverunt, sed de loco proprio extrahentes summos ipsi causarunt dolores: ut in sanctæ Brigittæ revelationibus capite septuagesimo legimus; his verbis: *Manum postulatus, primò dexteram extendit, & inde alia manus ad cornu non attingens distenditur, & pedes similiter ad foramina distenduntur.* (S. Brigit. lib. 4. cap. 70.)

Manibus sic affixis fortissimo fune alligato pedes ad designatum extendunt locum, & unum supra alium positum clavo transfigunt, & iteratis ictibus cruci affigunt. Tunc prophetia Psalmi vigesimi primi impleta fuit: *Foderunt manus meas, & pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.* (Psalm. 21.) His actis elevant crucem, & quia fossa, ubi crux ponenda erat, aliquo modo profundior erat, impetu dimiserunt; quo actu non tantùm omnia ossa in sanctissimo corpore commota sunt, verùm etiam omnia vulnera ejus renovata fuerunt, & summos causavit dolo-

dolores; & novos sanguinis riuulos per omnes partes sacratissimum corpus ejus emittebat. Crucifixo sic innocentissimo Christo ad maiorem Christi infamiam duos crucifigunt cum ipso latrones, vnum à dextris alterum à sinistris, vt Evangelista testatur. *Et cum eo crucifixerunt duos latrones, vnũ à dextris, & alium à sinistris, medium autẽ Iesum.* Tunc Isaiæ capitis quinquagesimi tertij verba verificata sunt. *Et cum sceleratis reputatus est.*

S. Matth. cap. 28. *Isai. c. 53.*

Sic suspensum inter duos lattrones rabidi Hebræi novis afficiunt tormentis, nec ab iniurijs cessant, sed quidam blasphemabant, quidam seductorem, quidam falsum prophetam appellabant, & varijs afficiebant vituperijs, quibus non tantum præsentes augmentabantur Christi dolores, verùm etiam nova causabantur tormenta, vt Beatissima Virgo sanctæ Brigittæ libro primo revelationum capite decimo revelavit. Alij vt S. Matthæus capite decimo octavo attestatur ipsum irridentes sua exprobrantes ipsi miracula, dicebant: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest saluum facere.* Et quidã hoc, quidam aliud ad affligendum benedictum Christum dicebant. *Alia multa blasphemantes dicebant in eum* Tunc impletum fuit, *Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labijs, & moverunt caput.*

S. Brig. l. 1. Rev. c. 10. *Psalm. 21.*

Cùm autem cruci adstantes Salvatoris inimici varijs eum afficerẽt vituperijs, ipse totus amore erga homines incensus, & amoris exardescens igne, pro inimicis, & tot scelerum remissione, æternum deprecatur Patrem inquiens: *Pater ignosce illis* & excusando ipsos, & minuendo culpam ipsorum dicebat: *Quia nesciunt quid faciunt.* Qui factâ & expletâ oratione, latroni confitenti condonat peccata, inquiens: *Hodie mecum eris in paradiso.* Inde conversus ad sanctissimam, ac afflictam matrem, ex pijssimo cordis affectu sanctum Ioannem ipsi demonstrans, sequentibus alloquitur verbis: *Mulier ecce filius tuus.* Et cùm ad tertiam vsque horam in cruce pependisset, & in terris nullius consolationis reperisset locum, & inferiorem partem omne solatij genus ad suos minuendos dolores sibi denegare deprehendisset, vt verum hominem doloribus, & afflictionibus subiectum se exhiberet, ad æternum patrem conversus, clamore valido auxilium petijt, inquiens: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*

Luc. cap. 22. *Ioan. c. 18.*

Inter alia autem tormenta à Christo passa amarissimarum lachrymarum metetur flumina, quod cùm summa laboraret siti, & exhausta, & exsiccata membra aquæ potu aliquantulum exhilarare cuperet, & ad hunc effectum aquæ potum petere, non aqua, sed acetum felle mixtum ipsi porrectum fuerit. Sic apud S. Ioannẽ capite decimo nono reperieti. *Illi autem spongiã plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.* Et tunc prophetia illa adimpleta fuit. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea, potaverunt me aceto.*

Matth. c. 17 *Psalm. 21.*

Cùm ergo acetum felle mixtum gaustasset, & nec tormentum, nec pœna, aut supplicium aliquod à Prophetis prædictum à Christo tolerandum superesset, & redemptionis pretium abundantissimè æterno Patri enumeratum fuisset, claudens sanctissimam passionem suam, & humani generis redemptionis actum complens, altâ voce exclamavit: *Consummatum est* Et cùm hoc dixisset, cælum versus sanctissimum suum elevans vultum, humanum iam genus redemptum æterno commendabat, & tradebat Patri, & cùm resolutionis instaret tempus, & anima sanctissimum deberet deserere corpus, æterno illam commendans Patri, dicebat: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum* O N. N. felicem illum! cui tunc Angelos pacis, de cælo descendentes Salvatoris transitu assistentes, & amarè flentes cum Isaia Propheta cap. 31. intueri licuisset: *Angeli pacis amare flebant.* Et ecce in momento illo velum templi scinditur, sol obscuratur, terra summo concutitur tremore, petræ scinduntur, mortui exeunt de sepulchris; & dum hæc fierent, & vniversa creatura Creatori morienti compateretur, caput suum sanctissimum deorsum inclinans emisit Spiritum; vt

Ioan. c. 18. *Isai. cap. 31.*

vt apud Ioannem capite decimo nono legimus. *Et inclinato capite tradidit Spiritum.*

Hîc vos omnes, ô fideles! cum Davide Rege ad inauditum hoc intuendum ac prodigiosum opus invito. *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Psalm. 45. Et quis hominum simile vidit prodigium, vbi vita ipsa, & fons vitæ moritur? vbi Deus qui omnium Dominus est, & cuicunque creaturæ esse suum largitur, vt malefactor occiditur? Tam inauditum prodigium hoc extitit opus, vt ipsimet inimici eius illo inspecto confusi, & contriti discedentes, & pœnitentiam agentes pectora sua percusserint, Sancto Lucâ attestante. *Et omnes, qui aderant ad spectaculum istud, revertebantur, percutientes pectora sua.* Luc. c. 23. Et nos miseri quid agimus? cur non etiam contriti, & pœnitentiam agentes nostra percutimus pectora, cùm horum omnium peccata nostra, causa sint? Ergo non sit qui non toto corde doleat se Christum offendisse.

Ecce, ecce N. N. dilectus animæ tuæ, cognoscis ipsum? Ah animarum nostrarum Domine, & Rex, quinam sunt illi, qui te tot affecerunt iniurijs? Ad quem statum te conduxerunt peccata mundi? ô oculi! ô stellæ paradisi! ô Sol quomodo es eclipsatus? Manus, quibus mundus fabricatus est, quis vos perforavit! ô pedes, qui me errantem inquirendo & ad verũ ducendo ouile toties lassati fuistis, quis vos cruci affixit? Hæcnè requies vestra est? ô peccatores! contentíne estis? ô superbi, estis nunc contenti? ô auari, & lascivi, estis nunc contenti? ô fœminæ vanæ, estis nunc contentæ? ô vindicativi, estis nunc contenti? ô incredibilis peccatorum obstinatio! possibilenè est sic impœnitentes, & obstinatos mori velle? Quomodo corda vestra hâc inspectâ imagine Christum vestrum repræsentante non conteruntur, & oculi vestri flumina lachrymarum non emittunt? Inspicite ipsũ,

Exhibetur hic crucifixus.

à capite vsque ad pedum plantam considerate, non reperietis in eo sanitatem. Inspicite os & labia ejus sanctissima, vulnerata, inflata ex manuum ictibus, & aceto cum felle mixto potata reperietis: sanctissimum caput ejus intueamini, & spinis coronarum contemplemini: vultum ejus sanctissimum respicite, & totum lividum, inflatum, sanguine, & sputis plenum admiramini; aspicite hos oculos lividos, & obscuratos, barbam euulsam, & sanguine coagulatam: intuemini pectus ejus totum lacerum; aspicite brachia & tot baculorum ictibus quasi confracta genua, & crura flagellorum, reiteratis ictibus dilacerata; inspicite cruorem hunc vndique effluentem, & pedes ejus sanctissimos perforatos, durissimo hoc ligno affixos. Ah hic est ille, de quo Isaias capite primo loquens sic dicit: *A planta pedis, vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Isai. cap. 1.

O amantissime noster Redemptor! hæc spinea corona caput tuum vulnerare, & tot dolores causare non valuisset, si peccatorum nostrorum pondus hanc capiti tuo non intrusisset. Acetum felle mixtum amaritudinem sanctissimo ori tuo inferre non potuisset, nisi amaritudo, & acerbitas nostrarum murmurationum priùs illud amarum reddidisset. Carnem tuam sanctissimam flagella attingere non valuissent, nisi culpis nostris contexta fuisset. Cruci affigi non potuisses, si à nobis clavi fabricati non fuissent. Et quis tibi mortem inferre potuisset ô vita mea! si nos peccatis nostris tibi illam non acquisivissemus? Ergo cùm omnes peccatores simus, veniam peccatorum vt tot malorum causæ à Domino petamus. Ecce promptus est, ideò nudus moritur in cruce, vt tibi ditissimam æternæ salutis relinqueret hæreditatem, cujus pignoris loco æterni Patris capite benedictionem. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.*

DIS.

DISCVRSVS XXXVII.

PRO DIE DOMINICA RESVRRECTIONIS.

ARGVMENTVM.

Tractatu primo de universali lætitia hujus diei, & hoc festivitatis gaudium præ omnibus alijs quæ sancta celebrat Ecclesia, solum purum, & mœrore aliquo mixtum non esse demonstratur.

Thema.

Iesũ quæritis Nazarenum crucifixũ: surrexit, nõ est hîc. Mar. c. 16.

Bona nova resurrectionis Christi.



LÆtus adsum nuntius vobis, ô mœstissimi N.N. adsciens nova *Alleluia, Alleluia, Alleluia.* Cesset iam planctus, absit iam dolor, recessum iam canat omnis tristitia animorum vestrorum, oculi vestri iam læto induãtur lumine, amaritudo cordis vestri in sapidissimam mutetur dulcedinem, & mens vestra ab omnibus serenetur melancholiæ nubibus, totâ cordis lætitiâ mecum canentes. *Alleluia, Alleluia, Alleluia*; Lætitia, Lætitia, Lætitia; *Surrexit Dominus verè*: Christus resurrexit, & absque dubio resurrexit: vivit iam Pater noster, qui nudiustertius ab impijssimis fuerat occisus Hebræis. Vivit, & vivit; meliora, & Lætiora nova vobis adferre nõ possum. Ergo bonâ vestrâ licentiâ, N. N. trimphus Christi, & gloriosa ejus resurrectio scopus hujus mei discursus erit; dum ergo ipsum vobis explico, attenti sitis. Luc. 24.

Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hîc. Marci cap. 16.

Lætita resurrectionis excedit omnes alias

LÆtissimam, & iucundissimam semper fuisse Iesu Christi resurrectionis diẽ, minimè dubitandum est, N.N. & merito, nam si in alijs festivis, & lætis diebus à sancta Dei Ecclesia celebratis, variæ gaudiorum deprehenduntur rationes; habent tamen etiã doloris, & mœstitiæ quid mixtum. Celebrat incatnationem Verbi, vt Salutis nostræ originem, atque principium inexplicabili cordis lætitiâ apud Sanctum Ioannem capite primo cantans: *Et Verbum Caro factum.* attamen incompleta hæc apparet festiva iucunditas, cùm Deus in hac humiliari debuit, vt Apostolus ad Philippenses capite secundo attestatus est: *Humiliauit semetipsũ, formã servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Si Nativitatis dies & hominum, & Angelorum inenarrabili celebratur lætitiâ, vbique, & vndique cantantium, vt apud sanctum Lucam capite secundo habemus: *Gloria in altißimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* attamen summâ laborabat paupertate, & inopiâ, ita vt diversorio carens, in miserrimo, & vilissimo præsepio à sanctissima Virgine positus fuerit. *Et reclinavit eum in præsepio.* Si octavâ Nativitatis die circumcidi, & pignus sui amoris humano generi dare voluit, & gaudiosum nomen Iesus, quod idem est ac Salvator, accipere placuit, vt apud Sanctum Lucam capite secundo legimus. *Vocatum est nomen eius Iesus:* attamen dolorosâ sãguinis effusione miscetur hæc lætitia. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer.* Si in Epiphaniæ festo ob Magorum adorationem gaudet, & lætatur Ecclesia, & cùm aurum, thus, Myrrham Sponso offerentes debitum præstant homagium, lætatur, apud Matthæum capite secundo habemus: *Et ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, & apertis thesauris*

Ioan. cap. 1. Ad Phil. cap. 2. S. Luc. c. 2. Luc. cap. 2. Matth. c. 2.

suaris obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Nihilominus absque turbatione non fuit; nam ab iniquo Rege Herode ad mortem quærebatur. *Futurum enim est, vt Herodes quærat puerum, ad perdendum eum.* Si cùm à Ioanne ad Iordanis fluminis ripas baptizaretur, tanta celebritas erat in cœlo, vt ipsemet æternus Pater de cœlo clamans de suo sibi dilectissimo Filio gratularetur,

Matth. c. 17.

dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* attamen desertum Iordanis intrans, à dæmone tentatus, & vexatus fuit, licèt gloriosus de ipso trimphaverit; vt idem Matthæus capite quarto attestatur. *Tunc reliquit eum diabolus.* Magno gaudio, & iubilo ejus celebrata fuit transfiguratio; facies resplendebat vt sol, vestes albescebant vt nix, vt idem Sanctus

Matth. c. 17.

Matthæus capite decimo septimo describit. *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* nihilominus non fuit tam pura hæc iucunditas, vt non inesset aliqua amaritudo; nam sub finem de excessu, id est, de passione ejus agebatur. *Et dicebant excessum eius.* Si palmarum die vniversali susceptus fuit gaudio, atque lætitiâ, & ore omnium proclamabatur. *Hosanna Filio David.* nihilominus ieiunus exire cogitur, & non est qui invitet ad refectionem, atque in passione varijs afficitur iniurijs, ac vituperijs. *Prætereuntes autem blasphemabant eum.* Et si

Matth. c. 21.

in vltima cœna benedictus Christus gaudio totus effunditur, & sanctissimum corpus suum in cibum, & sanguinem in potum, vt amoris pignus tribuens discipulis, summâ afficitur lætitiâ, non fuit tamen absque disgustu, quem ei traditor attulit discipulus, vt his indicavit verbis: *Vnus vestrûm me traditurus est.* Hæc sola resurrectionis lætitia vacat omni mœrore, & dum gloriosæ resurrectionis triumphus à sancta celebratur Ecclesia, omnis proscribitur tristitia, atque mœstitia, & apud cunctos læti agũtur dies, Gaudet sanctissima Virgo charissimum suum Filium victorem resurrexisse à mortuis, & immortalitatis induisse stolam; Angeli dies festos agunt in paradiso; Apostoli consolati redduntur, terra, cœlum, mare, & elementa, ac vniversi machina inexplicabilia lætitiæ, & gaudij exhibẽt signa: ideò sancta Dei Romana Ecclesia in hodierna festivitate sequentia cantat verba: *In resurrectione tua Christe, cœli & terra lætantur.* Et sanctus Augustinus Ecclesiæ Dei lumen sermone de resurrectione omnes ad similem exhortans lætitiam, sequentia habet verba: *Surrexit Christus: exultet vniversus mundus: par etenim est, vt sicut omnis creatura lugubri doluit ploratu in morte Creatoris sui, nunc triumphalem ab inferis reditum læta suscipiat resurgentis.* Hæc vt veritatem fatear dies reverà felicissima, lætissima, fortunatissima nobis est: ideò meritò cum serenissimo Davide Rege Psalmi centesimi decimi semptimi versiculum læto cantabimus corde, dicentes: *Hæc dies quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea.*

Eccl. in offic. Res.

S. Aug. ser. de Resur.

Psalm. 117.

Contemplationis oculis sanctam Mariã Magdalenam inspicere vos invito, N. N. videte quomodo amoris erga Christum æstuans flammis discipula, tota lætabunda, quasi intra carnis terminos continere se nequiens, velut fulgur ab Oriente ad Occidentem, de domo in domum transiens, fidelibus Christum resurrexisse, & eum vidisse, & ipsi collocutam fuisse annantiat: aspicite etiam socias ejus vt Mariam Cleophæ, & Salome, & alias pias ac devotas Christo fœminas. Sed quàm immensum gaudium fuisse Petri putatis, dum Christum amantissimum suum magistrum à mortuis resuscitatum cognovit? Sed quid de Virginis Sanctissimæ dicemus gaudijs, quæ vt in amore omnes excessit, sic & gaudijs, cui etiam omnium primus apparuit, vt varij sancti attestantur Dei Ecclesiæ Doctores? Sanctus Ambrosius libro de Virginibus, Sanctus Gregorius Nyssenus, oratione secunda de Resurrectione, Sanctus Anselmus de excellẽtia Virginis capite sexto, Rupertus Abbas libro septimo de divinis officijs capite vigesimo quinto, Sanctus Bernardus sermone de Resurrectione, Sanctus Bonaventura in meditatione vitæ Christi, San-

S. Ambr. l. de Virg. S. Greg. Nys. orat. 2. de Resurr. S. Ansel. de excel. Virg. c. 6. Rup. Abb. lib. 6. de div. offic.

ctus

S. Bern. serm. de Resur. S. Vinc. serm. de Nat. Virg.

ctus Vincentius sermone secundo de Nativitate Virginis, & plurimi alij. Quòd autem Sancti Evangelistæ hujus apparitionis vt alijs sanctis mulieribus factis mentionem non fecerint, mirum non videatur N, N. nam historiæ ipsorum in resurrectionis Iesu Christi testimonium scriptæ erant, & vt scitis, leges in filij causa matris vetant testimonium: ideò meritò silentio hanc prætereunt apparitionem. Imò & conueniens erat, vt Christus suæ Matri primo appareret loco, ut docet Sanctus Antonius de Florentia; nam quia præ omnibus mœsta, & afflicta fuerat in ejus passione, congruum erat vt etiam præ omnibus citiùs lætaretur, & consolaretur. Verba ejus hæc sunt: *Creditur, licet in Evangelio non habetur, quòd ante omnes primò apparuerit Mariæ matri suæ, vt quæ plus omnibus doluit, citius, & magis consolaretur.* Et Sanctus Ambrosius ubi suprà, idem expressis habet verbis: *Vidit Maria Resurrectionem Domini, & primò vidit, & credidit.*

Apparuit primò Virgini matri.

S. Anton. de Flo. 1. p. Chro. c. 7. rit. 5.

S. Amb. loc. cit.

Video ergo mihi sedentem sanctissimam Dei Matrem, plicatis manibus, vultu demisso, plurima emittentem suspiria, lachrymantem, & summè afflictā intueri, & ecce ex improviso habitationem inconsueto repleri lumine, & suavissimo odore, & totum splendidum, lucentem, & gloriosum benedictum Christum illi adstantem inspicere. Quis nunc, ô N.N. tam Matris sanctissimæ, quàm Filij gloriosissimi capere poterit gaudium, atque consolationem? ô qualia hic habita fuerūt colloquia? & quod gaudium horum duorum beatorum fuit cordium? Sciréne desideratis meam opinionem? ecce dicam. Non dubium quin consolatio, atque gaudium sanctissimæ Virginis, Resurrectionis dilectissimi filij, mœstitiæ, atque doloris passionis fuerit æquiualens, qui tantus fuit, ut divino miraculo ne animā redderet, conservari debuerit; ergo & hic tanta fuit lætitia, tamq; abundans consolatio, ut nisi divina advenisset omnipotentia, anima carnis transgressis terminis tunc paradisū petijsset. Alloquebatur Christus Sanctissimā Matrem: *Surge, propera amica mea: iam hyems trāsijt, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Surge ô dilectissima Mater, cessent iam dolores, absit mœstitia omnis, & non plorent ampliùs dilectissimi tui oculi, convertantur nunc mœstissima tua suspiria in dulcissimos cantus, fletus in risus, afflictiones in consolationes: iam transivit, ô dilectissima Mater, horrida hyems, amarissimæ passionis meæ nives, grandines, & tempestates tormentorum, quibus obrutus fueram, recesserunt, & ver gloriosæ advenit Resurrectionis; inspice iam immortalitati dotes, veluti pulcherrimos flores in meo corpore florentes. Gaude, gaude ô dulcissima Mater, ecce quā gloriosus nunc est tuus charissimus filius, amplectere eum pro tuo libitu; tuus enim sum. Hæc & similia verba à Christo amplexibus durantibus ad Sanctissimam suam Matrem prolata fuisse piè credere possumus. Sed quænam verba Virginis ad filium fuisse creditis? Nō dubium quin illa Canticorum capitis primi, *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* O fili fili ô dulcissime fili! tunè ille, quem brachijs stringo? tunè ille es qui ante tres dies tot affectus opprobrijs ignominiosā morte ab Hebræis occisus es? tunè ille es, quem nudum in cruce, vndique vulneratum, sanguine maculatum, & nudum inter duos latrones pendentem videbam? Ergo nunc resuscitatus, tantaque gloriā & decore indutus es? ô felicissimi oculi mei, qui tam gloriosum intuentur Filium meum! Quæ gemmæ sunt istæ in pedibus, & manibus tuis, tam mirificum dantes splendorē? Quid gestas in latere, & pectore tuo solem insplendore superans? Hic triumphus Virginis Sanctissimæ, hæc gaudia ejus fuēre.

Cant. c. 2.

Cant. cap. 1.

Ergo & nobis peccatoribus lætandum est; nam mediantibus Christi meritis, & ejus sanctissimā gratiā in spiritualem resurgimus vitā, & si toto corde cum sancto latrone in cruce pœnitentiam egerimus, vt ipse de salute sua Christi voce certus factus fuit, sic & nos merita ejus sanctissima certificant. Sic docet Sanctus Augustinus sermone de Resurrectione, inquiens: *In hac*

S. Aug. serm. de Resurr.

die peccator de indulgentia desperare non debet: si enim Latro paradisu meruit, cur non mereatur veniam Christianus? Et si illi Dominus cùm crucifigitur, miseretur, multò magis huic miserebitur cùm resurgit.

Nam si Pascha idem ac transitus est, cùm hac die Christus de morte transierit ad vitam, spero & vos de morte peccati, ad vitam gratiæ transijsse. Scio plurimos à peccatis recessisse, & per sacram Confessionē, & Communionem peccata expiasse, & ad vitam gratiæ redijsse. Ecce Pascha advenit, lætandi, & iubilandi in spiritu adsunt dies; sed ne quis dicere, aut cogitare audeat: Ieiunij & abstinentiæ transierunt dies, iam lætos esse convenit: ergo ad solitos redeamus gustus. De his S. Bernardus sermone de Resurrectione Domini conquèritur, inquiens: *Prô dolor! peccādi tempus facta est Resurrectio Salvatoris.* Possibiléne est, apud Christianos his tēporibus Christi Resurrectionis celebrationem reditū ad vomitum esse? Non sic Christiani; Pascha nostrum transitus ad vitam, & non à vita ad mortem est. Sic idem S. vbi suprà: *Pascha transitus, non reditus est; Christus non redijt, sed transivit; non remeavit, sed transmigravit.* Ergo non sit ex hoc numero qui retrogredi cogitet, nec de vita ad mortem transire, sed gratiâ, & meritis Christi ad novam resuscitati vitam Christum hodie gloriosum resuscitatum ad æternam gloriam, quâ nos præcessit sequi conemur, vt cum ipso tantâ gloriâ nobis ejus sanguine emptâ in æternum frui valeamus. Amen.

S. Bern. serm. de Resurr.

DISCVRSVS XXXVIII.

PRO DIE LVNÆ POST DOMINICAM RESVRRECTIONIS.

ARGVMENTVM,

Primâ parte hujus discursus tractatur de tribulatione, atque miseria hominis, & ostenditur tam principium ejus, id est, nativitatem, quàm medium, id est, vitæ cursum, quàm etiam finem, id est, mortem, nil aliud nisi summas esse miserias. Secundâ parte instruimur, quomodo dum tribulamur nos gerere conveniat.

Thema.

Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem, ambulantes, & estis tristes? Luc. cap. 24.



On est dubitandum N.N; titulos omnes mysticos, & nomina divina esse, quibus Sancta Dei Ecclesia Christum Sponsum suum honorat, atque reveretur, & à sacra Scriptura illi tribuuntur. S. Paulus Apostolus Epistolâ ad Hebræos cap. 12. ignis nomine ipsum intitulat, inquiens: *Deus noster ignis consumens est.* Serenissimus Rex David Psalmo nonagesimo tertio, Deum vindictæ appellat, dicens: *Deus vltionum Dominus.* Et Psalmo vigesimo tertio Dominum virtutum, & Regem gloriæ vocat: *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Alio loco suauem, & dulcem esse dicit: *Dulcis, & rectus Dominus.* Nunc ipsum titulo admirabilis, consiliarij, Dei, fortis, Patris futuri sæculi, & Patris principis

Ad Hebr. cap.12.

Psalm. 93.

Psalm. 23.

Psalm. 24.

cipis insignire placet. *Admirabilis Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*, & plurima alia nomine sat mystica, & divina ipsi tribuere solet; sed illud,

Varij tituli; quidam sunt Dei & omnes superat hic, Deus totius consolationis.

quo hodierna die, & in præsenti festivitate ipsum Sanctus Apostolus Paulus epistolâ secundâ ad Corinthios capite primo intitulat, Deum cõsolationis ipsum appellans præ omnibus alijs admitor. *Deus totius consolationis*. Et rationem assignans cur hoc nomen præ omnibus alijs magis conveniat Christo, inquit: *Qui consolatur nos in omni*

2.Cor.c.1.

tribulatione nostra. Cujus veritatis experientiam, in hodierno Evangelio cum Sancto Luca, & Cleopha, qui ob Christi mortem, & quia eum adhuc non resurrexisse, vt promiserat, putabant, dolore & afflictione pleni erant: nam dixerat: *Post tres dies resurgã*. Et cùm iam quasi transactos viderent; & gloriosum resurrexisse nondum inspexerant, afflicti, & mœrore pleni Emauntem versus tendebant. *Ecce duo ex illis ibãt ipsa die in Castellũ, quod erat in spatio stadiorũ sexaginta ab Ierusalẽ, nomine Emaus*. Cùm his melãcholicis, & tristibus detinerentur sermonibus, benignus Christus in peregrini forma ipsis associatur, sequentibus ipsos alloquens verbis: *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad*

Luc.cap.24.

invicem, & estis tristes? Ac si diceret: Charissimi amici mei, tristes & afflictos vos video, & quæ sunt vestra suspiria, aut quid significare his vultis? Cui Cleophas vnus ex duobus Christum peregrinum esse judicans, quasi indignatus respondẽs sic affatur: *Tu solus peregrinus in Ierusalem, & non cognovisti quæ facta sũt in illa his diebus?* Et cùm sic ambulantes discurrerent, & varios formarent sermones, dulci conversandi modo Scripturas ipsis Christus explicans in tantum consolatur, vt non solùm precibus nocte illâ secum retinere ipsum conatentur, verùm etiam cogerent. Sic sancta enarrat Scriptura apud Sanctum Lucam capite vigesimo quarto: *Et coëgerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit*. Videns Christus instantiam, consensum illorum, præbuit voluntati, & castellum intrantes mensæ assident, quæ iam strata erat, & accepit Iesus panem sanctis suis manibus, & benedicens fregit, & discipulis porrexit. Quo viso statim cognouerunt eum; & cùm cognoscerent, disparuit. *Et cognoverunt eum in fractione panis: & ipse euanuit ex oculis eorum.* Admirabantur quidẽ inopinatum hunc casum, attamen quia resurrexisse illum iam deprehenderant, summoperè consolati, & contenti remanebant. Casus hic scopus nostri discursus erit, animarum ergo vestrarum profectum, & afflictorum consolationem, & Catholicam veritatem vobis exhibebo, vitam nostram mille subiectam esse miserijs, & dum vivimus varijs vexari tribulationibus, quas deinde æternæ subsequuntur consolationes. Secundâ parte docebo vos modum in tribulationibus tolerandis habendum, & quomodo quisque se gerere debeat.

Luc.cap.24.

PARS I.

PVNCTVM PRIMVM.

Qui sunt hi sermones, qui confertis ad invicem, ambulantes, & estis tristes?
Luc. cap. 24.

Mortalibus nobis quasi connaturales miserias esse, & homines dum in hac lachrymarum degunt valle, varijs subijci, & affligi tribulationibus, dubium nulli est: nam præter quotidianam experientiam vt optimam rerum magistram hæc communis Sanctorum Patrum sententia, atque doctrina est, & clarissima Scripturæ habentur testimonia. Patientissimus Iob vt summè in hac exercitatus schola capitẽ quinto sic inquit: *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum*. Quem locum Glossa explicans ait: *Quia impossibile est in hac peregrinatione sine labore esse*. Volebat ergo dicere sanctus Iob: Non minor ad laborem hominis proprietas est, quàm auis ad volatum: ita vt sicut auis cum proprietate illa ad volandum nascitur, & hunc motum à natura, & nativitate connaturalem habet, sic nos miseri omnes cum naturali quadam

Miseriæ homini quasi connaturales.

Iob.cap.5.

pro-

proprietate,mille, & millenis subiecti miserijs, & tribulationibus nascimur. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Hujus doctrinæ veritatem confirmat indubitâ suâ doctrinâ Doctor Gentium Sanctus Apostolus Paulus,qui Epistolâ suâ primâ ad Thessalonicenses capite tertio ad tribulationes, & adversitates tolerandas suos charos Thessalonicenses exhortans,expressis dicit verbis illos, & nos omnes ad has tolerandas natos, & à natura his subiectos esse,inquiens : *Nemo moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus.*

Cur Romani Deam Quietem non colerent intra vrbem.

Hanc veritatem ipsi etiam infideles, referente Sancto Augustino cognoverunt; qui, Romanæ vrbis falsorum Deorum considerans cultum, notat illos Deam quandam appellatam Quieté,in alma urbe minimè recipere, nec honoris, aut reverentiæ, seu adorationis locum concedere voluisse, sed extra vrbem, ac mœniorum terminos, & ambitus id fieri concessisse ; quò facto suos incolas docere intendebant, nulli incolarum mundi hujus quietem licitam esse, nec Deum hanc ab ipsis venerari velle, cùm illis laborandum, & sudandum sit : nam vera quis extra hunc mundum suum templum habet, & honoratur in cælis, vbi Sancti omnes (secundùm Christi, & Catholicam doctrinam) illâ fruuntur,& in summa pace absque vlla turbatione cum Christo in æternum regnant. Et hic practicus effectus illius maledictionis contra inobedientem Adamum, & nos omnes prolatæ sententiæ est, quam meritò, & justè divina Maiestas,vt Geneseos capite tertio legimus,contra Adamum,& nos omnes fulminavit,dum prohibitum manducasset pomum , & ad illicitum cibum suam extendisset manum, quâ fulminata mille,& millenis ipse,totaque ejus posteritas subiecta fuit tribulationibus, & angustijs,& plurima mala,& malorum omnium maximum, vt mors est, incurrit. Verba Scripturæ hæc sunt : *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno,ex quo præceperam tibi ne comederes.* Sed quid inde mali eveniet? *Maledicta terra in opere tuo : spinas & tribulos germinabit : in sudore vultus tui, vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es.*

Et vt veritatem me dicere deprehendatis,principium, medium, & finem atque ejus casus, & successus contemplari vobis lubeat,sat claros,& manifestos maledictionis hujus deprehendetis effectus. Inspicientes ergo principium cursus nostri, deprehendemus vix nos natos, & de matris processisse claustris protinus flendo, plangendo,& ejulando miseriarum nostrorum evidentissima adducere testimonia. Si Sapiens capite septimo nos docuit : *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Qui naturæ effectus, Sancto Cypriano sermone de pœnitentia, de miserabili hominis conditione conquerendi occasionem præbuit, quod omnis hunc ingredientis lucé primi passus fletus,& planctus sint. Verba ejus hæc sunt: *Vnusquisque nostrûm cùm nascitur, & hospitio hujus mundi excipitur,initium sumit à lachrymis; & quamvis adhuc omnium nescius, & ignarus,nihil aliud novit in ipsa prima nativitate,quàm flere: providentiâ naturali lamentatur, vitæ mortalis anxietates, & labores, & procellas mundi, quas ingreditur in exordio suo ploratu,& gemitu rudis animo protestatur.* Eiusdem veritatis pridem ante hoc Sancti Patris testimonium Doctissimi Tertulliani confessionem libro de anima capite decimo nono sequentibus elegantissimis habemus verbis: *Mentior si non statim infans,vt vitã vagitu salutavit,hoc ipsũ se testatur sensisse, atque intellexisse,quòd natus est.* Ergo infantiũ planctus, cùm ad lucem veniunt, testimonium miseriarum vitæ nostræ est. Idem S. Augustinus libro vigesimo primo de Civitate capite decimo quarto sentire videtur, inquiens: *Infantia non à risu,sed à fletu orditur hanc lucem,quid malorum ingressa sit nesciẽs propheta quodammodo.* Et sermone de Nativitate Virginis sic ait : *Lachrymæ infantium testes sunt nostræ miseriæ.*

Miseriæ incipiunt à nativitate hominis.

Sap.cap.7.

S.Cypr. serm.de patient.

Tertull.l.de ani.cap. 19.

S.Aug.l.21. de c. 14. Et serm de Nat.Virg.

Seneca labores, & continuas tribulationes, & summas, atque extremas miserias humanæ vitæ considerans, dicit, hominem non

non casu absque rationis usu nasci, sed naturæ esse stratagema,& artificiosam inventionem. Verba ejus hæc sunt: *Stratagema naturæ est, nasci homines rationis expertes.* Nam si homo ante introitum hujus vitæ ratione uti, & de bono, ac malo discurrere atq; discernere valeret,vitam hanc intrare absque dubio recusarct, & neutiquam tali intricaret se labyrintho. Ideò S. Ambrosius in caput septimum Iob concludit, dicens: *Tantis malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedium putetur, & non pœna.* Et idem Sanctus ad hoc nostrum propositum refert Thraciæ populos hominis nativitatis diem fletu,& planctu; mortis verò festivis celebrasse cæremonijs, æstimando nativitatem variarum miseriarum carceris introitum; mortem verò ejusdem exitum, vel liberationem. Ideò sapientissimus Rex Salomon, mortem diem ut finem dolorum ac miseriarum nativitatis prætulit. Sic habemus Ecclef. capite septimo: *Melius est dies mortis, quàm nativitatis* Quem locum Glossa explicans sic inquit: *Melius est miseræ vitæ tormenta, & tribulationes moriendo evadere, quàm ad hæc nasci, & sustinere.*

Senec. de brevi vita. — *S. Amb. in cap. 7. Iob.* — *Eccl. cap. 7.* — *Gloss. hic.*

Et hæc N.N.Christi planctus Lazarum vitę restituere volens,causa atque ratio est *Et lachrymatus est Iesus.* Nam, vt Sanctus Hieronymus docet, dolebat Christus tam charum sibi amicum, ut Lazarus erat, denuò ad miserias, & labores rediturum, qui iam per mortis medium requiem veram obtinuerat. Verba ejus hæc sunt: *Ille nolebat reddere laboribus,quem dilexerat.* Et concludens sic ait: *Vnde apparet solâ eum causâ fuisse commotum,quòd ad hostilem vitã charissimum revocare denuò urgebatur.* Et Rupertus Abbas in caput undecimum Ioannis: *Lachrymatus est Iesus,non tam quòd mortuus est, quàm quod revocare illum oportebat, ad tolerandas rursus huius vitæ miserias.*

S. Hieron. — Cur in resuscitatione Lazari lachrymatus fuerit. — *Rupp. in c. 11. Ioan.*

Et hæc de nativitate hominis dicta sint, Reliquam autem vitæ partem cõtemplantes,reperietis immenso miseriarum, & tribulationum pelago hominem innatare, & laboribus, ac angustijs non modò abundare,sed ex omni parte,ac vndique inundari; sicut Sanctus Chrysostomus Homiliâ quadragesimâ secundâ ad populum animadvertit quidam enim hominum paupertatis deplorant miserias: quidam de divitiarum conqueruntur angustijs,ac solicitudinibus: quidam ob filiorum multitudinem & sustentationis necessariæ defectum patientiæ transgressi terminos,murmurant,& lamentantur: quidam cruciantur ob hæredum defectum,& continuis deflent suspirijs non habere cui tot designent divitias: quidam tristantur in honore, & fame se læsos esse: alij parentum, filiorum, atque amicorum mortis nuntio mœrore consumuntur; alij præ immensis doloribus,& continuis infirmitatibus mortem vt finem illorum mille, & millenis precantur votis: alij internis enervantur afflictionibus,& cõtinuis exagitantur conscientiæ scrupulis, vt mortis imaginem præ se ferre videantur. Et vt finiam ad describendam lachrymarum, dolorum,suspicionum, angustiarum, laborum tribulationum,miseriarum,timorum, calamitatum copiã, omnis hominis lingua insufficiens est.

Variæ miseriæ hominum. — *S. Chrys. hom. 42. ad popul.*

Finaliter terminum miserabilis hujus vitæ, quæ mortis hora est, considerate, & mille angustijs,& miserijs hominem subiectum esse reperietis,quas vt nimis manifestas ac notas transiens,solùm dicam hominem nasci flendo, vivere flendo, & mori flendo, & vt principium vitæ hominis miserijs plenum est, & medium laboribus, ac tribulationibus inundatur, sic finem ejus quoque varijs obrui angustijs ac timoribus.Quam vitæ nostræ vt miseriarum tragœdiæ differentiam,& temporum varietates Ethnicus Poëta elegantissimis describit verbis:

Miseriæ in morte.

Nascimur in lachrymis,lachrymabile ducimus ævum:
Clauditur in lachrymis vltima nostra dies.

Connaturales ergo homini tribulationes, miseriæ,angustiæ,& labores sũt,& dum in hac

hac miserabili lachrymarũ moramur valle, nil nisi miserias,& dolores expectare possumus; singulariter verò Dei electi,& servi, ut varia sacræ Scripturæ attestantur testimonia, quorum prima serenissimi Regis Davidis sint verba Psalmo trigesimo tertio: *Multæ tribulationes iustorum.* Secundum sit
Psalm.33. Sapientis, qui Dei servo, & justo vivendi tradens Regulas,sic ait: *Fili accedens ad ser-*
Eccl.c.2. *vitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Tertium sit sancti Apostoli Pauli, qui epistolâ secundâ ad Corinthios suas, suorumque sociorum discribens, & enarrans in Asia passas tribulationes, & angu-
2. Corint. cap. 1. stias,sequentia habet verba: *Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione, quæ facta est in Asia, quoniã supra modum gravati sumus, supra virtutem,ita vt tæderet etiam nos vivere.* Sed ad quid in sacræ Scripturæ adducendis laboro locis, cùm hodiernum sacrum Evangelium lucidissimum, & manifestissimum veritatis hujus nobis adducat testimonium, dum benedictus Christus sanctis suis discipulis Cleophæ, & Lucæ hanc insinuans veritatem, seipsum ut Dei Filium adducit in exemplum, inquiens:
Luc.c.24. *Nonne hæc oportuit pati Christum,& ita intrare in gloriam suam?* Ac si dicere voluisset: Charissimi, & dilectissimi mei discipuli, cur ita tristes,& melancholici estis? Forsan novum vobis videtur, hominem ad laborem, passionem,& varias tribulationes natum esse? Ecce ego, qui Dei Filius sum, & ad hominem redimendum carnem assumpsi; à momento, quo sanctissimæ Matris meæ transiens claustra, ad lucem in carne editus sum, nec horam,imò nec momentum à doloribus, & tribulationibus liberum,ac vacuum, aut quid consolationis habui, ut sciremus ad patiendum nos na-
Iob.cap.5. tos esse. Quod Iob insinuare voluit: *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.*

Devotissima Virgo Eustochiũ ad sanctũ Hieronymum scribens de immensis angustijs,miserijs, & tribulationibus tam internis,quàm externis conquerebatur,innuens ita se illis obrui, ut vitæ iam tæderet. Cui sanctus Hieronymus de custodia Virginum Epistolam scribens, sequentibus respondit verbis: *Quis Sanctorum sine certamine coronatus est? Abel iustus occiditur, Abraham uxorem periclitatur amittere: & ne in immensum volumen extendam, quære, & invenies singulos adversa perpessos.* *S. Hieron. ad Eust. de cust. virg.* Volebat his dicere sanctus: Conquereris ô charissima filia Eustochium, te esse tribulatam; inspice, quæso, mentis oculis omnium Sanctorum vitas, & illas nil aliud nisi amarissimum pelagus variarum,& innumerabilium fuisse tribulationum; & tandem sequentibus verbis suum concludens discursum, inquit: *Solus in delicijs Salomon fuit, & forsan ideo corruit.* Ideo Doctores inter se de Salomonis altercantur salute: sunt qui salvum, sunt qui damnatum iudicant. Ergo non *Iusti præcipuè tribulationibus subjecti.* dubitandum est, hominibus omnibus, singulariter verò pijs, electis, ac Dei servis proprias, & connaturales esse persecutiones, angustias tribulationes, ac miserias, nec dum in hac lachrymarum degunt, valle,his carere posse. Ideo sanctus Isaias capite quinquagesimo quarto persecutiones, & afflictiones iustorum appellat hæreditatem, ubi longâ Martyrum passionum enarratione factâ, cruciatus, quibus electi Dei subijciebantur, sequentibus indicare voluit verbis; *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas ad dispergendum.* Tandem concludit dicens: *Hæc est hæreditas ser-* *Isai. c. 54.*
vorum Dei. Quem locum explicando glos- *Gloss. interl.*
sa interlinealis,sic habet, *Vt pro labore æternaliter quiescant.* Ergo mortalis qui est, aliud sibi imaginari, aut promittere nolit (dicit sanctus Hieronymus prophetæ recipienda verba) quàm continuas tribulationes, & afflictiones: nam hæc casu non eveniunt, sed summâ Dei providentiâ iustis ut propria hæreditas Domini præparata sunt. Verba ejus hæc sunt: *Post hæc infertur, quæ sunt præmia futurorum, nec cassum putent esse certamen, & præsenti morte finiri; hæc est hæreditas servorum Domini,id est, Regnum cælorum, & vita perpetua, & retributio laborum, quæ oculus non vidit, auris non*

audivit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se.

Sed dicet quis vestrûm, Cur mortalibus, singulariter verò electis & servis Dei tot tribulationes, & angustiæ præparatæ, & reservatæ sunt? Dicam vois N. N. Terminus & finis creationis nostræ alius non est quàm æternæ gloriæ hæreditas, ad quam perveniendam tribulationes, & angustiæ patienter tolerat præstantissima, & indubitata via, & vnicum, ac certissimum medium sunt. Si esse Sanctus Paulus secundâ ad Corinthios capite quinto expressis docet verbis, inquiens: *Quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationē ex Deo habeamus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis.* Non somnia esse putâveritis ô Corinthij, sed manifestissimam veritatem, & fidei Christianæ articulum esse scire vos convenit, destructâ hac domo corporis nostri, & varijs cruciatibus, & tormentis dirutâ, & eversâ aliam multò excellentiorem, & stabiliorem, non hominum, sed Altissimi manibus fabricatam; non transitoriam, sed à Deo in æternum stabilitam nos habituros.

2. Corint. c. 5.

Iusti præcipuè tribulationibus subjecti.

Vultis scire quid tribulatio sit? Probationis lapis est, bonitatem auri, & argenti dijudicans, atque demonstrans. Hæc manifestat, num quis aurum verum & purum, id est, obedientiæ, & submissionis, ac resignationis; aut falsum, & fictum, id est, rebellionis & cōtradictionis sit filius. Volo dicere, num ad Dei gloriam electa, vel reprobata sit anima. Servit valde ad propositum nostrum disputatio illa Philosophorum è Plutarcho libro secundo enarrata. Petitum fuerat à quodam Philosopho in examine cujusdam, signum aliquod evidēs, ex quo parentes suos, & non aliorum esse filios cognoscere valerent. In cujus quæstionis gratiam varia, & pulcherrima adducta sunt dicta; Tandem Magister examen concludens dixit signum figuli ollam, vel vas fictile probantis esse. Exposito de fornace vase figulus manu sinistrâ apprehenso dextræ digito percutit, sonoro dato sono bonum & aptum judicat; raucidum emittens sonitum, vt ineptum, & non validum ac inutile abjicit. Idem ergo quod parentes ad veros cognoscendos filios facere, & agere possunt, Deus nobiscum agit, tribulationis percutit manu, secundùm sonitum, atque vocem emittentis illos veros aut falsos filios judicat,

Plutarch. lib. 2.

Tribulationes signum filiorum Dei.

Tangitur vir sanctus Iob Domini manu, vt ipsemet capite non attestatur. *Manus Domini tetigit me,* & quia verus, & non falsus & totus cœlestis sui Patris intentus honori, & gloriæ erat filius, tam gratum emisit sonum, & tam acceptabilem edidit vocem, vt vsque in hodiernum diem dulcissimâ ejus memoriâ cœlestis delectetur Pater. Audite quàm sonora, suavis, jucunda, & dulcisona vox ejus sit: *Sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Verum est me omnem substantiam perdidisse, filios morte sublatos, camelos, & oues abductas, & frumenta mea igne consumpta esse; sed hæc omnia à Domino quoque facta esse non dubito; ideò sanctissimum ejus Nomē in æternum à me benedicetur. *Sit nomen Domini benedictum.* O dulcissimam Dei servi vocem? Origenes Homiliâ trigesimâ nonâ sancti viri patientiam considerans, singulariter in illo actu dum nova de ouibus igne consumptis haberet, sic loquentem, & seipsum consolantem adducit: *Ego paulatim oves sacrificaturus eram, sed illi gratias, quia omnium ovium vnicum holocaustum suum ipse fecit, atque suscepit.* Ac si dicere voluisset: Tot millia ouium, quas ignis de cœlo cadens absumpsit, intercalatis vicibus Deo in sacrificium offerre decreveram, & ecce complacuit ipsi omnium vnâ vice sacrificium; ideò de cœlo dimisso igne absumpsit: meritò ergo gratias ipsi agere debeo, quia hunc sibi assumens laborem, à tot sacrificiorum laboribus me liberum reddidit: *ergo illi gratias, illi gratias.* O sancte verè admirabilis! ô fili Deo amantissime, quàm bene locutus es! quàm verè patrem tuum honorare scivisti! Hanc

Iob cap. 19.

Orig. hom. 39. in Iob.

dulcisonam Dei servi vocem S. Gregorius libro secundo Moralium capite nono considerans, in sequentia admirationis verba
S.Greg.l.2. Mor.cap.9. prorupit: *Unum tibi deerat, vt etiam flagellatus gratias ageres*, volens dicere: In omnibus tuis actibus, ac operibus sanctus, ac perfectus, innocens, ac bonus eras; sed hæc dulcissima gratiarum vox ad Dei tactum à te emissa in summo perfectionis ac sanctitatis constituit gradu.

Horsum N. N. cum sancto Augustino in Psalmum primum dico, & nos tales filios exhibere debere, dum percutienti nos Deo simili respondentes voce, benedictiones laudis, & gratiarum emiserimus verba. Sint ergo verba nostra, vt sancti Iob, benedictionis, & gratiarum actionis verba, & quæ Dominus emittit, grato acceptemus
S.Aug.in Psalm.1. animo. Verba ejus hæc sunt: *Cùm aliquid patimur tribulationum, cantamus, & citharizamus dulciter; omnis patientia enim dulcis est Deo*. Dulcissima est Deo patientiæ nostræ vox hac enim probamur bonum aurum, & veros ejus filios nos esse. Sic sanctus attestatur Gregorius: *Pœna quippe interrogat, si quis veraciter amat*: Id est, pœnis, atque
S.Greg.in prob.mor. tribulationibus probamur à Domino an veri filij ejus simus, & si vt veros decet filios, ipsum amemus.

Sed ne quis putet N. N. ita continuas afflictiones, ac Dei manum nos tangentem incessantem esse, vt & consolationes non intermisceantur; audite quid per sancti
Isai.c.54. Isaiæ os capite quinquagesimo quarto ipsemet Deus consolationis nobis proferat. *Ad punctū in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.* Et quasi hac conso-
Deus semper tribulatos consolatur. latione plenâ promissione non contentus, subiungit: *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te*. Tempore, & momentis mensurantur tribulationes, & afflictiones; at consolationes, & gaudia æternitate ac infinitate sæculorum. *Et in misericordia sempiterna misertus sum tui*. Audiamus hujus loci doctissimi Lirani explicationem. *Ad punctum, quia quæcunque tribulatio vitæ præsentis quasi momentanea est, respectu consolationis cœlestis: ideò subditur: Et in misericordia sempiterna misertus sum tui*. O quàm breves, & momentanei tribulationum termini! quàm longi & extensi verò consolationum sunt! Ideò bene S. Paulus
1. Cor int. cap. 1. dicit: *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*.

Est tam immensa divina bonitas, atque promptitudo in cōsolando afflictos, vt protinus afflicto succurrat, & afflictionum amaritudine deprehensâ consolationū dulcedine temperare acceleret. Ad musicæ suavitatem, vt musicæ amatoribus constat, non parum chordarum conducit concordantia; imò illâ deficiente tota iniucunda, & nauseabilis redditur. Sic chordarum extensioni præ omnibus invigilandum est, ne in extensione, aut remissione peccetur; sed vna, & altera perfectò sistatur suo gradu. Similiter N. N. vt Christianus dulcisonā & acceptabilem laudis & benedictionis Deo invictissimâ suâ reddat patientiâ, vigilantiâ Dei opus est, ne in chordarum concordantia peccetur; ideo mirabili quodam modo tribulationis, & consolationis cordis solet temperare divina Maiestas, & ne consolationum gratia in mollitie, & remissione, & tribulationum in rigore in extensione peccetur, & ad suavem reddendam resonantiam inutiles reddantur, mirabilem solet habere vigilantiam. Audiamus SanctumChrysostomum homiliâ quintâ ad populum, cujus hic conceptus est: *Sicut citharœdus neque neruum intendit, ita vt abrumpatur; neque remittit vltra modum, ne harmoniæ* S. Chrys.
concentu lædatur; sic & Deus agit, neque in remissione centinua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam.

Ideo cùm tribulatos vos, & densissimâ angustiarum nube circumdatos deprehenderitis, iam consolationum nobis oriri solem, & pignus futuri, ac iam præ foribus præsentis solatij, in manibus habere certo certius sciatis, & cùm vos omni humano inspiciatis carere consilio, Dei vobis adesse ne dubitetis. Innocentissima illa matrona Susanna, vt apud Danielem capite decimo tertio

Dan.c.13. tertio legimus, iam acceptâ mortis sententiâ, ab omni humano derelicta auxilio, ad executionem ejus accipiendam ducebatur; & ecce mirabiliter, & divinitus à Domino excitatur puerulus, qui sistere faciens mortis processionem, vituperosos senes citans ad judicium, innocentis agit causam, defendit, & liberam à crimine declarat. Patibulum præparatum erat Mardochæo, vt *Esth. cap.7.* capite septimo Esther legimus; sed non mortis, at summorum honorum erat pignus, & indicium. Periclitantur in maris procellis Apostoli, hinc inde iaciuntur à *Ioan.c.10.* fluctibus, clamant ad Dominum, & non audiuntur; & ecce adveniente nocte inter tempestuosos fluctus Christum sibi adesse deprehendunt. Sed cur nocte adveniente, & iam incipiente apparet? Respondet S. Ambrosius sermone decimo in Psalmum centesimum decimum octauum sequenti- *S. Ambr. ser. 10. in Psalm. 118.* bus verbis: *Quoniam credibile erat eos magis tunc formidare.* Cui summa adest necessitas, Christus summè se præsentat: durante maris serenitate dormit nauclerus ac navis gubernator: cessante illâ, & incipiente tempestate exurgit; invalescente illâ aggreditur munus suum, exscandescente summa adest vigilantia, & pro viribus pro navis laborat salute. Sic agit Christus, cùm summo, & extremo laboramus periculo, summa nobis adest vigilantia. Audiamus Sancti *S. Chrys.* verba: *Gubernator enim fluctuanti nauigio plus laboris impendit, quàm cùm secundo nauigium labitur fluctu.*

Sic N. N. suos consolatur Christus, & hæc nobis sufficientissima debet esse cōsolatio. Qui se Dei esse gloriatur amicum, absque causa mille pati tribulationes minimè æstimare debet: nam his expositum se esse scire convenit, & pati pro Christo, singularis gloriæ sibi ducere debet. Hujus sen- *Hugo de S. Vict. ab Hug. Car. in Epist. ad Galat. c. 6.* tentiæ Hugo de S. Victore est, citatus ab Hugone Cardinale in epistola ad Galatas capite sexto, qui illa verba Pauli, *Mihi autē absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi,* explicans sic habet: *Si pro culpa pateris, erubesce: si sine culpa gloriaris: Latro vis esse magis quàm Christus, & fortè similiter blasphemator, non fortè confessor.* Volens dicere: Erat Christus Salvator trunco cruci affixus, & simul ex vtraque parte duo erant latrones: Christus patiebatur absque culpa, Latrones pluribus inficiebantur, atque maculabantur. Si quis absque causa pati non vult, Christum imitari detrectat, & sic non bonum, sed nebulonem, latronem, qui justè, & cum culpa patitur. In- *Luc.c.23.* nocentes, & absque causa passæ tribulationes, & angustiæ Dei declarant servum, & filium Altissimi esse manifestant, quem ad has patiendas in omnem eventum semper dispositum esse convenit.

Nunc causam, atque rationem epitheti illius à sacris litteris libro Apocal. capite primo justis tributi capio, ac penetro, vbi lana alba appellantur. *Caput autem eius & capilli erant candidi tamquam lana alba.* Cri- *Apoc.c.1.* nes, & capilli Christi secundùm communem Doctorum expositionem sancti, & *cur Christi capilli comparentur lanæ albæ.* justi sunt, quibus mirabiliter mysticum ejus adornatur caput. Cur autem hi potiùs lanæ albæ, quàm alterius comparentur coloris, glossa divinis in hunc locum explicat verbis, inquiēs: *Sicut lana alba apta est ad quo-* *Gloss. hic.* *scunque colores suscipiendos, sic sancti ad tribulationes sufferendas.* Nam vt lana alba quoscunque potest, & solet suscipere colores, sic sancti & justi omnis generis solent in patientia, & gratiarum actione tolerare afflictiones, ac tribulationes. Vultis vi- *Ad Philip. cap. 4.* dere vnum Christi capillorum lanæ albæ assimilatum? Ecce Paulus Apostolus est, qui ad Philippenses capite secundo talem se esse attestatur, inquiens: *Scio & humiliari, scio & abundare,* volens dicere: Animosum me exhibere scio cùm id necessitas requirit; scio etiam humilē me gerere cùm opus ac necesse est; in summa paratus ad omnia.

Plinius libro duodecimo capite cētesimo *Plin. l. 12. cap. 101.* primo cujusdam lacus mentionem facit, qui ademptis aquis non minuitur, & appositis non accrescit; natura cujus acutis & curiosis ingenijs subiecti emblematis cau-

 sam

ſam dedit juſti,& generoſi animi conſtantiam indicantis, qui in adverſis non moventur, & in proſperis non extolluntur, cum inſcriptione, *Nec auctu, nec hauſtu.* Ergo Chriſtiani, ad hanc juſtorum conſtantiam, & fortitudinem pervenire nobis laborandum eſt, ſi experientia huc vſque allatæ doctrinæ veritatem guſtare velimus. Tribulationes noſtræ durabiles, & longæ eſſe non poſſunt, dum Chriſtus nobis adeſt, & aſſociatur, vt in hodierno Evangelio diſcipulis duobus Cleophæ, & Lucæ accidiſſe deprehendimus, quibus melancholicis & afflictis Emmauntem verſus tendentibus Chriſtus aſſociatur, & ſequentibus alloquitur verbis: *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem, & eſtis triſtes?* Ipſis verò cauſam, atque originem tanti doloris, & mœroris Chriſto triumphatori enarrantibus, ſummoperè, & extra modum ſequentibus ipſos conſolatus eſt verbis: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtū, & ita intrare in gloriam ſuam?* volens dicere, tam neceſſarias eſſe tribulationes, vt abſque illis nullus hominum gloriæ ſuavitatem, ac dulcedinem guſtare valeat, O ſanctiſſimæ, & feliciſſimæ tribulationes, medijs quibus paradiſi acquiritur gloria! Læto ergo animo eſtote, & alacri vultu tribulationes à Domino immiſſas ſuſcipite, & fortiſſimâ tolerate mente; nam certo certius, labores, vt Sanctus Apoſtolus Paulus ad Romanos capite octavo atteſtatur, ſequentur pax & quies. *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.*

Luc. cap. 24.

Ad Rom. cap. 8.

PARS II.

PVNCTVM SECVNDVM.

SAt manifeſtè intellexiſtis primâ hac parte N. N. paſſiones, tribulationes, & miſerias tam connaturales ac proprias mortalibus eſſe, vt abſque illis vivere minimè quis valeat, ſed nec ita continuas eſſe, vt in ijs cauſa non detur, & conſolationes à Domino immiſſæ, quæ ſat frequentes ſunt, ſuum non habeant etiam locum & acceſſum. Nunc hac ſecundâ parte videbimus, quid nobis, dum à Domino viſitamur, & tribulationibus anguſtiamur, agendum, & quis modus in his tolerandis habendus ſit, breviter manifeſtabo. Vultis ergo ſcire quis modus vobis in tribulationibus habendus ſit? Breviter dicam. Cùm Dominus quid adverſi immittit, non ideò deſperandum eſt, ſed forti animo, & cum patientia adverſitates tolerandæ ſunt, & in Domino vobis confidendum eſt, qui tempore opportuno, Regio atteſtante vate Pſalmo nono, ſuum minimè negabit auxilium. *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Gloſſa hunc explicans locum ſic habet: *Id eſt, in tempore opportuno, quod eſt tribulationis tempus.* Id eſt, cum ſummæ ſunt anguſtiæ, cùm vndique oppugnāt tribulationes, tunc adeſt Dominus, & ſuis replet conſolationibus. Audiamus de hac materia Sanctum Apoſtolum Paulum epiſtolâ ſecundâ ad Corinthios capite primo perorantem: *Supra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ſed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus.* Tantæ noſtræ erant tribulationes, vt ad portas mortis nos ducere, ac nullum videretur adeſſe humanum auxilium. Sed cur ô S. Paule Apoſtole? *Vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortem.*

Quis modus patienter tolerandi tribulationes.

Pſalm. 9.

Gloſſ. hic

2. Corint. cap. 1.

Occurrat vobis ô Chriſtiani, admirabile illud factum Iudith, vt capite ſeptimo & octavo ejus libri legimus. Obſeſſa, & circumdata ſuperbiſſimi Holofernis caſtris erat civitas Bethulia, & ad ſummas iam redacta anguſtias. Animadvertentibus id Oziâ Principe & Sacerdotibus, atque populi Senioribus, conſilio inito concluſerunt, ſi quinque dierum ſpatio expectaturi, & ab alijs locis ſperatum non afforet auxilium, ſe inimicorum reddituros manibus. Quâ intellectâ reſolutione pijſſima Matrona Iudith, zelo Dei honoris commota, Oziam accedit, & duris verbis parvam in Domino confidentiam arguit, & liberationis futuræ ſpem excitat, dicens: *Quod eſt*

Iudit. hic 7. & 8.

hoc

hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut traderet civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adjutorium? & qui estis vos, qui tentatis Dominum?

Sic nobis ô Christiani, evenire consuevit, quoties nos iudicamus opportunum nobis succurrendi tempus adesse, & tamen hallucinamus; nam aliter iudicat Dominus, qui in tempore opportuno succurrit afflicto, & non deserit tribulatum, Davide Psalmo nono attestante: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, id est, in tempore opportuno, quod est tribulationis tempus,* ut Glossa dicit. Ergo patientiâ armati Habacuc Prophetâ nos exhortante ipsius expectemus succursum. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Nolite imitari nostros Evangelicos duos discipulos Cleopham, & Lucam, quibus cùm moras trahere videretur Christus, de prædicta ejus resurrectione quasi desperare incipiebant & toti tristes, & afflicti ambulantes dicebant: *Nos autem sperabamus.* Nam cùm minimè iudicarent, & de ejus gloriosa resurrectione minus sperarent, gloriosus ipsis aderat triumphator, & tristitiarum, & afflictionum repellens nubes, consolationis lucis claritate illustravit. *Et cognoverunt eum in fractione panis.*

Psalm. 9. — *Habac. c. 2.* — *Luc. c. 24.*

Cur diabolus Iob non læserit in lingua.

Et vero N.N. patientia in tribulatione, & afflictiones patienter pro Christi amore toleratæ summi meriti, & immensi sunt pretij. Nescio num quis vestrûm in passione illa sancti viri Iob animadverterit, & notaverit, cùm satan toto corpore percussisset Sanctum ulcere pessimo, ita ut parte nullâ relictâ intactâ totum corpus unam præ se ferret plagam, & vulnus; linguâ tamen intactam reliquisse, & illam minimè tormentasse, ut ipsemet sanctus vir testatur: *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Subintrat hîc doctissimus Pater Pineda, inquiens: Putatisne dæmoné compassione motum, linguæ sancti viri in tormentando pepercisse? Minimè; imò summa hæc dæmonis erat impietas; qui linguam sancti viri liberam, expeditam, & intactam relinquere decreverat, sperans inde victoriam & lucrum: tanti enim erant dolores, afflictiones, & derelictiones sancti viri, ut quasi certus de ejus futura impatientia esset: nam minimè dubitabat sanctum virum sic se afflictum, derelictum, tormentatum, despectum, deprehendenté patientiæ transiturum terminos, & contra Deum murmuraturum; sed deceptus est in opinione, ac spe sua; nam sanctus vir, ut sacra attestatur Scriptura, in tot tormentis incorrectum verbum non protulit, nec in minimo offendit in lingua sua. *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis,* semper enim patientissimum se in omnibus tribulationibus exhibuit.

Pineda in cap. 19. Iob.

Ideo antiquissimus Tertullianus sanctum hunc virum ut regulam à Deo nobis traditam in tribulationibus ob oculos ponens in omnibus quantum possibile est, ad imitandum cum exhortatur, inquiens: *Neque enim à respectu Dei, tot doloribus avocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum, & testimonium tam spiritu, quàm carne patientiæ perpetrandæ, ut neque damnis secularium, nec missione charissimorum, nec corporis quidem cõflictationibus succumbamus.* Ergo in patientiæ exemplum nobis positus est à Deo sanctus hic vir, & in regulam datus est, secundùm quam dum affligimur, & tribulamur, gerere nos debemus. Sint ergo tribulationes, quæcumque velint, ideò à Deo recedendum non est, non in murmurationis, aut blesphemiæ verba prorumpendum est; & semper sanctus, & benedictus hic vir ut speculum à Deo nobis positum, ut Sanctus Augustinus in Psalmum trigesimum docet, inspiciendum est, verba cujus hæc sunt: *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum eius,* Si ergo sanctus vir Iob tantarum afflictionum, & tribulationum abundantiâ obrutus ac inundatus invictæ exhibuit patientiæ signa, Deum continuò benedicendo: *Sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum,* confundantur hi qui minimâ oblatâ occasione,

Tertull. de patien. — *S. Aug. in Psal. 30.*

clementa,

elementa, cælum, Angelos Dei, sanctos sanctissimam Virginem & Deum ipsum horrendis blasphemiæ verbis maledicunt.

Plus ultra N. N. patientiam extollere audeo, & dico verùm patientiæ actum in tribulationibus non tantùm summi pretij, verùm etiam summum miraculum esse. Sic esse docet S. Apostolus Paulus ad Corinth. 2. cap. 12. ubi varia tribulationum genera de die in diem pro Christo tolerata enumerat, *Signa autem Apostolatus mei facta sunt propter vos in omni, patientia in signis & prodigijs, & virtutibus.* Quem locum sanctus Theodoretus considerans, inter miracula quæ signa vocat, sanctum Apostolum primo loco patientiam in tribulationibus posuisse, & meritò: nam pro Dei amore vera patientia tribulationes tolerare omnium miraculorum summum ac maximum est. Verba Sancti hæc sunt: *Rectè signis tolerantiam præposuit; mentis enim facta sunt multò præstantiora.*

2. Cor. 12.

S. Theod. hic.

Non est dubitandum N. N. patientiam in tribulationibus singulare Dei esse donum. Sic esse serenissimi Davidis Regis Ps. 61. habemus testimonium, *Quoniam ab ipso patientia mea.* Et tantæ eminentiæ ac nobilitatis hoc donum est, ut ipsemet Deus tale donum appellari, & esse velit, id eodem Davide Psalmo 70. attestante: *Quoniam tu es patientia mea*: Ergo humilibus precibus nobilissimum hoc donum à Deo petamus, ut hoc nos donare dignetur, & pro ejus amore ad omnia adversa toleranda vires elargiri placeat, dicendo cum sanctæ Dei Ecclesiæ lumine Augustino libro Soliloquiorum, *Auge dolores, auge patientiam.* Id est: Ah Domine, & Salvator mi, ad patiendos dolores, tolerandas persecutiones, & innumeras afflictiones ac tribulationes perferendas paratus sum, & lubens faciam; sed auctis doloribus, auge patientiam; da virtutem omnia pro tuo amore patienter tolerandi, ut sic concedente tuâ infinitâ bonitate in æternum te in gloria frui liceat, Amen.

Psal. 61.

Psal. 70.

S. Aug. l. Soliloq.



DISCVR-

DISCVRSVS XXXIX.

PRO FERIA TERTIA POST DOMINICAM RESURRECTIONIS.

ARGVMENTVM,

Tractatur de Pace & vnione inter fideles, quantum Deo placeat, & è contrà quantum ei displiceat discordia.

Thema.

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis. Lucæ cap. 24.



AQuarum iam iam cessaverat diluvium, dum sanctus Patriarcha Noë candidã ex arca dimisit columbam : cujus mentionem faciens Scriptura S. inquit, quod postquam sat diu spatiosissimos volatu suo peragrasset aëris campos, tandem reversa fuerit ad arcam, & quasi læta & triumphans, optatissima apportârit nuntia, divinæ videlicet iam sopitam esse indignationis iram in homines;& hoc indicabat viridis ille, quem ipsa ore detulit, oliuæ ramus, pacis vtpotè expressum symbolum, vti opinatur Tertullianus, Basilius, Hugo Cardin. & alij plurimi : *at illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo.* Idem planè cernitur hodie in hac nobilissima columba, Christo nimirum Domino; etenim post diluvium non aquarũ, sed sanguinis, quem è corpore suo copiosissimè pro nobis effudit, redijt ad discipulos suos, perpulchrâ hâc pacis, quam illis impertitus, salutatione præviâ : *Pax vobis.* quibus verbis (vt ait S. Ambrosius) nobis significare voluit, quanti ipse æstimaret amaretq; pacem. Si namque ab æterno suo ad nos missus est Patre, id ideo factum est, vt nobis apportaret pacem: *Verbum misit Deus filijs Israël, annuntians pacem per Iesum Christum,* quamprimùm natus fuit, & hanc ministerio Angelorum annuntiavit pacem : *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* dum nobiscum cõversatur nobisque cohabitat, non nisi in loco pacis dimorari exoptat. *In quamcumq; domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui.* cogitat, & cogitationes illius non nisi in pacem collimant: *Ego cogito cogitationes pacis.* Quamdiu vixit, non aliud nisi pacem inter Deum & hominem stabilire conatus est : *ipse enim est pax nostra qui fecit vtraque vnum, &c. vt duos condat in semetipso in vno novo homine faciens pacem.* Quid mirum igitur N.N. quòd Christus Dominus nostra

Tertull. l. de Bap. *S. Basil. in Hexa.* *Hugo Card. hîc.* *Genesis* 8.

Christus fuit columba ferens pacem. *Lucæ* 24. *S. Ambr. ser.* 11. & 21. *Act. cap.* 10. *Luc. cap.* 2. *Luc. cap.* 10. *Ierem. c.* 29. *Ad Ephes.* 2. 14. 15.

Luc.c.24. existens pax,& resurgens à mortuis sermocinetur de pace! *Pax vobis, Pax vobis.*

Quo impellor hodie N. N. ad duo in hoc vltimo meo discursu demonstranda. Primum est,quantum Deus amet vnionem & pacem. Secundum, quantum ipsi displiceat discordia & dissensio. Attendite, & exordior.

Stetit Iesus in medio discipulorum suorũ & dixit eis: Pax vobis. Celebertimus ille & omnium mortalium totius mundi famosissimus, qui existens adhuc adolescentulus & gregis Pastor,tantâ erat audaciâ præditus, vt quoscumque vrsos & leones sibi obuios solo,sed fortissimo dilaniaret brachio,prædamque ex eorum voracibus eriperet faucibus: qui tali dotatus erat robore & valore, vt solus ac internis inierit certamen cũ ferocissimo illo & vndique armato gigante Goliath, ac de eodem victoriæ reportarit palmam: qui tanto pollebat ingenio, vt florentissimum adeptus fuerit regnum! de grege in regem, de baculo pastorali assumptus fuerit ad coronam regalẽ:qui tãto erat illustratus lumine, vt maximus evaserit Prophetarum: qui tali erat ditatus clementiâ, vt inimico suo mortem sibi intentanti donaverit vitam: qui tantâ erat condecoratus sanctitate,vt ore omnium proclametur *vir secundùm cor Dei*; David,inquam,dum de pace & vnione ei sermocinandum esset,raptus in admirationem verbisque nonnisi stupore plenissimis suum
Psalm.132. exorditus est sermonem, dicens: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*: vt nimirum hinc intelligamus, in-
Agellius hic quit Episcopus Agellius, vnionem & pa-
Quomodo Deus amet pacem. cem tantæ excellentiæ esse bonum, vt mirum sit dictu, talisque existere præstantiæ, vt vix sit cui assimulari possit. *Tantum bonũ*,inquit hic Doctor,*esse fratrum concordiam putat,vt admiretur,& cum quâ reconferat rem tam præclaram, vix inveniat.*

Veritatem hujus suo confirmat acumine S.Hieronymus.Genesis cap.1.legitur,quòd Deus omnipotens mundi incipiens creationem,primo die creaverit lucem,eamque vt bonam approbaverit, *Et factum est vespere & mane dies vnus:& vidit Deus lucẽ quòd esset bona.* Gen.cap. 1. Idem hoc ait de tertio, quarto & reliquis diebus. Secundo verò die erat firmamentum & dividit aquas.*Et fecit Deus firmamentum,divisitq; aquas,quæ erant sub firmamento,ab his,quæ erãt super firmamentũ*,neque tamen approbat has res creatas, neque quæ in principio creationis dixerat, replicat verba: *& vidit Deus, quod esset bonum*, An non opus hoc secundę diei omnipotentiæ divinæ attribuendum est veluti reliquarum dierum opera? Respondet Sanctus Hieronymus: Voluit divina sua Maiestas nobis significare, perfectionem rerum consistere in vnione, & quia secundo die principiavit fecitque dualitatẽ & divisionem,ideò non hujus diei,sed aliorum dierum approbavit opera.*In die secundo*, ait S. S.Hier.ad
Hieronymus,*nõ additum est,sicut in primo &* Iovinian.
tertio & reliquis:vidit Deus, quia bonum est; statimq; subiecerim,nobis intelligentiam derelinqui, non esse bonum duplicem numerum, qui ab vnione dividat. Et pulcherrimam idem S. Doctor subiungit considerationem, quòd in arcam Noë solùm animalia immunda ingressa fuerint bina & bina, animalia vero munda intraverint sola & sola: *vnde arca Noë omnia animalia, quæcumque bina ingrediuntur, immunda sunt: impar numerus est mundus.* & hoc ideò, quia Deus summè sibi complacet in vnitate.*Numero Deus impari gaudet.* Concludit S.Hieronymus: O san- S. Hieron.
cta vnio! ô sancta Pax,nobis hodie relicta loc.cit
à Christo Domino! quàm excellens es! *Pax vobis, Pax vobis.*

Hinc asserit S.Cyprianus,Christum Salvatorem nostrum ex hoc mundo iam iam S.Cypria.de
abiturum & ascensum ad Patrem suum, vnitate Ec-
aliud non legasse suis discipulis & amicis, clesi.
nisi solam pacem: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* quo hinc intelligeremus, quòd, vbi vigat pax & concordia, ibi quæcumque desiderabilia inve-
niantur bona. Quod confirmat Glossa, di- Glossa hic.
cens: *Qui pacem dedit, vno verbo omnia bona dedit.*

Mirum

S. Ioannes Chryſ. in Pſal. 46. Mirum igitur non eſt, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, quòd pace hâc ditati Apoſtoli, totum converterint mundum deſtruxerint idololatriam, & vbique erexerint vexillum ſanctæ crucis. In cujus veritatis probationem aureum hoc os obſervat illa verba in Pſalm. 46. *Aſcendet Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ*, & ait hæc debere intelligi de Apoſtolis, qui per totum terrarum orbem prædicarunt gloriam & magnificentiam Verbi Incarnati. *Cur nõ dixit in tuba*, quærite S. Chryſoſtomus, *ſed in voce tubæ?* Cur Redemptor noſter dilectos ſuos diſcipulos non comparat tubæ, ſed voci illius? & aureis reſpondet verbis: *Significans earum concordiam & animi confeſſionem.* Voluit nimirum ſanctus Propheta verbis illis indicare vnionem, pacem & concordiam, quâ totum Apoſtoli lucraturi eſſent mundum. Subiungit deinde idem S. Doctor, adferens illius rationem *Fidei namque extẽſio atque victoria plus debetur diſcipulorum confeſſioni, paci & vnioni, quàm concioni.* Multa & magna fecêre Apoſtoli prædicando; at plura & maiora pacificè vivendo. Et hanc cauſam N. Salvator mundi æternum ſuum deprecat Patrem, hanc ab eodem expoſtulat gratiam: *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi; vt ſint vnum, ſicut & nos.* *Ioan. cap. 7.* O Pater æterne, ad eum modum, quo tu & ego ſumus vnum & idem, vnius eſſentiæ, vnius voluntatis, vnius amoris; tales quoque effice hos meos diſcipulos, qui totum tibi ſunt ſubiugaturi mundum, vt ſint vnanimes & concordes, vnius ſint voluntatis & opinionis. Interpretatio hæc eſt Eminentiſſimi illius Cardin. Caietani: *vt intelligamus extenſionem fidei non tam fieri prædicatione, quàm virtute vnitatis Chriſtianorum.* *Caiet. in hunc locum.*

De filijs Iſrael ſacra refert Scriptura, eos prodiiſſe in campum ad præliandum animo pacifico: *Egreſſi ſunt filij Iſrael ad pugnandum mente pacificâ.* *2. Paral. 12.* Subintrat hic S. Auguſtinus & modum hunc loquendi demirans ait: *S. Aug. in Pſal. 119.* Quis vnquam vidit quòd animo pacifico quiſpiam proceſſerit ad pugnam & prælĩũ? & ſuo dignâ intellectu reſpondet ſententiâ: *Chriſtianorum arma pax eſt.* Potentiſſima, quibus Chriſtiani contra hoſtem decertant, arma ſunt pax: hæc acutiſſimus ille gladius eſt, quibus hoſtiles evincit, & diſperdit exercitus.

Et vt hujus magis eluceat veritas, perlegite N. N. librum Ioſue cap. 6. & reperietis, quòd, dum milites Iſraelitici clangentibus tubis & buccinis, altiſonis conclamarent vocibus, confeſtim corruerint in terram muri civitatis Hiericho. *Ioſue cap. 6.* *Igitur omni populo vociferante*, alia lectio habet, *iubilante, & clangentibus tubis, &c.* Origenem nunc interrogate, quænam hæc fuerint iubila, quidque hæc ſignificarint gaudia? & reſpõdebit vobis: *Vnde mihi videtur iubilatio indicare quendam concordiæ & vnanimitatis affectum.* *Origenes hom. 7. in Ioſue.* Optatiſne ſcire, quiſnam extiterit ſonus & vox, quâ mediante deſtructi fuerunt & corruerunt muri illi inexpugnabiles Hiericho? nulla profectò tormenta & inſtrumenta bellica; ſed concordia & vnio militum decertantium. Magna ſanè vis & potentia iſta eſt.

Progredior vlteriùs N. N. & dico pacem tanti eſſe pretij & æſtimationis, vt quilibet Chriſtianus ex alio ſigno dignoſci nequeat in gratia Dei conſtitutus, niſi ex hoc pacis ſigno; dum videlicet eſt pacificus: ſiquidem vbi non eſt pax, ibi multò minus eſt Deus: ſicut à contrario vbi eſt vnio & concordia, ibi omnium gratiarum divinarum adſunt dona & beneficia. *Pax ſignum in gratia conſtituti.*

Percurrite ſacram Geneſin & comperietis, quòd cum Sanct. Patriarcha Iacob diſceſſiſſet in Meſopotamiam, & certum quendam acceſſiſſet puteum, dictum iuramenti, apparuerit illi Deus eumque nomine ſuo vocaverit: *Iacob, Iacob.* Qui perterritus reſpondit: *Ecce adſum.* & Deus illud ſubiunxit: *Ego ſũ fortiſſimus Deus Patris tui: noli timere; ſed deſcende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem.* *Geneſ. 46.* Ecce quot & quantos illi promittit

mittit favores & gratias? ô rem miram! Sed quæro ego, num alia non supererant Deo loca, vbi S. Patriarcham ditaret donis & bonis suis divinis? discedit domo suâ, & ne minimũ insinuat illi Deus, & in medio constituto itinere spondet tandem diuinã suam assistentiam & comitatum; an non magis conducebat, si ipsum certificasset de promissis illi donis & beneficijs ante ejus discessum? aut ad minus, si promissionem hanc ei facere decreverat, in itineris principio de illis admonendus erat, ad quod igitur tantum tardavit? cur illi tanto locutus fuit affectu, comparuitq; potius in hoc loco, quàm in alio? Respondet Glossa interl.

Glossa interlinealis.

Deum voluisse honorare locum illum suâ præsentiâ, tot tantisque benedictionibus, quia stabilita fuit pax & vnio inter Abimelech Regem Palæstinæ & Iacob Patriarcham, quos inter capitalis primò vigebat inimicitia; & quia hoc in loco pacis simul pepigerunt fœdera, composueruntque amicitiam iurando alter alteri fidelitatem,

Genes. 26.

veluti legitur Genes. 26. *Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali.* Vt igitur Deus ostendat nobis quòd magni æstimet ametq; pacem & vnionem, voluit propterea ille apparere Iacob Patriarchę potiùs in illo, quàm in alio loco. *Meritò*, inquit Glossa, *in loco concordiæ videtur Deus, quia illic mandavit Deus benedictionem.*

Veritatem hanc confirmemus alio quodam Scripturæ loco ex N. Testam. adducendo. Accedit Redemptorem nostrum Centurio, & pro infirmo suo famulo sanitatem expeditурus ait illi:

Matt. c. 8.

Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Cui Christus Dominus compassione ductus respondit: *Ego veniam & curabo eum* Responso huic subiungit Centurio: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Mirabile profectò & stupendum factum hoc est; noverat peroptimè Centurio, quòd Christus plurimorum adierit & visitarit ædes, nimirum & Reguli, & Zachæi, & Simonis leprosi, multorumque aliorum. Sciebat quoque id summo hos sibi reputasse honori & favori, quo dator & auctor vitæ ipsorũ dignaretur invisere domos, vt proptereà ad eum anhelarent omnes; cur igitur Centurio illum non desiderat; imò renuit ipsius adventum ad proprias ædes? Acutissime respondet Origenes, quia homo erat armorum amans & belli dux; dicebat propterea: Deus non nisi pacificis cohabitat personis, fugit dissensiones & bella; ideoque ego indignus sum vt meam subintret domum: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, quasi diceret*, inquit Origenes:

Origenes hom. 5. in divers.

Alienigena sum, gentilis miles, gladio accinctus sanguinem fundens, ad prælium exiens, & ob hoc non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Hanc pacem reliquit nobis Deus veluti hæreditatem nostram: hanc donavit nobis tamquam vnicum infiniti sui amoris signum: ad hanc veluti ad securissimam salutis nostræ viam & semitam exhortatur nos & ait: *Pax vobis.*

Pax nos facit filios Dei.

S. Greg. Nazianz. Orat. 54. de pace Matth. 5.

Hisce adiungite, quòd pax nos transformet in filios Dei S. Gregorius Nazianzenus explanans locum illum Matt. cap. 5. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, observat, qualiter nulli alteri beatitudini assignetur & attribuatur titulus ille filiationis Dei, nisi illi, in qua agitur de pacificis; absque dubio vt intelligamus, omnes illos, quotquot student paci & vnioni, meritò appellari posse filios Dei. *Tantam beatitudinem*, ait hic S. Archiepiscopus Nazianzenus, *pacificis reconditam esse perspectũ habere, vt in eorum, qui salutem consequuntur, ordine soli filij Dei vocentur.* Hoc idem indicat S. Ioannes Chrysostomus elegantibus hisce verbis:

S. Ioannes Chrysost. hom. 3. in epist ad Colos.

Filij Dei vocantur, qui pacem efficiunt; nam Filius Dei ad hoc in terram venit: qui verò dissidia faciunt, filij sunt diaboli.

Omnis Virtus sine pace nihil est.

Insuper dico N. N. omnem virtutem nullius esse valoris & meriti, nisi eam comitetur pax & vnio: ieiunate, quantum potestis, erogate eleemosynas; orationes, mortificationes & quæcumque alia pia exercere opera; nihilominus quotiescumque

non

non aderit vobis hæc virtus pacis, aut partum, aut nihil illa vobis proderunt. Mea non est sententia hæc & conceptus; audite sanctum Gregorium Papam, qui explicans locum illum Psalmi vltimi, *Laudate eum in tympano & choro*, ait, tympanum esse pellem quandam, quæ percussa resonat, per quam intelligitur & significatur mortificatio carnis: Deo igitur displicet summoperè sonus hic absque choro musices, quæ plurium vocum inter se invicem concordantium suauemque harmoniam formantium certa quædam vnio est, & symbolum pacis, cui proprium est vnire & concordare multorum dissidentium animos. Desideratis igitur, vt hic tympani sonus, mortificationes nempe vestræ placeant Deo, adiungite illis suavem chori harmoniam, nimirum pacem: *In tympano namque*, inquit S. Gregorius, *sicca & percussa pellis resonat; in choro autem voces sociatæ concordant*. Et excellenter deinde concludit: *Quisquis itaque corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano; sed tamen eum non laudat in choro.*

S. Greg. 3. p. post admonit.

In summa N. N. tanti Deus noster æstimat pacem, vt tempore passionis suæ concipiens Herodem & Pilatum mutuas inter se fovere rixas & inimicitias, teste S. Evangel. Luca, voluerit crudeliter tractari, despici, & vno veluti stultus & insipiens illudi, & condemnari ab altero; idque non alium ob finem, nisi vt sese ambo vnirent & pacificarent. Non mea isthæc speculatio est; sed divi Cyrilli Hierosf. ita loquentis: *Facti sunt enim mutuò amici Pilatus & Herodes eâdem die; antea enim erant inimici. Decebat enim eum, qui mundū erat pacificaturus, vt priùs etiā ipsos Iudices suo pacificaret, & erat ipse Dominus componens corda Principum terræ.* O pacem terque quaterque benedictam! quis ad te non anhelaret, quæ tanti constitisti Salvatori nostro?

Luc. c. 23.

Cyrill. Hierosf. Catech.

Absint igitur cunctæ dissensiones & discordiæ, fiat pax & vnio, quia Deo gratissima est, nobis vtilissima & ad consequendam æternam salutem summè proficua: à contrario autem discordia & dissensio peccatum gravissimum est, & mirum in modum displicet Deo. Antiquissimus Ecclesiæ Pater Procopius adducit quædam admiratione & stupore dignissima, & quærit, vtrum duorum illorum peccatorum, quæ commisit Cain, fuerit gravius? an fratricidium, aut insolens illud responsum, quod Deo dedit sciscitanti: *Vbi est Abel frater tuus? Nunquid custos fratris mei sū ego?* Vos mihi responsuros scio, fratricidium fuisse gravius; verùm Procopius asserit, maius fuisse peccatum illud Cain, quòd nescire se affirmârit, vbinam esset frater suus Abel, & non fassus fuerit se eundem occidisse; idque ait hic Doctor, provenisse *ex defectu pacis*: nam homicidium ex primo quodam motu, quem subreptitium vocant, accidere poterat, & esse aliquo modo excusatione dignum; at responsum hoc Deo datum: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* proveniebat ex defectu pacis, & ideo hoc peccatum maius extitit fratricidio. *Gravius peccatum fuit*, ait Procopius, *nescire fratrem quàm occidere fratrem; illud siquidem ex defectu charitatis provenit; hoc autem ex iracundiæ motu & subita passione.*

Procopius in Gen. cap. 4.

Quantum discordia Deo displiceat.

Vnde S. Augustinus lamentatur supra modum de dissensionibus et discordijs populi Christiani, dicent, quòd Christo Redemptore nostro pendente in cruce vestem ejus, quæ pacis erat symbolum nullo modo milites ausi fuerint dividere, & tamen à nobis tametsi Christianis dilaceratur vestis illa, videlicet pax Christi regnantis in cælo. *A militibus*, ait Sanct. Augustin. *non est divisa vestis pendentis in cruce, & à nobis dilaceratur sacramentum sedentis in cælo.* Pacem hanc nobis commendatam reliquit Christus Salvator noster, quâ tu o Christiane! te vestire & adornare debes: & quotiescumque dissensiones quæris & foues cum proximis tuis, toties vestem hanc pacis dilaceras. Pacem igitur et concordiam amplectere, et Deus benedictus cunctas tibi remittet offensas & culpas.

S. Aug.

In confirmationem cunctorum hactenus dicto-

dictorum audi conceptum aliquem suprà factum primò peccatis sese coinquinantis, & posteà pœnitentis civitatis Niniven: contra quam Deus vehementer indignatus ob sceleratam incolarum vitam, vocavit Ionam Prophetam, vt illos adiret, intimaretque justissimum suum de destruendâ quatuordecim dierum spatio civitate decretum: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur.*

Ionæ cap. 3.

Abit Propheta, promulgat sententiam, & determinato nihilominus adventante tempore executum non fuit decretum divinum; motus siquidem compassione Deus, statutam eisdem remisit pœnam. *Misertus est Dominus, & non fecit.* Quis hîc nō obstupesceret mecum Deum, dum consideraret mutatum, quem Propheta aliàs proclamat immutabilem? *Ego enim Dominus, & non mutor.*

Malach. c. 3.

Voce enim dicebat propheticâ, determinataque, quòd velit penitus annihilare ac funditus evertere Niniven, & cunctam confestim ei remittit offensam? *Misertus est Dominus & non fecit,* Quænam ejus assignatur ratio? Pulcherrima scio vos habere in promptu responsa: quemadmodum enim factum illud commune est, ita communissimæ illius sunt resolutiones. S. Ioannes Chrysost. asserit, Deum mutasse sententiam suam ob rigorosissimum & efficacissimum illorum ieiunium. *Ieiunium sententiam Dei revocavit.*

S. Chrys. hom. de ieiunio.

Aut etiam ob austeram & sanctam, quam egerunt, pœnitentiam, veluti sacra innuit Scriptura: *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de viâ suâ malâ, & misertus est Deus super malitam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.*

Cur Deus Ninive civitati tam citò pepercerit.

Vel denique respondebit vobis Sanct. Augu. quòd verbum hoc *subuertetur* non significârit realiter civitatis destructionem; sed veram morum mutationem.

S. August. serm. de pœnit.

Optima sanè responsa; audite nihilominus, si placeat Sanct. Ephrem Syrum nostro proposito appositè, acutissimeque respondentem. Dicit hic Deum non aliam ob causam placatum fuisse & mutasse decretum suum, nisi ob magnam, quam in populo isto conspexit subitò factam vnionem: concordabant quippè sine morâ & in moribus, in voluntate, & pœnitentiâ. Auscultate perpulchra S. illius verba: *Effecta est tota civitas velut corpus vnum; vnusquisque enim observabat, ne quis labatur inter ipsos. Nullus precabatur, vt solus redimeretur; verùm vt membra, singuli pro se mutuò depredabantur; nam tota civitas sicut homo vnus erat appellata, vt eversioni & interitui traderetur.*

S. Ephr. serm. de Iona Proph.

O stupendum effectum! ô singularem favorem & gratiam hujus sanctæ vnionis! quæ talis fuit efficaciæ, vt fulminantem divinæ indignationis iram & sententiam contra sceleratos revocarit Ninivitas. Et ecce, hæc omnia confirmat hodie ipsemet Christus Dominus, dum salutans discipulos suos, exhortatur illos ad vnionem & pacem. *Pax vobis.*

Quapropter cessent discordiæ & lites veluti vnica totius mundi ruina: paci quilibet studeat, foveat vnionem & concordiam, quam Deus summoperè amat, sibique in ea complacet: quemadmodum ille ipse id attestatur in sacris Cant. cap. 4. vbi Spiritus sanctus declaraturus miram oculorum suæ dilectæ sponsæ efficaciam & virtutem, ait: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum.*

Cant. 6.

q.d. Tam excellentis pulchritudinis & decoris est oculus tuus, ô mea chara Sponsa, vt vulneratus inde remaneam. At heus! ô sponse cælestis, cur non dicis: in oculis tuis? an non ambo eiusdem decoris fortè existunt oculi? Omnino, ita enim paulò antè insinuasti: *Oculi tui columbarum.* Cur igitur modo ais: *in vno oculorum tuorum?* O vim & potentiam sanctæ pacis & vnionis! inquit S. Anselmus; tantum hæc placet Deo, vt cordi ejus vulnera infligat. Hîc igitur differit Sponsus de fidelium suorum vnione per oculos significatâ; sicut enim moveri nequit vnus oculus quin moveatur & alter, & ambo idem semper contemplantur obiectum: ita quotiescumque Christiani vnius existunt voluntatis, ita vt in vnum eundemque colliment scopum, non pos-

sunt

sunt non placere Deo, & toties cum lædunt quasi vulneribus, veluti ipsemet fatetur: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Vnde Card. Ægidius Columna legit: *In vnitate oculorum* Et ideò Christus Dominus ad hanc sanctam vnionem suos invitat discipulos, dicens: *Pax vobis.*

Card. Ægid. Colum. in c. 4. Cant. Glossa ord. in c. 12. Lucæ.

Quantum igitur Deo placet pax & vnio, tantum illi displicet discordia. In probationem hujus sedulò Glossa ordinaria percurrit examine factum illud, cujus meminit S. Evang. Lucas cap. 12. vbi recenset Evangelista, quòd Christo Salvatore nostro more suo solito sermocinante & docēte turbas, prodierit in medium quidam adstantium dicens: *Magister dic fratri meo, vt dividat mecum hæreditatem:* q.d. Fratrem habeo, ô dilectissime Magister, paternorū cohæredem bonorum; & quia parens noster iam pridem obijt, hæreditatis portione me concernente frui desiderarem. Quare dic, amabo, fratri meo, quatenus paternam mecum dividat hæreditatem, vt sic quilibet attendat proprijs. Propositioni huic respondit Christus: *Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem super vos?* q.d. Quid mihi est cum divisione bonorū vestrorum? vt nos intelligamus, inquit Glossa, Salvatorem nostrum maximo habere odio discordias, lites & dissensiones, cùm ipse sit Deus pacis & vnionis, qui eum ob finem venit in mundum, vt pacem mittat inter homines & Angelos, omniumque sit cor vnum & anima vna: *Non sum dissensionis Deus* (ait Glossa in personā Christi) *sed pacis & vnitatis, qui veni homines pacificare cum Angelis, vt multi vnum cor & vnam animam habeant.*

Luc. 12.

Glossa vt sup.

Discursum hunc meum finio & dico, quòd si, ô Christiane, non ames vnionem & pacem, non est quòd cogites te fruiturum cœlesti & æternâ beatitudine: à contrario verò si foveas pacem, attendas vnioni, securus esse poteris, Deum tibi daturum gloriam æternam; ad hanc enim obtinendam efficacissimum medium est pax & vnio. Audi Apostolum Paulum, qui differens de bonis & malis, electis & damnatis, sic loquitur: *Omnes quidem currunt; sed vnus accipit bravium.* Tuâ, ô Paule, dixero veniâ, non te capio: ergóne vnus solus salvabitur & cœlesti coronabitur gloria? an non legimus in Apocalyps. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat?* Quomodo igitur *vnus accipit bravium?* Cupisne scire, inquit S. Anselm. hîc quid significet vnus? *Vnus, id est, vnitas.* Quicumque amabunt vnionem, & pacem, quicumque vnanimes & concordes vivent cum proximis suis, æternæ consequentur salutis portum & præmium: *Omnes quidem Christiani, ait citatus S. Doctor, & boni & mali pro modo suo currunt ad bravium: sed vnus qui legitimè currit: id est, vnitas electorum percipit illud.* Optandum esset N. N. cuncti hanc pacem cordis includerent scrinio. Conformiter Dominus noster hodierno die innuit, dicens discipulis suis: *Pax vobis:* cùm ab hâc omniā nostra dependeant bona, sicut à discordia cuncta proveniunt mala & animarum nostrarum ruina. Edicite, quæso, ô scripturæ Interpretes, quam opinamini fuisse causam, obquam superbam illam Nabuchodonosoris statuam destruxerit, & in terram postraverit lapillus tametsi exiguus de monte cadens? Quomodò potuit, inquam, saxum adeò tenue in terram deijcere molem tantæ magnitudinis & fortitudinis? Respondet S. Ioannes Chrysostomus id mirum non esse, quia illius compositio sine vnione existebat, caput enim illius erat ex auro, pectus & brachia ex argento, venter ex ære, pedes partim habebat ferreos, partim luteos; & quia statua hæc expressum erat symbolum Regnorum Provinciarumque, voluit Deus hoc facto nobis significare, nullum regnum, civitatem nullam deficiente pace, vnione & concordiâ, civium diu conservari posse. Idem asserendum est de familijs, collegijs, alijsque congregationibus.

Qui non amat pacē, non speret gloriam cœlestem.

1. Cor. 9.

Apoc. 7.

S. Ansel. in 1. Cor. 9.

S. Chrys. in hunc locum.

Testimonium hujus suppeditabit lapis Tyrrhenus, de quo scribit Plinius, quod integer

Plin. lib. 2. cap. 106.

Vis lapidis Tyrrheni mirabilis. integer tempestuoso iniectus mari semper supernatet aquis! at divisus deinde ilicò petit profundum & deperditur. Testabitur id ipsum & exemplum illius Scythæ, de quo scribit Plutarchus, quòd instructurus filios suos, qualiter semper hi se possent conservare in imperio & dominio, statuerit illis ante oculos fasciculum virgarum, quæ quamdiu vnitæ sunt, difficillimè rumpi possunt. *Plut. in apophth.*

Deus ipsemet, teste sacrâ Scripturâ, superbam illam turrim Babylonicam, quæ ipsi cœlo bellum intentare videbatur, demoliturus, aliud non fecit, nisi in diversitate linguarum vnionem illã Gigantum dissolverit, enervâritque illorum vires, quæ simul vnitæ vti ait S. Chrysostomus, insuperabiles & invincibiles videbantur! nam sicuti virtus vnita fortissima semper est, ita soluta & dispersa imbecillis & debilis existit. O sanctã vnionem! O pacẽ benedictam hodie à Christo Domino discipulis suis cunctisque fidelibus summoperè commendatam! quantæ existis æstimationis? *Pax vobis, Pax vobis.* Eia igitur fratres dilectissimi, quod si hactenus vnioni vtpotè vobis incognitæ non attendistis, nec pacem novistis, adeam ambabus amplectendam manibus vos nunc dispenite, intereà paulisper quiescam. *Gen. c. 11.* *S. Chrys. in hunc locum.*

PARS II.

Concionum mearum divinâ afflante gratiâ attigi finem. Et quia Cõcionatores ante abitum suum solent hoc die suis auditoribus tradere quandam memoriæ tesseram eosque benedicere; ego me illis conformans sedulo vos exhortatos volo, vt semper ob oculos vestros statuatis timorem Dei, nec illum offendatis, ne cœlestia amittatis bona, & in æternum beatificâ priveмini gloriâ.

Deinde benedictionem vobis impertiturus cum antiquissimo observo Tertulliano, S. Patriarcham Iacob, dum benedictionem elargitus esset filijs Ioseph, vti legitur Gen. cap. 48. composuisse brachia in modum Crucis: *Decussatis manibus in formam crucis benedictionem filijs impertivit.* Ad eundẽ modum vltimam vobis hodie communicaturus benedictionem, non manibus quidem in formam crucis compositis; sed ipsâmet cruce, ipsomet Christo in cruce mortuo & gloriosè resuscitato ac hodie triumphante benedictionem vobis impertior, vt hujus effigies & imago vestris maneat impressa & insculpta cordibus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. *Tertull. l. de bapt. cap. 8.* *Gen. c. 48.*



DISCVR-

DISCVRSVS SELECTI IN FESTO DEIPARÆ VIRGINIS,

per dies Sabbathinos digeſti, toto tempore Quadrageſimali.

DISCVRSVS PRIMVS.

Pro primo die Sabbathi.

ARGVMENTVM.

Diſcurritur de immaculatâ Conceptione D. Virginis.

THEMA.

Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis! Cant. 7. verſ. 1.



OBſtupeſco ſummopere, & quid dicam, prorſus ignoro, quòd cæleſtis ſponſus in præfato Cantico deprædicando pulchritudinem & decorem ſponſæ ſuæ perdilectæ ordiatur à pedibus: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* à pedibus, inquam, qui ſunt extrema pars ſtructuræ humanæ: à pedibus, qui minus cæteris corporis membris ſunt ſubiecti & patent obtutui noſtro: à pedibus, qui oculos ad ſe attrahunt, non venuſtâ illorum ſpecie & decore illectos; ſed ſordium videndarum cauſâ commotos, *Sordes eius in pedibus eius,* Thren. 1. verſ. 9. dixit queribundus Propheta. An non poterat exordiri à capite, veluti etiam fecit ſponſa laudando ſponſum: *Caput eius aurum optimum?* Cant. 5. verſ. 11. aut à capillis, aſſimilando eos regiæ purpuræ: *Coma capitis tui ſicut purpura regis vincta canalibus?* Cant. 7. verſ. 5. annon inchoare poterat ab oculis, dicendo illos non eſſe diſſimiles perſpicaciſſimis columbarum oculis miri decoris & coloris & *Oculi tui columbarum?* Cant. 4. verſ. 1. an non poterat ordiri à genis, & dicere, eas ſimiles eſſe malo punico dum, nimirum apertum rubenſcentis & rutilantis inſtar gemmæ purpuraſcit; *Sicut fragmen mali punici?* Cant. 4. verſ. 3. an non ſponſæ laudem incipere poterat, repeto, à capite, vel à collo, vel a naſo, aut ab vberibus, vel ab alijs corporis partibus, quæ tametſi, veluti partialia membra, ſicut inter ſe vnitæ & ſibi inuicem inſeruientes, omnes tamen iunctim ſumptæ, imò quænis ſeorſim

[margin:] ...hr.c.1. ...ur ſpon... laudem ...æ ſponſæ ...cipiat à ...dibus. ...ant.5. Cant.7.

seorsim accepta decore & venustate suâ longè præcellit extremam corporis partem, nempe pedes?

Nihilominus laudem sponsæ suæ exorditur sponsus à pedibus: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!* idque non sine mysterio. Per omnes partes corporis sponsæ tropologicè significantur tam virtutes quàm omnia mysteria vitæ Mariæ Virginis (quod ad euitandam nimiam prolixitatem nunc prætermitto demonstrare,) ast per pedes, speculatiuè loquendo, figuratur nobis & virtus humilitatis, vtpotè basis & fundamentum cæterarum virtutum beatæ Virginis, & etiam mysterium immaculatæ eius Conceptionis. Primus passus & gradus eius fuit ille, quem (vt dicam) posuit Regia hæc infans in benedictâ illâ terrâ ventris sanctissimæ Annæ matris suæ.

Exponant alij, per hæc verba sponsi intelligi sanctam Ecclesiam ratione Euangelij: *& calceati pedes in præparationem Euangelij pacis*, ad Ephes. 6. vers. 15. Expendant alij hunc locum de anima in gratia Dei constituta, veluti pedibus pijs gradiente affectibus calceatis rubicundis charitatis calceis. *& calceamenta in pedes eius.* Luc. 15. vers. 22. Applicet demum S. Ambros. lib. de instit. Virg. cap. 54. hunc locum Incarnationi D. N. & dicat: *In hoc calceamento* (subintellige corpus) *speciosè processit Maria quæ sine vlla commixtione corporea consuetudinis Auctorem salutis virgo generauit.* Ego cum Ruperto Abbate in cap. 7. Cant. applicabo hunc passum cõceptioni ipsiusmet beatissimæ Matris, dum nimirum pulcherrimo primum carnis suæ induta calceo tota formosa, & decora primos suos adeò speciosos formauit fixitque gradus & gressus mediâ præseruante gratiâ, vt ab illo tempore raptus in admirationem sponsus meritò dicere potuerit; *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!* Symmachus ex Hebræo traducit: *Quàm pulchri sunt primi gressus tui.*

Eph. c. 6.

Luc. 15.

S. Ambr.

Pro maiori veritatis huius elucidatione lego in S. Euangelista Ioanne cap. 13. quòd in cœna S. Petrus noluit lauari pedes suos à Christo Domino: *Domine, tu mihi lauas pedes?* vers. 6. *Non lauabis mihi pedes in æternum.* vers. 8. respondit ei Christus Dominus: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* versu 8. & reddens illius rationem, subiungit: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet;* vers. 10. Sed ad quid necessaria erat Petro hæc lotio? quam vnquam in pedibus habere poterat immunditiem? S. Ambrosius expendendo verba illa Psalm. 48. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* vers. 6. per maculas & immunditiem pedum intelligit peccatum originale: *Plantam lauare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum: quando enim supplantauit serpens, & persuasit errorem, ideò planta eius abluitur, vt hæreditaria peccata tollantur.* Vnde quia Maria virgo habebat pedes mundos & pulchros, volebat insinuare Spiritus sanctus, quòd ipsa non indigeret huiusmodi lotione, quia nullam contraxerat peccati originalis fœditatem. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis.*

Ioan c. 13.

S. Ambr.

Ad hoc idem propositum adducit Richardus à S. Laurentio de laudibus Virginis verba illa Prou. cap. 3. vers. 17. *Viæ eius, viæ pulchræ & omnes semitæ illius pacificæ: id est, mundæ à peccato:* explicat ille, quibus innuere volebat, pressum illius fuisse pacificum absque timore peccati, quia ex singulari priuilegio præseruauit eam Deus à peccato originali. Dicat ergo cælestis sponsus: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!*

Prou. c. 3

Quando immensus & omnipotens Deus in instanti conceptionis creat, infundit & vnit animam corpori, quia illa est generatio hominis, fit etiam filia Protoparentis nostri Adam, inimica & rebellis Deo constituitur, & confestim in anima resultat peccatum, quod vocant

Primus gressus hominis immundus: non sic B. Virginis.

cant originale, quod est priuatio quædam seu defectus iustitiæ originalis; præsertim verò gratiæ veluti fontis & radicis illius iustitiæ, nec non subordinationis rationis respectu Dei, & sensus respectu rationis, ac corporis respectu animæ: quæ subordinatio debita fuisset homini, si Adam primus eius Parens perseuerasset in gratia, nec Deo inobedientem se exhibuisset. De quo locuturi metaphoricè diceris in hunc modum: quòd vnusquisque homo, quamprimum conceptus est in vtero materno, & carne humanâ indutus, fordidissimo & immundissimo se induat calceamento.

Iob.c.14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Iob. 14. vers. 4. Primi illius passus, quos figit in hoc mundo, sunt incompositi & distorti: *Ecce*

Psal. 50. *enim in iniquitatibus conceptus sum,* dicebat Propheta Dauid Psalmo 50. vers. 7. Non dissimilia fuissent calceamenta & primi gressus Virginis in principio sui esse seu conceptione suâ; habuisset, inquam, calceos spurcos & sordidos, passus flexuosos, gressus retortos; ast præuenit illam clementissimus Deus in conceptioe illius: fecitque, vt anima eius benedicta, veluti pes optimè & moratissimè compositus, fuerit recta & candida; recta, propter rectitudinem iustitiæ originalis; candida, ratione candoris gratiæ, communicando & infundendo illam carni tali modo, vt & hæc eiusdem rectitudinis fuerit capax, adeoque animæ adoptauit carnem, veluti pedi adoptatur calceus. Dicat igitur sponsus: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!*

Incessu noscinobi- ab obili. Disposuit ordinauitque rerum Magistra Natura, vt si non superessent alia signa, è quibus distingui posset homo ignobilis à nobili, ex modo nihilominus incedendi & ambulandi possimus vnum ab alio discernere; vides plebeium & rusticum illum humili natû loco, quàm immodectum, inurbanum & illepidum efformet passum, quàm stolidè & stupidè moueat corpus, quàm incompositis ac tumultuosis incedat pedibus, adeò vt etiam ipsimet pueri & cœli dignoscant ipsius rusticitatem, coniecturentur ignobilitatem: cernis è contrario nobilem illum, quanta cum modestia, quanta eum agilitate & ciuilitate incedat, gressum passumque formet, quàm ornatè & morigeratè ambulet, corpus moueat, pedum ponat vestigia, vt ex nobili eius gressu & incessu non alium nisi nobilem & bene educatum argumenteris hominem. An non Poëtam legistis latinum Virgilium? Peruoluite librum primum Æneidos, & comperietis, pium & inuictum illum Heroëm Æneam Troianorum ducem, dum in horridis morabatur Africæ desertis, agnouisse Venerem Matrem suam, quæ sub specie formosæ venatricis Nymphæ eidem apparebat, ex agili, gracili, pomposoque incessu Deorum gressui non dissimili:

Et vera incessu patuit Dea,

Figmenta poëtica hæc sunt N. N. quæ sacræ Scripturæ cedunt veritati. S. Dionys. Areop.
Maria Virgo Dea hæc est: *Testificor Deum, qui aderat in Virgine, si tua diuina præcepta me non docuissent, hanc ego verum Deum credidissem*, dixit Dionysius Areopagita in epistola ad S. Paulum Apostolum. Dea decoris & pulchritudinis. *Tota pulchra es amica mea.* Cant. 4. vers. 7. Dea amoris: *Ego mater pulchræ dilectionis.* Ecclesiast. 24. vers. 24. Cum sis ab æterno in diuinæ mentis idea designata & prædestinata in Matrem Dei, & talem, ô gloriosa Virgo, te demonstrares, oportebat in primo tuo incessu & gressu, quem formasti in exordio tui naturalis esse seu conceptione tua; passus & gressus formasti non stolidos, non incompositos, non inciuiles ob peccatum originale, non instar rusticæ, ignobilis & vilis puellæ, ac Deo rebellis ambulasti: pedem posuisti; sed rectissimum, modestum, agilem, gracilem formasti gressum ratione iustitiæ originalis, ambulasti & incessisti instar nobi-

Cant. 4. Eccl. 24.

Quales gressus D. Virginis.

nobiliſſimæ Domicellæ & puellæ, inſtar totius vniuerſi Reginæ, inſtar filiæ ſupremi & altiſſimi Principis Dei. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis!* pulchri profectò, pulchri ob pulchritudinem accelerati rationis vſus; pulchri ob pulchritudinem iuſtitiæ originalis; pulchri ob pulchritudinem gratiæ præſeruantis; pulchri ob pulchritudinem ardentium charitatis actuum; at pulcherrimi ob pulchritudinem beatificæ Dei viſionis.

Probabiliſſima plurium SS. Patrum & Eccleſiæ Doctorum eſt opinio, Mariam Virginem in inſtanti Conceptionis ſuæ miraculosè fuiſſe eleuatam ad videndam diuinam eſſentiam; tranſeunter tamen, ad eum planè modum, quo ad eandem eleuati fuerunt Moyſes & S. Paulus Apoſtolus. *Rapta eſt Maria in tertium cœlum, & vidit arcana myſteria, quæ non licet homini loqui, perfectiùs & excellentiùs, quàm Paulus,* dicit Rupertus Abbas in Cant. cap. 4. Si Beatiſſima Virgo Maria à tempore illo, quo venit in mundum, vſque ad aſſumptionem eius quolibet die grauiſa fuit viſione Dei, cur etiam non eâdem grauiſa eſt die, horâ ac momento conceptionis ſuæ; *Maria quotidie diuinâ viſione fruebatur,* ait D. Hieronymus ſerm. de aſſumptione. & Rupertus Abbas adiungit, quòd fruebatur quodam viſionis diuinæ paradiſo, imò fuit ipſemet paradiſus; non quidem terreſtris, ſed cœleſtis: *Ille eſt paradiſus antiquus, paradiſus terrenus; iſte eſt paradiſus nouus, paradiſus cœleſtis.* Rupertus lib. 4. in Cant.

Rupert.

S. Hieron.

Verùm quid adduco Doctores ſacros, ſi Spiritus ſancti adeſt authoritas, qui ſponſum ſponſæ in hunc modum introducit loquentē: *Emiſſiones tuæ paradiſus?* Cant. 4. verſ. 13. Primus tuus, ô glorioſa Virgo! egreſſus in mundum (ait Rupertus exponendo hunc locum) primi tui greſſus, quos formaſti pedibus intellectus & voluntatis, repræſentant quendam paradiſum; non fuerunt gradus & paſſus, quos fixiſti in terra, ſed in cœlo: non amando res creatas, ſed creatorem ipſum: non per ſpecies acquiſitas, ſed infuſas: non per cognitionem abſtractiuam, ſed intuitiuam viſionis Dei. *Emiſſiones tuæ paradiſus.* Non ambulabas & ſpatiabaris veluti antiqua Eua in terreſtri illo paradiſo caducarum arborum diſcurrendo cum ſerpente infernali, & ab illo contrahendo mortem animæ & corporis, ſed inſuper naturali paradiſo amando Deum & contemplando diuinam eſſentiam, euaſiſti quidam paradiſus animatus & viuus. *Emiſſiones tuæ paradiſus.*

Et ſanè N.N. cauſa & motiuum principale, quo Deus motus fuit ad ſumendam carnem de carne Mariæ Virginis, & non alterius cuiuſdam mulieris, ait S. Petrus Damianus ſerm. de Aſſumpt. fuit illud, quia caro B. Virginis ſemper fuit pura, ſemper immaculata; caro nunquam fuit peccato Adami infecta, tametſi de Adamo peccatore ſumpta: & vt eâdem vtar dicendi phraſi, & eodem loquendi modo Spiritus ſancti, ſummopere Verbum æternum deſiderauit ſe deſponſare Mariæ Virgini in thalamo vteri virginalis eius, & creare illam in Matrem ſuā, quia reſpexit & vidit munditiem, candorem ac decorem calceamentorum, videlicet mundiſſimā carnem ſacratiſſimæ Virginis, dum eā ſe induit in prima ſua Conceptione. *Quàm pulchri ſunt primi greſſus in calceamentis filia Principis!*

S. Dam.

Cur Deus carnem ſumpſerit ex Maria Virgine.

Enarrat Ælianus de Var. Hiſtor. pulcherrimā totius Egypti Rhodopen die quodam ſtetiſſe iuxta aquas fluuij Nili ad Solem expandendi & lineos pannos ſuos candefaciendi cauſā. Dum igitur ſeruæ eius attenderent inuigilarentque depoſitis in ripa veſtimentis, poſt diuturnam ecce circūuolitationem deſcendit in terram quædam aquila, vnguibus capit & rapit vnum calceorum eius, fugit in Memphin, & furatum calceū cadere ſinit in ſinum Regis Pſammitichi, qui

Ælianus de Rhodope, quæ per calceum facta eſt Regina.

qui ibidem regio tunc insidebat throno administraturus iustitiam. Actum hunc ragalis auis præter modum demirabatur Rex, & præsertim extremum mirumque calcei decorem & artificium; quare ad omnia circumiacentia loca sine mora emisit nuncios & famulos, qui edulò inquirerent mulierem illam, cuius esset calceùs ille tam artificiosus & eximiæ pulchritudinis, Tandem inuenerunt Ægyptiacam Rhodopen, quam deinde Rex sibi adsciuit in vxorem, Reginam, regni regalisque suæ coronæ sociam.

Vestrâ hodie veniâ N. N. Ægyptiorum historias transferam ad Christianorum mysteria. Spiritus sanctus desponsauit se Mariæ Virgini. Ast quo ductus motiuo? quis eum ad id impulit & mouit? Pulchritudo calceamenti eius, pura sanctitas & puritas Beatissimæ Mariæ Virginis. Dum Spiritus sanctus conspiceret in infinita ferè multitudine mulierum, quæ sordidos & peccato ad minus originali fœdatos gestarent calceos; solum verò calceamentum; carnem, inquam, Mariæ Virginis mundam, puram & ab omni prorsus defectu & peccato non duntaxat proprio, verùm etiam (quod maximè spectandum est) ipsiusmet etiam Adami exemptam & liberam, hacque pulchros adeò & nobiles formasse gressus à primo conceptionis suæ instanti, quo eodem sese calceauit & vestiuit, sine mora adamauit exoptauit, elegitque illam in sponsam & Matrem suam.

Sic Maria Mater Dei.

Cur Deus carnem sumpserit ex Maria Virgine.

Veritatem facti huius iuxta opinionem S. Bonauenturæ in speculo Virg. cap. 8. adumbratam & præfiguratam videmus in Iudith cap. 16. vers. 11. vbi hæc leguntur: *Sandalia eius rapuerunt oculos eius*; nimirum Holofernis, Stupendū audite factum N. N. Comparuit hęc Bethuliensis vidua ante generalem exercitus Assyriorum Ducem Holofernem, ornata vestibus, facie formosa, miraque venustate & decore tum naturali, tū artificiali, adeò præfulgens & dotata, vt etiam gelidissima, taceo ardentissima hominum corda in sui accendisset & concitasset amorē etiam minimo corporis sui ornamento; quæ de causa non fuit raptus & captus Holofernes comptis, plexis & cōnexis capillis illius? Cur non rapuerunt illum pretiosæ eius inaures, monilia aut alia corporis ornamenta & indumenta? cur non arsit amoris incendio ex radiantibus eius purpureis genis, aut blandis & coralijs labijs eius veluti amoris retibus & escis? num fortassis pulchritudo deerat Iudith ad concitandum in amorem suum Assyriorum Ducem? Ah ad amorem accensus fuit, dum conspexit mirum decorem & pulchritudinem sandaliorum castissimæ viduæ vrbis Bethuliæ, ideoque ait sacer textus: *Sandalia eius rapuerunt oculos eius.*

Iudith placuit in sandalijs.

Scandalia sunt quædam calceamenta, quæ tamen si pedem operiant inferiùs versus terram, superiùs nihilominus versus cœlum reliquum apertum, ad differentiam aliorum calceorum, qui versus quamcunque partem supra & infrà cooperiunt & occludunt totum pedem. Ecce nunc mysterium Sandaliorum Iudith & calceamentorum Mariæ Virginis; vbi cæteræ hominum animæ, comprehensis etiam ipsomet Jeremiâ & Ioanne Baptistâ, in instanti conceptionis suæ circumquaque sunt inuoluti & inclusi peccato instar pedis calceo vndequaque occlusi, adeoque nullo modo cœlum aspiciunt, aut respiciuntur à cælo, nec quo ad gratiam, nec quo ad vsum rationis; sola anima Beatissimæ. Virginis in momento & instanti illo calceata & vestita fuit sandalijs, pedem & animam suam, quamuis gestauit ex vna parte inuolutam & inclusam carni, ex alia tamen parte habuit apertam & expositam cælo ratione gratiæ sanctificantis & præseruantis. O quæ & quàm præclara fuerunt sandalia ista, quæ rapuerunt cor, non dico Holofernis, sed ipsiusmet Dei! *Sandalia eius rapuerunt oculos eius.*

Sic & Maria Virgo.

Qui gloriam vanam quæsiuerunt in calceis.

Quid gloriatur modò Demetrius Regis Antigoni filius, quòd aureos portauerit calceos? quid sese iactat Imperator Diocletianus, quod in publicum prodierit calceis gemmis & margaritis pretiosis adornatis? quid intumescit Imperator Constantinus, quòd purpuratis indutus fuerit calceis? quid superbus antiquus quidam Romanus, quòd in signum nobilitatis suæ faciem calcei gestauerit paruulâ quâdam lunâ depictâ & ornatam? omnes namque hæ calceorum formæ submittendæ sunt pedibus & calceamentis Mariæ Virginis, eique cedere debent. In medium prodeat S. Euangelista Ioannes; claro id suo testimonio comprobabit in sua mysteriosa Apocalypsi cap. 12. vers. 1. *Signū magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius.* O quàm stupenda visio! an non magnum est prodigium & miraculum, videre mulierum Sole vestitam, quæ pedibus calcat Lunam, quæ & veluti calceamento induta est, quæque duodecim stellis, ipso cœlo lucidioribus tanquam corona cincta est? Sed dicite, amabo, N. N. quodnam hîc latet mysterium? Sole vestita est Maria Virgo, inquit D. Hieronymus in Psalm. 18. quia Sol est diuina gratia, quæ illuminat animas. Sole vestita est Maria, quia à principio conceptionis suæ luminosâ gratiæ sanctificantis veste induta fuit. Sed quod miraculum & mysterium est, quòd hæc Mulier pedibus conculcet Lunam? Mysterium audite. Luna inter alios planetas maculis quibusdam tincta est, vnde est symbolum & signum Hieroglyphicum imperfectionis humanæ naturæ omni genere defectuum & peccatorum maculis infectæ & defœdatæ. Hinc sapientissimus Salomon Ecclesiastici 27. vers. 12. ad viuum repræsentaturus inconstantiam & mutabilitatem hominis stulti, non alteri nisi inconstanti & mutabili Lunæ eumdem comparauit; & ecce nunc mysterium quod innuit S. Ioannes de magna illa Muliere, videlicet,

Apoc. 12.

Cur B. Virgo Lunam habeat sub pedibus.

quia vestita est Sole & coronata stellis, lunam tenet sub pedibus. Maria Virgo est hæc magna mulier (veluti hunc locum S. Ioannis interpretantur S. Damascen. orat. 1. de Natiuit. Virg. S. Epiphanius serm. de Assumpt. S. Bernardus serm. Signum magnum) tota circumfusa & circundata luce sine macula, gratiâ sine peccato, à capite ad pedes vsque; à primo nempe instanti suæ conceptionis ad finem vsque vitæ suæ; lunam maculis tinctam habet sub pedibus, quia libera & exempta est ab omni culpa, ab omni peccato. *nam & defectus omnis sub ea* (ait mellifluus Bernardus) *& quidquid fragilitatis & corruptionis est, excellentissimâ quâdam sublimitate præ cæteris omnibus excedit & supergreditur creaturis, vt meritò sub pedibus eius Luna esse dicatur.*

S. Bernard.

Verùm non prætermittamus sponsū cœlestem, qui deprædicaturus sponsæ suæ pulchritudinem, in hęc prorupit verba: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te,* Cant. 4. vers. 7. tota pulchra ab exordio Conceptionis tuæ, quæ est prima pars vitæ tuæ, absque originali culpa, ratione cuius plurimum sordescit anima, Deoque fit odiosa & rebellis, quemadmodum hunc locum expendit Hugo de S. Victore, dicens serm. 9. *Totum, quod in te est, pulchrum est, & nihil inest tibi, quod sit sordidum; pulchra intus, pulchra foris: intus in corde, foris in corpore: pulchra per naturam, pulchra per gratiam, & Luna sub pedibus eius.*

Hugo de S. Vict.

Non nominetur amplius Rex ille Persiæ, qui in prælio captiuum ducens Imperatorem Valerianum, vtebatur eodem tanquam scabello conscensurus equum. Non fiat deinceps mentio fortissimi Tamburlani, cui pariter equitaturo ad eundem modum inseruire debebat ferocissimus Baiazetus Orientis tyrannus, quem illum in finem quocunque locorum secum conducebat. Tradatur obliuioni crudelissimus Adonibezec, Iudic. cap. 1. vers. 7. sub cuius prandentis aut cœnantis mensa & pe-

Qui hominibus vsi sint pro scabello pedum suorum.

& pedibus ſeptuaginta reges colligebant ciborum reliquias veluti venatici canes famelici oſſa & bolum panis rodentes. Sola, ſola nominetur Maria Virgo, quæ ſub victorioſis ſuis pedibus conculcat lunam, vtpote ſymbolum humanæ naturæ imperfectionum peccatorumque pleniſſimæ & pedibus glorioſæ Virginis calcatæ. Loquatur S. Bernardus vbi ſup. *Excellentiſſimâ quâdam ſublimitate præ cæteris omnibus excedit, & ſupergreditur creaturis, vt meritò ſub pedibus eius luna eſſe dicatur. Et luna ſub pedibus eius.*

S. Bernard.

Pura & immaculata fuit ſacratiſſima Virgo N. N. in conceptione ſua, nec vnquam luto peccati originalis ſuos defœdauit pedes. Menti veſtræ occurrat, quod legitur in ſacra Geneſi. Ceſſante iam diluuio aperuit Noë feneſtram arcæ, & quia auidè exoptabat ſcire, num adhuc terra inundaret diluuij aquis, dimiſit ex arca ſimplicem quandam columbam, quæ, poſtquam aliquamdiu volatu ſuo peragraſſet aërem, nec videret vbi figeret pedem (terra quippe adhuc ſordebat, nec aquæ ad præſtitutum ſibi redierant ſinum & locum,) ne mundos ſuos ſordibus è diluuio relictis deturparet pedes, rediit ad arcam vnde exiuit: *Quæ cum non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam.* Geneſ. cap. 8. verſ. 9.

Gen. 8.

Cur columba à Noe ex arca emiſſa redierit ne fœdaret pedes.

Diluuium illud vniuerſale figura fuit peccati originalis; nam ſicut tunc temporis peccatum cauſauit diluuium, ita etiam peccatum originale originem ſuam traxit à peccato primorum Parentum. Sicut terra ſubiecta fuit aquis diluuij, ita totum genus humanum peccato originali ſubiacet; & ſicut diluuium cunctis hominibus eripuit vitam; ita mortem animabus infert æternam originale. Quod ſi igitur Maria Virgo, teſte Ruperto Abbate lib. 4. in Cant præfigurata fuit per columbam illam, quæ tunc temporis dimiſſa fuit ex arca, iure meritò aſſerere poſſumus, ſanctiſſimam hanc Columbam nunquam tetigiſſe aquas peccati originalis, ſed ambos pedes animæ, binas illas nimirum potentias, intellectum & voluntatem, pedes à D. Baſilio in Pſalm. 137. dictos, ſeruaſſe intactos, illæſos, puros & mundos. Rationabiliter igitur cæleſtis ſponſus laudando ſponſam ſuam, exclamat: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis!*

Rupert.

Sine vlla prorſus macula peccati originalis (repeto N.) extitit Maria Virgo in conceptione ſua, ac propterea optimè eiquadrat dictum illud Sapientis Eccleſ. cap. 43. verſic. 20. *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus.* Non reperitur columba tanti decoris, candoris & pulchritudinis, quanto ditata candore, decore & puritate enituit ac comparuit glorioſa Virgo in conceptione ſua, vt nec minima etiam originalis peccati macula in ea inuenta fuerit cuius veritatis arbiter & iudex quilibet non eſt oculus, ſed ille, qui iuxta mentem Platonis in Timæo eſt totus oculus, nec falli aut decipi poteſt, dum ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cant. 4. verſic. 7. Quem locum expendens Richardus de S. Victore, ait: *Tota pulchra fuit, quam totam poſſedit gratia? quia nullum in ea locum habuit peccatum.*

Eccl. 43.

Quàm pura Columba Maria.

Plato.

Richard. de S. Vict.

Puritatem hanc Mariæ Virginis in conceptione eius dilucidius ſponſus diuinus explanat, dum vocat illam vnicam ſuam columbam, perfectam ſuam, immaculatam, vnicam electam filiam Matris ſuæ, Cant. capite 6. verſ. 8. *Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Quod columba vocetur ob candorem & immaculata dicatur ob puritatem, nullum ſubeſt dubium. Aſt cur vnica dicitur Matri ſuæ? Reſpondet Guilielmus Pariſienſis apud Delrio hîc, matrem Mariæ Virginis fuiſſe S. Annam, quod aliud non ſignificat niſi gratiam; *nam hoc ſonat Annæ vocabulum*, Dixit S. Ioannes Damaſcenus orat. 1. de Natiuit. Mar. Virg. ſermocinando de nomine Annæ & Mariæ; *Dominam parit; id enim Ma-*

Cant. 6.

Cur D. Virgo vocetur vna columba.

ria nomine ſignificatur; gratia verò non aliam habuit filiam niſi Mariam Virginem: nam reliqui omnes homines progeniti fuerunt de peccato ad mortem; ſola Maria Virgo nata fuit de gratia ad vitam: & ideò dicitur: *una eſt matri ſuæ*, vnica filia nimirum gratiæ; adeoque ipſa ſola meritò ſibi vſurpare poteſt verba illa Apoſtoli 1. ad Cor. 15. verſ. 10.
1. Cor. 15. *Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit*. Nullū enim excogitari poteſt tempus, quo gratia inuenta fuit vacua; vnde peroptimè dixit S. Theodoretus lib. 3. in Cant. *Inter tot hominum, qui ſaluantur, animas, Maria veluti electa Columba, vna illa ſola, quæ Chriſtum genuit, Virgo Mater puella Maria, quæ puritate profectò Cherubin & Seraphin antecellit*. Theod. in Cant. Sicque B. Virgo eſt ſola illa columba, ſola perfecta, ſola immaculata, ſola ſine peccati macula etiam originalis; imò adeò pura & munda, vt altiſſimos Seraphinos & eminentiſſimos Cherubinos longè ſuperet & anteuertat, cùm animæ à principio natiuitatis ſuæ ſint tanquam nigri corui ratione peccati originalis; & vbi aliæ contrahunt maculas & imperfectiones, ſola Maria Virgo exiſtit ſine maculâ & ſine minimâ etiam imperfectione. Hinc omni plenam gratiâ vocat eam Angelus: *Gratiâ plena*, Lucæ cap. 1. verſic. 28. Quem locum explicādo S. Fulgentius ſerm. de laud Mariæ, dicit:
S. Fulg. *Cùm Angelus dixit: Gratiâ plena; oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenam benedictionis gratiam reſtitutam*.
S. Anſel. & S. Anſelmus lib. de Concept. Virg. cap. 12. in hæc prorumpit verba: *O benedicta inter mulieres, quæ Angelos vincis puritate!* Et quâ ratione illa Angelos antecellere poſſet puritate, ſi per vnicum etiam momentum fuiſſet conſtituta in peccato & inimicitia Dei, cùm ipſi Angeli ſecundùm Doctorem Angelicum ſint creati in gratia? Ergò ipſa ſemper fuit in gratiâ, ſemper fuit pura & candida columba, vti etiam innuit S. Hieronymus ſerm. de Aſſumpt dicens: *Nihil eſt candoris, nihil eſt ſplendoris, quod non reſplendeat in Virgine glorioſa*; adeoque à primo Conceptionis ſuæ inſtanti manſit pura, munda & candida, & proptereà à cæleſti ſponſo fuit inuitata, vt veniret de monte Libani, Cant. 4. verſ. 8 qui *candidatio* interpretatur, ait D. Hieronymus loco cit. S. Hieron. Cant. 4.
Erat enim candidata multis meritorum virtutibus & dealbata niue candidior, Spiritus ſancti muneribus ſimplicitatem columbæ in omnibus repræſentans. S. Hieron.

Quòd ſi igitur Beatiſſima Virgo fuit tam ſancta, immaculata, pura & ab omni peccato remotiſſima, euidenter ſequitur, eam omnis peccati Deique offenſæ eſſe inimicam. B. Virgini, quæ ne quidem per vnum inſtans conſtituta fuit in ſtatu peccati, placere & grati eſſe nequeunt, quotquot continuò viuunt in peccato mortali, & nunquam agunt pœnitentiam. Et ſanè quomodo Virginis deuoti famuli eſſe poſſunt, qui amant peccatum & offenſam Dei? Peccatorum aduocata eſt; at pœnitentium, non obſtinatorum, qui peccatum deſerere nolunt. Plus B. Virgo abhorret peccatum, quam nos peſtiferum venenum, & tu non abhorres, neque odio proſequeris & deteſtaris illud? Quâ igitur ratione te iactare poteris ipſius deuotiſſimum clientem & famulum? Qui Virginis B. amicus vult eſſe, purus à peccatis ſit ſicut illa ſemper fuit.

Pulcherrimam audiamus exhortationem datam nobis à S. Ioanne Damaſceno orat. de Aſſumpt. Virg. *Ipſa Virgo eſt & Virginum amans; quocirca ſi & corporis & animæ caſtitatem colamus, ipſius gratiam adipiſcemur*. Exoremus igitur ſyncero corde & affectu hanc ſanctiſſimam Reginam, vt nobis imperret odium & horrorem peccati & virtutis amorem, ſicque ei poſſimus ſeruire debitâ & gratâ illi deuotione & ſynceritate, & tandem vitam conſequamur æternam. Amen. S. Damaſ.

DIS-

DISCVRSVS II.

PRO DIE SABBATHI POST DOMINICAM PRIMAM QVADRAGESIMÆ.

ARGVMENTVM.

D*iscurritur de natiuitate B. Virginis sub figura auroræ, Lunæ, Solis & aciei ordinatæ.*

Thema.

Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Cant. 6. vers. 9.



Vm ingenti naturæ totiusque Vniuersi stupore & admiratione, cum inauditâ Angelorum lætitiâ & exultatione, cum ineffabiliâ mundi Creatoris gloriâ nascitur hodie in hâc regione mortis magna Parens & Mater Dei Maria Virgo,& luce ac splendore Natiuitatis suæ terram nostram instar radiantis Solis illustrat, beat & fœcundat. Ad hoc stupendum spectaculum absque dubio descenderunt Angeli pacis, accurrerunt beati illi spiritus ad demirandum tantum splendorem & decorem; aduolarunt ad adorandam inter fascias illam, quæ concipere, parere & fasciare debebat Omnipotentem. O diem profectò felicem, fortunatam ac terque quaterque beatam! verè dies es, & temporis ornamentum, corona annorum, diuitiæ sæculorum & æternitatis inuida dies, quo cœlestis harmonia auditur in terris in laudem, honorem & gloriam nascentis cœli terræque Reginæ. Vtinam hodie humanis perciperetur auribus, quàm dulcem & suauem cœlestis Curia ederet concentum, quanto studio & iubilo honoraret sacra hæc natalitia Mariæ Virginis! ast quia ipsa plus nostra est quàm illius, respondeamus & nos admirabundi choro occinentes cœlico: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?*

Non me latet, plurimos sacrorum Expositorum expendendo hunc locum dixisse, Sacrosanctam Virginem diuerso tempore fuisse quasi Auroram, Lunam, Solem & Exercitum ordinatum; Aurora nimirum fuit in natiuitate suâ; hâc enim mundo deperdito attulit serenitatem gratiæ, & tenebricosam peccati despulit caliginem & noctem. Luna fuit plena diuinâ gratiâ in Incarnatione Verbi æterni, conformiter illi quod dixit Gabriel Archangelus: *Ave gratiâ plena.* Luc. 1. vers. 28. Instar resplendentis Solis fuit in assumptione sua, vbi tanto fuit circumdata lumine & gloria, vt S. Ioannes in sua mysteriosa Apocalypsi non dubitauerit eandem proclamare vestitam Sole. *Mulier amicta Sole*, cap. 12. vers. 1. Tanquam Exercitum benè ordinatum denique se manifestauit in coronatione & exal-

B. Virgo quando & quomodo fuerit aurora, Luna, Sol ac Exercitus ordinatus.

exaltatione sua semper omnes Angelorum choros, quando iuxta vaticinium regij Prophetæ collocata à dextris vnigeniti filij sui cœpit agere officium nostræ Aduocatæ: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Psalm. 44. vers. 10. vel vti alij ex originali Hebræo clariùs & nostro proposito conformiùs traducunt: *Astitit Regina à dextris tuis in scutulatis*; in veste, nimirum, intexta scutis, quæ sunt expressum & euidens symbolum nostræ defensionis & patrocinij. Nihilominus repræsentabo vobis hodie benedictam hanc Virginem hoc glorioso Natiuitatis suæ tempore cum omnibus hisce magnificis titulis Auroræ, Lunæ, Solis & Exercitus bene ordinati. Attendite & exordiar.

Psal. 44.

Lect. Heb.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Conuenientissimè N. aurora nuncupari potest Maria Virgo in natiuitate suâ; etenim aurora, quam nos videmus (veluti obseruauit Rupertus Abbas libro 6. in Cantic.) est finis & terminus præteritæ noctis, & aduenientis diei principium. Ad eundem planè modum & certa cum proportione Natiuitas Virginis terminus & finis extitit tenebrosæ noctis, tristitiæ hominum, & initium sereni diei, humanæ videlicet exultationis & lætitiæ. Nascitur hodie hæc cœlestis puella quasi noua aurora, dando principium gaudiorum nostrorum, & vltimum imponendo finem nostræ mœstitiæ & doloribus, quos nobis causauerat obscurissima nox peccati; siquidem totum illud tempus præteritorum sæculorum ab Adamo ad Natiuitatem Virginis vsque obscurissima fuit nox propter grauissimorum peccatorum caliginem, quemadmodum dilucidè id insinuat Hugo de S. Victore serm. 34. *Totum namque tempus*, ait ille, *quod ab Adam vsque ad Virginis ortum præcessit, quasi nox extitit, non longa & obscura.* Sed ô felicissimos nos! præterijt longa illa nox, quæ tam longo tempore intra horridam peccatorum caliginem concluserat genus humanum; quando nimirum è materno Annæ vtero prodijt in lucem Maria Virgo, pulchra illa & iam dudum desiderata comparuit aurora: aurora illa, quæ noctem terminauit peccati, & initium extitit sereni diei gratiæ: illa, inquam, aurora, ex qua verus Sol iustitiæ ortus & natus est. Audite Rupertum Abbatem sibi sup. quàm eleganter id confirmet, loquens gloriosæ huic Virgini: *Quando nata est Virgo beata, tunc vera nobis surrexit aurora prænuncia diei sempiterni; quia sicut aurora finis est præteritæ noctis, ac initium diei sequentis; sic natiuitas tua finis dolorum, & consolationis fuit initium.* Suo hoc idem roborat testimonio S. Petrus Damianus serm. de assumpt. dum ait: *Natâ Virgine surrexit aurora, quia Maria veri præuia luminis, natiuitate suâ manè clarissimum serenauit. Hæc est aurora, quam sequitur, imò de qua nascitur Sol iustitiæ.*

Rupertus.

D. Virgo nascens. Aurora fuit & cur?

Hugo de S. Victor.

Pet. Dam.

Aurora diuina & singularis fuit Maria Virgo, illius efformata manibus, qui vnico & solo voluntatis nutu auroram simul fabricauit & Solem, vti ait Propheta Psalm. 73. vers. 16. *Tu fabricatus es auroram & Solem.* Tam pulchram, tam decoram eam procreauit, vt quæcumque alia aurora in comparatione illius non nisi horrenda & formidabilis appareat larua. Nascitur aurora, coronata lilijs, aureis ornata comis, vestita luce, nubium subuehitur curru, trahiturque à ventis veluti velocissimis & alatis equis. At quid ista pompa & ornatus respectu virgineæ auroræ, quæ hodie nascitur cunctis diuinæ gratiæ coronata floribus; non aureis crispata capillis, sed diuinis condecorata contemplationibus sanctisque ornata cogitationibus; non vestita luce, quæ deficit, sed puritate incorruptibili & æternâ; non subuecta curru volubilium & fugacium nubiū, sed inter brachia æterni

Psal. 37.

Quomodo ad D. Virginem vt Auroram suspirauerint SS. PP.

terni & immutabilis Dei; non attracta à ventis, sed obtenta à suspirijs Sanctorum Patrum? Ad illam suspirauit Adam quando è somno excitatus, in quo (vti vult D. Hieronymus in cap.2.Genes.) nostræ salutis vidit Sacramentum, suspirans dixit: *Os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Genes.2.vers.23.q.d. Quando erit illa dies felicissima, ô Aurora, quo te videam nasci, ossa tua de ossibus meis, & carnem de carne mea? Ad illam suspirauit magnus ille Noë, Genes. 8. dum candida illa columba differebat & protrahebat suum reditum in arcam vt ait Venerabilis Beda hîc. Ad illam suspirauit S. Patriarcha Abraham, quando fortunatum illum Saluatoris diem auidè desiderabat videre: *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum.* Ioannis cap.8.vers.56. Ad illam suspirauit sapientissimus Salomon, dum inter fascias eam vagientem audire anhelabat: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* Cant. 2. v.14. Ad illam suspirauit totus Prophetarum Patriarcharumque chorus, dum per os Isai. 26. vers. 9. dicebat: *Anima mea desiderauit te in nocte.* Et bene dixit, *in nocte*; quia nocte suâ resplendentem desiderabant auroram; & quidem tantâ luce & splendore sanctitatis hodie nata est, vt lumine suo totum sanctitatis perfectionisque illorum obfuscauerit splendorem. Non sic obtenebrantur stellæ matutinæ lumine Solis, ait S. Hieron. in prolog. Sophon. veluti ad splendorem sanctitatis huius nascentis auroræ Mariæ tota perfectio antiquarum sanctarum mulierum extincta est & penitus disparuit. *Velut siderum igniculos Maria lumen abscondit*, & celebriores sancti paruulæ vix apparuerunt scintillæ ad conspectum eius. Sed quid mirum, quòd omnes Sancti præteritorum sæculorum sint quasi paruæ scintillæ in comparatione Natiuitatis Virgineę nostræ auroræ, cùm ipsimet Angeli, qui sunt veluti mare sanctitatis, vix appareant? *Ita* (inquit B. Petrus Damianus serm. de Natiuit. Virg.) *Angelorum habetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.*

Gen. 2.

Ioan. 8. 8.

Cant. 2.

Isai. 26.

Adiungatur iam dictis, quòd excellens hoc nomen *aurora* aliud non sonet, quàm *aurea hora*; adeoq; dico ego, quòd, quia Virgini sanctissimæ competit in suo glorioso ortu hoc nomen Aurora, id ideò est, quia ipsa nata est fortunatissima illa hora, quâ propter ipsam cessare debebat sanguinosum illud bellum, quod multorum sæculorum spatio intercessit inter Deum & homines, quâque introduxit pacem, ad quam diuturno adeò tempore sancti Patres in limbo existentes suspirarunt & auidissimè anhelarunt.

Aurora quid sit.

Ad propositum hoc repræsento mihi memorabilem illam luctam Angeli magni consilij cum Patriarcha Iacob, expressam præfati prælij figuram, Genes. c.32. Luctatus fuerat Angelus cum Iacob per integram noctem (quam voco totum illud tempus, quo Mundus splendore Mariæ Virginis orbatus remansit) & teste sacro textu præualuit Angelus contra Iacob. Sed quid? quamprimùm cœpit aduentare dies, comparuit pulchra aurora; nata est, inquam, Maria Virgo, Angelus magni consilij dixit Iacob typo peccatoris: *Dimitte me; iam enim ascendit aurora*, v.26.q.d. Arma iam depone, ô Iacob, non sit bellum deinceps; tecum pacem componere volo, non quia me maioribus polles viribus, cùm sis fragilis homo, ego verò Deus; sed quoniam nouellam conspicio exoriri auroram Mariam, quæ nascitur mundo eum in finem, vt sit Mater mea, ad cuius præsentiam oportet ego deponam arma iustæ indignationis meæ contra peccatores conceptæ, & cum eisdem pacis componam fœdera; & propterea, *dimitte me; iam enim ascendit aurora. Quòd igitur* (sic loquitur Theodoretus) *magni Consilij Angelus victum se ascendente aurorâ confitetur, nihil est aliud, nisi quòd Maria aspectu Christus infirmū se esse ostendat & peccatori dicat: Dimitte me;* iam

Gen. 32.

Theod. hic.

iam enim aſcendit aurora. Et ecce quam-primùm comparuit hæc myſtica aurora Maria Virgo, occluſus eſt infernus, apertum eſt cœlum, alligatus catenis ſatanas, à vinculis ſolutus homo, deſtructa mors peccati, & introducta eſt vita gratiæ.

Glorioſa itaque Virgo ab æterno in Matrem Dei electa ei fuit, quæ tantùm præualuit & viribus adeò magnis prædita fuit contra Deum, vt iram mutari fecerit in clementiam, iuſtitiam in miſericordiam, vindictam in fauorem, bellum in pacem, odium in amorem.

Damaſc. Ita aſſerit S. Ioannes Damaſcen. orat. 2. de dormit. Deip. *Per hanc diuturnum illud bellum, quod nobis cum Creatore erat, ſublatum & extinctum eſt: per hanc cum eo reconcilatio ſancita, pax & gratia donata eſt.* Sicque multum debemus & obligamur huic glorioſæ Virgini, ratione magni fauoris, gratiæ & auxilij, quæ accepimus à rutilante hâc aurorâ, illum etiam in finem à Deo electa, vt in feliciſſimo ſuo ortu mundum ditaret inæſtimabilibus donis & gratijs. *Huiuſmodi eſt Virginis Natiuitas* (ait idem Damaſcenus orat. 3. de Natiu. Deip.) *nempe Dei fœderum cum hominibus initorum renouata memoria, totius humani generis viſitatio, in qua nos qui priùs in tenebris & mortis vmbra ſedebamus, viſitati, & per eum colluſtrati ſumus: in acceſſo videlicet eius lumine perfuſi qui ex alto nobis in ortus eſt, Chriſti Ieſu.* O quàm ſpecioſa & pulchra aurora! meritò cum Prophetâ regio ad Deum conuerſus dicam: *Tu fabricatus es auroram & ſolem.* Pſalm. 73. verſ. 16.

D. Virgo Luna in natiuitate, & cur. Comparet pariter glorioſa Virgo in hoc ſacro felicis Natiuitatis ſuæ die tanquam ſpecioſa Luna: *pulchra vt Luna.* etenim quemadmodum olim apud Romanos Luna erat ſignum nobilitatis & illuſtris proſapiæ; ita hæc ſacratiſſima Virgo in Natiuitate ſuâ comparatur Lunæ, vt manifeſtetur toti orbi nobiliſſima, imò regalis eius proſapia, veluti fidem eius facit S. M. Eccleſia, dum canit: *Regali ex progenie Maria exorta refulget* Niſi velimus dicere, quòd hodie inſtar alterius Lunæ naſcatur ſacratiſſima Virgo, quia inter omnes homines ab Adamo deſcendentes ſola, formata & nata eſt plena supernâ luce gratiæ. Peruoluite S. Ambroſium in ſuis Hexameris, & reperietis, quòd poſtquam hic S. Doctor perſcrutatus eſſet, quali formâ & quantâ lucis plenitudine Luna apparuerit adornata in creatione ſuâ; tandem reſpondeat, Deum procreaſſe illam perfectam & totam lumine plenam; idque adeò, quia opera Dei ſunt perfectiſſima, vti legitur Geneſ. cap. 1. verſ. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quòd ſi igitur id quod Deus fecit à principio mundi, fuit vmbra & figura illius, quod tempore gratiæ adimplendū erat; ergo cum Ruperto Abbato vbi ſup. affirmare poſſumus, figuram, quæ ſpecioſè repræſentauit & ſignificauit Virginem, fuiſſe pulchram illam Lunam; adeoque ſi Deus viſibilem illam Lunam procreauit lumine plenam, ita vt tota luminoſa & clara apparuerit initio creationis ſuæ; ergo copioſa & cōpleta gratiæ luce ditauit viuam & longè digniorem Lunam Mariam, quæ illius debebat eſſe Mater, *pulchra vt Luna.* Vel dicamus Virginem aſſimilari Lunæ; quia ſi oculos ſuſtollamus in altum, videbimus, quòd Luna lumine cæteras omnes præcellat ſtellas, quando eſt plena, ſitque ſimilior Soli: imò omnes ſtellæ pulchritudinis eius quaſi amore captæ, humilia eidem exhibent obſequia & quaſi officioſæ factæ pediſſequæ ſpecioſæ adeò Reginæ & Dominæ, non quidem comitantur illam, ſed vibrando ſcintillantem ſuum ſplendorem tripudiantes quaſi & feſtiuæ videntur laudum illius decantare encomia. Suſtollat ſimiliter vnuſquiſque mentis ſuæ oculos, non dumtaxat in omnes Sanctos ſtellas nuncupatos Danielis cap. 12. verſ. 3. verùm etiam in altiſſimos Angelos, Seraphinos & Cherubinos, & videbit

S. Ambr.

Gen. 1.

Luna creata eſt plen[a]

bit hanc Virginem luce gratiæ, virtutum & cœlestium donorum plus superare omnes reliquos, quàm Luna antecellat stellas; imò adeò abundans & plena fuit, vt S. Bonauentura serm. 3. de B. Virg dixerit: *Domina nostra omnia habuit Dei dona, quæ in Sanctis alijs sunt diuisa; vnde dicit: In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Nec solùm superauit omnes Sanctos, omnes Angelos; sed ad tantam peruenit donorum Spiritus sancti plenitudinem, vt inter reliquas omnes creaturas sola instar alterius Lunæ simillima fuerit æterno Soli Christo Domino, & in ea adimpletum fuerit dictum illud Isai. 30. vers. 26. *& erit lux Lunæ sicut lux Solis.*

S. Bonau.

Isai. 30.

Vel etiam asseramus B. Virgini competere hoc nomen Lunæ, quod spectat ad fauores & beneficia, quæ quilibet ab ea recipit; etenim sicut Luna diffundit & distribuit lumen suum huic inferiori mundo; ita hæc cœlestis Luna facta æmula Solis æterni dotantis Ecclesiam suam SS. Sacramentis alijsque supernaturalibus donis, vberrimè elargitur & communicat omnibus in hâc miseriarum valle existentibus sua dona, gratias & beneficia. *Totius gratiæ plenitudinem posuit in Maria; vt proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare,* ait mellifluus Bernardus serm. 3 in vig. Nat.

Aut tandem dicamus B Virgini conuenire hoc nomen Lunæ, quia sicut hæc in cursu suo est velocissima, ita quoque Virginea nostra Luna velocissima prompta & solicita in succurrendo nobis, nobisque communicando opem, gratiam & auxilium suum, teste D. Anselmo lib. de excellentia Virginis cap. 6. *Pulchra vt luna.*

Verùm pergamus & consideremus illam in natiuitate suâ tanquam luminosum Solem, *electa vt Sol;* idque non immeritè; nam sicut hic materialis Sol, quem indies ferè videmus, progrediendo per lutum, sordes & puluere terræ, nihil prorsus coinquinatur nec maculatur; ita potentissima cœli Regina, quasi nouellus Sol, tametsi nata fuerit ex Ioachim & Anna parentibus suis, sine tamen maculâ peccati originalis, quem omnes miserè incurrunt, immaculata semper remansit. *Caro Virginis* (inquit B. Petrus Damianus serm. de Assumpt.) *ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit.*

D. Virgo nascens Sol, & cur.

P. Dam.

Vel asseramus, quòd instar luminosi Solis in natalitijs suis compareat B. Virgo, quia sicut exoriente Sole ad nostrum horizontem, omnes stellæ sese abscondunt, nec audent se prodere; ita exurgente & nascente nouello hoc Sole Virginis, omnis splendor & lux virtutum aliorum Sanctorum obfuscatur. Ita idem contestatur Cardinalis Damianus vbi sup. dicens: *Sol lucidus incandescens, ita siderum & Lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint, & videri non possint. Similiter & Virgo, veri prauia luminis in illa inaccessibili luce perlucens sic vtrorumque spirituum habebat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint nec debeant apparere.*

Nisi velis etiam dicere eam veluti Solem fuisse in hac gloriosâ suâ Natiuitate, eò quòd sicut Sol materialis comparens & existens in nostro horizonte totam illuminat terram; ita ad præsentiam huius nouelli & Virginei Solis non solùm infimæ hæ mundi partes, sed etiam cœlestis Ierusalem, veluti docet S. Bernardus sermon 1 de Natiuit. Virgin. vndique fuit illuminata & illustrata. *Maria præsentiâ totus illustratur orbis, adeò vt & ipsa cœlestis patria clariùs rutilet Virgineæ lampadis illustrata fulgoribus.*

S. Bern.

Nascitur instar Solis B. Virgo, ait S. Bernardus ser. super *Signũ mag* c. 5. quia sicut magnus hic Planeta conscendit nostrum horizontem, omnibus sine discrimine communicaturus lucem, splendorem & influxũ suum, vti legitur Matth. 5. vers. 45. *Qui Solem suum oriri facis super bonos & malos,* ita hæc pijssima Do-

mina & Regina nascitur & oritur veluti liberalis Sol, omnes & singulos fideles bonos & malos faciens participes clarissimæ lucis diuinæ gratiæ cæleſtiumque donorum & fauorum. *Maria* (ait mellifluus Doctor) *omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi: captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam.*

Denique Virgo nuncupatur Sol, quia sicut Sol ita excellens est, vt inter stellas & alios planetas non sortiatur sibi similem & æqualem; ita hæc Sancta Virgo gratiâ, donis & dignitate adeò præcellit cæteras creaturas, vt nulla ei comparari valeat. Ita scribit Rupertus Abbas lib. 6. in Cant. *Vna est electa, quia nec inter Angelos, nec inter homines similem vel primam habet, nec sequentem est habitura.*

D. Virgo nascens acies ordinata & cur.

Imponamus finem huic discursui. Nascitur hodie B. Virgo, vt sit cunctis fidelibus tanquam bene ordinatus & dispositus exercitus, inuictissimis & generosis instructus militibus contra insidias dæmonis & hostis infernalis, *terribilis vt castrorum acies ordinata.* Sanguinosum adeò & crudele extitit bellum inter humanæ generationis parentem Adamum & antiquum serpentem in campo paradisi terrestris, vt & mortuorum corporum & cadauerum fœtor adhuc sentiatur, qui & sentietur quamdiu durabit mundus. Ast ô quàm malè successit fatali nostro inimico Satanæ, dum hic diuinus exercitus, Maria Virgo, prodijt in campum huius mundi! tam copiosâ tamque optimè dispositâ militum generosorum fuit ipsa instructa acie, vt ad solum suum conspectum deterreat hostem, eumque in fugam conuertat, *terribilis vt castrorum acies ordinata;* imò adeò terribilis exercitus fuit Maria Virgo, vt hostes infernales eam à longè solùm conspicientes, tremebundi & pauidi fugerint. O *Sanctissima filia in maternis vlnis conspicua, rebellibus Angelis formidabilis!* exclamat S. Ioannes Damascenus orat. 1. de Natiuit. Virg. & Richardus de S. Victore in cap. 6. Cant. dicit: *Quæ etiam ipsis principibus tenebrarum terribilis fuit, vt ad eam accedere non præsumpserint.*

Damasc. Richard.

Gloriosa itaque Virgo fuit exercitus instructus tot militibus, quot prædita fuit virtutibus heroicis & excellentibus perfectionibus; tot transfodit milites, quot dispulit peccata, deuicit dæmones & dissipauit hæreses; tot reportauit victoriæ palmas, quot suo patrocinio saluauit animas. Exercitus fuit, qui adeò deuastauit & profligauit infernum, vt S. Damascenus vbi sup. totus admirabundus exclamet: O *Sanctissima, quæ principatus & potestates fefellisti, atque ignea maligni tela extinxisti, quæ in Spiritus sancti thalamo versata es, atque immaculata conseruata in Dei sponsam.* Meritò igitur sancti Angeli conspicientes prodeuntem ipsam in hanc terram, admirabundi dicunt: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.*

Tunc, vt ait S. Scriptura 1. Reg. cap. 17. regius Vates suum ostendit valorem & fortitudinem, quando inermis & solus fundâ & iactu lapidis sauciatum Gigantem Philistæum præcipitauit in terram; & dum ego contemplor sanctissimam mulierem Annam fascijs inuoluentem & illigantem Mariam Virginem Dominam nostram, videre mihi videor mysticam illam petram Mariam, quam pientissima mater Anna fascijs veluti fundæ primò impositam gyrat, deinde proijcit & sauciat caput infernalis Gigantis, eumque dat in terram præcipitem, iuxta diuinum illud oraculum, *Ipsa conteret caput tuum.* Genes. 3. vers. 15.

Ecce hîc ô Salomon, mulierem fortem, ait S. Bernardus hom. 2. super. Missus est, *quam tantâ diligentiâ & studio quæsitum iuisti: Mulierem fortem quis inueniet?* Prouerb. 31. vers. 10. Quæ hâc maior reperiri potest

S. Bern. Prou. c. 31.

potest fortitudo, quæ adhuc teneris involuta fascijs deterret infernum, vincit, infringit & deuastat tartareas acies?

Neque hic finis est victoriarum eius; nam victrix deauratâ amoris sui sagittâ ipsummet sauciauit Deum, vti fatetur ipsemet: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno crine colli tui.* Cant. 4. vers. 9. ab illo enim tempore quo pannis & fascijs illigata fuit, cœpit amare Deum & intensè etiam amauit.

Cant. c. 4.

Sed ô nos miseros & peruersos! quòd amor hic Virginis in Deum nostræ nos reddat memores ingratitudinis. Ergo Maria Virgo cœpit amare Deum ab infantiâ & iampridem, & nos quando ipsum amabimus? iam tandem senuimus, &, vt dici solet, vnum pedem in cymba Charontis tenemus, neque cogitauimus quidem amare illum; obligamur nihilominus amare illum toto corde & totâ animâ. Aduertit & agnouit S. Augustinus libro 1. Confess. cap. 9. malum & peccatum suum, quod commiserat à prima vitæ suæ hora non amando Deum, doluitque, quòd nimis tardè eum cognouerit: *Serò te amaui pulchritudo tam antiqua, serò te amaui.* Att aliqualiter excusandus erat, quòd ipsum serò cognouerit: *Serò te cognoui*, quæ excusatio in nobis nequit habere locum: nam, sicut scribit D. Gregorius libro 9. moral. cap. 7. *penè à matris vtero ad fidem venimus, ab ipsis incunabulis, & potum sanctæ prædicationis sumpsimus cum lacte carnis.* Infantuli cognoscebant Deum & balbutientes fatebantur illum esse, & nihilominus non amabant. Beata & benedicta es, ô Virgo, quòd tam maturè eundem amaueris, cognoueris, & cor tuum ei donaueris.

S. Aug.

S. Gregor.

Verùm priusquam finiam hunc meum sermonem, pro consolatione deuotorum clientum & seruorum Virginis & Dominæ nostræ, obseruo cum S. Gregorio Nysseno orat. de Christi Natiuit. quòd natæ iam Matri Dei & in lucem editæ, Deo ita disponente, impositum fuerit dulcissimum nomen Mariæ, quod significat Dominam. & sanè multum conueniens erat; primò, quia alijs percharis & familiaribus suis seruis & amicis voluit Deus ipsemet nomina imponere, veluti Isaac, qui Christi debebat esse figura; S. Ioanni Baptistæ destinato in suum præcursorem; vnde multò conuenientius erat, vt ei etiam imponere nomen, quæ futura erat ipsiusmet Redemptoris Mater, iuxta regulam illam S. Bernardi Epist. 174. *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini fuisse negatum.*

Cur D. Virgo appellata sit Maria.

S. Bern.

Secundò, imponere nomina rebus concordantia ad eum spectat dumtaxat, qui perfectam earundem rerum habet cognitionem. Cùm igitur conueniens imponendum erat nomen futuræ Dei Matri, quis non videt id non ab alio nisi ab ipsomet Deo imponendum esse, qui solus penetrare poterat magnam illam perfectionem & excellentiam, in qua illam creauerat?

Tertiò tandem, cùm nomen Matris Dei debebat esse potentissimum, sanctissimum & gratissimum, ab Angelis & hominibus, sicut & à dæmonibus adorari, debitâ reuerentiâ coli & honorari, timeri & formidari; multum erat conueniens, vt ad impositionem huius saluberrimi nominis concurreret potentia Patris, sapientia Filij & amor Spiritus sancti. Ideoque sapientissimè dixit deuotus Idiota lib. de con. Virg. cap. 5. *Dedit tibi, Maria, tota Trinitas nomen, quod post nomen Filij tui est super omne nomen, vt in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* O nomen potens! nomen sanctum! nomen amabile!

Idiota.

Et quid dicam de virtute & efficacia huius sanctissimi nominis? tres præsertim effectus reperio in hoc nomine; primus est, quod mirum in modum placet diuinam iram & indignationem. Fortè eam ob causam S. Petrus Chrysologus vocat nomen Mariæ *sacrificium Dei.* Sacrificia

Chrysol.

crificia enim sunt instituta ad placandũ Deum & impetrandam gratiam. vnde dicebat Dauid: *Sacrificate sacrificium iustitiæ & sperate in Domino.* Psal. 4 vers. 6.

Virtus & efficacia huius nominis.

S. Anselm.

S. Anselmus maiora profert de efficaciâ nominis Mariæ lib. de excell. Virg. cap. 5. illo namque, ait, nos impetrare à Deo totum id, quod mediante illo petitur. *Velocior est nonnunquam salus inuocato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Iesu filij sui.* non quia B. Virgo aut est maior, aut potentior filio; sed quia, dum proponitur petitio aut supplicatio nostra in nomine filij, ipse velut Iudex *discernit merita singulorum*; neque interdum vult concedere gratiam suam; ast quando proponitur in nomine gloriosæ Virginis, *etsi merita inuocantis non mereantur vt exaudiantur, merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiantur.* In nomine Mariæ Deus considerat quantum ei debeatur, & in recompensationem illius concedite gratias deuotis eius.

Secundò emollit obstinata & dura peccatorum corda. Conformiter loquitur sapientissimus Idiota lib. de contempl. Virg. cap. 5. *Tanta est virtus tui sanctissimi nominis, ô semper benedicta Maria, quod mirabiliter emollit & penetrat duritiam cordis humani.* Sicque emolliti conuertuntur ad Deum, agunt pœnitentiam de suis peccatis, & optatam consequuntur salutem.

Tertiò expellit dæmones. *Non ita metuunt hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium & exemplum,* ait S. Bernardus citatus à Richardo de S. Laurentio de laud. Virg. Quæ non igitur ab hoc sanctissimo nomine sperare debemus, debitâ cum deuotione illud inuocaturi, præsertim in tentationibus? quapropter eâ, quâ par est deuotione illud colamus, honoremus & reuereamur.

S. Bern.

O Sanctissima Maria! ô cœlestis & diuina puella, paucis abhinc horis nata, sed à plurimis sæculis desiderata & expectata! beata est hora illa, quæ te vidit nascentem & prodeuntem in hunc mundum: beati illi oculi, qui tuam primi aspexerunt pulchritudinem & decorem: fortunatæ aures illę, quę tenerum tuum primæ audiuerunt vagitum: felices illæ manus, quæ te susceperunt & amplexatæ sunt: felicissimum os illud, quod te primò osculatum fuit, ac blando quodam osculo & cantico tuum studuit quietare planctum.

Nata est N. N. hæc cœlorum Regina non in superbo palatio, sed in vili & abiecto quodam tugurio, vt sic in omnibus suo assimilaretur filio, qui nasci voluit in similibus mapalijs: nata est non in molli & delicato, sed paupere lecto; non pretiosis & prædiuitibus cincta fascijs, sed laceris inuoluta pannis; & nihilominus erat cœli terræque Regina. Eccur, ô Pater æterne, in tantâ paupertate tuam nasci sinis filiam? & cur, ô Patris æterni Fili, permittis Matrem tuam nasci in summâ illâ inopiâ? O sanctissima Anna non permitte in terris permanere illam, quæ dignior est cœlo; quieta illius fletum & planctum, quæ est cœlestis paradisi risus; lacta illam, quæ ipsummet lactabit Deum: inter brachiorum tuorum amplexus foue illam, quæ inter suos fouebit Omnipotentem.

Faustissimus, ô cœlorum Regina, sit tuus aduentus: millies & millies sis benedicta, ô gratiosa puella & Domina, quæ dignata es nos tuâ visitare præsentiâ. Non iam desertum est hic mundus, sed delitiarum hortus: non carcer, sed libertatis regnum. Prô anima mea! si, quod peterem, aut in quo tibi complacerem, scirem. O Virgo gratiosissima, salua animam meam; tuâ infantiâ redde illam humilem; fac vt tuis lachrymis plangat & deploret sua peccata: salua illam, quæ vis & potes, & omnibus, quotquot me hîc auscultant, primam elargire clementer benedictionem in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.

DIS-

DISCURSUS III.

PRO SABBATHO POST DOMINICAM SECUNDAM Quadragesimæ.

ARGUMENTUM.

Tractatur de profundo mysterio Incarnationis Verbi & Exaltatione humanæ naturæ per illud.

Thema.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Lucæ 1. vers. 38.

INter omnia, quæ Catholica celebrat Ecclesia, mysteria, non reperitur gloriosius, sublimius ac profundius illo, quod hodierno celebratur festivitatis die. Solemnis hodie fit memoria desideratæ & iamdudum exoptatæ pacis inter hominem rebellem & misericordissimum Deum compositæ: etenim iam tandem aliquando antiquum illud bellum, quod inter illos tot præterlapsis duravit sæculis, consecutum est finem & coronidem suam, fausta & felicia hodie percipiuntur novella de mundo ob infortunium suum primitus destructo & deperdito, ac posteà restaurato & renovato: admonentur filij Adam, quòd deinceps non audientur dolorosa illa suspiria, alti gemitus, & ardentia illa desideria veterum Patrum promissum præstolantium Messiam: *Utinam disrumperes cœlos & descenderes?* Isaiæ 64. vers. 1. *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.* Psal. 43. versic. 23. sed dulcisoni nunc resonent illi concentus: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ioan. cap. 1. vers. 14. & ut uno plura complectar verbo, celebratur hodie

Bona nova hujus diei.

Isai. c. 64.

Psal. 43.

Ioan. c. 1.

gloriosum illud anniversarium Incarnationis Verbi divini & Annunciationis Mariæ Virginis. O faustissimum tempus! ô felicissimum diem! tempus totum profectò repletum jubilo & exultatione: dies cæteris omnibus longè felicior, qui cunctis alijs temporibus & diebus concitat & parat invidiam: dies, qui reliquis omnibus gloriosam præripit palmam & victoriam: siquidem hodie redemptionis & salutis humani generis factum est initium & auspicium, restituta vita, obseratus Infernus, reseratum cælum, vinctus satanas, & homo ab æternâ ereptus est damnatione, & hæc iamdudum exoptata ac læta nuncia adferuntur hodie & annunciantur permagnæ Dei Parenti Mariæ Virgini ab ardente Seraphino Gabriele hisce suavitatem spirantibus verbis: *Ecce concipies & paries filium.* Luc. 1. vers. 31. ac si dixisset: O Virgo sacratissima & inter omnes benedicta mulieres! iam iam fortunata illa proximè adest hora & ab æterno determinata, quâ id te ineffabile illud Incarnationis Verbi divini adimplendum est mysterium, ac ipsamet in Dei assumenda es Matrem. Hæc summaria præsentis solemnitatis N.N. est historia, de

de qua, auspice Deo, sermocinaturus ostendam, inter omnes operationes, in scholis dictas *ad extra*, hanc divini Verbi Incarnationem esse profundissimam & stupore dignissimam, etenim, ut docet Angelicus doctor 3. part. quæst. 22. art. 3. magis in ipsâ, quàm in quacumque aliâ attributa divina veluti in lucidissimo relucent speculo. Deinde videbimus dignitatem & excellentiam, ad quam sublimatus est homo per Verbi Divini assumptam humanitatem. Attendite & exordiar.

S. Thom.

PARS PRIMA.

ECce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Excellentissimum & altissimum SS. Patres & Ecclesiæ Doctores censuerunt magnum hoc esse opus Incarnationis Verbi divini & Annunciationis Virginis. D. Apostolus Paulus illud appellavit omnibus sæculis & generationibus mysterium absconditum: *Mysterium, quod absconditum fuit à sæculis & generationibus*, ad Colos. cap. 1. vers. 26. & Sanct. Cyrillus Alexandrinus in Ioan. dixit esse *sacratissimum ænigma*, & Petrus Damianus serm. de Annunciat. illud appellat *novum omnium novorum*, dicto conformiter prophetico, *Creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum*, Ierem. cap. 31. vers. 22. Cui & se subscripsit mellifluus Bernardus dicendo, quod esset abyssus quædam imperscrutabilis, & profundissimus puteus, è quo nec minima hauriri posset humanæ intelligentiæ gutta. Sic loquitur serm. 2. de adventu: *Abyssus impenetrabilis est: puteus altus est, & in quo hauriam, non est mihi*. & regius Propheta (cui Deus altissima etiam nostræ sanctæ fidei revelavit mysteria) actutus tempore legis antiquæ de hoc mysterio, in hæc prorupit verba: *Defecit in salutare tuum anima mea*, Psalm. 118. vers. 81. vel ut habet lectio Hebraica: *Defecit usque ad diluvium*, & tempore

Mens SS. PP. de profundo hoc Miseria.
Col. c. 1. v.
Cyrill. in Ioan.
Dam. serm. de Annunt.
Hier. c. 3.
S. Bern.
Psal. 118.
Lect. Heb.

Evangelicæ legis Sanct. Ioannes Baptista, qui fuit prius sanctus, quàm natus, inhabilè quoque se profitetur ad solvendum duarum illarum naturarum divinæ scilicet & humanæ, vnius divini suppositi nexum, præfiguratum per corrigiam calceamenti, dum dicebat: *Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut soluam eius corrigiam calceamenti*, Ioann. cap. 1. vers. 27. Supra quem locum D. Gregorius homil. 7. in Evangelia discurrit in hunc modum: *Corrigia calceamenti est ligatura mysterij Incarnationis; calceata enim venit ad nos Divinitas. Ioannes soluere corrigiam calceamenti non valet, quia Incarnationis mysterium nec ipse investigare sufficit, qui hoc prophetiæ spiritu agnovit.*

Ioan. c. 1.
S. Gregor.

Profundissimum igitur est hoc mysterium Incarnationis Verbi divini & Annunciationis Mariæ Virginis, quod nedùm humanus, sed etiam angelicus attingere nequit intellectus. Inde fit, ut si ergo interrogaretur, quomodo, quave ratione id factum sit, idem prorsus quæsitum esset, quod Sanctissima Virgo proposuit Legato cælesti Gabrieli Archangelo: *Quomodo fiet istud?* Lucæ 1. vers. 34. Qua ratione aut modo facta est hæc sacratissima unio hominis & Dei? quomodo contigit hoc, quòd una persona, quæ ab æterno progignitur ex Patre sine Matre in cælo, deinde in terris homo factus renascatur ex Matre sine Patre? quî factum est, quòd simplex quædam & pura puella fiat vera Mater, virgo manens illibata & intacta? quòd immortalis evadat mortalis, æternus temporalis, immensus mensurabilis, infinitus terminatus & finitus, impassibilis passibilis, Deus homo, & homo Deus? *Quomodo summus omnium factus est imus omnium?* ait Sanctus Bernardus serm. de Annunciat.

Difficillimo huic dubio respondere possem cum sancto Augustino epist. 2. ad Volus. modum & ordinem rerum, quæ naturæ transcendunt ordinem, non esse

S. August.

inve-

investigandum: *Ne quæras modum & ordinem naturalem, quando supra naturam sunt, quæ fiunt.* Concludit deinde sanctus hic Doctor: *Fateamur ergo Deum aliquid posse, quod nos fatemur, necesse est, investigare non posse*, confiteamur, id, quod Deus in hoc supernaturali summoque operatus est mysterio, non posse assequi intellectum humanum, & quamcunque obmutescere linguam. Possum insuper dicere cum Concilio Toletano 2. mysterium hoc non esse ineffabile, si ratione naturali demonstrari posset; & si in promptu esset exemplum, quo declarari & capi valeret, non esset singulare: *Si ratione ostendi posset, non esset mirabile: si exemplum, non esset singulare.* Hisce adjungendum est, nec ipsosmet Angelos id penetrare & intelligere posse, veluti id dilucidè docet S. Dionysius Areopagita lib. de divin. nomin. cap. 2. *Iesu in carne apparitio & ineffabilis est sermone, & omni ignota intelligentiâ; ipsi quoque antiquissimorum Angelorum primatui non satis perspecta.* Ast quid dico de Angelis? cùm ipsemet cœlorum Reginæ iamjam in Matrem Dei denunciatæ tam obscurum, tam intricatum ænigma visum fuerit hoc mysterium, ut, quia illud quasi capere non valebat, clariorem à cœlesti Nuncio expetierit ejus elucidationem? *Quomodo fiet istud?* Quæ verba expendens hîc Hugo Cardinalis, dixit: *Quod potuit concipere, capere non potuit.*

Concil. Tolet. 2.

S. Dionys.

Tandem dicere possem cum S. Leone serm. de Nativit. alium non superesse nobis modum capiendi hoc Sacramentum, nisi recurrendo ad fidem salvificam, *Vtramque substantiam in unam convenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat.* Ast mihi sufficiet asserere cum Angelico Doctore opusc. 60. Incarnationem Verbi divini esse opus infinitæ potentiæ, incomprehensibilis sapientiæ, & immensæ bonitatis divinæ; ecquæ major enim potest esse potentia quàm unire duo extrema summè inter se distantia, Deum videlicet & hominem? quæ major excogitari potest sapientia, ubi pro complemento & ornamento universi simul combinantur & uniuntur primum & ultimum? quæ major fingi potest bonitas, ubi tota se diffundit & communicat bonitas? in alijs Dei operibus bonitas divina judicio meo sese communicavit pondere & mensura; in hoc verò totam se effudit: unde Apostolus Paulus: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* ad Coloss. 2. vers. 9.

S. Leo Papa.

S. Thom.

Colos. c. 2.

Et sanè N.N. inæstimabile hoc mysterium Incarnationis Verbi æterni esse opus omnipotentiæ divinæ clarè contestatur Propheta David Psalm. 79. vers. 3. dicens: *Excita potentiam tuam & veni.* Idq; deinde innuit gloriosa Virgo verbis sui Cantici: *Fecit potentiã in brachio suo.* Luc. 1. vers. 51. quasi hæc & ille dicere vellent: Quia opus hoc reliqua omnia præcellit tum naturâ, tum gratiâ, requirebatur extraordinaria quædam & infinita potentia, quâ Deus illud perficere & adimplere posset, non intendo tamen hîc asserere, majorem requiri potentiam Dei in creatione rei perfectioris & perfectioris alterâ, cùm Deus ad operationes ad extra juxta Theologorum doctrinam æqualiter concurrat, sed ratione termini & effectus ab ipso producti: siquidem magnum hoc Incarnationis Sacramentum terminatũ fuit ad rem adeò sublimem & altam, quam unquam sibi quispiam posset imaginari; qualis est, quòd Deus factus sit homo, & homo Deus. Hinc est, quòd possit appellari opus, ad quod complendum necessaria erat omnipotentia divina; & in hoc sensu locutus est Doctor Angelicus ubi sup. *Quid enim potentius, quàm coniungere extrema summæ distantiæ? magna enim potentia fuit in coniunctione disparium elementorum, maior in coniunctione illorum ad spiritum increatum.* Eundem dicendi modum imitatur S. Ioannes Damascenus libro 3. de fide orthodox. dum ait, quòd æternus Deus in hoc

Hoc opus est omnipotentiæ Divinæ.

S. Dam.

hoc solo mysterio, mundo manifestare voluerit ultimum terminum dictū *Non plus ultrà*, quem diuina ejus omnipotentia in gratiam & fauorem nostri attingere poterat. *Nihil maius, quàm quod Deus homo factus est; hoc ultimum est quod Deus efficere potuit; amplius enim aliquid efficere non valuit.*

Abyssus est omnipotentiæ adeò profunda & vasta, ut nec ipse dæmon, taceo homines, cum tota sua, quam habet, scientia, illam penetraverit; imò nec ipsimet Angeli sancti intellexerunt; adeò ut Isaias Propheta, cùm nec fundum, nec vadum ejus inuenire posset, magnâ superfusus admiratione meritò exclamaverit: *Generationem eius quis enarrabit?* cap. 53. vers. 8. Quis unquam explanare poterit magnitudinem, profunditatem & mysterium Incarnationis Verbi divini? & Ambrosius contra Nestorium, postquam hæc penitiùs consideraßet verba, ac impossibile judicaret ulteriùs progredi, dixit: *Mihi impossibile est generationis huius scire secretum; mens deficit, vox silet, non mea tantùm, sed & Angelorum; supra Cherubim, & supra Seraphim, & supra omnem sensum est.* Ergo ineffabile Incarnationis mysterium opus est omnipotentiæ divinæ.

Imò Abyssus omnipotentiæ.

Isa. cap. 53.

S. Ambr.

Ad idem etiam concurrit infinita Dei sapientia; cùm etenim infinitis alijs modis opus hoc humanæ Redemptionis perficere potuisset, hunc nihilominus veluti aptiorem magisque appositum & proportionatum selegit è reliquis, qui, tametsi fuissent sufficientes, uti sacri docent Theologi, non tamen fuissent sine aliquo defectu & imperfectione. Appositus igitur fuit hic modus, quo se nostrâ humanâ & mortali vestivit carne, in qua patiendo & moriendo plenissimè satisfecit injuriæ ab hominibus illatæ Patri æterno cum omni rigore justitiæ, quem ullus unquam sibi imaginari posset: univit simul duo extrema summè inter se distantia, qualia sunt, temporale & æternum, passibile & impassibile, homo & Deus: sicque effecit, ut culpæ & peccata nostra per misericordiam & pietatem Dei fuerint remissa absque ullo diuinæ justitiæ præiudicio. Conformiter dixit Propheta regius: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.* Psalm. 84. vers. 11. Quæ omnia considerans Diuus Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 10. dixit: *Verùm etiam ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potentiæ omnia æqualiter subiacent, sed sanandæ miseriæ nostræ convenientiorum modum non fuisse.*

Est etiam opus Sapientiæ divinæ.

S. Aug.

Insuper hoc Incarnationis mysterium opus maximum est divinæ bonitatis; siquidem juxta doctrinam D. Dionysij Areopagitæ libro de divinis nomin. cap. 4. bonum ex natura sua est communicatiuum & diffusiuum suipsius; unde cùm Deus sit infinitè bonus, infinitè quoque se communicavit: nec contentus fuit duabus illis communicationibus æternis, quæ reperiuntur in divinis, & à Theologis vocantur *ad intra*, ubi Pater communicat infinitam suam naturam Filio æterno, & simul deinde cum Verbo Spiritui sancto, voluit quoque ad extra communicare se hominibus incarnando & faciendo se quasi unum ex nobis, hominem passibilem & mortalem, quo significare nobis voluit, tantum esse ejus desiderium communicandi seipsum, ut, quod non posset fieri in divinis, fieret in humanis, tribuendo suum esse personale naturæ humanæ.

Est denique opus Bonitatis divinæ.

Nec pro complemento profundissimi hujus operis defuit divina misericordia & pietas: etenim commiserans Deus nostro infortunio, descēdit hodie in terrā, humanamq; assumpsit naturam. En evidens hujus testimoniū Apostoli Pauli: *Et manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne.* 1. Tim. 3. versic. 16. & Zacharias id iamdudum prædixerat. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.*

1. Tim. c. 3.

Luc. 1.

alto. Luc. 1. verſ. 78. Et quamvis in hoc ineffabili Incarnationis myſterio prædicta mirum in modum reſplendeant attributa divina, amor nihilominus Dei in homines primatum & palmam reliquis omnibus præripit, hoc ipſo quòd Deus conſpicitur factus homo propter immenſum ejus amorem, qui in pectore illo divino ardebat; nam cùm amor, uti docet D. Dionyſius loco ſuprà citato, magnâ polleat virtute unitivâ (*Amor eſt unitivus*) & amor ille divinus in homines fuerat ſupra modum exceſſiuus, inde factum eſt, quòd non ſolùm divinâ mediante gratiâ & viſione beatificâ, verùm etiam perſonaliter voluerit uniri naturæ humanæ. S. Aug. Eſt denique opus Bonitatis divinæ.

An non vobis N. N. occurrit publicum decretum, quod die quodam promulgavit S. Ioannes Evangeliſta, dum dixit: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret?* Ioan. 3. verſ. 16. Quibus verbis, ait S. Ioannes Chryſoſtom. ho. 27. in Gen. oſtendere voluit immenſi illius amoris affectum, quo ſtimulatum fuit Verbum divinum ad aſſumendam carnem humanam; utiturque Sanct. Evangeliſta hac particulâ, *ſic*, quaſi diceret: Adeò ineffabiliter & ſupra modum Deus dilexit homines, ut eis unigenitum ſuum Filium pro dono præſentaverit: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Neque mens ſufficit, neque mens valet enumerare* (ait S. Chryſoſtomus;) *nam quantumvis dixero, multò plus prætereo*. Hoc idem docere nos voluit Apoſtolus ſcribendo ad Titum: *Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei*. cap. 3. verſ. 4. Alij legunt ex textu Græco, *apparuit amor hominum*. Idipſum & affirmat Doctores ſacri, è quibus unicus nobis ſufficit Sanct. Cyrillus in Ioann. dicens: *Homo à Deo diligitur; quomodo enim fieri poteſt, ut non diligatur, per quem Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, mittitur?* Et Sanct. Auguſtin. huic ſubſcribit in Soliloquio: *Quæ maior eſt cauſa adventus Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuã in nobis?* S. Chryſ. Tit. c. 3. S. Cyrill.

SECVNDA PARS.

QVæ iam lingua explanare poterit, ad quem dignitatis gradum evecta & ſublimata ſit natura humana, dum unita fuit Verbo divino? Audi, ô Chriſtiane, & uberrimas funde lachrymas. Priuſquam Deus humanam aſſumpſiſſet naturam, ait Rupertus Abbas, hominem in nullâ prorſus fuiſſe æſtimatione, uti modò eſt. *Antequam Deus*, inquit cit. Doctor lib. 3. cap. 7. in Zach. *homo fieret ex utero Virginis, nullum erat pretium generis humani*. Pretium & æſtimatio primitùs incepit poſt Incarnationem Verbi divini; omnis etenim valor, tota ejus nobilitas, honor & gloria traxit originem ſuam à Deo incarnato. Quomodo per hoc exaltata naturæ humana. Rupertus Abbas.

Veritatem hanc oſtendit S. Eccleſia Sponſa Chriſti, juxta opinionem Hugonis Cardinalis, dum ſponſum ſuum humanâ indutum carne videre deſiderabat, ne deinceps ullus eam aſpernaretur, ſed honoraretur ab omnibus; unde dicebat: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te foris & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat?* Audite Hugonem in hunc locum, quàm eleganter illum dilucidet: *Olim deſpectum erat genus humanum, ſed per Incarnationem & unionem noſtræ carnis ad Deum incepit humana natura nobilitari*. Cant. cap. 8. Hugo hic.

Refert S. Evangeliſta Ioannes in ſua Apocalypſi ſe vidiſſe die quodam Angelum aſpectu venerabilem, miræ pulchritudinis, decoris & maieſtatis, ac proſtraviſſe ſe ante pedes ejus ut adoraret eum; illum verò id recuſaſſe & prohibuiſſe: *Cecidi ante pedes eius, ut adorarem eum, & dixit mihi: Vide ne feceris*. cap. 19. verſ. 10. Quâ de causâ noluit Angelus permittere, ut Ioannes illum adoraret, cùm aliàs permiſerit ſe adorari? Non me latet, Ioſue ad præſentiam Angeli proſtratum in terra adoraſſe Angelum. *Cecidit Ioſue pronus in terrã, & adorans ait:* Apo. c. 19. Ioſ. 5.

Iosue c.5. Ios.5. vers. 14. & Angelus id permisit, non recusavit; cur igitur renuit adorari à S. Ioanne? Id contigit, respondet Hugo Cardinalis in hunc locum, quia tempore Iosue Deus Verbum nondum humanam induerat naturam, & homines viles erant & ignobiles; ideoque Angeli facilè se permittebant ab illis adorari; at postquam Deus factus est homo, tantum nobilitavit naturam humanam, ut eandem exaltaverit supra Angelorum choros; unde mirum non est, quòd modo recusent se ab hominibus adorari: *quia iam vident nostram naturam super se in Christo homine exaltatam;* **Hugo Cardin.** *unde & timent ab homine adorari*, ait Hugo Cardin. quod ante ipsum iamdudum indicaverat S. Gregorius Papa *S. Greg.* hom.8. in Evang. hisce elegantibus verbis, *Quid est, quòd ante Redemptoris adventum, Angeli ab hominibus adorantur & tacent, postmodum verò adorari refugiunt? nisi quod naturam nostram, quam priùs despexerant, postquam hanc superassumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt.*

Causam iam capietis N.N. cur Patres Veteris testamenti adeò solicitè desiderabant adventum Messiæ in carne, de qua dicitur Thren. cap.1. vers. *Thren. c.1.* 12. *Vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis. Sed exaltata est per incarnationem*, dicit Eminentissimus Cardin. Hugo in Psal.8. pro cujus declaratione adducit similitudinem mulieris cujusdam ignobilis, quæ sublimatur & nobilitatur per desponsationem cum viro nobili. *Facta sum gloriosa sicut mulier ignobilis sublimatur, si contrahat cum viro nobili.*

Observastisne, qualiter Redemptor noster, magnum aliquod opus & prodigium patraturus, nunquam se vocaverit Deum, sed hominem? etenim remissurus *Matth. c.9.* peccata paralytico, de quo Matth. c.9. & *cap.24. c.13* benignè ei veniam & sanitatem largiturus, non se Deum, sed hominem nuncupavit: *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge tolle lectum tuum, & vade, &c.* versic.6. Agendo deinde de universali judicio, quando nimirum descendet de cœlo judicaturus mundum, pariter se nominat hominem: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multâ & maiestate.* Matth.24 versic. 30. Tractando de dominio & imperio, quod habet in Angelos, hominem similiter se vocat: *Mittet filius hominis Angelos suos.* Matth. 13. vers. 14. **Cur Christus se toties vocarit filium hominis.** Summa, omnia sedulò observaturi reperietis, quòd in notatu dignioribus & celebrioribus operibus & actionibus, quas tanquam Deus operatus est, semper se nominet filium hominis, nimirum hominem, ast quæro ego: Si actiones illæ exercebantur ab eo non tanquam ab homine, sed tanquam à Deo, quo fine igitur se appellat hominem, & non Deum? Respondet doctissimus *Abulens.* Abulensis in caput 16. Matth. id eum fecisse ad extollendam & sublimandam naturam humanam; maximus namque censetur ab hominibus honor, quòd homo quidam stupenda adeò & mira patret prodigia, quæ humanas superent vires. *Quando Christus* (ait hîc Doctor) *faciebat magna, vocabatur filius hominis, & hoc fiebat ad honorem naturæ humanæ, quòd talia fierent per eum, vel ab eo, qui homo erat.*

Verùm non hîc sortiuntur finem suum excellentiæ humanæ naturæ; progrediuntur ulteriùs; siquidem immensus & æternus Deus, ob amorem, quo ab æterno prosecutus est hominem, ut illum eriperet à dura dæmonis servitute, cui per peccatum sese mancipaverat, totum hoc exequi poterat, mediante quodam Angelo: ast noluit: ipsemet dignatus fuit è cœlo descendere in terram, fieri homo, & opprobrosam subire mortem: idque ideò fecit, ait *Beda.* Venerabilis Beda quæst. 13. quia hoc Incarnationis mysterio non dumtaxat intendebat redimere & salvare homines, verùm etiam tali eosdem afficere honore & nobilitate, ut nō jam ampliùs homi-

homines, sed Dij essent. Si Angelum quemdam amandasset ad assumendam naturam humanam, sicut ille non erat Deus, ita nec potuisset Deificare homines. Audite ipsamet verba Venerabilis Bedæ tanto viro digna: *Quia Angelus, etsi salutem daret, divinitatem minimè conferre posset, quam ex se non habebat.* Necesse igitur erat, ut ipsemet descenderet de cœlo, & assumeret naturam humanam, faceretque homines Deos, ac propterea dicit S. Thomas opusc. 57.

S. Thom. *Unigenitus siquidem Dei filius suæ divinitatis volens nos esse participes nostram naturam assumpsit; ut homines Deos faceret, factus est homo*, & S. Aug. concludit: *Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus*, & *S. Aug.* *S. Chrys.* S. Petrus Chrysologus serm 77. in summam rapitur admirationem, dum conspicit naturam humanam adeò elevatã, ut homo proximum subintret gradum cognationis & parentelæ divinæ: *cæli & terræ, carnis & Dei repentè tantum posse provenire commercium, ut Deus in hominem, homo in Deum; Dominus in servum, servus verteretur in filium, fieretque divinitatis & humanitatis ineffabili modo una & sempiterna cognatio.*

Homo factus Deus.

Summa, N. N. natura humana mediante Verbi divini Incarnatione tantum conscendit honoris dignitatisque gradum, ut ultrà ascendere nequeat: eò devenit (inquit D. Augustin. de præd. Sanctor. cap. 15.) ut fit Deus. *S. August.* Quid amplius dici posset? *Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta & tam excelsa & summa subvectio, ut quò attolleretur altiùs, non haberet.* Idem D. Augustinus epist. 120. ad Honorat. vos omnes, ô fideles, alloquitur hisce consolatorijs verbis: *O homines nolite desperare vos fieri posse filios Dei, quia & ipse filius Dei, hoc est, Verbum Dei caro factum est, & habitavit in nobis.* Consolamini vos, ô fideles & Christiani, spem concipite; nam & vos deificari potestis.

In hunc amorem divinum versus hominem dum collimaret animumque intenderet Propheta regius, totusque attonitus causam perscrutari non posset, ob quam Deus tam excelsus, magnus & immensus amaret vilem adeò creaturam, curiosum hoc ipsimet Deo proposuit dubium, dicẽs: *Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum!* Psal. 8. vers. 5. *Psalm. 8.* Quasi diceret: Cur, ô Deus meus, tua Divina Majestas movetur & stimulatur ad tam tenerè intenseque amandam, tantique æstimandam rem adeò vilem & abjectam, hominem videlicet? Ita extendit hæc verba Cassiodorus hîc, *Cassiod. hic.* dicens: *Quid est homo fragilis & caducus, cuius memor est Dominus & visitat, cùm Verbum caro factum est & habitavit in nobis? nam visitare dicimus, quando medicus ad infirmos ingreditur; quod in adventu Domini reverà completum est*, & S. *Hier. hîc.* Hieronymus eundem explanans Psalmum, dixit: *Quid est homo, id est, quale meritum stat hominis, ut memor tu factus eius, pro eius redemptione susciperes carnem? aut filius hominis, id est, filius Dei, factus filius hominis, id est, Virginis, qui visitavit corpus humilitatis nostræ, quod assumere dignatus est.* Nec minori cum elegantia hîc *Orig. hîc.* Origenes ad idem propositum: *Magnum sanè aliquid est homo, cùm tanto honore à te dignetur, & quod de ipso curam tenes, & humanitatem indutus invisis.*

O magnum prodigium! ô stupendam bonitatem & charitatem! ô miram dignationem Dei! quod talis tantusque Dominus, qui est Rex gloriæ, totius orbis Monarcha, tanti duxerit, æstimaritque vermem quendam, vilem & abjectam creaturam, ingratum quendam peccatorem. Annon summa Dei bonitas, amor & dignatio est, quod sinum deserens paternum, descenderit de cœlo beatâ illa patriâ, in hunc mundum tam immundum; in hanc, inquam, miseriarum vallem, quodque sit factus servus, quemadmodum loquitur D. Apost. Paulus: *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, ad Philip. 2. vers. 7. *Phil. c. 2.*

Ve-

Vestram, ô homines mundani, auscultate excellentiam, dignitatem & gloriam, ad quam vos Deus evexit, & obstupescite: Hodie verificatur Homo est Deus, & simile quid nunquam visum nec auditum fuit. Ecce, ô Adam, ecce nunc adimpletum est desiderium tuum, quo avidè adeò anhelabas ad Divinitatem: ecce natura tua exaltata est ad dignitatem & magnificentiam Altissimi: prodeat nunc diabolus, & te fraudaturus dicat: *Eritis sicut Dij*. Gen. 3. vers. 5. loquatur nunc infernus, dicat quodcumque velit, aliud modò non poterit asserere nisi verba illa Prophetæ: *Ego dixi: Dij estis & filij excelsi omnes*. Psal. 81. vers. 6. Confitebitur modò suo edoctus damno, hominem esse Deum, eumque esse, quem timere & formidare debeat. O excelsam naturæ humanæ dignitatem! *Videte ergo, quanta sit dignitas fidelibus, qui Dij vocantur & filij*, exclamat hîc Sanct. Hieron. O Deus meus; quantum nos exaltasti? quem non accessimus honoris dignitatisque gradum? Hodie homo eò devenit, talisq; effectus est, ut ad solum ipsius nomen se inclinet cœlum, incurvet se terra, ac prosternat se infernus: *ut in omine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum*. Philip. 2. vers. 10. Non poterunt in hoc gloriari Angeli, nostra hæc est gloria, noster splendor. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, inquit Apost. Paulus ad Heb. 2. vers. 16. id est, *naturam humanam sibi univit*, explicat hîc Liranus.

Psal. 81.

S. Hier. hic.

Hebr. c. 2.

Loquere iam, ô Sancte Bernarde, Deo tuo: *Ne ludens ultrà dixeris Domine: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sufficit dies illi malitia sua: desine iocari; nunc enim seriò & in voce exultationis respondebimus tibi: Ecce Deus noster non quasi unus sed sublatâ omni moderatione dicemus: Verè unus ex nobis factus est*. Ita D. Bern. Serm. 5. de Nativit. Dom. O stupendum amorem! ô miram amantis inventionem! *Stupet cœlum* (prosequitur idem mellifluus Doctor,) *contremiscit infernus, terrenæ linguæ obmutescunt*.

S. Bern.

En, ô Christiane, sedulo hæc omnia perpende animo; considera bene, quâ novâ amoris affectusque tecum Deus utatur arte, quam impendat industriam & solertiam, ut te è manibus eripiat diaboli, & tu nihilominus omnia ista vento tradis; non cogitas, non curas, sed viam perditionis ingrederis. *Ah misera anima, quæ tam pretiosè es redempta! cur permittis corpus tibi dominari?* exclamat Sanct. Amb. lib. 9. in Luc. ipsemet pro te descendit Deus in terram, factus est homo, pro te passus & mortuus est, suo te pretiosissimo redemit sanguine, & tu causâ unius voluptatis terrenæ, mundanæ, affectus libidinosi, odij infernalis, maledictæ cuiusdam pertinaciæ in rixâ, invidiâ, avaritiâ, libidine, superbiâ te præcipitari permittes in æternam damnationem? Cor profectò plusquam saxeum, quod duritiem & obstinationem in peccatis non deserit, habebit cogitaturus magnum illum amoris excessum, quem pientissimus Deus hodie nobis exhibere dignatus est. O quam exiguo vtitur cerebro, qui pro transitorijs & fugacibus delicijs æterna deperdit & derelinquit bona!

S. Ambr.

Quapropter bona N. N. agnoscentes dignitatem nostram, sordibus & maculis peccatorum eandem non deturpemus. *Per hoc instruimur, quantæ sit dignitatis humana natura, ne eam inquinemus peccando*, ait Angel. Doctor 3. p. q. 1. art 2. & ad idem seriò nos exhortatur & invitat Sanct. Leo Papa serm. 1. de Nativit. Dom. *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire*, quasi dicere vellet: Recognosce, ô Christiane, dignitatem & excellentiam, ad quam te evexit filius Dei, cùm suâ te vestivit naturâ, & tuâ se induit mortali carne, & noli à tua degenerare conditione, & ad pristinum miseriæ & peccati statum redire. Aliud non mihi superest

S. Thom.

S. Leo.

modò,

modo, nisi ut ad te, ô Virgo gloriosa & benedicta, me convertam: ad te, quæ hodie in veram electa es Dei Matrem: ad te, inquam, quæ es aquæ ductus omnium cœlestium gratiarum, supplicans tibi humillimè, ut à dilecto filio tuo impetres nobis cognitionem eximiæ dignitatis humanæ naturæ personaliter iam vnitæ divinæ, ut eadem talem recognoscentes, nostram conservemus mundam & puram à cunctis peccatorũ sordibus. Cura, ô Virgo benedicta, ut ad conspectum Dei beneficio nostri & amore humiliari, Incarnari & paruuli facti, discamus & nos humiliare, submittere & cognoscere nullitatem nostram, unde nostram traximus originem. Impetra & obtine demum nobis gratiam, ut terrenarum, caducarum & transitoriarum rerum amori renunciantes, discamus solũ amare Creatorem, qui in hac sua incarnatione iam provocati & incitati sumus ad amandum ipsum, ut sic in præsenti viventes sæculo, tandem possimus obtinere desideratum optatumque finem, ob quem in tuo sacratissimo & purissimo ventre incarnari voluit, qui est gloria æternæ beatitudinis. Amen.

S. Ambr.

DISCVRSVS IV.

PRO DIE SABBATHI POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ

ARGVMENTVM

Tractatur de suauißima Dormitione D. Virginis & gloriosa ejus Assumptione.

Thema.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum? Cant. cap. 8. vers. 5.

Triumphus B. Virginis



GLoriosus triumphus, gloriosa & præclara triumphi illius fuêre laudum encomia, quæ populus ciuitatis Bethuliæ occinuit pijssimæ viduæ Iudith, quando è castris inimicorum superbum secum pro trophæo deferens caput Holofernis, redijt victoriosa: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Iudith. 14. vers. 10. verùm gloriosior triumphus, præclarior & triumpho conformior ac dignior fuit laus illa, quem cœlestes Paradisi Cantores hodie occinunt præcellsæ Dei Matri, dum, contrito serpentis infernalis capite, è castris hostilibus præsentis sæculi triumphans & victoriosa ad felicem illam Patriam & cœlestem Ierusalem beata & immortalis revertitur: *Quæ est ista* (harmonico ejusmodi sibi accinunt concentu) *quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Ego, quod me attinet,

S. Thom.

S. Leo.

Iud. 15.

attinet, fateor, non me sufficientes reperire honorum titulos, quibus eam hodie triumphantem dignè celebrare possem. Appellarem illam cum D. Ioanne miraculum paradisi: *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole.* Apoc. 12. vers. 1. Ast novi nihil dixi; miraculum siquidem etiam fuit, dum adhuc nobiscum moraretur in terris, uti advertit & notavit Sanct. Epiphanius serm. de laud. Deip. *O Virgo sacratissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti; stupendum enim miraculum in cœlis, mulier amicta Sole: stupendum miraculum in terris, mulier gestans lucem in ulnis.* Meritò dicit Sanct. Bernardus serm. de Assumpt. Beat. Virg. *Christi generationem & Mariæ assumptionem quis enarrabit?* nec Angelus, nec homo, nec terra, nec cœlum, cùm sit inexplicabilis & inenarrabilis, & tota nostras superet vires ac dicendi facultatem: nihilominus, ne prorsus sileam, animum mihi addit S. Hieronymus, dicens mihi: *Si ad hæc nemo idoneus invenitur, votis tamen omnibus cessare non debet quilibet etiam peccator, à laudibus; quamvis explicari nequeat, quod sentitur.* Dicam igitur aliquid, præsentem discursum distribuendo in duas partes. Prima erit dulcis & suavis somnus mortis Mariæ Virginis nostræ Advocatæ & Patronæ. Secunda, gloriosus triumphus factus in cœlo in Assumptione illius, à principio.

Apoc. 2.

S. Epiph.

S. Bern.

S. Hieron.

PARS PRIMA.

Qvæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Solent N. N. omnes ab Adamo descendentes filij in fine vitæ suæ tribus ordinariè subiacere miserijs; Primò torquentur ab acerbis & affligentibus doloribus, quos in ipsis causant ardentes sæpenumerò febres aut aliæ infirmitates humanæ, quæ successivè cordi surripiunt calorem vitalem, & destituunt membra naturalibus viribus. Quod & insinuat Ecclesiast. cap. 27. vers. 22. *Dolor autem consumet illos, antequam moriantur.* Opprimuntur & affliguntur deinde à molesta quadam melancholia, dum se conspiciunt morti proximos, cogitantque se post aliquot horas vitâ quam vnicè amabant, privandos, juxta illud Sapientis dictum: *O mors, quàm amara est memoria tua!* Ecclesi. 41. vers. 1. Vltimò, quæ lingua explicare poterit indicibilem illum timorem & terrorem, cui moribundi subiacent, intuentes oculis mentis ex una parte multitudinem errorum & enormium peccatorum commissorum; ex alia verò parte hostes infernales in memoriam eis tum revocantes peccata præterita, tum inducentes illos ad desperationem, ob oculos eorum statuendo severitatem æterni Iudicis offensi, & rigorosam rationē de omnibus post breve tempus reddendam. Cujus cùm recordaretur regius Propheta, non sine lachrymis hæc in verba prorupit: *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Psal. 8. versic. 6. Hisce adiungatur incertitudo propriæ salutis; nam asserente Sapiente, Eccles. cap. 9. versic. 1. *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.* Addatur & terror severissimæ justitiæ divinæ adeò rigorosæ ob acceptam ab hominibus iniuriam & offensam, ut dixerit Apostolus ad Hebr. 10. vers. 31. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Ab hisce ergo omnibus cogitationibus molestis & affligentibus Adami posteritati cummunibus, Deo ita disponente & providente, Virgo benedicta fuit immunis & libera; sicque prima gratia & fauor à Deo illi prestitus in suo felicissimo transitu ex hac misera ad beatam vitam fuit, quòd non fuerit oppressa aut molestata à minimo etiam dolore; sed tradidit sanctissimam suam animam perdilecto & vnigenito filio suo tanta cum suavitate & dulcedine, ut ipsa præ cæteris meritò dicere potuerit, quod Propheta David Psal. 30. vers. 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis*

Tria ordinariè hominibus accidunt in morte-

Eccl. 27.

Idem c. 41.

Psal. 48.

Hebr. 10.

Ab his libera fuit D. Virgo.

cedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Insuper nec habuit sacratissima Virgo ullum mortis timorem; imò summopere illam exoptabat adventante extremâ illâ horâ, quâ præsentiâ perdilecti filij sui in cœlis gaudere debebat; & eò magis, quò ejus conscientia ab omni prorsus culpa intacta & illæsa erat, ratione cujus solet conscientia torqueri & molestari. Nec in ipsa locum habuit timor severi Dei judicij, cum optimè noverat se divinis ditatam gratijs, confirmatam in bono & securam cœlestis beatitudinis & gloriæ. Summa, quia copioso semper fuit stipata & custodita Angelorum numero. Quid aliud exinde concludendum est, nisi quod in morte nec minimum quidem ab infernalibus & rebellibus molestata fuerit spiritibus? maximè cùm dæmones adeò pertimescebant ipsius præsentiam, ut Richardus de S. Victore in cap. 6. Cantic. dixerit: *Quæ etiam ipsis principibus tenebrarum terribilis fuit, ut ad eam accedere, eamq; tentare non præsumpserint.* Libera itaque existens gloriosa Virgo ab omni miseria & calamitate, læta & festiva Deo reddidit beatam & benedictam suam animam. *Sicut antequam ullo partus dolore afficeretur, peperit; ita etiam ipsius ex vita discessus doloribus caruit,* ait S. Ioan. Damascenus orat. 2. de dormit. Virginis.

Richard. de S. Vict.

Damas.

Nec mirum est, quod in morte à Beatissima Virgine exulârit omnis dolor & tristitia; si quidem anima etiam è sacro ejus egressa est corpore suavissima cum dulcedine & summo perfusa gaudio et jubilo. Perlegite N. N. quod lib. Deuteronomij cap. 34. refertur de Moyse, qui, postquam Deo fidelissima præstitisset servitutis obsequia, adveniente tandem mortis suæ hora, sine ullo timore & dolore reddidit ilicò Deo spiritum, idque summa cum suavitate. *Mortuusq; est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, iubente Domino.* vers. 5. Lectio Hebræa habet sic: *Mortuus est Moyses in osculo Dei.*

Deut. 34.

Obijt sanctus Moyses quasi inter amplexus Dei sine agone & dolore; imò maxima cum suavitate & dulcedine, nec ullos mortis sensit dolores, qui solent affligere & tormentari moribundos. Quòd si igitur Moyses, quia fuit servus Dei dignus fuit morte adeò suavi & dulci, longè profectò dignior fuit Beatissima Virgo tali privilegio & favore, quæ animam suam sanctissimam Creatori & filio suo restituit non cum exiguo jubilo & exultatione, absque eo quòd minimis subiaceret mortis tormentis, teste D. Ildephonso serm. 3. de assumpt. *Ad vocem dilecti sui, Veni dilecta mea, gaudens & ridens soluta illa beata anima Virginis, & perrexit ad Dominum, & quæ dolori non subiacuit in parta, nec labori in transitu.* & S. Damascen. subjungit: *O res summæ admirationis plena! mors quæ odio & execrationi priùs erat, hic commendatur & beata censetur: quæ olim luctum & mœrorem, lachrymasq; & tristitiam offerebat; nunc gaudij & lætæ celebritatis est causa.*

D. Ildeph.

Præfatis adiungendum est, quòd Deus pro maiori gloriosæ Virginis gaudio & jubilo voluit & disposuit, ut Apostoli, per varias mundi partes dispersi, miraculosè interessent felicissimæ ipsius morti, quemadmodum scribunt S. Damascenus orat. 2. De dormit. Deip. & S. Germanus orat. de assumpt. unde simul congregati flexis genibus adorarunt illam primitus veluti veram Matrem Incarnati Verbi, & deinde abundantibus lachrymis & suspirijs vicinam illius planxerunt mortem, eamque deprecati sunt, ut illorum recordaretur apud dilectum suum filium: & ipsa vicissim consolata est illos suavibus verbis, admonuitque, ut mitigarent remitterentque eum, quem de morte sua senserant, dolorem, ac divinæ sese conformarent voluntati: imò gauderent de felici suo transitu ad æternam beatitudinem. Demum enixè rogauit Filium, ut quia eos elegisset in fidissimos sibi amicos, succurreret eisdem in neces-

Apostoli ejus morti interfuerũt

S. Damas. S. Germa.

ſitatibus, dotaret illos ſuâ divinâ gratiâ, & tandem coronâ æternæ gloriæ, & elevans ſanctiſſimam manum ſuam, illis impertita eſt benedictionem. Cumque iamiam adeſſet fortunatiſſimi ſui tranſitus hora, ait S. Damaſcenus, quòd elevatis in cælum oculis viderit apertam paradiſi portam, & benedictum Filium ſuum, infinitorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Virginum, aliorumque beatorum ſtipatum catervâ, obviàm illi procedentem ad ſuſcipiendam animam ejus benedictam; ſicque inter harmonicas Angelorum & SS. Apoſtolorum lachrymas animam ſuam tradidit & reddidit pientiſſimo ſuo Filio, qui eam gratioſo ſuſcipiens amplexu, conduxit ad cælum, vti & conteſtatur idipſum D. Hieronymus ſerm. 1. de aſſumpt. *Nulli dubium eſt, omnem illam cæleſtem Ieruſalem tunc exultaſſe ineffabili lætitiâ; nec immeritò: creditur enim, quod Salvator omnium ipſe per ſe totus feſtivus occurrit, & cum gaudio eam ſecum in throno ſuo collocavit.*

S. Hieron.

Quænam maior hac poteſt excogitari gloria? quis tanto decoratus honore ex hac tranſivit vita, quantâ ornata & ditata gloriâ ad hunc tranſivit glorioſa cælorum Regina? quis morti ſuæ præſentes habuit Apoſtolos, Patriarchas, Angelos ac ipſummet Dei Filium? *Felix planè Maria* (inquit S. Bernardus ſerm. de aſſumpt.) *& multipliciter felix, ſive cùm ſuſcipit Salvatorem, ſive cùm à Salvatore ſuſcipitur; utrobique mira dignitas Matris: utrobique amplectenda dignatio Maieſtatis.*

S. Bern.

PARS SECVNDA.

Prima Gloria D. Virginis poſt mortem odoris fragrantia ex ejus corpore.

CONtemplemur modò N. N. quæ beatam Virginem iam emortuam ſecuta ſit gloria; ac prima fuit, quòd animâ à corpore ſeparata & à ſanctis Angelis & Beatis indicibili cum applauſu deportata in cælum, corpus illius virgineum tam ſuavem cœpit ſpirare odoris fragrantiam, ut omnes, quotquot ei præſentes aderant, ſe crediderint fuiſſe, non dico in Arabia, ſed in ipſomet paradiſo. Secunda gloria fuit, quòd Deus ilicò manifeſtavit magnam illius ſanctitatem plurimis & innumeris miraculis; ſiquidem plurimi languentium & infirmorum (uti refert Nicephorus libr. 15. Hiſtor. cap. 4) qui ad ſacratiſſimum illius concurrerant corpus, per ſolum contactum priſtinam recuperarunt ſanitatem; cæci, *præter ſpem*, ita loquitur Nicephorus, *expectationemq; omnem*, viſum, ſurdi auditum, claudi greſſum. Et dum fama hæc tot tantorumque miraculorum pervolaret civitatem Hieroſolymitanam, verbis explicari non poteſt, quanta illuc infirmorum concurrerit multitudo; & quidem, inquit Nicephorus, *omne genus morbi ſolo attactu ceſſit & profugit.* Tertia gloria fuit, quòd, cùm ſacratiſſimum ejus corpus eſſet demandandum ſepulturæ, non tam celebres & magnificæ Principibus & Magnatibus factæ fuerunt exequiæ, quales Beatæ Virgini; etenim Sancti Apoſtoli proceſſionem ordinantes verſus vallem Ioſaphat, ſacroſanctum corpus ejus proprijs detulerunt humeris, pſalmos hymnoſque cantantes in laudem ſanctiſſimæ Matris Dei, *mirifica quidam carmina concinentes*, ait Nicephor. Addit Sophronius, quòd innumeræ Angelorum turmæ aërem ſuaviſſimis replentes, concentibus circumdabant feretrum; nam ſi beatos illos ſpiritus (dicit idem Sophronius) legimus ſæpenumerò interfuiſſe morti Sanctorum, honoraſſe ſuâ præſentiâ eorum exequias, decantaſſe hymnos & cantica in ipſorum laudem, eorumque animas comitatos fuiſſe ad thronum uſque gloriæ multò magis credendum eſt, cæleſtem Angelorum militiam turmatim hoc ſolemni die magno cum applauſu & iubilo obviàm proceſſiſſe auguſtiſſimæ cælorum Reginæ & Matri Dei, hymnos & cantica ſpiritualia in ſignum extraordinariç lætitiæ

Secunda miracula in ea ſecuta.

Tertia quòd Apoſtoli concinentibus Angelis eam ſepelierunt.

titiæ decantasse: *multò magis credendum est* (inquit Soprohronius sermone de assumpt.) *militiam cælestem hodierno die cum suis agminibus festivè obviàm venisse Genitrici Dei, & cum omni gratulatione, cum Canticis & hymnis spiritualibus iubilasse.* Quod & confirmat S. Hieronymus in hunc scribens modum: *Non credo unquam in cælo solemniorem fuisse processionem; quamvis enim magna fuerit in Christi ascensione; ista tamen videtur fuisse solemnior.* Serm. 1. de Assumpt.

Sophron.

Secunda miracula in ea secuta.

Tandem, cum iam sancti Apostoli ad destinatum pervenissent locum, ubi nouum & marmoreum erat sepulchrum paratum, circum illud ordine constituti tribus diebus perseverarunt ibidem divinis laudibus & orationibus vacantes. Et quia sanctissima Trinitas decreverat ipsam conducere in cœlum; non præterlapsis quadraginta diebus post transitum ejus, veluti opinatur Venerabilis Beda in suo Martyrol. apud Suar. in 3. part. disput. 21. section. 2. nec eodem mortis suæ die, uti volunt alij, sed post tres dies, juxta sententiam Nicephori libro secundo Histor. cap. 23. S. Ioann. Damasceni, S. Athanasij sermone de Deip. Andreæ Cretensis orat de dormit. Virgin. Sophronij de Assump. Virginis; hinc est, quòd Christus Dominus filius ejus vnigenitus conducturus corpus ejus in paradisum (quæ gratia nulli unquam hominum quantumcumque sancto usque huc præstita fuit) mentem & voluntatem suam toti cœlesti Curiæ intimaverit, ut nimirum cœlestes illæ Hierarchiæ se pararēt & disponerent ad recipiendam illam summo cum honore & applausu. *Crediderim* (inquit Sanctus Anselmus de laud Virgin.) *omnes illius patriæ cives festiuiori solita & sublimioris decoris nitore ad adventum Matris Domini sui præparari, ac novâ quâdam & ineffabili iucunditate pro tanta rei expectatione coniubilare.* Ecce igitur sancti Angeli percepto hoc leto nuncio turmatim descendunt è

Tertia quòd Apostoli concinentibus Angelis eam sepelierunt.

Niceph.
Damasc. S. Athan. And. Cret.

S. Ansel.

cœlis ad suscipiendam deducendamque eam ad cœlestem gloriam.

Tertio itaque adventante die venit è cœlis Redemptor Mundi, & omnipotenti suâ virtute sepulchrum, ubi virgineum quiescebat corpus. B. Virginis, subintrat, ac Virginem quasi dormientem excitat, dicens: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Cant. 2. vers. 10. & ecce ad suavem hanc invitationem & prædulcia verba tanquam author vitæ induxit in corpus beatam illam animam, eamque replevit inexplicabili splendore; dono ditavit impassibilitatis, subtilitatis & agilitatis, quibus mediantibus B. Virgo tota luminosa & resplendens surrexit è sepulchro, innumerabili cœlestium aulicorum circumdata caterva, & in medio illorum perdilectus ejus procedebat filius, cujus brachio ei porrecto ipsa opponens dexteram suam, & dicens: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscipisti me.* Psalm. 72. vers. 24. cœpit elevari in cœlum, & ecce beati spiritus in laudem & gloriam ejus angelicâ intonant voce illud admirationis canticum: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* quasi dicerent juxta explicationem S. Bernardi serm. 4. de Assumpt. *Quanta est hæc, & unde ei ascendenti utique de deserto, affluentia tanta deliciarum? nec enim pares inveniuntur deliciæ, vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, quia à vultu gloriæ voluptatis gloriâ potamur? quæ est ista, quæ de sub Sole (ubi nihil est, nisi labor & dolor & afflictio spiritus) ascendit, delicijs spiritualibus affluens?* Summa, tanta fuit exultatio & lætitia supernorum civium cernentium B. Virginem adeò glorificatam & magnificatam à perdilecto suo filio, adeò dulces & suaves decantatæ fuerunt laudes & cantica, ut ipsemet dixerit Bernardus: *Quis cogitare sufficit, quàm gloriosa hodie mundi Regina processit, & quanto devotionis affectu tota in eius suc-*

Quarta, quòd corpus tertiâ post mortē die assumptum fuerit in cœlum.

S. Bern.

cursum cælestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta? Hiscè conformia edidit S. Anselmus libro de excell. Virgin. cap. 5. *Contempletur omninò qui potest, quo gaudio, quâ festivitate, quibus concentibus iubilabant omnes beatorum spirituum ordines.*

S. Ansel.

Quintâ, quod tanto gaudio exceptum in cælis.

Et quomodo non exultasset cælum, toti festivi jubilassent Angeli, videntes præsentiam, dulcissimasque audientes voces, quibus Mater æterni Verbi submissas & amoris affectu plenissimas referebat Deo gratias? Lectione percurrite N. N. quod refert Sanct. Evangelista Lucas cap. 1. Audiens B. Virgo per os Angeli sibi à Deo missi Elizabetham, tametsi senio confectam, gravidam; iacunctanter perrexit in montana, & domum ingressa Zachariæ devotè amplexatur & salutat Elizabeth. Ad stupendam hanc Mariæ præsentiam, in cujus Virginali & purissimo ventre continebatur Verbum Incarnatum, & ad suavem ejusdem salutationis vocem exultavit, ilico & jubilat in utero materno puerulus, applaudit Elizabeth, & repleta est Spiritu sancto. *Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero eius, & repleta est Spiritu sancto Elizabeth.* Luc. 1. vers. 41. Quod si igitur tunc temporis ad præsentiam Mariæ Virginis humili prodeuntis aspectu, nullaque vestitæ Maiestate & gloriâ, nequivit se cohibere infantulus, quin præ gaudio & lætitia summa in utero exultaverit materno, & mater repleta fuit Spiritu sancto: quantâ igitur incomparabili lætitiâ & exultatione repletum fuit cælum, quando B. Virgo, veluti omnium creaturarum Regina ineffabili circumdata Maiestatis gloriâ, cælorum subintravit habitaculum; quando, inquam, sancti Angeli viderunt eam eximiâ refulgentem pulchritudine & splendore ornatam; conspexerunt gloriosam & beatissimam ipsius præsentiam. *Quid si parvuli & nondum nati anima* (ait S. Bernardus serm. 1. de Assumpt.) *liquefacta est, ut Maria locuta est, quid putamus, quænam fuerit illa cælestium exultatio, cùm & vocem audire & videre faciem, & beatâ eius frui præsentiâ meruerunt.*

S. Bernard.

Verùm attollamus nonnihil mentem nostram ad contemplandam indicibilem illam pompam, quâ Virgo benedicta in cælestem patriam conducta fuit. Sufficiet mihi dicere, eam fuisse supra modum celebrem & spectabilem, adeò ut gloriosior fuerit Triumphus Assumptionis Virginis, quàm ille ascendentis Christi in cœlum; etenim Christus Dominus non alium animarum sanctarum habuit comitatum; ast B. Virginem non dumtaxat comitati fuêre omnes Angelorum chori, sed quod festiviorem effecit hanc solemnitatem, ipsemet Christus Dominus verus Deus & homo assumptionem hanc Virginis propriâ suâ condecoravit præsentiâ, ac consequenter licitè et piè credendum est, festiviorem, solemniorem ac maiori ornatam pompâ fuisse assumptionem Mariæ Virginis, quàm ascensionem Christi Domini. Idipsum contestatur dilucidè B. Petrus Damianus serm. de assumpt. *Attolle oculos assumptionis Virginis, & salvâ maiestate Filij invenies occursum huius pompæ non mediocriter digniorem: soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt, Matri verò cælorum palatia penetranti Filius ipse cum tota curia tam Angelorum quàm iustorum solemniter occurrens, evexit ad beatæ consistorium sessionis.* Nec dumtaxat hac solemni pompâ B. Virginis assumptionem comitati fuerunt Angeli, Christus Dominus; verùm etiam Sanctissima Trinitas, Pater, Filius et Spiritus sanctus. Evidens hujus rei testimonium dabit Sanct. Bernardinus Senensis 3. parte, sermone undecimo, articulo secundo: *Non tantùm Dominus Iesus homo laureatus corpore glorificato, sed & ipse Rex Deus trinus & unus dici potest sacratissimæ Virgini triumphaliter occurrisse.*

Gloriosior fuit ejus Triumphus quam Christi.

B. Dam.

Bernard. Senens.

Causam inquirit S. Anselmus libr. de excell.

S. Ansel.

excell. Virg. cap. 7. cur Chriſtus Dominus cœlos aſcendens, reliquerit ſanctiſſimam Matrem ſuam in hoc mundo miſerijs & calamitatibus oppreſſo, cùm illam ſecum conducere potuiſſet in cœlum ibidem regnaturam & æternâ coronandam gloriâ. Quo ſuper facto attonitus & admirabundus convertit ſe ad Salvatorem noſtrum, dicitque: *Quomodo potuiſti pati te ad regnum gloriæ tuæ remeante illam quaſi orbatam in meſerijs mundi relinquere, ut non eam ſtatim tecum regnaturam aſſumeres?* Subiungit deinde D. Anſelmus: *Fortaſſis Domine, ne tuæ cœleſti curiæ veniret in dubium, cui potius occurreret; tibi videlicet Domino ſuo, tunc regnum tuum in aſſumpta carne petenti, an ipſi Dominæ ſuæ ipſum regnum iam ſuum materno iure effectum aſcendenti.* Concludit deinde idem Sanctus: *Prudentiori ergo & digniori conſilio uſus, præcedere illam volebas, quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo præparares, ac ſic comitatus totâ Curiâ tuâ feſtiuus ei occurreres, eamq; ſublimiùs, ſicut decebat tuam Matrem, ad te ipſum exaltares.*

Sexta, quod ſuper omnes creaturas in cælo elevata: Summa, adeò exaltata eſt ſancta Dei Genitrix, ut aliqui Doctores exiſtiment, ſolam ipſam immediatè conſiſtere ſub divino Chriſti throno elevatam ſupra omnes Angelorum Hierarchias tanquam mediatricem inter Deum & hominem: *Tota Chriſtianitas novit* (ait Sanct. Anſelmus lib. de excell. Virg. c. 4.) *quæ illam ſuper omnes cœlos exaltatam & angelicis choris prælatam certiſſimè credit.* Et ſanctus Bernardus paria habet ſerm. 5. *Signum magnum* &c. *Hanc ſuper omnes Angelorum choros, ſuper Cherubim quoque ac Seraphim exaltatam nefas eſt dubitare.*

Opinantur alij, ſanctiſſimam Virginem conſidere in alio quodam ſublimi throno à dextris ſanctiſſimi Filij ſui, ad eum modum, quo Chriſtus Redemptor noſter ad dexteram ſedet æterni Patris. Veritas hujus dilucidè conſtat ex facto illo quod legitur 3. Reg. cap. 2. cùm enim Bethſabea mater ſapientiſſimi Salomonis ſtatueret inviſere Regẽ filium ſuum regali ac prædiviti inſidentem throno; is verò intelligeret matrem iamiam præ foribus adeſſe ipſum accedendi & alloquendi gratiâ, regio ſuo non dumtaxat ſine mora deſcendit ſolio, obviam ei procedens, eamque ſummo excepit honore & reverentia; verùm juſſit à dextris ſolij ſui regalis alium collocari thronum, ubi ſederet Bethſabea mater ſua: *Poſitusq; eſt thronus matri regis, quæ ſedit ad dexteram eius,* verſ. 19. ait Textus ſacer. Pacificum hunc Regem Salomonem dicit S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 4. oper. imperfect. eſſe figuram Chriſti ſupremi Regis cœli & terræ, qui omnibus veram & perpetuam largitur pacem. *Salomon*, inquit ille, *interpretatur pacificus, quoniam pacificum habuit regnum, ita ut templum Dei ædificaret, utens etiam miniſterio gentium, & figura fuit noſtri pacifici Chriſti, qui eo fugientibus ad ſe per fidem gentibus, & bonorum operum ſpiritualia tributa ſoluentibus pacificum habuit regnum, ita ut ex vivis lapidibus non ſolùm Iudæis, ſed & gentibus vivum templum Deo ædificaverit viventi.* S. Chryſ. Myſticam Bethſabeam verò veramque matrem cœleſtis Salomonis de ſeipſo dicentis: *Ecce plus quàm Salomon hîc,* Matth. cap. 12. verſicul. 42. poſſumus dicere eſſe benedictam Mariam Virginem, quæ tunc è domeſtica ſua habitatione ſupremi Regis totius univerſi ingreſſa eſt regale palatium, quando è terris conſcendit glorioſa cœlum.

Quòd ſi igitur Salomon veluti gratiſſimus filius ad oſtendendam obſervantiam, honorem & reverentiam, quàm debebat matri ſuæ, magnifico aulicorũ inſtructus comitatu, ei proceſſit obviam, debito eã perſecutus eſt honore, præcepit ad dexteram ſuam regium apponi thronum, ibique eam collocari fecit; quantâ cum maiori reverentiâ, honore & magnificentiâ credendum eſt excepam fuiſſe digniorem cœleſtis Salomonis Chriſti Domini Matrem? Deſcen-

Descendit ipsemet è solio suo divino supremus Rex regum & largitor pacis, magnificentissimè excepit Matrem suam, exaltando illam supra omnes creaturas, & pro majori illius gloria jussit ei erigi particularem quendam thronum, & ad dexteram suam ipsam sedere fecit, uti id perelegan- ter affirmat & confirmat S. Bernardinus Senensis sermone undecimo, articulo secundo & tertio: *Contemplari mirificam obuiationem, quia surrexit Salomon in occursum Matris suæ; mirificam venerationem, quia adoravit eam; altißimam sublimationem, quia positus est thronus Matri Regis; immediatißimam coniunctionem, quia sedet ad dexteram eius. Surrexit igitur gloriosus Iesus in occursum suæ dilectissimæ Matris, & sicut benedictus Iesus sedet à dextris Patris, id est, in potentioribus bonis paternis; sic Virgo gloriosa in potentioribus bonis filij sui Iesu iuxta illum in throno sublimata consedit.*

Bernardus. Senens.

Et pro Conclusione dico, quòd sicut in hoc mundo non fuit inventus dignior locus illo quem dedit Maria Deo, dum cœlis descendit humanam assumpturus naturam, qui fuit videlicet uterus ejus virginalis: ita nec in cœlis ditior aut sublimior thronus repertus est eo, quem in cœlesti patria à Filio suo obtinuit Maria Virgo. *Nec in terris* (inquit Sanctus Bernardus sermone primo de Assumptione Virgin.) *locus dignior uteri Virginalis templo, in quo filium Dei Maria suscepit; nec in cœlis regali solio, in quo Mariam Mariæ filius sublimavit.* Imò tam mirabilis & magna est hæc gloria Virginis, ut, sicut remoto sole à nostro hemisphærio, quibuscumque cœlum adornetur stellis; aliud tamen non videtur nisi quædam nox obscura & tenebræ; ita, loquendo de simplicibus creaturis, tollatur Virgo benedicta à cœlo; aliud tamen non videbis nisi noctem quandam obscuram, cum sola ipsa possit cœlum efficere gloriosum, & clarissimum lumen præbere mundo. *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens?* replicat idem Bernardus sermone de Nativit. Virginis.

S. Bernard.

Sedet ad dexteram filii in throno nobilissimo.

Quid igitur faciemus conspicientes nos orbatos hâc præcelsâ Dominâ & Patronâ nostra? num fortè contristabimur & dolebimus dum tanto non fruimur bono? Ita quidem convenire videtur: est sanctus Bernardus devotissimus seruus Mariæ Virginis nos consolatur, cùm dicit, quod tametsi cœlum, Deo ita ordinante, nobis surripuerit Mariam Virginem, nihilominus etiam verissimum est, illam iam in cœlum assumptam, terræ datam esse in Protectricem & Patronam. Meritò dicere nunc poterit homo, quòd præmiserit in cœlum Virginem gloriosam veluti Advocatam suam, ut ipsa tanquam Mater misericordiæ & Dei altissimi omni meliori modo pertractaret negotia spectantia ad nostram salutem. *Advocatam*, ait ille, *præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis Mater & Mater misericordiæ suppliciter & efficaciter salutis nostra negotia pertractabit.* Ex quibus concludit D. Bernardus, hominem in hac sacra Mariæ Virginis Assumptione potiùs habere occasionem exultandi, quàm dolendi & contristandi.

Patrona & advocata.

Verùm quid nobis agendum est hoc felicissimo & exoptatissimo die, quo ex hac vita migravit sacratissima Virgo & cœlestem ingressa est patriam facta cœli terræque Regina! Cuncti in terram prostrati dicamus ei: O Virgo benedicta, Imperatrix cœli! ô quantum exultat & lætatur anima mea videns te adeò exaltatam! ô quantum iubilat & gaudet cor meum, dum te cōspicit ad tantam evectam beatitudinis gloriam & felicitatem! nullus nostrûm est, qui ex ardentissima cordis fornace, ignea non emittat ad te suspiria: omnes ab immensa tua pietate & misericordia expectamus benignum succursum, & subsidium. Commoveatur ergo tua erga nos misericordia & pie-

& pietas ad præstandam nobis opem & auxilium, nostra sis apud Deum Advocata & Patrona, deprecare filium tuum, ut nobis nostra condonet peccata & scelera, nosque tandem conducat ad cœlum, ubi tu nunc cœlesti frueris gloriâ per omnia sæcula sæculorum, Amen.

DISCVRSVS V.

PRO DIE SABBATHI POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMÆ

ARGVMENTVM

T*Ractatur de excellentia sanctißimi Rosarij.*

Thema.

Quasi plantatio Rosæ in Iericho. Ecclesiast. 24. vers. 18.



INnumerabiles ferè N. N. extant figuræ & similitudines, innumera sunt symbola & hierogylyphica, quæ potiùs adumbrant, quam explicant excellentias & prærogativas Mariæ Virginis; ast nullum horum omnium, opinione meâ, tam excellenter complectitur & explanat virtutes ac vitam ipsius quàm flos florum, Rosa videlicet, quæ non immeritò plurimum à Sapientibus commendatur, dum vocant illam florum Reginam, ornamentum terræ, plantarum decorem & venustatem, veris nuncium, purpuram hortorum, ornamentum puellarum; unde rectè cecinit poëta quidam apud Delrio in Adag. p. 2. ex Anacreonte:

Rdi. Alex. Calamato de B. V. Maria.

Rosa honor, decusq; florum;
Rosa cura, amorq; veris;
Rosa flos, odorq; Divûm.

Laus Rosæ.

Verùm maior ei nequit attribui præcellentia, laus & prærogativa, quàm dum ab ea nomen mutuatur flos Virginum Maria Virgo & vocatur Rosa Iericho: *Quasi plantatio Rosæ in Iericho.* Magnum profectò Rosæ encomium est, dicere, illam veluti Imperatricem inter flores viridi in throno adornato Sapphiro residere sublimem, vestitam purpurâ, coronatam auro, palpari ab auibus, mulceri ab aura, à cœlo officiosissimè coli & ancillari, à fideli & armata undique spinarum ceu militum muniri custodia; ast longè excellentius encomium ejus est, quod ab ipsa nomen accipiat

cæli terræque Imperatrix & Regina, & dicatur Rosa Iericho. *Quasi plantatio Rosæ in Iericho.*

Inter encomia Rosæ id non censetur exiguum & minimum, quòd à Poetis nuncupetur filia Deæ amoris, quodque instar Amoris obvelatos gerat oculos auri velamine, ac vernantes ejus frondes illi inserviant pro alis, rami pro arca, spinæ verò illius sint veluti sagittæ, quibus in spectatoribus sui amoris concitat desiderium; ideoque optimè dixit D. Basil. epist. 149. ad Liba. cum in finem datas illi fuisse spinas à matre natura, *quasi quædam amatoria illectamenta, ut ad maius desiderium colligentes provocet.* Ast maius Rosæ encomium est, quòd ab illa nomen sumat mutuum Mater divini amoris, & vocetur Rosa Iericho. *Quasi plantatio Rosæ in Iericho.*

S. Basil.

Rosæ Ierichuntinæ, uti scribit Richard. de Sanct. Laurent. lib. 12. de laud. Virgin. centum & quinquaginta præditæ sunt & adornantur folijs, quibus eleganter significantur & figurantur centum quinquaginta salutationes, quæ ad honorem Mariæ virginis recitantur in Rosario: *Maria* (ait ille) *rosa dicitur, & nō qualibet rosa, sed Ierichuntina, quia in Iericho crescunt rosæ pretiosissimæ habentes centum quinquaginta folia.* Vnde ergo nunc exordiemur? quem servabimus ordinem explanaturi prærogativas & excellentias Rosæ Mariæ? quis cuncta, quæ Rosa illa in se complectitur, mysteria vnicâ brevi horâ recensere poterit, absque eo quòd confundatur? quis absque lassitudine cunctas sigillatim explicabit? Sapientum præceptum est, quod, quando id, de quo sermo habendus est, omnem superat modum, disserendum sit de eodem sine modo & mensura. An nescitis ordinem rei infinitæ esse, non habere ordinem? necesse aliàs erat, viam sternerem dicendi flumini: Nunc adverto, secutus monitum eloquentiæ Parentis, viam ipsummet sternat adinveniatque flumen necesse esse. Dicam

Maria Virgo rosa Ierichuntina.

igitur, ut semel exordiar, quæ occasioni sese offerent; de colore, inquam, odore & virtutibus Rosæ loquemur. Accedamus N. N. primò ad contemplandam illam, ac deinde colligemus hanc cælestem Rosam.

PARS PRIMA.

VErùm difficile est colligere ac decerpere Rosam, quin ab ejusdem pungamur spinis; unde dixit Magnus Basilius lib. 3. in Hexam. cap. 11. Cui placet habere Rosam, eidem non displiceant spinæ. Ad decerpendam ergo hanc Rosam adeò pulchram, spinis primitùs admouebimus manum, inquirentes convenientiam inter spinas & Mariam. S. Ambrosius lib. 3. in Hexam. cap 11. asserit, Rosam in principio mundi hujus fuisse creatam sine spinis: *Surrexerat anteà floribus immixta terris sine spinis Rosa: & pulcherrimus flos sine ulla fraude vernabat; posteà spina sepsit.* Post peccatum Adami Rosa septa fuit spinis, propter illam maledictionem Dei: *Maledicta terra in opere tuo: spinas & tribulos germinabit tibi.* Genes. 3. versic. 17. & 18. Hesichius Hierosolymitanus lib. 1. cap. 8. in Genes. per has spinas intelligit afflictiones, persecutiones & miserias, quibus ob peccatum nostrorum Protoparentum circumdata fuit humana natura per Rosam præfigurata; quo Deus nos admonere voluit, quòd homo veluti Rosa sine spinis tribulationum, dolorum, infirmitatum & mortis fuisset, si non peccasset. Maria Virgo fuit Rosa quædam paradisi (ait S. Vincentius Ferrariensis sermon. de Sanct. Anna) è regia stirpe David nobis progenita: *Maria Virgo Rosa paradisi est, quæ ex progenie David per Ioachim credentibus data est.*

Rosa creata sine spinis.

Si verum est, quòd Rosa Virginitatis sit symbolū, cujus color adeò appropriatur modestiæ & verecundiæ Virginali, ut à Columella lib. 10. de cultu hort. nuncupata fuerit *rosa plena pudoris*, & Poeta Vir-

Rosa symbolum virginitatis.

ta Virgilius lib. 2. Æneid. cujusdam Virginis descripturus pudicitiam, dixit illam in vultu suo habere rosas lilijs permixtas: *lilia mixta rosis*, & si status conjugalis est quædam planta spinosa, optimè spinæ conveniunt Rosæ Mariæ; etenim sicut è spinis nascuntur rosæ, ita progerminatur (inquit S. Hieronymus epistol. 22. ad Eustoch.) *de sentibus & tribulis feminarum Rosa Virginitatis.* Annon acutissimæ spinæ sunt zelotypiæ, indignationes, solicitudines & curæ rei domesticæ, amissio filiorum, & innumeræ aliæ angustiæ & anxietates conjugũ? annon spinæ sunt dolores, quos parturientes mulieres patiuntur? *In dolore paries filios.* Genes. cap. 3. vers. 16. tædium educandi illos? *Multiplicabo ærumnas tuas*, loco citato. Et fortassis ideò antiquitus novellæ sponsæ spinis se coronabant, sicque associatæ intrabant ædes suorum sponsorum. Si verum, inquam, hoc est, necessariò dicendum, Virginitatem esse Rosam exemptam ab hisce spinis, videlicet; parere filios in dolore, enutrire eos cum tædio & labore, ac esse subjectam maritis, tametsi ex hisce nascatur spinis. *Laudo nuptias* (dicit S. Hieronymus loco citato,) *laudo coniugium; sed quia mihi Virgines generant, lego de spinis rosam.*

Alio modo dici potest Maria Rosa nata è spinis; nam sicut rosa nascitur ex spinis; at non molestatur, nec pungitur, imò ne tangitur quidem ab illis, quia supra illas sese extollit in altum: ita beatissima Virgo Maria progenita est ex radice peccatrice, quæ fuit Eva: ast ipsam non tetigit ulla peccati etiam originalis spina: unde cecinit Sedulius lib. 1. carm. pasch.

Maria rosa ex spinis, sed sine spinis.

Et velut è spinis mollis rosa,
Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria,
Nil est quod laniet Matrem.

Et S. Bernardus serm. de B. Virg. *Eva spina fuit, Maria rosa extitit: Eva spina vulnerando, Maria omnium affectu mulcendo: Eva infigens omnibus mortem, Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem.* & S. Ioannes Damascenus alloquendo B. Virginem in hæc prorumpit verba: O *Rosa, quæ ex spinis, hoc est, ex Iudæis orta es, ac divinâ fragrantiâ cuncta perfudisti!* Eva ergo spinosa fuit hæc planta; peccata sunt spinæ, nos spinosi sumus rami concepti in peccato: Maria unica & intacta rosa est, sicut Christus: & ideò postquã in sacris canticis de se dixisset: *Ego rosa campi.* Cant. 2. vers. 1. quod tantum significat, quantum nomen illud genericum, *flos*, teste Delrio hîc; subjungit deinde de Maria Virgine: *sicut lilium inter spinas*, ubi Sanctus Gregorius Nyssenus cum alijs legit: *Sicut rosa inter spinas, sic amica mea inter filias.*

Angelus quidam apud S. Brigittam in serm. Ang. cap. 16. in alio sensu vocat Mariam Virginem Rosam inter spinas; eò quòd semper vixerit inter angustias, pericula & dolores. *Sicut rosa* (ait ille) *crescere solet inter spinas, ita hæc venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes.* Rosa fuit Maria inter spinas, inter persecutiones Herodis: Rosa fuit inter spinas, dum dimoraretur in Ægypto inter idololatras: Rosa denique inter spinas inter martyrium & tormenta Filij, inter iniurias & opprobria Iudæorum, inter proprios dolores. *Sicut rosa inter spinas.* Vnde etiam dixit S. Basilius lib. de paradiso, prosperitatem vitæ hujus esse permixtam adversitatibus, sicut rosa est connexa spinis.

Hæc de spinis sufficiant, expediamus nos ab illis, ne importuno earum interventu discursus nostri dilaceremus vestimenta: contemplemur nunc colorum Rosæ, varietatem ac in ea oculos mentis nostræ oblectemur. Tria rosarum genera quo ad colorem in particulari reperio apud Plinium lib. 29. cap. 4. Aliæ sunt albæ & candidæ: aliæ cerussatæ, aut coccineæ: aliæ rubeæ; & omnes illæ typus sunt & figura mysticæ hujus Rosæ Mariæ Virginis: nam candida & pura fuit in

Varij colores rosarũ.

immaculata sua conceptione, coccinea in Incarnatione Filij, rubicunda in passione ejus. Vel dicatur, Mariam candidam esse Rosam ob virginitatem, coccineam ob fœcunditatem, & rubeam ob aureolam Martyrij; ast devoti sanctissimi Rosarij famuli afferunt, Mariam Virginem candidam fuisse Rosam in mysterijs gaudiorum propter lætitiam; (albus namque color signũ est lætitiæ.) rubicundam in mysterijs dolorum propter compassionem, coccineam in mysterijs gloriæ propter amorem.

Hinc est, quod color mysticæ Rosæ B. Virginis placat Deum nobis iratum, eumque nobis reddit propitium & benignum. Totum hoc in nobilissima quadam sacræ Scripturæ historia veluti in speculo videre licet. Esther capite 15. determinaverat Rex Assuerus miserabilem populum Israeliticum jugulare ac penitus deperdere: & ne quispiam eum ab hac crudeli sua dimoveret sententia, seriò inhibuit, ne ullus tam audax esset, qui regiam subintraret aulam. Audito hoc crudeli & lugubri nuncio, nullius non cor contristatum fuit, ac præ mærore & tristitia concidit miseri timebant & trepidabant Hebræi. Sed ecce Reginæ Esther resolutum animum; comparere nimirum decrevit in præsentia Regis, ut iratum ejus in populum suum placaret animum; quapropter mirâ faciem suam exornat pulchritudine & decore, regijs pomposisque se induit vestimentis, pretiosissimis etiam se condecorat gemmis & margaritis, adeò ut vultus ejus quoddam esset admirationis theatrum. Vix ingressa ipsiusmet Regis aulam, vidit illum magnifico & superbo insidentem throno; sed vultum ejus adeò sæuum, ferocem & crudelem, ut potiùs repræsentarit terribilem quendam leonem quàm hominem; aspectus namque ejus horrificus non nisi indignationem & furorem spirabat ac minitantem omnibus ostentabat frontem, quotquot illum intuebantur. In faciem & aspectum adeò terribilem & ferocem ut oculos suos Regina conjecerat, cecidit in terram semimortua; ast compassione Rex motus, benignè ac humaniter illam suscepit, confortavit, ac solatus est, & ecce pallor genarum ejus mutatus fuit in roseum & rubicundum colorem: *Ipsa autem roseo colore vultum perfusa*, inquit sacer textus versiculo 8. q. d. Quamprimùm Rex in sereno Reginæ vultu contemplatus fuit colorem roseum, euasit omninò mansuetus, mitis, & benignus, benigneque totum id concessit & indulsit, quod unquam à Rege ipsa sperare poterat. Ita sacratissima Virgo Domina & Patrona nostra (quæ juxta Liranum in cap. 2. Esther, est figura Reginæ Esther) dum divinas has rosas in vultu suo resplendentes præsentat & offert perdilecto suo Filio & Domino, non dumtaxat placat pacatque Dei indignationem in nos ob peccata nostra justissimè conceptam, sed etiam innumeras gratias & favores nobis impetrat.

His coloribus placat B. Virgo rosa Regem cælorum.

Verùm transeamus de colore ad odorem Rosæ, & sedulò attendite N. N. ad ea, quæ sum dicturus. Ab odoris fragrantia apud Græcos, veluti scribit Plutarchus in vita Alexandri, Rosa habuit nomen suum. Meliori jure & ratione dicere nos possumus, Mariam appellari Rosam propter suavitatis odorem, quem vndique longè lateque spirat & diffundit. *O Rosa* (inquit S. Ioannes Damascenus) *quæ ex spinis, hoc est, Iudæis orta es, ac divinâ fragrantiâ cuncta perfudisti!* S. Paulus Apostolus de se loquens, dicebat: *Christi bonus odor sumus*, 2. Corinth. 2. versic. 15. quantò magis id dicere potest B. Virgo? Si de Alexandro Magno scribit Plutarchus ubi suprà, quod propter miram corporis sui temperiem suavissimum spirabat odorem; multò magis id credendum est de corpore, imò anima sanctissima Mariæ Virginis.

Rosarum odor applicatur Mariæ.

Verum est, Rosam, quamdiu viridi suo inclusa & abscondita est cortici, nullum emit-

emittere odorem; bene quidem, cùm ſua expandit folia, fragrantem etiam diſpergit odorem. Idem planè dici poteſt de myſtica Roſa Mariæ Virginis, dum humilis ab hominibus ſecluſa & incognita dimorabatur, vix quiſpiam eam audivit loquentē nec de ſe, neque de myſterijs divinis, teſte S. Evangeliſtâ Lucâ cap. 2. verſ. 19. *Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* At poſtquam cœpit manifeſtari mundo, eſſetque Apoſtolorum Doctrix & Magiſtra, *ex tunc & deinceps per omnes fines terræ* (ait Guilielmus Pariſienſis) *verificatum fuit illud dictum Canticorum* cap. 7. verſ. 8. *Odor oris tui ſicut malorum.*

Quando Roſa Ierichuntina primò ſuavem ſpirarit odorem.

O quàm pulchra & ornata hiſce extitit roſis Maria Virgo! ut propterea ſemper illas ambiat & deſideret. *Fulcite me floribus.* Cant. 2. verſ. 5. Hebræa lectio habet: *Coronate me roſis*, quaſi dicere vellet juxta expoſitionem Hugonis Cardinalis in hunc locum: *Replete me orationibus*, & oratio, quam B. Virgo audire deſiderat, eſt ſalutatio illa ab Archangelo Gabriele compoſita, dum Verbum divinum humanam aſſumpſit naturam.

Roſarum odor applicatur Mariæ.

De Roſa Ierichuntina utpotè expreſſa glorioſæ Virginis Mariæ figura referunt graviſſimi Doctores apud Delrio in Flor. Mar. illam tunc ſuaviſſimum cœpiſſe ſpirare odorem, quando S. Eliſæus Propheta miſit ſal in aquas illas amariſſimas; idque accidiſſe, quando hic Propheta prædicatum ivit in magnam illam Civitatem Iericho, & urbis hujus Primates obviam ei procedentes, humaniſſimè illum exceperunt, ſignificaruntque extremam, in quâ conſtituti erant neceſſitatem & anguſtiam; nimirum ſummam ſe pati penuriam aquarum, vitæ humanæ ſuſtentationi neceſſariarum; illas verò, quæ illinc reperirentur, eſſe peſſimas, terramque adeò ſterilem, ut nullos produceret nec flores nec fructus. *Aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis.* 4. Reg. 2. verſ. 19. & ecce, Propheta confeſtim ſibi afferri petijt vas novum ſale repletum; *Afferte mihi vas novum & mittite in illud ſal.* verſ. 20. Quo allato, proiecit ſal in aquas, hæc dicens verba: *Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultrà in eis mors, neque ſterilitas.* verſ. 21. Hoc dicto, omni populo præbuit eas guſtandas, & omnium calculo & admiratione approbatæ fuerunt dulciſſimæ: *Sanatæ ſunt ergò aquæ uſque in diem hanc, iuxta verbum Eliſæi, quod locutus eſt,* verſ. 22. Aquis hiſce aſperſa deinde terra (uti volunt Oleaſter in Pentat. Rabbi David, & Lippoman. in hunc locum) magnam produxit pulcherrimarum Roſarum quantitatem; unde & abibat in proverbium, *Roſæ Ierichuntinæ*; veluti etiam egregiè adnotavit Hugo Cardinalis in cap. 24. Eccleſ. *Quaſi plantatio roſæ in Iericho: pulchræ florent, & redolent ſuaviter.*

Attentas nunc N. N. præbete aures, quàm appoſitè hoc factum quadret ſanctiſſimo Roſario Mariæ Virginis, de qua non ſine magno myſterio dicitur: *Quaſi plantatio Roſæ in Iericho.* Pulcherrimus erat primitùs naturâ ſuâ mundus. Et quid mirum? opus quippè erat artificioſiſſimum Dei, aſt aquæ peſſimæ erant, & per aquas in ſacris literis figurantur populi: *Aquæ multæ, populi multi,* aquæ peſſimæ hæreſium, quæ totum inficiebant orbem, efficiebantque terram animæ (de quâ dicitur Pſalm. 146. verſ. 6. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*) omninò ſterilem & expertem bonorum operum: ecce miſit divina providentia novellum illum Eliſæum; ſanctum, inquam, Dominicum, qui ſuo ſapientiæ & prædicationis ſale (*Vos eſtis ſal terræ.* Matt. 5. verſ. 13.) mirabilem effecit metamorphoſin; aquas videlicet putridas & amaras hæreticorum, convertendo illos ad fidem Catholicam, in dulces convertit aquas, dum ferè centum millia illorum ad veram perduxit fidem; fecitque miraculoſas illas Roſas reſultare ſanctiſſimi Roſarij, quibus ſacratiſſima Virgo ſummoperè ador-

1. Dominicus plantavit Roſas Roſarij.

adornari gaudet, acceptans illas tanquã vnicum suum thesaurum, ac mediantibus quibus repletur cœlum, evacuatur infernus, restaurantur muri cœlestis Ierusalem, & misero peccatori restituitur salus & vita amissa. Perelegan̄ter id innuit S. Bernardus in serm. de Virg. *Per te, Virgo sancta, cœlum impletum est, infernus evacuatus, instauratæ ruinæ cœlestis Ierusalem, miseris expectantibus perdita vita data est.*

Asserit Plinius lib. 2. Hist. natural. odorem Rosæ habere virtutem & facultatem emolliendi animos, eosque disponendi ad mansuetudinem; ac propterea juxta testimonium Pierij Valeriani lib. 55. Hieroglyp. Ægyptij gratiam aliquam petituri à Dijs suis, solebant se coronare rosis. Similiter Indi vngebant se oleo rosaceo, antequam Dijs suis offerrent sacrificia. Quotquot recitant sanctissimum Rosarium, appositè de ijsdem affirmari potest, quod odoriferas & suaues producant Rosas ad quarum odorem emollitur cor Dei in nos justissimè indignationis æstuantis irâ ob peccata nostra.

Odor rosæ pro sacrificijs.

Planta illa, cui arcus cœlestis affigit pedem, ut auctor est Aristoteles in suis problematibus num. 3. suavissimi odoris relinquit vestigium, *suavitatem* (utor verbis Plinij lib. 12. Hist. nat. cap. 24.) *odoris inenarrabilem*. Quam suavitatem, quem odorem gratiarum, virtutum & sanctitatis reliquisse autumamini arcum illum cœlestem Verbi divini, dum sacros suos posuit fixitque pedes in sinu virginali mysticæ hujus Rosæ Mariæ Virginis? ipsamet loquatur: *Dum esset Rex in accubitu suo*, Cant. 1. vers. 12. quem locum plurimi ex Sanctis Patribus intelligunt de Incarnatione Verbi in utero Mariæ Virginis, *nardus mea*, quod alij ex linguâ Arabum, apud quos rosa dicitur nardus, transferunt & dicunt: *Rosa mea dedit odorem suum*, vel melius, ut ex Hebræo legit Origenes hom. 2. in Cant. *dedit odorem eius*, ut hinc intelligeremus, omnem fragrantiam & suavitatem Rosæ Mariæ esse ab iride cælesti Verbi divini & iride pacis, *pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*, ad Colos. 1. vers. 20. *ut non tam ille ex nardo odorem, quàm nardus ex ipso sumpsisse videatur*, ait Origenes. Tam excellens, tam magna fuit hæc odoris fragrantia, ut se per totum diffuderit orbem: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, Lucæ 1. vers. 48. Sed qualis est odor, quem spirat hæc Rosa, nisi ipsemet Christus Dominus? qui tunc fuit sparsus per totum mundum, quando in campo Bethlehemitico natus est, in cujus suavem odorem cucurrerunt ab Oriente Magi. Matth. 2. ex agro Pastores, de cælis Angeli, Lucæ capite secundo.

Color rosæ Mariæ ab Iride cælesti.

Ideoque beatissima Virgo loquens de partu suo, aliud ei non attribuit nomen, nec illum aliter nominat nisi odorem suavem. *Sicut balsamum aromatizans odorem dedi* Eccles. 23. vers. 20. & vers. 21. *Quasi storax & galbanus, &c. vaporavi habitationẽ meam*, & alibi: *Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris*. vers. 20. & vers. 21. *Quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam*, & in alio loco suprà citato, *Nardus mea dedit odorem*. Idque non sine mysterio; nam Christus Dominus est & fructus ventris Virginis, & est odor ac fructus hujus Rosæ. Sicut igitur producitur à flore, ita hic in sacris litteris vocatus *odor suavitatis* natus est ex Virginali & mysticâ Rosâ Mariæ absque ullo detrimento: imò cum augmento maternæ integritatis. *Fructificavi suavitatem odoris*, dicebat B. Virgo, Eccles. 24. vers. 23. *& flores mei fructus honoris & honestatis*, etenim hunc locum devotissimus Guerricus Abbas sermone de Annunc. expendit de benedicta Virgine: *Quid aliud est Virginitas*, inquit ille, *quàm flos inviolati corporis? & quid aliud est Filius Virginis, quàm suavitas odoris?* Odor est fructus floris, & Christus est fructus ventris Mariæ. Odore diffuso

Fructus hujus rosæ Christus.

diffuso & undique sparso non corrumpitur flos, nec Christo nato sublata fuit integritas à Virgine, imò honorata: *& flores mei fructus honoris & honestatis.*

Color rosæ Mariæ ab Iride cælesti.

PARS SECVNDA.

O Pratisne aliquod specimen amplitudinis & efficaciæ odoris mysticæ illius Rosæ? en devotionem sacratissimi Rosarij per omnes mundi partes sparsam & diffusam. Quis inter Catholicos est, qui eo non armet manus suas egressurus domo? annon cuncti in domo, Ecclesiâ alijsque locis recitando illud, pulchram sibi texunt coronam? optimè namque scitur, quòd sicut Rosa inservit confortationi cerebri, malorumque humorum expulsioni; ita odor sanctissimi Rosarij & confortat animam in bene operando, & pessimum peccatorum tentationumque expellit odorem & fœtorem. Quot & quanti ob hunc suavissimum odorem; ob hujus, inquam, Rosarij recitationem non sunt prolapsi in peccata? quot recitando Rosarium erepti & liberati fuerunt à peccatorum periculis?

Tibi, ô Sancte Domine, hanc gloriam meritò attribuere potes, quod sacrum hunc odorem per totum diffuderis orbem, & sicut Paulus Apostolus fuit electus in vas & instrumentum ad deferendam gentibus, populis & regnis Rosam nominis Iesu; ita tu fuisti è cæteris electus ad portandam Rosam nominis Mariæ, ut propterea bene dixeris cum Apostolo; hic de nomine Iesu, tu de nomine Mariæ: *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco,* 2. Cor. 2. vers. 14. Dicat Apostolus: *Christi bonus odor sumus,* v. 15. dicat Dominicus: *Odor Mariæ sumus,* dicat Iesus de Paulo: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomē meum,* Act. 9. v. 15. dicat Maria de Dominico: *Vas electionis est ille, ut portet nomen meum.*

Fructus hujus rosæ Christus.

Varij usus rosarum.

Rosis hic exornet manus suas, ut malum dispellat odorem; pectus rosis exornet alter, ut cor exhilaret; ornet hæc tempora & caput, ut placeat alteri; dicant prophani & mundani: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant,* Sap. 2. vers. 8. apponant gentiles superstitiosè tumulis coronas rosis perrextas: dormiat Imperator Romanorum in lecto rosis exornato, ut gratiosior appareat populo: inquirat Apuleius maximo cum dispendio rosas, quas desiderat, ut de bestiâ possit redire ad normam & formam humanam; quæ omnia aut sunt figmenta & fabulæ, aut superstitiones, vel saltem vanitates; ast quicunque hisce Rosis productis in Paradiso in æterno illo delitiarum Maio, excultis ab Angelis, à Sole justitiæ foris, irrigatis dulci gratiarum cœlestium riuulo; sanctissimo, inquam, Rosario, exornat manus suas, omnem prorsus mali nominis dispellit odorem; qui suum eo condecorat pectus, initam percipit animi lætitiam; qui illo exornat caput suum, adamatur à Deo & omnibus cœli incolis; quid illud applicat mortuis, redivivos eos efficit eripiendo illos ab igne purgatorij: qui eiusdem contemplationi incumbit, non hominibus, sed gratus Deo redditur; qui illo tanquam medicinâ vtitur in satisfactionem suorum peccatorum, de bestia verè transit & transformatur in hominem, imò Angelum.

Fructus rosarij.

Quid dicam tandem de privilegijs, gratijs & indulgentijs sanctissimi Rosarij? sunt sanè innumerabiles: pro Confratrum tamen solatio, ut maiori cum attentione & devotione sanctissimum Mariæ Virginis Rosariū recitent, aliquas referam. Innocentius igitur Octauus omnibus confratribus & sororibus Confraternitatis hujus Rosarij semel in vita, & semel in morte concessit indulgentias plenarias. Insuper, quòd primâ vice, quâ confratrum ascribuntur numero, contriti, confessi & sacrâ communione refecti, recitantes tertiam partem Rosarij, exorantes Deum pro tranquillitate & pace Ecclesiæ, easdē lucrentur indulgētias,

Et Privilegia.

tias, quicumque ex Confratribus & Sororibus Rosarium recitaverit, ultra innumeras alias Indulgentias concessas à plurimis summis Pontificibus concessit Paulus Tertius plenarias, & applicans totum Rosarium aut ejusdem tertiam partem, ubicumque vel quotiescumque illud recitaverit, vitâ defunctis, liberat unam animam è purgatorio. Summa, in infinitum sese extenderet hic meus discursus, si sigillatim omnes à Summis Pontificibus concessas Indulgentias enumerarem; hoc vnicum sufficiat, quod omnes Indulgentias intra & extra Vrbem Romanam, in Ierusalem, in S. Iacobo Compostellæ, in tota Italia ac denique per totum orbem concessas consequantur confratres Rosarij; unde bene hîc verba illa Claudiani vsurpare possum:

Quæ sparguntur in omnes,
In te mixta florent, & quæ divisa beatos
Perficiunt, collecta tenes, ———

Prædictis addendum, numerum Confratrum & Sororum per totum terrarum orbem esse ferè innumerabilem; sicque quilibet confrater & soror particeps efficitur gratiarum, favorum & indulgentiarum alterius. O favorem & privilegium singulare!

Refert Sacra Scriptura Daniel. cap. 3. orationem trium illorum puerorum in ardentissimâ fornace Babylonicâ existentium fuisse pergratam Deo, quia de uno quasi ore exibat. *Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant & glorificabant & benedicebant Deum in fornace.* versic. 51. Impossibile quoque est, quod Rosarium unanimiter fidelibus & devotis Christianis recitatum, non sit acceptum Maiestati divinæ, quemadmodum clarum illius dabit testimonium S. Cyprianus, dum ait: *Orationes à fidelibus communiter recitatas suscipit Deus, & per eas, quidquid petitur, liberè conceditur.* O excellenntiam inauditam! ô privilegia incomparabilia! ô Indulgentias innumerabiles!

Recitatio Rosarij grata Deo & efficax ac vtilis.

Percepistis N. N. quantam secum conferat utilitatem devotio sanctissimi Rosarij, necessarium iam esset, ut illam amplecteremini, diligentius frequentaretis, ac cordis vestri insculperetis scriniolo. Et ut maiorem ac ferventiorem ad illam affectum obtineatis, prosternite vos ante pedes Beatissimæ Virginis, toto ei supplicantes affectu, ut sub alis protectionis suæ dignetur vos recipere; vero verius namque est, & si non esset intercessio Mariæ Virginis, totus iamdudum mundus ob enormia, quæ indies committuntur, scelera, perijsset, teste D. Fulgentio lib. 4. Mytholog asserente: *Dudum cælum & terra ruissent, nisi Maria precibus sustentasset.* Quapropter summopere nobis timendum ac pariter cavendum est, ne Deus de novo rigorosiùs nos puniat ac castiget, quàm hactenus fecit, & ad has evitandas divinas punitiones & miserias securius non adest nobis remedium, quàm devotio sanctissimi Rosarij, quod tantùm placet Deo & Beatissimæ Virgini Matri ejus, ut verbis nunquam sufficienter explanari possit.

Felices ergo omnes illi, quotquot frequentant hanc devotionem; etenim, præterquam proteguntur à cælorum Regina in hac vita, securè sperare possunt fruitione æternæ felicitatis & beatitudinis, quam nobis, tametsi ob peccata nostra indignis impertiri dignetur Deus propter merita præcelsæ hujus Dominæ & Patronæ sanctissimi Rosarij. Salutate omnes mecum N. N. Sanctissimam Virginem & finiamus hunc discursum:

Salve radix sancta:
Salve mundi gloria:
O Maria flos Virginum,
Velut Rosa vel lilium:
Funde preces ad Filium,
Pro salute fidelium. Amen.

DIS-

DISCVRSVS VI.

PRO DIE SABBATHI POST DOMINICAM PASSIONIS.

ARGVMENTVM.

Tractatur de Martyrio ac compaßione D. Virginis Matris sub cruce Filij stantis.

Thema.

Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius & soror Matris eius. Ioan. 19. v. 25.

Dignius mœrore & dolore spectaculum, tristior tragœdia, historia vberiorib. deploranda lachrymis non legitur in sacris litteris, quàm illa, in quâ enarrans S. Euangelista Ioannes martyrium dolorosæ Virginis Matris Dei dicit, ipsam veluti spectatricem amantissimi Filij sui Iesu stetisse iuxta crucem: *Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius, &c.* & acutissimus profectò N.N. fuit ille doloris gladius, quo anima Virginis benedicta transuerberata fuit, dum nimirum in monte Caluariæ perdilectum Filium suum in ligno crucis suspensum & sanguinem eius & è sacratissimo capite spinis coronato, & è manibus pedibusque clauis cruci affixis copiosissimè profluentem conspexit; dum, inquam, vidit nudum illum, qui vestit floribus campos, sitibundum Creatorem aquarum, spineo diademate cinctum, qui coronâ gloriæ electorum suorum tempora cingit in cœlis, Summa, cunctarum pœnarum tormentorumque pientissimi Iesu extitit dolorosa spectatrix Virgo Maria: *Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius, &c.* O dolores! ô tormenta Mariæ Virginis! bene vobis omnibus, quotquot huc accessistis ad compatiendum doloribus eius, hodie dici potest illud Ieremiæ Thren. cap. 1. vers. 12. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.* De hisce igitur doloribus & Martyrio Virginis Dei præsentem instituam discursum, attendite & exordiar,

PARS PRIMA.

Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius, &c. Acerbiorem maioremque haud credo reperiri posse in hoc mundo dolorem, ac qualem percipiunt parentes, dum proprium filium internecioni & morti tradi conspiciunt; alij etenim dolores & pœnæ in comparatione huius nihil penitus æstimandi sunt: & hinc astutum infernalis hostis percipietis agendi modum, quo magnanimum, inuictum ac patientissimum Iob, Deo ita permittente, debellare ac euincere allaborauit: quibus etenim armis eum instructum in medium prodijsse opinamini? Audite, amabo, simulque dæmonis aduertite fraudem: Domo corruente fratris primogeniti, oppressisque ac interfectis & vxore & filijs & famulis ac famulabus, nunciatũ hæc quidam abbijt patientissimo Iob, dixitque: *Filijs tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione* Qui maior dolor parentum.

 deser-

deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugit ego solus, vt annunciarem tibi. Iob cap. 1. vers. 19. Sed heus! infelix relator, cum ruinâ domus omnes perierint, cur non refers & vxorem & famulos pariter esse oppressos & interfectos, sed filiorum dumtaxat mentionem facis? Crudelis sanè fuit dæmonis hæc inuentulo, vti attestatur antiquissimus Ecclesiæ Pater Olympiodorus in ca. 1. Iob; optimè namque nouerat diabolus, non nisi hac via potuisse sancto huic viro maius inferri tormentum & dolorem, ac proterea filiorum solùm meminit: *Germanæ prolis præcipuè meminit, vt iusti naturam exulceraret.* Deinde subiungit: *Neque enim dixit: Supra omnes, qui intùs erant, cecidit; interfectorumq́ omnium sepulchrum vnum domus effecta est; sed magis propriæ memoriam ei naturæ offerens, ac luculentas ei plagas infligens dixit: Cecidit super filios tuos.*

Maior quam matris Machabæorum.

Verùm, ô dolorosa & afflicta Virgo, quid filij Iob cum tuo vnigenito eoque tibi dilectissimo Filio? quid mors illorum cum morte Iesu Nazareni? Sanè, dolor tuus multis superat para sangis dolorem Iob, vt propterea B. Amedæus hom. 5 de B. Virg. discurrens de doloribus Mariæ Virginis ob mortem benedicti sui Filij, rectè dixerit: *Torquebatur enim magis quàm si torqueretur in se; quia supra se incomparabiliter diligebat id, vnde dolebat.* nihilominus in tot tantisque constituta angustijs exspirantem morientemque cernens Filium suum in arâ crucis, intrepida accincta fortitudidine strenuè resistebat huiusmodi doloribus. *Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius.*

Tanquam paradoxon & prodigium sacræ referunt paginæ, quod occurrit piæ & generosæ Machabæorum Matri, 2. Machab. cap. 7. nimirum fortis non minus quàm mœrens amantissimos suos filios præsens conspexit crudelibus affici tormentis, interfici & mactari; vnde ait D. Augustinus serm. 109. *Ferebat in oculis, quod in carne omnes.* Quod filij patiebantur in corpore & carne, hoc ipsa patiebatur in oculis. Idem planè affirmare possumus de Virgine Deiparâ crudelissimorum tormentorum Filij spectatrice: *Ferebat in oculis, quod in carne omnes.* Casus profectò vberrimis deplorandus lachrymis. Hinc S. Cyprianus lib. de exhortat. ad Martyr. factum hoc penitiùs considerans, dixit: *Tam grande martyrium Deo præbuit virtute oculorum suorum, quàm præbuerunt filij omnes passione membrorum.* Quasi dicere voluisset: Filij Machabæi patiebantur in corpore, & pia mater pro omnibus patiebatur in oculis, videndo filios suos crudeliter torqueri, dilaniari & dilacerari, & S. Augustinus loco sup. cit. hisce conformia subiungit: *Illa videndo in omnibus passa est.* Cùm nimirum corpora filiorum suorũ conspiceret omni semotâ compassione secari & excoriari, omnes has pœnas & tormenta sentiebat illa in seipsâ. Quod si igitur pia Machabæorum Mater ratione filiorum suorum tot tantosque sensit dolores & tormenta, quid dicam de sanctissima Virgine, quæ sine comparatione plus dilexit Filium suum? dicam talem percepisse dolorem & cruciatum, vt linguâ humanâ explanari nequeat. *Non credo planè* (ait S. Bernardus) *enarrari vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantùm vnquam dolere potuit de tali Filio talis Mater.* Serm. de lament. Virg.

Dolor Virginis maior quam Iob in amissione filiorum.

Et sanè N. N. an non magnus & excessiuus vobis videtur dolor ille Virginis, cùm à rabiosis & perfidis Iudæis pessimè tractari vidit vnicum suum Filium? ecquâ tristitiâ & amaritudine, quot & quantis doloribus animam eius oppletam fuisse arbitramini? inenarrabilibus profectò, qui ipsam quasi exanimem reddiderunt. Quod attentius considerãs S. Bernardus de lament. Virg. prorupit in hæc verba: *Iuxta crucem stabat emortua Mater, quæ ipsum ex Spiritu sancto concepit; vox illi non erat, quia dolore attrita iacens pallebat; quasi mortua viuens, viuebat moriens: nec mori poterat, quia viuens mortua erat.*

Vnde

Vnde sacratissimum corpus Filij sui nullas recepit plagas, ictus, verbera & vulnera, quæ non quoque dolorosæ afflixerunt Matris animam; quot spinæ, claui, quot præacuta flagella dilaniarunt & perforarunt innocentissimam carnem Filij, tot sagittæ infixæ hæserunt cordi & animæ Matris. *Quod in carne Christi agebant claui & lancea, hoc in eius mente compassio naturalis & affectionis maternæ angustia operabatur*, ait Arnoldus Carnotensis de laud. Virg. Idem asseuerat D. Hieronymus hisce perelegantibus verbis: *Eius dilectio amplius fortis, quàm mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.* imò dira illa lancea, quæ Christi aperuit pectus, nullumque eidem intulit tormentum & dolorem (erat namque mortuus,) Matris duntaxat transfixit cor & animam, teste mellifluo Bernardo tract. de lament. Virg. *Ipsius planè non attigit animam crudelis illa lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam Virgo animam pertransiuit.*

Vero verius N.N. quod pientissimus Saluator noster tempore amarissimæ passionis & mortis suę pro peccatis nostris perpessæ, dum nimirum in immenso illo tormentorum dolorumque nauigabat oceano, omnimodam promerebatur compassionem & commiserationem tum ex lege naturæ communis, tum ex lege charitatis & iustitiæ; at non illi compati poterat Pater æternus, nec Spiritus sanctus: cùm hi sint ipsamet impassibilitas & beatitudo; neque sancti Angeli: quidem status beatitudinis, in quo erant constituti, quamcũque excludit tristitiam & dolorem; nec mundus: quippè inuolutus erat tenebris idololatriæ aliorumque peccatorum, ab eoque atroces crudelesque illas patiebatur persecutiones, tormenta & mortem. Incumbebat igitur hoc compassionis munus & officium miseræ & afflictę Matri, quæ in anima sua cunctos Filij sensit dolores & pœnas, ideoque dixit sanctus Damascenus libro 4. de fide orthodaxâ cap. 15. omnes dolores, quos non sensit pia Virgo in partu, eidem reseruatos fuisse ad passionem Filij vsque: *Quos in partu dolores effugerat, passionis tempore sustinuit.* Nec mirum est tot tantosque dolores & pœnas perpessam fuisse beatissimam Virginem tempore passionis Redemptoris nostri; etenim, vt inquit Richardus de S. Victore in ca. 6. Cant. *sicut non fuit amor sicut amor eius, ita nõ fuit dolor similis dolori eius.*

Et vt verum fatear, N.N. si creaturæ etiam insensibiles doloris ostenderunt signa ob mortem Creatoris sui; petræ siquidem ruptæ sunt, terra tremuit & concussa est, templi velum scissum est, obscuratus est Sol, quo non indicibili dolore credendum est conquassatam fuisse benedictam Virginis animam, cuius amor in vnicum suum Filium longè ardentior & feruentior extitit, quam cæterarum creaturarum? *Tunc terra tremuit, petræ scissæ sunt, & luminaria obscurata: cogitare nunc licet, quantus dolor tunc infuit Matri, cùm sic dolebant, quæ insensibilia erant.* In hunc modum discurrit S. Bernard. tract. de lament. Virg.

Mira & sublimiora perferam, sed à vobis vtpotè à deuotis Mariæ Virginis clientibus magnum expecto planctum & luctum. Dicam adeò magnum extitisse dolorem Virginis ob mortem vnigeniti sui Filij Iesu, ut S. Bernard. Senensis to. 1. serm. 61. a. 3. c. 2. fateatur, quòd si excessiuus ille dolor Virginis partitus & distributus fuisset inter alias creaturas morti subiectas, confestim vitam cum morte commutassent. *Tantus fuit dolor Virginis* (ait ille) *vt si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt, diuideretur, omnes subitò interirent.* Vnde, quòd in excessiuis hisce doloribus & indicibilibus pœnis constituta, cõstans & inuicta steterit iuxta ipsammet sui crucifixi Filij crucem, veluti innuit sanctus Euangelista Ioannes: *Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius*, id factum esse asserit sanctus Anselmus tract. de lament. Virg. quia Deus omnipotenti suâ virtute eam conseruauit & sustentaui in

vita. *Crediderim te nullo pacto potuisse stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi Spiritus dulcissimi Filij tui te intus doceret.*

Addit S. Bernardus Senensis, tales ac tantos fuisse dolores Beatæ Virginis, quos iuxta crucem Christi Filij sui passa est, vt lingua Angelica; non dicam, humana, ne quidem partem eorundem explicare valeat; *Virginis dolor fuit maior & plus,* (inquit cit. S. Doct. serm. 45.) *quàm omnes creaturæ portare possent: quantò enim plus amabat Christum, tantò plus dolebat; & amor suus, quem ipsa portabat Christo, fuit infinitus.* vnde meritò S. Euangelista Ioannes solùm dixit: *Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius.*

Innumeri fuêre dolores, quos vnitim sustinuerunt omnes martyres propter amorem Christi; ast non sunt comparandi illius, quos ab amorem perdilecti sui Iesu sustinuit Virgo Deipara. *Ipsa fuit Martyr in animâ* (ait Richardus de Sancto Laurentio lib. 3. de laud Virg.) *& gladius doloris, qui pertransijt animam eius in Vnigeniti passione, pro amarissimo omnium Martyrio computabatur.*

Maior quam dolores omnium Martyrum.

Verùm quid tormenta Virginis Martyrum comparamus tormentis? Dicamus insuper hæc ab illis longè fuisse superata; imò dolores Martyrum respectu Martyrij, quod Maria Virgo iuxta crucem sustinuit, quasi nihil, vt ita loquar, æstimandos esse, vti contestatur Sanctus Anselmus de vol. Virg. cap. 5. dum ait: *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ passionis.*

Quis est (ait beatus Laurentius Iustinianus de triumpho Christi agoniz. cap. 10.) qui duo desiderat videre specula sibi è regione opposita, mutuis se inuicem reflexibus repercutientia, ac eadem obiecta repræsentantia? is obtutum suum figat in Filium in cruce pendentem & in Matrem eius iuxta crucem dimorantem. Petitur Filius, compatitur Mater; moritur Filius, commoritur Mater, & mutuo doloris compassionisq; affectu sese repercutiunt & tangunt. *Clarissimum passionis Christi speculum effectum erat cor Virginis* (ait Sanctus Venetorum Patriarcha) *nec non & perfecta Matris imago; in illo cernebantur & agnoscebantur sputa, conuitia, verbera & redemptionis vulnera.* Vnde dum spina transfigebat caput & tempora Filij, eâdem veluti sagittâ transfigebatur cor Matris: dum clauus penetrabat manum Filij, eodem veluti gladio penetrabatur cor Matris. Quod idem ponderans Richardus de Sancto Laurentio libro de laud. Virg. c. 5. in hæc prorumpit verba: *Quid est quod Dominus dicit per Isaiam: Torcular calcaui solus & de gentibus non est vir mecum? Verùm est Domine, quod non est vir tecum, sed vna mulier adorat, quæ tibi crucifixo omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscipit in corde.*

Nonnulli aiunt cū Sancto Augustino sermone de passione Domini, cunctos Christi dolores passam quoque fuisse Mariam Virginem; etenim sicut duæ citharæ æquali accordatæ tono & ex diametro oppositę sibi inuicem respondent: pulsatâ vnâ manu citharizantis, eundem harmonicum & primæ correspondentem edit altera sonū, iuxta opinionem Sancti Gregorij libro septimo moral. cap. nono: ita Christus Dominus tanquam cithara, vti ait regius Propheta: *Exurge psalterium & cithara.* Psalm. 56. vers. 9. in ligno crucis aptatus fuit (*Corpus autem aptasti mihi,* ad Hebr. 10.) vt viuū ederet doloris sonum & beata Virgo per conformitatem voluntatis; vtriusque enim erat cor vnum & anima vna; perfectè Christo concordata, ad ictus, percussiones, verbera, aliaque tormenta ei inflicta, tangebatur, percutiebaturque & ipsa, ac eundem met reddebat doloris sonum. *Crux & claui Filij* (inquit D. Augustinus) *fuerunt & Matris; erant enim duæ mysticæ Citharæ, quarum vnâ sonante, resonat & altera, nullo etiam pulsante. Iesu dolente dolet & Maria: Christo crucifixo crucifigitur & Maria.* Infiniti, immensique fuêre dolores,

Fuit quasi altera Cithara cum filio.

res,

res quos pientissimus Saluator nostræ salutis gratiâ sustinuit in Cruce: ad eundem quasi modum asserere possumus, Christum & Mariam pares quasi extitisse in pœnis, doloribus & tormentis, sicque si Christus fuit crucifixus secundùm corpus crucifixa fuit Maria Virgo secundum animam, & quot Christus sensit dolores in corpore, tot Maria Mater eius passa est in anima & corde. Diuũ hâc super re audite Hieronymum perbellè in contestantem: *Quot læsiones in corpore Filij, tot vulnera in corde Matris: claui quibus corpus Christi pendebat in cruce, & cor Virginis crucifixum habebant.* Quis igitur non vocabit inexplicabiles immensosque Virginis Mariæ dolores cruci astantis cùm dilucidè pateat, ipsam, nisi fuisset à Spiritu sancto confortata, simul eum Christo expirasse? *Mortua fuisset*, ait S. Bernardinus Senensis, *si Spiritus Sanctus eam non confortasset.*

Progredior & dico, Martyrium gloriosæ Virginis ob mortem & passionem Christi Domini diuturniori durasse tempore, quàm tormenta ac pœnæ omnium Martyrum; spatio namque triginta trium annorum continuò durauit, quamdiu nimirum vixit dilectissimus eius Filius. Ita asserit Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. cap. 4. idque probat ex illo Cantic. 4. vbi Spiritus sanctus deprædicaturus pulchritudinem Mariæ Virginis, dicit; *Capelli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Per hos capillos, inquit Rupertus, intelliguntur cogitationes B. Virginis, & per greges caprarum Sancti Martyres. Volebat igitur insinuare Spiritus sanctus: Sicut hi variè varijs & inmanibus affecti fuerunt tormentis & supplicijs à ferocibus Tyrannis; ita tu, ô Virgo, toto vitæ Saluatoris nostri cursu à sanctis tuis tormentata fuisti cogitationibus: tu iam dudum mente præuidisti & meditata fuisti, qualiter dilectus tuus Filius amaram subiturus esset passionẽ & mortem, & hæ cogitationes veluti tortores cor tuum dilaniarunt. Audite Rupertum Abbatem: *Hæc similitudo in capillis: Capilli tui sicut greges Caprarum: est, quia tu, ô Maria, longum in cogitationibus tuis præscia passionis Filij tui pertulisti martyriũ, sicut illi diu egentes, angustiati & afflicti.*

Fuit quasi altera Cithara cum filio.

Difficillimum iam intelligo locum illum sacrorum Cant. c. 7. vbi sponsus laudaturus capillos capitis suæ dilectæ sponsæ, assimilat illos purpuræ: *Coma capitis sicut purpura regis vincta canalibus*, vers. 5. Quem locum elegantissimè explanat S. Ambrosius hîc, dicens: *Capilli tui sicut purpura sanguinis Christi tincti vel iuncta canalibus Crucis; stabat enim Maria iuxta canalia Crucis capillis in purpuram sanguinis Christi conuersis.* & volebat dicere, quod, cùm Beata Virgo adstaret Crucifixo Filio suo, decurrebant è manuum pedumque totiusque corporis Christi plagis & vulneribus copiosi riui sanguinis, qui deinde decidebant supra caput B. Virginis, vnde & capilli eius facti fuerunt rubicundi instar regis purpuræ. Explanat deinde Richardus de S. Laurentio lib. de laud. Virg. c. 5. capillos nimirum cogitationum esse symbolum, & propterea dicere intendebat sponsus: Tu, ô Maria, capillos habuisti purpureo colori non absimiles, quia sanctæ tuæ cogitationes sanguine tinctæ fuerunt, dum semper eum, quem Filius tuus sparsurus erat, cogitabas & animo reuoluebas cruorem. *Coma tua*, ait Richard. *id est, cogitationes tui tinctæ sunt in memoriâ Dominicæ passionis, & sic effectæ sunt cogitationes tuæ, quasi recentem viderent sanguinem de Filij vulneribus distillantem* & D. Dionysius Carthusianus hoc idem perelegantibus hisce confirmat verbis: *Coma capitis tui, id est, congeries, multitudo & abundantia cogitationum tuarum, sicut purpura regis iunctæ canalibus Dominicæ Passionis recordationibus rubricata.*

Inde quoque est N. N. sententiam illam, quam Simeon intimauit gloriosæ Virgini, dicens: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Luc. 2. vers. 35. iuxta opinionem Ruperti Abbatis lib. 1. in

Cant. fuiſſe prophetiam quandam dictatam à Spiritu ſancto, vt nobis hinc ſignificaretur, longo tempore ante Chriſti crucifixionem & mortem cor doloroſæ & afflictæ Matris recordatione & cogitatione paſſionis & mortis Filij fuiſſe transfixum. *Nolite* (inquit Rupertus in perſona Virginis) *nolite ſolùm attendere diem vel horam illam, in quâ vidi dilectum meum ab impijs comprehenſum; nam tunc quidem gladius animam meam pertranſivit; ſed antequam ſic pertranſiret, longum per me tranſitum fecit.*

Nec id mirum videatur, quòd beata Virgo in anima ſua verè ſenſerit tormenta ſui Filij; peruoluebat namque ſacros Scripturæ codices, teſte S. Ambroſio in cap. 2. Luc, ex eiſque clarè perſpiciebat pœnas & tormenta à Prophetis prædicta, quæ Filius ſuus Vnigenitus ſubiturus eſſet. *Iſtum gladium cor & anima Virginis profundè immerſum habuit, quia Dei myſteria profundiùs penetrauit, & verba Dei de Chriſti paſſione ſemper in corde medullitùs portauit*, ait citatus S. Doctor. An non acutiſſimus ille extitit gladius tranſuerberans cor Mariæ Virginis, dum legebat cogitabatque quæ & quanta paſſurus eſſet dilectus ſuus Filius?

Hoc idem inſinuare voluit ipſamet Virgo, quando de Chriſto Domino loquens dixit: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur*, Cant. 1. verſ. 12. ac ſi diceret ſecundùm mentem Ruperti libro 1. in Cantic. Vix electa fui in Matrem Dei, & diuinâ ita ordinante ſapientiâ prophetico clarui Spiritu, vnde crudelia Verbi æterni cognoui tormenta, ſicque
Hi dolores fuerunt in anima.
cùm geſtarem in brachijs meis puerulum Ieſum & dulcibus eum fouerem amplexibus, cogitabam eiuſdem pœnas & tormenta ab ipſo perferenda, vt propterea cor meum amariſſimâ myrrhâ fuerit ſuperfuſum. *Propheti ſſa eram* (ait Rupertus in perſonâ Virginis) *& ex quo Mater eius facta ſum, ſciui eum iſta paſſurum: cùm igitur talem Filium ſinu meo fouerem, vlnis geſtarem, qualem quantam quamque prolixam me putatis materni doloris pertuliſſe paſſionem? Hinc eſt, quod dico: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter vbera mea commorabitur.*

Confirmat totum id Sancta Brigitta in ſuis reuelationibus libro 4. capite 23. Auſcultate N. N. eiuſdem verba pietatis affectibus ſanè pleniſſima. *Melius quàm Prophetæ præſciuit Maria Filij ſui paſſionem; ideò eum lactans cogitabat, quòd felle & aceto eſſet potandus in cruce: quando faſcijs inuoluebatur, funes cogitabat, quibus ligandus ab impijs carnificibus: quando eum manibus geſtabat, videbatur illi, quod Crucis brachijs eſſet confixus: quando oſculabatur, Iudæ oſculum cogitabat: quando manu ducebat de vno loco ad alium, ad tribunalia ducendum cogitabat: quando amplectebatur, cruci affigendum cogitabat: quando denique dormiebat, in cruce mortuum contemplabatur.* & Richardus de S. Laurent. lib. de laud. Virg. cap. 5. loquens in perſonâ Virginis, dixit: *Nolite ſolùm attendere horam, in quâ vidi dilectum meum ab ijs comprehenſum, quia tunc gladius animam meam pertranſiuit; ſed antequam ſic pertranſiret, longum per me tranſitum fecit.* O deſolatam Matrem! ô mœſtam & afflictam Mariam! quidni afflictam; cùm tuæ etiam cogitationes, tametſi piæ & deuotæ, fuerint acuti gladij, qui tuam transfixerunt animam? *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Lucæ 2. verſ. 35.

Non miror modò N. N. quod cœleſtis ſponſus B. Virginem compararet lilio inter ſpinas: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*, Cant. 2. verſ. 2. etenim, vt ait Rupertus Abbas libro 1. in Cant. *Maria fuit lilium inter ſpinas, quia quæcunque ſpinæ filium, eædem Matrem crucifixerunt & lacerauerunt vulneribus condolentiæ & compaſſionis.* Quod & confirmat Guilielmus Pariſienſis apud Delrium in cap. 7. Cant. dicens: *Quot vulnera Filius accipiebat in carne, tot pia Mater accipiebat in corde.*

Acerbi

Simeon desiderabat non ex cōpassione Virginis cui hos dolores prophetauerat.

Acerbi adeò (repero) fuerunt dolores Matris stantis iuxta crucem, vt, cùm senex Simeon illos præuideret in spiritu, maluerit mori, quàm interesse compassioni illius, & ideò cum pientissima mater, veluti scribit S. Euang. Lucas cap. 1. puerulum Iesum deferret ad templum, illum ibidem oblatura iuxta Hebræorum consuetudinem, sanctus Simeon manibus suis eum excipiens, suosque in eum defigens oculos, dixit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* versic. 29. Quæ verba examinans S. Timotheus Hierosolymitanus orat. de præsent. Simeon. apud Metaphrast, raptus in stuporem dicit: O bone senex, an non tu ille eras, qui expectabas redemptionem Israël? veluti innuit Spiritus sanctus: *Simeon iustus & timoratus expectabat consolationem Israël.* Luc. 2. vers. 25. Cur igitur nunc mortem tibi exoptas, antequam iustum tuū adimpleri cernis desiderium? Respondet Sanctus Timotheus, nōn esse dubium, quod iustus Simeon ardenter desiderabat redemptionem Israël? at qui spiritu ductus prophetico præuidit indicibiles ac ineffabiles dolores, quos ob passionem & mortem dilectissimi Filij sui passurâ erat Maria Virgo, cui iam prædixerat: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* ideò potiùs mori eligebat experebatque, quam videre illam tot tantosque sufferentem dolores & pœnas: *Dimitte nunc obsecro Domine* (dicit Sanctus Timotheus in persona iusti Simeonis) *ne videam Iudæorum in te facinus ne videam simul & Matrem tecus caluis Cruci affixam.*

Summa N.N. & adeò vehemens & magnus fuit dolor B. Virginis, quem ipsa concepit ex morte sui perchari filij, inquit S. Bernardus, vt omnes, quotquot illam conspiciebant, mori compassione cohibere sese nequiuerint à lachrymis & planctu amarissimo: *dolor enim eius cunctos intuentes ad dolorem compellebat, vixq; à lachrymis se continere valebant, qui eam plorantem conspicerent.* Addit insuper mellifluus Bernardus, Mariam Virginem adeò amarè fleuisse & doluisse, vt plurimi nolentes volentes ad compassionem prouocati, coacti fuerint ad luctum & planctum emittendum, & quicumque ei obuiabat, amaras fundebat lachrymas: *Tam piè plorabat, tam amarè dolebat, quod sui ploratus pietate multos etiam inuitos ad lachrymas prouocabat. Fiebat planctus, quocumque Maria transibat, omnesq; plorabant, qui obuiabant ei.*

Finio N.N. hunc meum discursum: dicam tantummodò, quòd, tametsi ineffabiles fuerint dolores, quos pertulit Sanctissima Virgo ob mortem sui amantissimi Iesu, nihilominus nullus (ô magnam hominum crudelitatem!) inueniatur, qui consoletur eam. *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius,* Thren. cap. 1. vers. 2. Nullum habes, ô desolata Mater & afflicta Virgo, qui tibi compatiatur, teque consoletur. O animæ, peccatrices lugete & plangite; vestris enim peccatis crucifixistis Filium Mariæ Virginis: plorate petentes vestrorum admissorum peccatorum remissionem & veniam.

O Sanctissima Virgo! populus hic feriam deinceps pollicetur vitæ emendationem; promittit, inquam, quòd nolit imposterum pientissimum tuum offendere Filium: ecce omnes contritos pœnitentiam agentes, humiliterque efflagitantes veniam, tu veluti Mater misericordiæ impetra illam à crucifixo Iesu, vt sic ei reconciliati, habeamus gratiam in præsenti vita, & gloriam in futura. Amen.

FINIS.

APPRO-

APPROBATIO.


QVadragesimale hoc à Reu. admodum Domino Alexandro Calamato compositum, & à R. P. Henrico à S. Carmelo ex Ordine Carmelitarum strictioris obseruantiæ, in Latinum idioma translatum, nullâ sui parte Catholicæ fidei aut bonis moribus aduersatur; plurima verò dogmata, ad fidelium instructionem, & morum in eisdem reformationem perutilia, in se complectitur. Quare dignum illud censeo quod typis iterum euulgetur. Actum 13. Nouembr. 1651.

Guilielmus Bolognino S. T. L.
Canon. & lib. Censor, Antuerp.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei Gratiâ Rex Castellæ, Legionis, Arragoniæ, vtriusque Siciliæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, &c. Comes Flandriæ, Arthesiæ, &c. diplomate suo sanxit, ne quis citra voluntatem CORNELII WOONS & HENRICI AERTSSENS Typograph. Antuerp. Concionum Opera R. D. ALEXANDRI CALAMATO in proximo octennio imprimat, alibíve impressa, in hasce ditiones inuehat, venaliáve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & aliâ graui pœnâ multabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, die 31. Iunij. 1651.

Signat. De Fren.



[illegible]
CONCIONES
TOM. P[illegible]. II.